EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M.E.D.
DIE 3. IUNII 1791.



9. 7. 169.

9 D 7

Digitized by Google

Digitized by Google

LITERÆ
PROCERUM
EUROPÆ.

PARS III.

ELENCHUS LEMMATUM, LITERIS

ab Anno Chriſti 1683. usque ad Annum 1712.
in hac

TERTIA PARTE

contentis, præpoſitorum.

ANNUS MDCLXXXIII.

DCXC. Breve *Innocentii Papæ* XI. ad *Ludovicum* XIV. Galliæ & Navarræ Regem, quo eum paterne hortatur, ut armis ſuis toto terrarum orbe celebratis Chriſtianam Rempublicam ab imminenti Turcarum jugo vindicare, aut, ſi id propriis haud conſultum eſſe putaret rationibus, Germaniam ſaltem ab armorum ſuorum metu liberam præſtare velit, 1683. pag. 1

DCXCI. Breve *Innocentii Papæ* XI. ad *Anſelmum Franciſcum*, Electorem Moguntinum, quem ſedulo monet, ut Rom. Imperatori adverſus Turcas caſtra metanti valida, pro virili ſuo, auxilia ſuppeditare, cæterosque S. R. Imp. Principes pro loci ac muneris ſui eminentia ad par officium verbis & exemplo incitare diligenter contendat, 1683. pag. 3

DCXCII. Reſponſoriæ *Anſelmi Franciſci*, Electoris Moguntini, ad præimpreſſum *Innocentii Papæ* XI. breve, 1683. pag. 5

DCXCIII. Literæ fiduciariæ a *Johanne Georgio* III. Saxoniæ Electore, Georgio Ludovico, Comiti a Zinzendorf, Internuntio ſuo, ad *Carolum* II. Magnæ Britanniæ Regem traditæ, 1683. pag. 7

DCXCIV. Literæ *Johannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris, ad *Ottonem Henricum*, Marchionem de *Savonna*, Hiſpa-

ſpaniarum Regis per Belgium Gubernatorem, quibus pro Delphino, Nobili Domino de Plotho, ne ipſi iter, quod ſub præſentis belli tempeſtate in Galliam meditaretur, vitio, aut ejus ditionibus in Belgio Hiſpanico ſitis in præjudicium verteretur, intercedit, 1683. pag. 8

DCXCV. Literæ *Johannis* III. Poloniæ Regis, ad *Ludovicum* XIV. Galliarum Regem, quibus Marchionem de Vitry, ejus in Polonia Internuntium, concitandis turbis, imo criminandæ Majeſtati ſceleribusque ſuo charačteri minime convenientibus diligenter operam dare graviter conqueritur, eumque congrue puniri & ab aula ſua confeſtim avocari cupit, 1683. pag. 10

DCXCVI. Literæ *Coſmi* III. Magni Etruriæ Ducis, ad *Johannem Georgium* III. Saxoniæ Electorem, quibus literas ipſius a Melanio allatas ſibi fuiſſe gratiſſimas, Melanium vero & quod deberet ſerenisſimæ familiæ Saxonicæ ſtudium, perpetuo fore commendatiſſimum, teſtatur, 1683. pag. 12

DCXCVII. Reſponſoriæ *Johannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris, ad præinſertas *Coſmi* III. Magni Etruriæ Ducis literas, quibus ipſi ſimul pro transmiſſo munere rariſſimo gratias agit maximas, 1683. pag. 13

DCXCIIX. Reſponſoriæ *Coſmi* III. Magni Etruriæ Ducis ad præimpreſſas *Johannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris reſponſorias, quibus omne muneris ipſi transmiſſi pretium ex ejus comprobatione ortum traxiſſe aſſerit, 1683. pag. 14

DCXCIX. Literæ, quibus *Johannes Georgius* III. Saxoniæ Elector, Gubernatori Provinciarum Belgicarum, *Ottoni Henrico, Marchioni* de *Caretto*, fortunata thalami cum Arembergiæ Principiſſa gratulatur auſpicia, 1683. pag. 16

DCC. Literæ *Johannis* III. Poloniæ Regis, ad *Schrach Soliman*, Perſarum Regem, quibus ipſum in belli contra Turcas incepti ſocietatem trahere maximopere conatur, 1683. pag. 16

DCCI. Literæ *Caroli Leopoldi*, Lotharingiæ Ducis, ad *Johannem* III. Poloniæ Regem, cui res a Polonis fortiter contra Rebelles geſtas laudando refert, ac ut copias ſuas properare gradum, liberandæ Viennæ cauſa jubeat, aman-

amanter ſvadet, 1683. pag. 19

DCCII. Literæ *Emerici*, Comitis a Teckeli, ad *Karam Muſtapham*, ſupremum Turcarum Vicarium, quibus ipſi circumſtantias prælii ad Vagum commiſſi exponit, 1683. pag. 21

DCCIII. Literæ *Johannis* III. Regis Poloniæ, ad *Anthonium Güntherum*, Principem Anhaltinum, quibus animum ſuum ipſi addictiſſimum eſſe declarat, 1683. pag. 23

DCCIV. Literæ *Caroli II.* Magnæ Britanniæ Regis, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, cui pro candidis, quibus ipſum proſecutus erat, votis congratulatoriis, gratias agit maximas, ac parem a præſentium calamitatum cumulo liberationem ſincere vovet, 1683. pag. 24

DCCV. Literæ *Johannis* III. Poloniæ Regis, ad *Johannem Georgium* III. Saxoniæ Electorem, quibus ipſi victoriam e Turcis apud Barchamum reportatam exponit, 1683. pag. 25

DCCVI. Breve *Innocentii Papæ* XI. ad *Rudigerum Erneſtum, Comitem a Stahrenberg*, cui Viennam adverſus crebros & ferventes Turcarum inſultus maſcule glorioſeque defenſam gratulatur, 1683. pag. 27

DCCVII. Literæ *Johannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris, ad *Johannem* III. Poloniæ Regem, cui tropæa Turcis extorta gratulatus, tranquillitatem Regni Hungariæ, & ſedandorum in eo motuum inteſtinorum curam impenſe commendat, 1683. pag. 29

DCCIIX. Literæ *Johannis* III. Regis Poloniæ, ad *Johannem Georgium* II. Principem Anhaltinum, quibus, quo in eum ſtudio ac propenſi animi affectu feratur, exponit, 1683. pag. 33

DCCIX. Literæ *Johannis* III. Poloniæ Regis ad *Georgium VVilhelmum* Ducem Brunſvico-Luneburgenſem, quibus ipſi Viennæ obſidione liberatæ & commiſſi ad Barchamum prælii victoriæque ibi obtentæ circumſtantias recenſet, 1683. pag. 34

DCCX. Reſponſoriæ *Georgii VVilhelmi*, Ducis Brunſvico-Luneburgenſis, ad præinſertas *Johannis* III. Regis Poloniarum literas, 1683. pag. 37

DCCXI. Literæ *Chriſtinæ*, Svecorum olim Reginæ, ad *Johan-*

bannem III. Poloniæ Regem, quibus ipſi victorias, quas bina vice adeptus erat, gratulata, proſperrimos & exoptatiſſimos ſemper adverſus Turcas armorum ſucceſſus precatur, 1683. pag. 39

DCCXII. Literæ *Kunicki*, Ducis Coſaccorum, ad *Dominum Potocki*, Caſtellanum Cracovienſem, de clade Tartaris circa Budziacum illata agentes, 1683. pag. 42

DCCXIII. Literæ *Johannis* III. Poloniæ Regis, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, quibus ipſi, quo in loco Hungariæ Poloniæque res ſint, ac quo ipſe in communem Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem feratur animo, exponit, 1683. pag. 43

ANNUS MDCLXXXIV.

DCCXIV. Literæ *Stephani VVydzga*, Regni Poloniæ Primatis, ad *Malachowskium*, Epiſcopum Cracovienſem, de Tariffa ſive Tributo a Clericis pendi ſolito, agentes, 1684. pag. 46

DCCXV. Literæ *Johannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris, ad *Ludovicum* XIV. Galliæ Regem, cui ſecundum Nepotem, Philippum, Ducem Andegavenſem, e filio primogenito natum eſſe amice gratulatur, 1684. p. 47

DCCXVI. Literæ *ſupremi Regni Poloniæ Cancellarii*, ad *Emericum Comitem a Teckeli*, quibus ipſi ſerio ſvadet, ut tranquillandis Hungariæ rebus animum protinus admoveat, ſuumque militem ab hoſtili impoſterum adverſus Polonos conatu abſtinere jubeat, 1684. pag. 48

DCCXVII. Literæ *Emerici Comitis a Teckeli*, ad *Johannem Georgium* III. Saxoniæ Electorem, quibus Domum Auſtriacam, proculcatis Hungaricæ Nationis Privilegiis, abſoluto Dominatui inhiando tot tamque vehementibus inteſtinorum motuum per Hungariam procellis anſam dediſſe demonſtrare aggreditur, ac abs eo, ut ſibi rebusque Hungariæ gratioſe patrocinari easque quoquo modo pacatas reddere dignetur, ſubmiſſe contendit, 1684. pag. 52

DCCXIIX. Literæ *Johannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris, ad *Johannem & Petrum*, Czaaros Moſcoviæ, quibus Laurentium Blumentroſtium, Medicinæ Doctorem, ſtudioſe commendat, 1684. pag. 55

DCCXIX,

DCCXIX. Literæ *Johannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris, ad *Johannem* III. Poloniæ Regem, quibus ab eo amice contendit, ut Dionyſium Micottum, Mercatorem Varſavienſem, ad ſolvendum debitos Joachimo Eckolto, Mercatori Lipſienſi 366. Imperiales confeſtim adigere haud gravetur, 1684. pag. 56

DCCXX. Literæ *Emerici, Comitis a Teckeli*, ad *Innocentium Papam* XI. quibus Nationem Hungaricam nimio Domus Auſtriacæ abſolute dominandi pruritu inter malleum & incudem poſitam eſſe valde conqueritur, ac ſe & totius Hungariæ libertates & privilegia paternæ ejus tutelæ humillime commendat, 1684. pag. 58

DCCXXI. Literæ *Collegii Electoralis*, ad *Carolum* II. Magnæ Britanniæ Regem, quibus Hagæ Comitum Romani Imperii nomine quædam cum Rege Chriſtianiſſimo de pace citra mandatum & præſcitum ſuum geſta eſſe graviter conqueritur, ſeque iis minime obligatum iri decenter conteſtantur, 1684. pag. 62

DCCXXII. Literæ *Johannis* III. Poloniæ Regis, ad *Johannem Georgium* II. Principem Anhaltinum, quibus ipſi pro præſtitis ſibi in Aula Electorali Brandenburgica egregiis officiis, amanter grates perſolvit, & devinctiſſimum affectum ſuum ſemper & ubique declarandum, redhoſtimenti velut loco, pollicetur, 1684. p. 63

DCCXXIII. Literæ *Johannis* III. Poloniæ Regis, ad *Georgium VVilhelmum*, Ducem Brunſvico-Luneburgenſem, quibus eum amice hortatur, velit animum & arma ſua cum Electore Brandenburgico adverſus Turcas conjungere, 1684. pag. 64

DCCXXIV. Reſponſoriæ *Georgii VVilhelmi*, Ducis Brunſvico-Luneburgenſis, ad præinſertas *Joannis* III. Poloniæ Regis Literas, 1684. pag. 66

DCCXXV. Literæ *Ordinum fœderati Belgii Generalium*, ad *Carolum* XI. Svecorum Regem, quibus ab eo obnixe contendunt, velit armiſtitium, quod cum Chriſtianiſſimo Rege a quibusdam feſtinanter & inconſulte nimis pepigiſſe arguuntur, in malam nequaquam interpretari partem, ſed, penſitatis gravisſimis rationibus ſuis, eidem potius aſſentire, 1684. pag. 67

DCCXXVI. Literæ *Emerici Comitis a Teckeli*, ad *Johan-*

Digitized by Google

nem Georgium III. Saxoniæ Electorem, quibus ipſi deplorandum Nationis Hungaricæ ſtatum exponens, cauſam & patrocinium Religionis in Hungaria Evangelicæ ſubmiſſe commendat, 1684. pag. 74

DCCXXVII. Literæ *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Carolum* XI. Speciæ Regem, quem amanter rogat, velit vicennalis armiſtitii cum Rege Chriſtianiſſimo initi tuitionem in ſe recipere, 1684. pag. 77

DCCXXIIX. Literæ *Johannis* III. Poloniæ Regis, ad *Innocentium Papam* XI. quibus ſuſceptæ præſenti anno adverſus Turcas expeditionis bellicæ ſeriem pertexens, ejusdem paternæ providentiæ & liberalitati futuræ momenta impenſe commendat, 1684. pag. 80

DCCXXIX. Literæ *Johannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris, ad *Johannem* III. Poloniæ Regem, quibus ipſi equos aliquos e Saxonia ſua oriundos, in conſtantis & tenerrimi amoris teſſeram a ſe transmitti, nuntiat, 1684. pag. 87

DCCXXX. Breve *Innocentii Papæ* XI. ad *Johannem* III. Poloniæ Regem, quo ipſum ad bellum adverſus Turcas inde feſſe proſequendum inſtigat, eique Nuntium ſuum commendat, 1684. pag. 89

DCCXXXI. Breve *Innocentii Papæ* XI. ad *Ordinem Regni Poloniæ Senatorium*, quo eum, ut in ſuſcepto contra Turcas bello ſtrenue & conſtanter pergeret, paterne hortatur, 1684. pag. 90

DCCXXXII. Breve *Innocentii Papæ* XI. ad *Ordinem Equeſtrem Regni Poloniæ*, quo deprædicata præcellenti ipſius fortitudine, eum ad majora impavidi Martis ſpecimina Turcarum cladibus edenda ſtimulat, 1684. p. 91

DCCXXXIII. Literæ *Johannis* III. Poloniae Regis, ad *Cardinalem Altierium*, cui amanter committit, ut ſummo Pontifici ſedulo repraeſentet, ne jus Patronatus Regibus Poloniae circa conferendas Abbatias competens, a S. Sedis Dataria & Monachis quibusdam ſeditioſis patiatur convelli, 1684. pag. 92

ANNUS MDCLXXXV.

DCCXXXIV. Literae recredentiales a *Georgio VVilhelmo*, Duce Brunſvico-Luneburgenſi, Marchioni d'Arcy Ablegato Gallico extraordinario, ad *Ludovicum* XIV. Gal-

Galliae Regem traditae, 1685. pag. 94
DCCXXXV. Literae, quibus *Carolus* II. Magnae Britanniae Rex, *Johanni Georgio* III. Saxoniae Electori, pro amica de novo anno gratulatione gratias, cum ſinceris omnigenae felicitatis votis reponit, 168$\frac{4}{5}$. pag. 95
DCCXXXVI. Literae *Jacobi* II. Magnae Britanniae Regis, ad *Anſelmum Franciſcum*, Archipraeſulem & Electorem Moguntinum, cui Carolum II. Magnae Britanniae Regem, fratrem ſuum ſupremam obiiſſe diem nuntiat, 168$\frac{4}{5}$. pag. 96
DCCXXXVII. Reſponſoriae *Anſelmi Franciſci*, Electoris Moguntini, ad praeſcriptas *Jacobi* II. Magnae Britanniae Regis literas, cui ſimul gratulatur fauſtisſima Regiminis auſpicia, 1685. pag. 98
DCCXXXVIII. Reſponſoriae *Johannis Georgii* III. Saxoniae Electoris, ad praecedentes *Jacobi* II. Magnae Britanniae Regis de obitu Sereniſſimi Fratris notificatorias, quibus conſolatoris officio functus, proſperrimam ipſi in florentiſſimi Regni ſolium ſucceſſionem gratulatur, 1685. pag. 99
DCCXXXIX. Reſponſoriae *Georgii VVilhelmi*, Ducis Brunſvico-Luneburgenſis, ad praeimpreſſas *Jacobi* II. Magnae Britanniae Regis, de morte Sereniſſimi Fratris ſui nuntiatorias, quibus pariter ipſi fauſta Imperii primordia & auſpicatisſimos rerum ſucceſſus apprecatur, 1685. pag. 100
DCCXL. Literae credentiales, quas *Carolus* XI. Svecorum Rex, Gabrieli Oxenſtiernae, Comiti in Cronebergk, ſuo verſus aulam Caeſaream Internuntio, ad *Johannem Georgium* III. Saxoniae Electorem tradidit, 1685. pag. 102
DCCXLI. Literae *Johannis Georgii* III. Saxoniae Electoris, ad *Hieronymum Molinum*, Venetiarum Ducem, reliquosque ejusdem Reipublicae Senatores, quibus milites ipſis promiſſos itineri accinctos eſſe, modo his liber per Imperium tranſitus concedatur, nuntiat, & fidem Pflugio, ea de re plura relaturo, adhiberi rogat, 1685. pag. 103
DCCXLII. Reſponſoriae *Hieronymi Molini*, Ducis Venetia-
 rum,

rum, ad praeimpreſſas *Johannis Georgii* III. Saxoniae Electoris literas, 1685. pag. 105

DCCXLIII. Literae *Johannis* III. Poloniae Regis, ad *Johannem Georgium* III. Saxoniae Electorem, quibus ipſi grates, ingentem ſimul amorem ſpirantes, pro transmiſſis perſolvit equis, 1685. p. 107

DCCXLIV. Reſponſoriae *Johannis Georgii* III. Saxoniae Electoris, ad praeinſertas *Joannis* III. Poloniae Regis, quibus ipſi gratias agit, quod exiguum nuper ipſi transmiſſum munuſculum adeo honorifice aeſtimaverit, ſeque ea humanitate ad majora impoſterum offerenda incitatum eſſe teſtatur, 1685. p. 108

DCCXLV. Literae credentiales a *Carolo* XI. Suecorum Rege, Juſto Henrico Storri, Legationis Secretario, ad *Joannem Georgium* III. Saxoniae Electorem traditae, 1685. pag. 109

DCCXLVI. Literae *Johannis III.* Poloniæ Regis, ad *Cardinalem Barberinum*, cui quo in loco Poloniæ res ſint, Moſcosque datam fidem, in ſummum univerſæ rei Chriſtianæ præjudicium feſelliſſe, refert, 1685. pag. 112

DCCXLVII. Literae *Jacobi II.* Magnæ Britanniæ Regis, ad *Johannem Georgium III.* Saxoniæ Electorem, quibus pro Joanne Bancks, Mercatore Londinenſi, in cauſa pannorum levidenſium negotium attinente, intercedit, 1685. pag. 115

DCCXLIIX. Literae credentiales, quas *Joannes III.* Poloniæ Rex ad *Joannem Georgium III.* Saxoniæ Electorem, Joanni Wolfio, Soc. Jeſ. Presbytero, dedit, 1685. pag. 117

DCCXLIX. Literae *Joannis Georgii III.* Saxonum Electoris, ad *Coſmum III.* Magnum Etruriæ Ducem, de Margaretha Salicola agentes, 1685. pag. 118

DCCL. Literae *Georgii VVilhelmi*, Ducis Brunſuico-Luneburgenſis, ad *Jacobum II.* Magnæ Britanniæ Regem, cui coortas nuper in Regnis ejus turbas tam facile tamque feliciter diſſipatas eſſe valde gratulatur, 1685. pag. 119

DCCLI. Reſponſoriæ *Jacobi II.* Magnæ Britanniæ Regis, ad præinſertas *Georgii VVilhelmi*, Ducis Brunſvico-Luneburgenſis literas, 1685. pag. 121

DCCLII.

DCCLII. Literae *Johannis Georgii III.* Saxoniæ Electoris, ad *Joannem III.* Poloniæ Regem, quibus pro Patientia Gieriſcha, iniquis quorundam Gedanenſium artibus a capeſſenda ad ſe jure meritoque pertinente hæreditate coërcita, intercedit, 1685. pag. 122
DCCLIII. Literae recredentiales a *Johanne Georgio III.* Saxoniæ Electore, Comiti de Violardi, ad *Carolum IV.* Mantuæ Ducem traditæ, 1685. pag. 123
DCCLIV. Literae *Johannis Georgii III.* Saxoniæ Electoris, ad *Johannem* III. Poloniæ Regem, quibus pro Friderico Maſſio, fratris perfidia, quoad diviſionem maternæ hæreditatis circumvento, intercedit, 1685. pag. 124
DCCLV. Breve *Innocentii Papæ* XI. ad *Ludovicum* XIV. Galliæ Regem, quo laudes ipſius, abrogati edicti Nannetenſis cauſa nimium quantum extollit, 1685. pag. 125

ANNUS MDCLXXXVI.

DCCLVI. Literae *Jacobi* II. Magnæ Britanniæ Regis, ad *Johannem Georgium* III. Saxoniæ Electorem, cui auſpicatiſſimas recens incepti & plurium ſequentium annorum gratulatur calendas, 1686. pag. 127
DCCLVII. Literae *Friderici VVilhelmi*, Electoris Brandenburgici, ad *Victorium Amadeum* II. Sabaudiæ Ducem, quibus eum, pro incolis in Gallia & Vallibus Pedemontanis reformatæ Religioni addictis ſedulo intercedens, amanter rogat, velit ipſis adverſus cruentas & immaniſſimas Gallorum perſecutiones patrocinio eſſe, aut tutum ſaltem per ditiones ſuas perfugium concedere, 1686. pag. 128
DCCLIIX. Literæ credentiales, quas *Joannes* III. Poloniæ Rex, Franciſco Galeckio, ablegato ſuo, ad *Joannem Georgium* III. Saxoniæ Electorem dedit, 1686. pag. 130
DCCLIX. Literae *Friderici VVilhelmi*, Electoris Brandenburgici, ad *Joannem* III. Poloniæ Regem, quibus eum amanter compellat, velit amico interpretari animo, quod ipſi, ob miſſas in Hungariam copias, juſtum pene exercitum efficientes, ſuppetias ire hac vice non poſſit, 1686. pag. 132
DCCLX.

DCCLX. Literae *Johannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris, ad *Victorem Amadeum* II. Sabaudiæ Ducem, quibus pro Hugenottis reformatisque Vallium Pedemontanarum incolis, inauditis & truculentis Gallorum perſecutionibus mirum in modum vexatis ſolicite intercedit, 1686. pag. 132

DCCLXI. Reſponſoriae *Victoris Amadei* II. Sabaudiae Ducis, ad præinſertas *Johannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris interceſſionales, 1686. pag. 135

DCCLXII. Literae *Johannis Georgii* III. Saxoniae Electoris, ad *Johannem* III. Poloniae Regem, tenerioris, quo flagrabat in eum, amoris teſtes, 1686. pag. 136

DCCLXIII. Literæ *Senatus Lipſienſis ad Judicium Mercatorium delegati*, ad *Præſidem & Aſſeſſores Judicii Mercatorii Lugdunenſis*, a quibus amice contendunt, velint haud gravatim citationem præſentibus incluſam Wolfio & Cropio Civibus ſuis rite inſinuare, 1686. pag. 137

DCCLXIV. Literæ *Mariæ Caſimiræ*, Reginæ Poloniæ, ad *Innocentium Papam* XI, quibus ſereniſſimum [maritum ſuum, arma adverſus Turcas fortiter & feliciter gerentem inopinatum de, poſthabito nominato a ſe ad Cardinalitiam dignitatem candidato nuntium ægerrime laturum eſſe conqueritur, ab eoque reverenter contendit, dignetur ſaltem aliquale huic malo parare remedium, 1686. p. 138

DCCLXV. Literæ *Joh. Georgii* III. Saxoniæ Electoris, ad *Ludovicum* XIV. Galliæ Regem, cui de nato denuo feliciter Nepote impenſe gratulatur, 1686. p. 142

DCCLXVI. Literæ *Mariæ Caſimiræ*, Reginæ Poloniæ, ad *Innocentium Papam* XI. quibus ipſi inſignem victoriam e Tartaris per Polonos reportatam quoad potiores exponit circumſtantias, 1686. p. 143

DCCLXVII. Literae *Joannis* III. Poloniae Regis, ad *Innocentium Papam* XI. quibus ſuſceptae a ſe hoc anno in Tauricam, e voto quidem, ſed innumeris difficultatibus obnoxiae expeditionis ſeriem exhibet, & dolorem, qui ſibi neglectu nominati ſui ad purpuram candidati inflictus ſit, omnibus, quas memoraſſet, calami-

calamitatibus, longe graviorem eſſe aſſeris, 1686. pag. 147

DCCLXIIX. Literae *Joannis* III. Poloniae Regis, ad *Joannem Georgium* II. Principem Anhaltinum, amoris in eum nunquam interituri certiſſimi indices, 1686 pag. 153

ANNUS MDCLXXXVII.

DCCLXIX. Literae *Johannis Georgii* III. Saxoniae Electoris, ad *Joannem* III. Poloniae Regem, quibus ipſi proſperrima exorientis denuo & plurium aliorum annorum gratulatur auſpicia, 1686. p. 154

DCCLXX. Literae *Johannis* III. Poloniae Regis, ad praeinſertas *Johannis Georgii* III. Saxoniae Electoris, de novo anno gratulatorias reſponſoriae, 1687. p. 155

DCCLXXI. Literae credentiales, quas *Carolus* XI. Sueciae Rex, Eberhardo a Graſenthal, Ablegato ſuo extraordinario, *Johanni Georgio* III. Saxoniae Electori exhibendas commiſit, 1687. p. 156

DCCLXXII. Literae *Johannis Georgii* III. Saxoniae Electoris, ad *Coſmum* III. Magnum Etruriae Ducem, quibus a Melanio iter Romam verſus jam inſtitutum eſſe, nuntiat, & nova quotidie infucati amoris incrementa promittit, 1687. p. 157

DCCLXXIII. Literae *Johannis Georgii* III. Saxoniae Electoris, ad *Carolum* XI. Suecorum Regem, quibus ſibi curae cordique fore promittit modum controverſias inter Daniae Regem Holſatiaeque Ducem exortas felici eventu finiendi, 1687. p. 158

DCCLXXIV. Breve *Innocentii Papae* XI. ad *Stephanum S. Rom. Eccleſiae Cardinalem* le *Camum*, Epiſcopum Gratianopolitanum, quem heterodoxiae a quibusdam inſimulatum eximiis laudibus mactando, ab imputato crimine abſolvit, 1687. p. 190

DCCLXXV. Literae *Caroli* XI. Sueciae Regis, ad *Johannem Georgium* III. Saxoniae Electorem, conſtitutumque inter Daniae & Holſatiae Ducem mediatorem, cui cauſam Holſatici Ducis impenſe commendat, 1687. pag. 161

DCCLXXVI. Literae *Leopoldi* Rom. Imperatoris, ad *Innocentium Papam* XI. quibus ipſi actionem Capituli Worma-

Wormatienſis in Curia Romana, contra Hermannum Lotharium ab Auwach inſtitutam diligenter commendat, 1687. p. 163

DCCLXXVII. Literae *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Innocentium Papam* XI, quibus duas propoſitiones ipſi a Cardinale d'Eſtrées exhibitas ſolide refutat, & qua in vicennale armiſtitium & pacem, ſi ſuperis libuerit, inde derivandam mente feratur, ſincere declarat, 1687. p. 164

DCCLXXIIX. Literae *Johannis Georgii* III. Saxoniae Electoris, ad *Jacobum* II. Magnae Britanniae Regem, quibus ipſi feliciſſimas inſtantis & inſequentium annorum apprecatur calendas 1687. p. 171

ANNUS MDCLXXXIIX.

DCCLXXIX. Reſponſoriae *Jacobi* II. Magnae Britanniae Regis, ad *Johannis Georgii* III. de novo anno gratulatorias, 168 7/8. pag. 172

DCCLXXX. Literae *Maximiliani Henrici*, Electoris & Archiepiſcopi Colonienſis, ad *Innocentium Papam* XI. quibus ab eo reverenter contendit, dignetur ſe inſtantis extremi vitae ſuae diei fata placide praeſtolantem exoptata & ſumme neceſſaria Coadjutoris ſubſtitutione reficere, 1688. p. 172

DCCLXXXI. Literae *Legatorum Statuum S. Rom. Imperii*, ad *Innocentium Papam* XI. quibus controverſias inter Hermannum Lotharium ab Auwach & Jacobum de Boville a Commiſſariis S. Rotae ad Rom. Curiae cognitionem injuſte pertractam, ad Capitulum Wormatienſe, tanquam forum competens, remitti ſubmiſſe precantur, 1688. p. 174.

DCCLXXXII. Literae *Johannis Georgii* III. Saxoniae Electoris, ad *Marchionem* de *Gaſtanaga*, Provinciarum Belgicarum nomine Caroli II. Hiſp. Regis Praeſidem, quibus ipſi, ſe Bruxellas, velut promiſerat, venire non poſſe nuntiat, & pro edito bonae voluntatis egregio ſpecimine ingentes agit gratias, 1688. pag. 177

DCCLXXXIII. Literae *Johannis Georgii* III. Saxoniae Electoris, ad *Marchionem* de *Gaſtanaga*, Regis Hiſpaniae in Belgio Vicarium, quibus ſe Bruxellas certa

ſub

Digitized by Google

ſub conditione venturum eſſe ſignificat, 1688. pag. 177
DCCLXXXIV. Literae *Johannis Georgii* III. Saxoniae Electoris, ad *Marchionem de Gaſtanaga*, vices Hiſpaniarum Regis in Belgio ſuſtinentem, quibus ipſi Johannem *Wenſel*, Scabinum Antverpienſem, velut virum conſularis dignitatis prae caeteris dignum, impenſe commendat, 1688. pag. 178
DCCLXXXV. Literae *Johannis Georgii* III. Saxoniae Electoris, ad *Marchionem de Gaſtanaga*, Gubernatorem Belgii Hiſpanici, cui pro exhibito ſibi ab ipſo Bruxellis honore ingentes refert grates, 1688. pag. 179
DCCLXXXVI. Literae *Jacobi* II. Magnae Britanniae Regis, ad *Georgium Guilielmum*, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem, cui Principem ſibi natum eſſe amanter refert, 1688. p. 180
DCCLXXXVII. Reſponſoriae *Georgii Wilhelmi*, Ducis Brunſuico-Luneburgenſis, ad praeinſertas *Jacobi* II. Magnae Britanniae Regis literas, quibus ipſi de recens nato gratulatur Principe, 1689. p. 182
DCCLXXXVIII. Literae *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, qua Regis Hungariae, ad *Status & Ordines Tranſylvaniae*, quibus ipſis clementiam & protectionem ſuam promittens, gratioſe injungit, ut jugo Barbarorum penitus excuſſo, bellum in Turcas ſtrenue proſequantur, 1688. pag. 182
DCCLXXXIX. Breve eligibilitatis ab *Innocentio Papa* XI. ad *Joſephum Clementem*, Ducem Bavariae & electum Ratisbonenſis & Friſingenſis Eccleſiarum Praeſulem, tranſmiſſum, 1688. pag. 185
DCCXC. Breve *Innocentii Papae* XI. ad *Franciſcum Sac. Romanae Eccleſiae Cardinalem a Furſtenberg*, quo ſe deſideriis ejus annuere haud poſſe refert, 1688. pag. 190
DCCXCI. Breve *Innocentii Papae* XI. ad *Capitulum Colonienſe*, quo illud paterne monet, ut ſub ipſum Electionis Archiepiſcopi actum ad virum praeclaris virtutibus & vitae probitate excellentem reſpiciat, 1688. 192

DCCXCII.

DCCXCII. Literae *Capituli Colonienſis*, ad *Innocentium Papam* XI. quibus Sac. Rom. Eccleſiae Cardinalem a Furſtenberg unanimi omnium conſenſu in Coadjutorem Eccleſiae ſuae poſtulatum, novaeque electioni celebrandae decimam nonam Julii diem dicatam eſſe, refert, 1688. pag.193

DCCXCIII. Literæ *Johannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris,ad *Jacobum* II. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ipſi de ſobole maſcula nuper in firmamentum Sereniſſimæ familiæ ejus nata amanter gratulatur, 1688. p. 195

DCCXCIV. Literæ *Nuncii Apoſtolici*, Coloniæ ſubſiſtentis, ad *Capitulum Colonienſe*, quod S. Sedis nomine hortatur, ut in inſtanti Archipræſulis electione canonice procedat, 1688. p. 196

DCCXCV. Literae *Coſmi* III. Magni Etruriæ Ducis, ad *Johannem Georgium* III. Saxoniæ Electorem, quibus ipſi Ferdinando, Filio ſuo natu majori, Violentam Beatricem, Bavariæ Principem, deſponſatam eſſe nuntiat, 1688. p.197

DCCXCVI. Literae Reſponſoriæ, quibus *Johannes Georgius* III. Sax. Elector, *Coſmo* III. Magno Etruriæ Duci, de auſpicato Filii primogeniti cum Principe Bavarica gratulatur connubio, 1688. p. 198

DCCXCVII. Literæ *Maximiliani Emanuelis*, Electoris Bavariae, ad *Oſmannum*, Baſſam Aleppinum, de flagitatis pacis tractatibus & liberi commeatus tabulis pro Ablegato Sulficar Effendi transmiſſis agentes, 1688. p. 199

DCCXCIIX. Breve *Innocentii Papæ* XI. ad *Joſephum Clementem*, Electorem Colonienſem, quo illi ad munera collataritæ & ex voto obeunda Apoſtolicam benedictionem amanter impertitur, 1688. p. 200

DCCXCIX. Literæ *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Carolum* XI. Svecorum Regem, de inopinata Gallorum in S. R. Imp. irruptione & auxiliis nummisque ab ipſo quamprimum ſubmittendis agentes, 1688. p. 201

DCCC. Reſponſoriæ *Caroli* XI. Suecorum Regis, ad præinſertas *Leopoldi*, Rom. Imperatoris literas, quibus ſimul

ſimul Ducis Holſato-Gottorpienſis reſtitutionem in integrum inſtanter urget, 1688. p. 204

DCCCI. Literæ *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Joannem* III. Poloniæ Regem, cui Bellum S.R.Imp. a Gallis illatum eſſe, & Legatum ex aula Turcica proponendarum pacis conditionum cauſa acceſſiſſe nuntiat, utque aliquem, ex ſuis confeſtim Viennam mittat, qui excipiendæ Turcici Legati propoſitione interſit, obnixe efflagitat, 1688. pag. 208

DCCCII. Reſponſoriæ *Joannis* III. Poloniæ Regis, ad præinſertas *Leopoldi*, Rom. Imperatoris literas, 1688. pag. 210

DCCCIII. Interceſſionales, pro mercatoribus Lipſienſibus in cauſa debiti Wunnenburgici, ad *Johannem* III. Poloniæ Regem, a *Johanne Georgio* III. Saxoniæ Electore exaratæ, 1688. pag. 211

DCCCIV. Literæ *Joannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris, ad *Nonnullos Europæ Reges*, & Proceres de novo anno gratulatoriæ, 1688. pag. 212

ANNUS MDCLXXXIX.

DCCCV. Recredentiales, quas *Georgius VVilhelmus*, Dux Brunſvico-Luneburgenſis, Domino de Bourgeauville, Legato Chriſtianiſſimi Regis Extraordinario, *Ludovico* XIV. Galliæ Regi tradendas commiſit, 1689. pag. 213

DCCCVI. Breve *Innocentii Papæ* XI. ad *Ludovicum* XIV. Galliæ Regem, quo ipſum paterne hortatur, velit pro cognito ſibi vivido paterni amoris affectu, meliora de ſe ſentire & primogenito Eccleſiæ filio digna agere, 1689. pag. 215

DCCCVII. Literæ *Caroli* XI. Svecorum Regis, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, quibus Declarationem Danorum, ad factam a Miniſtris mediatorum officiis fungentibus propoſitionem exhibitam, Conventionibus autem arctois e diametro contrariam acerbe perſtringit, & niſi Duci Holſato-Gottorpienſi, ex æquo ſatisfieret, armorum vim minitatur, 1689. p. 216

DCCCIIX. Literæ *Caroli* XI. Svecorum Regis, ad *Johannem Georgium* III. Saxoniæ Electorem, ejusdem cum præ-

præcedentibus argumenti & maximam partem tenoris, 1689. pag. 220

DCCCIX. Literæ *Johannis* III. Poloniæ Regis, ad *Johannem Georgium* II. Principem Anhaltino-Deſſavienſem, quibus ſe Principis Radzivilii immaturam mortem graviter ferre teſtatur, doloremque ipſius inde ortum convenienti lenire ſolatio ſatagit, 1689. p. 224

DCCCX. Literæ *Jacobi* II. Magnæ Britanniæ Regis, ad *Leopoldum* Roman. Imperatorem, quibus ſe a Principe Arauſicano & ſubditis Rebellibus Regno avito ejectum eſſe exponit, ac ab eo, ut ſibi Religionique catholicæ, qua Magnæ Britanniæ Regnum ad exitium ruenti quamprimum ſuppetias iret, obnixe efflagitat, 1689. pag. 225

DCCCXI. Reſponſoriæ *Leopoldi*, Roman. Imperatoris, ad præinſertas *Jacobi* II. Magnae Britanniæ Regis literas, 1689. pag. 230

DCCCXII. Literæ *Gbilielmi* III. Magnæ Britanniæ Regis, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, quibus ipſi ſe cum Sereniſſima Conjuge ſua, ad Auguſtum Magnæ Britanniæ ſolium evectum eſſe nuntiat, 1689. p. 233

DCCCXIII. Reſponſoriæ *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad præinſertas *Guilielmi* III. Magnæ Britanniæ Regis literas, quibus ipſi fauſtum fortunatumque Imperium gratulatus, Catholicos Ditionis Britannicæ homines impenſe commendat, 1689. pag. 235

DCCCXIV. Reſponſoriae *Joſephi*, Hungariæ Regis, ad *Gbilielmi* III. Magnæ Britanniæ Regis præimpreſſas de ſua in Angliae Thronum elevatione nuncias, quibus ipſi auſpicatas Regiminis primitias gratulatus proſperrima quæque precatur, 1689. pag. 236

DCCCXV. Reſponſoriæ *Johannis Georgii* III. Saxoniae Electoris, ad præcedentes *Gbilielmi* III. Magnae Britanniae Regis de obtenta Magnæ Britanniæ Corona ſignificatorias, quibus ipſi auſpicata aditi honoris primordia exoptatisſimosque ſucceſſus gratulando precatur, 1689. pag. 237

DCCCXVI. Literæ *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Johannem* III. Poloniæ Regem quibus ipſi, Gallos fœdiſſima perfidia bellum atrox & cruentum Sac. Rom. Imperio, in ſublevationem juratorum Chriſtiani nominis hoſtium

ſtium intuliſſe, ſeque ad pacem cum Turcis in honeſtas ac tutas leges ineundam ſumma neceſſitate & vindicandi S. R. Imperium ab innumeris injuriis officio cogi nuntiat, ac ut quamprimum Plenipotentiarios ſuos Viennam mittat, amanter ſvadet, 1689. pag. 239

DCCCXVII. Literæ *Johannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris, ad *Coſmum* III. Magnum Etruriæ Ducem, quibus ipſi Domenicum Melanium ſtudioſe commendat, 1689. pag. 243

DCCCXIIX. Literæ *Marchionis* de *Caſtanoga*, ſupremi Regis Hiſpaniarum per Belgium Vicarii, ad *Johannem Georgium* III. Saxoniæ Electorem, cui Gallos Regi ſuo bellum futili & abſurdo quodam manifeſto indixiſſe nuntiat, 1689. pag. 244

DCCCXIX. Literæ *Joannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris, ad *Mariam Annam*, Philippi IV. Hiſpaniarum Regis viduam, quibus ipſam ob luctuoſam Sereniſſimæ nurus ſolatur mortem, *1689*. p. 246

DCCCXX. Literæ *Procerum S. R. Imperii*, ad *Joannem* III. Poloniae Regem, quibus ipſi fœdus offenſivum adverſus Galliæ Regem pangendum modeſte offerunt, 1689. pag. 246

DCCCXXI. Literæ *Collegii Cardinalium*, ad Leopoldum Rom. Imperatorem, quibus ipſi *Innocentium Papam* XI. placide in Domino obdormiviſſe nuntiat, & pacatas Imperii res perpetuamque adverſus Turcas victoriarum ſeriem precatur, 1689. pag. 252

DCCCXXII. Literæ *Collegii Cardinalitii*, ad *Joſephum*, Hungariæ Regem, cui *Innocentium Papam* XI. vitam ſolviſſe refert & virtutum ſereniſſimi ſui Parentis complexum, velut abſolutiſſimam vitæ cum laude vivendæ normam ſedulo commendat, 1689. pag. 254

DCCCXXIII. Literæ *Collegii Cardinalitii*, ad *Carolum* II. Hiſpaniarum Regem, quibus ipſi Innocentium Papam XI. placida morte vitam finiiſſe ſignificat, 1689. pag. 256

DCCCXXIV. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Ludovicum* XIV. Galliae Regem, cui *Innocentium Papam* XI. expleto mortalitatis ſtadio, ad beatiores cœlitum ſedes evectum eſſe nuntiat, 1689. pag. 257

DCCCXXV. Literæ *Collegii Cardinalitii*, ad *Jacobum* II. Magnae Britanniae Regem, terris ſuis extorrem, quibus ipſi Innocentium Papam XI. vita pie functum eſſe ſignificat, & malum, quod ei obtigerit, extra remedium eſſe ſe ægre ferre teſtatur, 1689. pag. 259
DCCCXXVI. Literæ *Collegii Cardinalitii*, ad *Petrum*, Portugalliæ Regem, cui Innocentium Papam XI. vita functum eſſe referunt, 1689. pag. 261
DCCCXXVII. Literæ *Collegii Cardinalitii*, ad *Joannem* III. Poloniae Regem, quibus ipſi Innocentium XI. Papam XI. naturæ ſolviſſe debitum nuntiat, 1689. p. 262
DCCCXXIIX. Literæ *Collegii Cardinalitii*, ad *Cardinales intra Italiam ſubſiſtentes*, quibus ipſis, mutatis mutandis, Innocentium Papam XI. mortuum eſſe indicant, eosque, ut quantocyus ad urbem de eligendo Pontifice novo ſolliciti accedant, fraterne invitat, 1689. p. 264
DCCCXXIX. Literæ *Collegii Cardinalitii*, ad *Cardinales in Italia Legatorum munere fungentes*, quibus ipſorum ſingulo, mutatis nominibus, Innocentium P. P. XI. ſupremum obiiſſe diem referunt, eosque, ut rebus ſuis rite conſtitutis, Romam confeſtim adeuntes Sacris Comitiis, de eligendo novo Pontifice habendis interſint, amice hortatur, 1689. pag. 266
DCCCXXX. Literæ ejusdem cum praeinſertis argumenti a *Collegio Cardinalitio*, ad *Cardinales extra Italiam Bibentes*, mutatis ſaltem mutandis exaratæ, 1689. pag. 268
DCCCXXXI. Literæ *Collegii Cardinalitii*, ad *Cardinales extra Italiam in Aulis Imperatoris & Regum Berſantes*, quibus ipſis obitum Innocentii Papae XI. optione tamen, num ad urbem eligendi novi Pontificis cauſa venire, an in praeſenti commorationis loco manere velint, relicta ſignificat, 1689. pag. 269
DCCCXXXII. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Franciſcum Maurocenum*, Venetiarum Ducem, cui & univerſo Senatui Innocentium Papam XI. fatis ceſſiſſe refert, 1689. pag. 271
DCCCXXXIII. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Victorem Amadeum* II. Sabaudiae Ducem, quibus ipſi Innocentium

tium

tium Papam XI. mortem cum vita commutaſſe nuntiat, 1689. pag. 273

DCCCXXXIV. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Comitem S. Stephani*, Pro-Regem Neapolis, quibus ipſi Innocentium Papam XI. vitam finiviſſe refert, ac ut exules & perditos homines, durantibus intra conclave comitiis, ab urbe coërcere haud gravetur, amanter injungit, 1689. pag. 275

DCCCXXXV. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *quadraginta Viros Civitatis Bononiae*, quibus ipſis Innocentium Papam XI. vita exceſſiſſe ſignificat, eosque, ut Patriae ſuae tranquillitati, durante ſedis vacatione, omni cura proſpiciant, hortatur, 1689. pag. 276

DCCCXXXVI. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Nuntiorum Apoſtolicorum ſingulos*, in Aulis Regum Reſidentes, quibus ipſis Innocentium XI. mortem obiiſſe refert, & ut praeſenti ſedis vacationis tempore officiis ſuis rite fungantur, hortatur, 1689. p. 278

DCCCXXXVII. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Inquiſitorem Melitenſem*, cui Innocentium Papam XI. extremum vitae diem clauſiſſe nuntiat, ac preces pro auſpicata novi Pontificis electione inſtituendas ſedulo commendat, 1689. pag. 279

DCCCXXXVIII. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Gubernatores Provinciarum & Vice-Legatos*, quibus ipſis, mutatis mutandis, ſignificat, Innocentium Papam XI. e vita diſceſſiſſe, eosque, durante ſedis vacationis ſpatio, omnia in Provinciis ſibi demandatis bene adminiſtrare jubet, 1689. pag. 280

DCCCXXXIX. Literae ejusdem cum praeinſertis argumenti a *Collegio Cardinalitio*, ad *Gubernatores Civitatum* exaratae, 1689. pag. 281

DCCCXL. Literae ejusdem cum praecedentibus argumenti a *Collegio Cardinalitio*, ad *Gubernatores alios* in Patrimonio Petri, datae, 1689. pag. 282

DCCCXLI. Literae pari cum praeimpreſſis tenore conſpicuae, a *Collegio Cardinalium*, ad *Caſtellanos Arcium*, ſcriptae, 1689. pag. 283

DCCCXLII. Literae *Collegii Cardinalium*, ad *Aloyſium Jacobellum*, quem jubent, ut literas his incluſas Venetia-

 rum

rum Duci rite exhibeat, 1689. pag. 283

DCCCXLIII. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Rempublicam Januenſem*, quibus Innocentium Papam XI. ſupremum diem peregiſſe refert, 1689. pag. 284

DCCCXLIV. Literae *Sacri Collegii*, ad *Libium Odeſalcum*, Cerae Ducem, quibus ipſi ſupremi totius S. R. Eccleſ. militiae Praefecti munus offert, 1689. pag. 286

DCCCXLV. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, quibus ipſi Marchionem Octavium Nigrellum impenſe commendat, 1689. pag. 287

DCCCXLVI. Literae *Collegi Sacri*, ad *Comitem Antonium Caraffam*, ſupremum Sac. Caeſ. Majeſtatis Commiſſarium, quibus ipſi Octavium Nigrellum, Marchionem, invictisſimo Imperatori impenſe commendandum, ſedulo commendat, 1689. p. 289

DCCCXLVII. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Magiſtratum & Concilium Civitatis Ferrarienſis*, quibus ipſorum erga S. R. Sedem obedientiam & fidem eximiis mactat laudibus, 1689. pag. 291

DCCCXLIIX. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Franciſcum Tuccium*, Nunciaturae Germanicae Auditorem, quem quantocyus Auguſtam Vindelicorum ire, ac ibidem ea, quae e re S. R. Eccleſiae ſint, diligenter obſervare curareque jubet, 1689. pag. 292

DCCCXLIX. Literae credentiales, quas *Sacr. Cardinalium Collegium*, Franciſco Tuccio, Nunciaturae Germanicae Auditori, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, tradidit, 1689. pag. 294

DCCCL. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Anſelmum Franciſcum*, Electorem Moguntinum, quibus eum amice hortatur, velit omni praecavere cura, ne in Comitiis Auguſtae Vindelicorum proxime inſtituendis aliquid in praejudicium S. R. Eccleſiae ſuſcipiatur aut permittatur, 1689. pag. 296

DCCCLI. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Johannem Hugonem*, Electorem Trevirenſem, cui Franciſcum Tuccium, Nuntiaturae Germanicae Auditorem commendando injungit, ut maximopere contendat, ne quid in Comitiis Auguſtanis in detrimentum S. R. concludatur Eccleſiae, 1689. pag. 297

DCCCLII.

Digitized by Google

DCCCLII. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Joſephum Clementem*, Electorem Colonienſem, idem, quod praeinſertae, argumentum continentes, 1689. pag. 299

DCCCLIII. Literae paris cum praeimpreſsis commatis, a *Collegio Cardinalitio*, ad *Maximilianum Emanuelem*, Electorem Bavariae ſcriptae, 1689. pag 301

DCCCLIV. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Philippum Gbilielmum*, Electorem Palatinum, quibus ipſum impenſe rogat, ut omni ſedulitate & vigilantia animadvertat, ne Sac. Rom. Sedis jura aliquod in Comitiis Auguſtanis diſcrimen patiantur, 1689. pag. 303

DCCCLV. Literae *Collegii Cardinalitii*, ad *Joannem Erneſtum*, Archiepiſcopum Salisburgenſem, idem cum praeinſertis argumentum tractantes, 1689. p. 304

DCCCLVI. Literae *Sacri Collegii*, intra conclave congregati, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, quibus redditas ſibi ipſius eſſe literas iisque inſertam hortationem curae cordique fore teſtatur, 1689. p. 306

ANNUS MDCXC.

DCCCLVII. Literae *Gbilielmi* III. Magnae Britanniae Regis, ad *Fridericum* III. Electorem Brandenburgicum, quibus ipſum in ſocium Ordinis, cui a periſcelide nomen, electum, & dicti jam Ordinis inſignia ei transmiſſa eſſe, nuntiat, 1690. pag. 307

DCCCLIIX. Reſponſoriae *Friderici* III. Electoris Brandenburgici, ad praeinſertas *Gbilielmi III.* Magnae Britanniae Regis literas, 1690. pag. 308

DCCCLIX. Literae *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Franciſcum Mariam*, Sac. Rom. Eccleſiae Cardinalem de Medices, cui candide exponit, ſe animo valde excruciari denominato a ſe ad Cardinalitiam dignitatem candidato a ſummo Pontifice, Bellovifium Gallum, in opprobrium Nationis Germanicae praelatum fuiſſe, modum vero explicat, quo adhibito, ſibi aliqua ſaltem ex parte ſatisfieri poſſit, 1690. pag. 310

DCCCLX. Literae *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Franciſcum Mariam*, Cardinalem de Medices, quibus denuo inſtanter urget, velit omni cura efficere, ut ſibi de nupera praeteritione fiat ſatis, & tum demum de Nuntio Viennam mittendo tractetur, 1690. p. 316

DCCCLXI. Literae *Johannis Georgii III.* Saxoniae Electoris, ad *Rainutium Farneſium*, Parmae Ducem, cui de exoptato Filii primogeniti matrimonio gratulatur, 1690. pag. 317

DCCCLXII. Literae *Johannis Georgii III.* Saxoniae Electoris, ad *Carolum* II. Hiſpaniarum Regem, cui felix, fauſtum ac fœcundum cum Principe Palatina Maria Anna, gratatur conjugium, 1690. pag. 318

DCCCLXIII Literae *Johannis Georgii III.* Saxoniae Electoris, ad *Victorem Amadeum II.* Sabaudiae Ducem, cujus generoſe ceptum pro libertate ſua tuenda & conſervanda conſilium eximiis mactat laudibus, ſibique res ejus ſemper curae cordique fore pollicetur, 1690. pag. 320

DCCCLXIV. Literae *Gvilielmi III.* Magnae Britanniae Regis, ad *Johannem Georgium III.* Saxoniae Electorem, quibus ipſi bellum ſibi in Hibernia ex voto ſuccedere nuntiat, 1690. pag. 321

DCCCLXV. Literæ *Anſelmi Franciſci*, Electoris Moguntini, ad *Carolum* XI. Suecorum Regem, quibus ipſi tranſitum a militibus Suecicis per ditiones ſuas ordine laudabili & diſciplina militari exacte obſervata factum eſſe, refert, 1690. pag. 322

DCCCLXVI. Reſponſoriæ *Caroli* XI. Sueciæ Regis, ad præinſertas *Anſelmi Franciſci*, Electoris Moguntini, literas, 1690. p. 323

DCCCLXVII. Literæ *Johannis* III. Poloniæ Regis, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, quibus ipſi, diem 25. Februarii, anni futuri, nuptiarum filii primogeniti ſolennibus dicatam eſſe indicat, ac ut eam ardentibus votis proſequatur, modeſte ab eo contendit, 1690. p. 326

DCCCLXIIX. Literæ *Johannis* III. Poloniæ Regis, ad *Eleonoram Magdalenam*, Rom. Imperatricem, quibus ipſi diem 25. Februarii, anni proximi, ſolenni nuptiarum filii ſui primogeniti actui ſacratam eſſe nuntiat, 1690. p. 327

DCCCLXIX. Literae *Mariæ Caſimiræ Louiſæ*, Reginæ Poloniæ, ad *Eleonoram Magdalenam*, Rom. Imperatricem, a qua amanter contendit, velit ſolennem nupti-

ptiarum Filii ſui primogeniti cum ſorore ejus germana actum, votiva congratulatione, & tenerrimi affectus plauſu haud gravatim proſequi, 1690. p. 328

DCCCLXX. Literae *Johannis* III. Poloniæ Regis, ad *Ludovicum* XIV. Galliæ Regem, cui 25. diem Februarii, anni futuri, celebrandis filii ſui primogeniti nuptiis dicatam eſſe refert, 1690. p. 329

DCCCLXXI. Literæ *Johannis* III. Poloniæ Regis, ad *Johannem VVilhelmum*, Electorem Palatinum, cui terminum perficiendis filii ſui primogeniti cum ſorore ejus Germana nuptiis conſtitutum, diem 25. Februarii, anno proximo venturum, eſſe refert, 1690. p. 330

DCCCLXXII. Literæ *Johannis* III. Poloniæ Regis, ad *Eliſabetham Amaliam*, Electricem Palatinam viduam, idem, quod præinſertæ argumentum exhibentes, 1690. p. 331

DCCCLXXIII. Literæ *Johannis* III. Poloniæ Regis, ad *Johannem Georgium* III. Saxoniæ Electorem, quibus ipſi diem 25. Februarii, anni inſtantis, celebrandis filii ſui primogeniti nuptiis conſecratam eſſe indicat, 1690. p. 332

DCCCLXXIV. Reſponſoriæ *Johannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris, ad præimpreſſas *Johannis* III. Poloniæ Regis literas, 1690. p. 333

DCCCLXXV. Literæ *Coſmi* III. Magni Etruriæ Ducis, ad *Johannem Georgium* III. Saxoniæ Electorem, quibus pro fratribus Mezneriis, Vitrici iniquitate diu in foro vexatis, modeſte intercedit, 1690. p. 334

DCCCLXXVI. Literæ *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Johannem* III. Poloniæ Regem, cui reſtare adhuc quædam, quibus ante diſceſſum Sereniſſimæ ſponſæ ſatisfieri cuperet Elector Palatinus, ſignificat, & amanter injungit, ut ea quam primum expedire velit, 1690. p. 336

ANNUS MDCXCI.

DCCCLXXVII. Literæ *Johannis Georgii* III. Saxoniæ Electoris, ad *Carolum* II. Hiſpaniarum Regem, de novo anno Gratulatoriæ, 1690. p. 338

DCCCLXXIIX. Literæ credentiales, quas *Joannes Geor-*

gius III. Saxoniæ Elector, Chriſtiano ab Haxthauſen, Ablegato ſuo extraordinario, ad *Guilielmum* III, Magnæ Britanniæ Regem tradidit, *1691.* p. 339

DCCCLXXIX. Literæ *univerſorum Evangelicorum* liberæ ac Regiæ Civitatis Poſonienſis, ad *Chriſtophorum*, Epiſcopum Neoſtadienſem, de conciliatione Religionum Pontificiæ & Evangelicæ agentes, 1691. p. 348

DCCCLXXX. Literæ *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *confœderatos ſuos*, quibus victoriam per ſuos, Ludovico, Marchione Badenſi Duce, e Turcis reportatam nuntiat, *1691.* p. 343

DCCCLXXXI. Literæ *Johannis Georgii* IV. Saxoniæ Electoris, ad *Carolum* II. Hiſpaniarum Regem, cui Johannem Georgium III. Parentem ſuum deſideratisſimum ad beatiores Cœlitum ſedes translatum eſſe, nuntiat, *1691.* p. 344

DCCCLXXXII. Reſponſoriæ *Caroli* II. Hiſpaniarum Regis, ad præinſertas *Johannis Georgii* IV. Saxoniæ Electoris, de obitu Sereniſſimi Parentis ſui nuntiatorias, *1691.* p. 346

DCCCLXXXIII Literæ *Johannis Georgii* IV. Saxoniæ Electoris, ad *Guilielmum* III. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ab eo obnixe contendit, velit Johanni Friderico, lib. Bar. ab Eck, ſi quid ſuo impoſterum proferret nomine, omnimodam adhibere fidem, *1691.* p. 347

DCCCLXXXIV. Literæ *Guilielmi* III. Magnæ Britanniæ Regis, ad *Johannem Georgium* IV. Saxoniæ Electorem, quibus ipſi Limericæ, urbis munitisſimæ expugnatione Hyberniæ res in totum tranquillatas eſſe notificat, *1691.* p. 348

DCCCLXXXV. Reſponſoriæ *Johannis Georgii* IV. Saxoniæ Electoris, ad præimpreſſas *Guilielmi* III. Magnæ Britanniæ Regis literas, quibus ipſi de Hybernia in poteſtatem ſuam in totum redacta amice gratulatur, *1691.* p. 350

DCCCLXXXVI. Breve *Innocentii Papæ* XII. ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, quem vehementer hortatur, velit ſedulo operam dare, ut priſtina quam pri-

mum

mum Europæ reſtituatur Tranquillitas, 1691. p. 352

DCCCLXXXVII. Reſponſoriæ *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad præinſertum *Innocentii Papæ* XII. breve, 1692. p. 354

DCCCLXXXIIX. Literæ, quibus *Joannes Georgius* IV. Saxonum Elector, *Guilielmo* III. Magnæ Britanniæ Regi, cauſas exponit, cur copias ſuas ex ſtativis ad Rhenum habitis in terras reduxerit hæreditarias, ſimulque eum rogat, ut ſibi in recuperando Ducatu Lauenburgenſi auxiliatrices præbeat manus, 1691. p. 356

ANNUS MDCXCII.

DCCCLXXXIX. Literæ *Johannis Georgii* IV. Saxoniæ Electoris, ad *Carolum* II. Hiſpaniarum Regem, cui auſpicatas cum omnigenæ felicitatis incremento gratulatur inſtantis novi anni calendas, 1691. p. 361

DCCCXC. Literæ *Johannis Georgii* IV. Saxoniæ Electoris, ad *Johannem* III. Poloniæ Regem, quibus pro filiabus Gieriſchianis, bonis teſtamentario jure ad eas devolutis quidem, ſed iisdem a Brauero, Cive Gedanenſi, inique privatis, ſollicite intercedit, 1692. p. 362

DCCCXCI. Literæ *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Johannem* III. Poloniæ Regem, de expeditione contra Turcas ſimultaneo tempore ſuſcipienda agentes, 1692. p. 364.

DCCCXCII. Recredentiales, quas *Johannes Georgius* IV. Saxonum Elector, Johanni Franciſco Manrique, Legato Regis Catholici extraordinario, *Carolo* II. Hiſpaniarum Regi exhibendas commiſit, 1692. p. 365

DCCCXCIII. Literæ *Johannis* III. Poloniæ Regis, ad *Guilielmum* III. Magnæ Britanniæ Regem, cui coronam Magnae Britanniae nuper adeptam gratulatur, 1692. p. 367

DCCCXCIV. Literae *Johannis* III. Poloniae Regis, ad *Innocentium Papam* XII. quibus ab eo obnixe contendit, velit Henricum de la Grange, Marchionem d'Arquien, ſocerum ſuum, quam primum cardinalitio redimire galero, 1692. p. 369

DCCCXCV.

DCCCXCV. Literae, quibus *Johannes Georgius* IV. Saxoniae Elector, *Guilielmo* III. Magnae Britanniae Regi, de felici in Hollandiam gratulatur adventu, proſperrimosque ſuſceptae expeditionis precatur ſucceſſus, 1692. p. 370

DCCCXCVI. Literae, quibus *Johannes Georgius* IV. Elector Saxonum, *Johanni* III. Poloniarum Regi, cauſam Fritſchianorum haeredum ſtudioſe commendat, 1692. p. 371

DCCCXCVII. Literae *Johannis Georgii* IV. Saxoniae Electoris, ad *Carolum* II. Hiſpaniarum Regem, quibus ipſi contractum nuper ſe inter & Marchioniſſam Brandenburgicam matrimonium ſignificat, 1692. p. 372

DCCCXCIIX. Literae *Johannis Georgii* IV. Saxonum Electoris, ad *Guilielmum* III. Magnae Britanniae Regem, quibus ipſum de abducto in captivitatem ab armata militum Caeſareanorum manu Generali Schöningio reddit certiorem, & ut ſua interpoſitione liberationem dicti generalis in Aula Caeſarea procurare haud gravetur, amice rogat, 1692. p. 373

DCCCXCIX. Literae *Legatorum Principum Sac. Rom. Imperii Eccleſiaſticorum*, ad *Nuncium Apoſtolicum* in Aula Caeſarea commorantem, de nono Electoratu Duci Brunſvicenſi conferendo agentes, 1692. p. 375

DCCCC. Interceſſionales iteratae a *Johanne Georgio* IV. Saxoniae Electore, in cauſa Gieriſchianae hæreditatis, ad *Johannem* III. Poloniae Regem exaratae, 1692. p. 377

DCCCCI. Literae *Statuum per Sac. Rom. imperium Catholicorum*, ad *Innocentium* P.P. XII. a quo ſubmiſſe efflagitant, velit ſumma, qua valeret autoritate impedire, quo minus Domus Luneburgica, in praejudicium Romanae Eccleſiae, Electorali mactaretur honore, 1692. p. 379

DCCCCII. Breve *Innocentii Papa* XII. ad *Michaelem Radziejovium*, Regni Poloniae Primatem, de cauſa P. Caroli Mauritii Votae, e Soc. Jeſu agentes, 1692. p. 383

ANNUS

DCCCCIII. Literae *Caroli* II. Hiſpaniarum Regis, ad *Johannem Guilielmum*, Electorem Palatinum, quibus ſibi conſtans haerere propoſitum aſſerit, nullas unquam admittendi pacis propoſitiones a Rege Chriſtianiſſimo factas, e quibus vel leviſſimum dignitati ſuae posſit oriri praejudicium, 1693. p. 383

DCCCCIV. Literæ *Legatorum ac Deputatorum Circuli Suevici*, ad *Guilielmum* III. Magnae Britanniae Regem, a quo ſubmiſſe contendunt, velit haud gravatim apud Caeſaream Majeſtatem & Electorem Bavariae intercedere, ut Circulus ſuus tot belli atrociſſimi calamitatibus vexatus & proprii militis ſuſtentatione exhauſtus a ſtativis & hybernis alieni liberetur militis, 1693. p. 386

DCCCCV. Reſponſoriae *Guilielmi* III. Magnae Britanniae Regis, ad praeinſertas *Legatorum* & *Deputatorum circuli Suevici* literas, 1693. p. 390

DCCCCVI. Literae, quibus *Johannes Georgius* IV. Saxoniae Elector, *Guilielmo* III. Magnae Britanniae Regi, gratias agit, quod ſe in ſocietatem Ordinis a periſcelide nuncupati receperit, ſidemque Lib. Bar. a Friſen in iis, quae ſuo nomine relaturus ſit, plenam haberi petit, 1693. p. 391

DCCCCVII. Reſponſoriae *Guilielmi* III. Magnae Britanniae Regis, ad praeinſertas *Johannis Georgii* IV. Saxoniae Electoris literas, 1693. p. 392

DCCCCVIII. Literae, quibus *Guilielmus* III. Magnae Britanniae Rex, *Johanni Georgio* IV. Saxoniae Electori, ſuum in Hollandiam reditum reddit notum, 1693. p. 393

DCCCCIX. Reſponſoriae *Johannis Georgii* IV. Saxoniae Electoris, ad praeinſertas *Guilielmi* III. Magnae Britanniae Regis literas, 1693. p. 394

DCCCCX. Literae *Joannis Georgii* IV. Saxonum Electoris, ad *Coſmum* III. Magnum Etruriae Ducem mutui amoris & mentis ipſi addictiſſimae, candidae teſtes, 1693. p. 396

DCCCCXI. Literae *Johannis Georgii* IV. Saxoniae Electoris, ad *Coſmum* III, Magnum Etruriæ Ducem, qui-

bu

bus ipſi Dominicum Melanium ſtudioſe commendat, 1693. p. 396
DCCCCXII. Literae recredentiales, quas *Johannes Georgius* IV. Saxoniae Elector, Dultoni Colt, Ablegato Anglicano extraordinario, ad *Guilielmum* III. Magnae Britanniae Regem perferendas tradidit, 1693. p. 397
DCCCCXIII. Literae recredentiales a *Johanne Georgio* IV. Saxoniae Electore, Henrico Comiti de Reus, Ablegato ſuo extraordinario, ad *Guilielmum* III. Magnae Britanniae Regem traditae, 1693. p. 398
DCCCCXIV. Reſponſoriae *Guilielmi* III. Magnae Britanniae Regis, ad praeinſertas *Johannis Georgii* IV. Saxoniae Electoris credentiales, quibus ipſi ſimul ſtudium communis cauſæ, fortiter continuandum ſedulo commendat, 1693. p. 399
DCCCCXV. Literae *Ludovici* XIV. Galliarum Regis, ad *Archiepiſcopum Pariſienſem*, cui Roſam urbem in Hiſpania munitisſimam a copiis ſuis occupatam eſſe nuntiat, & ut in primario urbis Pariſienſis templo hymnum euchariſticum cantare jubeat, injungit, 1693. p. 401
DCCCCXVI. Literae *Deputatorum Senatus Lipſienſis ad Judicium Mercatorium*, ad *Franciſcum Moroſini*, Venetiarum Ducem, quibus ab eo ſubmiſſe contendunt, velit Tomaſium Tomadellum jubere, ut librum mercatorium in foro ſuo ad recognoſcendum, ſtato die, exhibeat, 1693. p. 402
DCCCCXVII. Literae fiduciariae, quas *Guilielmus* III. Magnae Britanniae Rex, Ablegato ſuo Georgio de Stepney, ad *Johannem Georgium* IV. Saxoniae Electorem dedit, 1693. p. 404
DCCCCXIIX. Literae *Johannis Georgii* IV. Saxoniae Electoris, ad *Guilielmum* III. Magnae Britanniae Regem, quibus ab eo amice efflagitat, velit omnia ſua interponendo officia gnavam dare operam, ut in posſesſionem Ducatus Saxo-Lauenburgici, qua per violentas Ducum Brunſuico-Luneburgenſium machinationes illegitime detruſus eſſet, quamprimum reſtituatur, 1693. p. 405
DCCCCXIX,

DCCCCXIX. Literae *Johannis Georgii* IV. Saxoniae Electoris, ad *Carolum* II. Hiſpaniarum Regem de novo anno gratulatoriae, 1693. p. 409

ANNUS MDCXCIV.

DCCCCXX. Reſponſoriae *Guilielmi* III. Magnae Britanniae Regis, ad praeimpreſſas *Johannis Georgii* IV. Saxoniae Electoris, de novo anno gratulatorias, 169¾. p. 410

DCCCCXXI. Literae *Johannis Georgii* IV. Saxoniae Electoris, ad *Coſmum* III. Magnum Etruriae Ducem, quibus Antonio Bruni in omnibus, quae ſuo nomine relaturus ſit, fidem haberi ſummam amice rogat, 1694. p. 411

DCCCCXXII. Literae *Johannis Georgii* IV. Saxoniae Electoris, ad *Guilielmum* III. Magnae Britanniae Regem, quibus ipſi & diſplicuiſſe ſibi ſuſpectas Regis Chriſtianisſimi pacis conditiones & conſtans haerere propoſitum Germaniae libertatem ulterius ſtrenue propugnandi declarat, 1694. pag. 412

DCCCCXXIII. Literae *Michaelis Radziejoſii*, Regni Poloniae Primatis, ad *Conſtantinum Caſimirum Brzoſtoſium*, Epiſcopum Vilnenſem, quibus ſe aegerrima mente ferre teſtatur, quod Palatinum Vilnenſem, neglectis quae adhiberi debuiſſent, moderatioribus & ſanioribus conſiliis intempeſtive excommunicaverit, 1694. p. 414

DCCCCXXIV. Literae *Michaelis Radziejoſii*, Regni Poloniae Primatis, ad *Leonem Caſimirum Sapieham*, Palatinum Vilnenſem, quem amanter rogat, ut brutum excommunicationis fulmen moderatiori animo excipere velit, quam Epiſcopus Vilnenſis, evibraverit, 1694. pag. 417

DCCCCXXV. Literae *Friderici Auguſti*, Saxoniae Electoris, ad *Carolum* II. Hiſpaniarum Regem, quibus ipſi, Johannem Georgium IV. fratrem ſuum, ſupremum obiiſſe diem nunciat, 1694. pag. 418

DCCCCXXVI. Reſponſoriae *Guilielmi* III. Magnae Britanniae Regis, ad praeinſertas *Friderici Auguſti*, Electoris Saxoniae literas, de morte Sereniſſimi Fratris ſui nuntiatorias, 1694. pag. 240

DCCCCXXVII.

DCCCCXXVII. Breve *Innocentii Papæ* XII. ad *Conſtantinum Caſimirum Brzoſtoſium*, Epiſcopum Vilnenſem, cujus in tuendis Eccleſiæ juribus præpoſterum zelum, velut rem laude dignam, elogio mactat, 1694. pag. 421

DCCCCXXIIX. Literae credentiales, quas *Guilielmus* III. Magnae Britanniae Rex, ad *Fridericum Auguſtum*, Electorem Saxoniæ, Georgio Stepneyo dedit, 1694. p. 422

DCCCCXXIX. Literae credentiales, a *Friderico Auguſto* Saxoniæ Electore, Lib. Bar. a Friſen, Ablegato ſuo ad *Guilielmum* III. Magnae Britanniæ Regem traditæ, 1694. p. 423

DCCCCXXX. Literæ *Friderici Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad *Guilielmum* III. Magnae Britanniæ Regem, quibus ipſi nuntiat, Lib. Bar. a Friſen, inſignia Ordinis a periſcelide nominati, olim Johanni Georgio IV. transmiſſa eum in finem tradita eſſe, ut illa, more recepto, Ordinis Capitulo reſtitueret, 1694. p. 424

DCCCCXXXI. Breve *Innocentii Papæ* XII. ad *Joannem* III. Poloniae Regem, quem paterne hortatur, ut nihil intentatum relinquat, quo Chriſtianae Reipublicae ſalus cum ſummo immaniſſimi Chriſtianitatis hoſtis detrimento promoveri poſſet, 1694. p. 426

DCCCCXXXII. Breve *Innocentii Papæ* XII. ad *Michaelem Radziejoſium*, Regni Poloniæ Primatem, quo ipſi, ſe Palatino Vilnenſi tantum indulſiſſe, quantum potuerit, refert, & ejusdem cauſae ulteriorem curam commendat, 1694. p. 426

DCCCCXXXIII. Breve *Innocentii Papæ* XII. ad *Conſtantinum Caſimirum Brzoſtoſium*, Epiſcopum Vilnenſem, quo ſibi Eccleſiarum immunitates curæ cordique eſſe exponit, quoad reliqua vero ſe ad Archiepiſcopi Seleucenſis relationem refert, 1694. p. 427

DCCCCXXXIV. Breve *Innocentii Papæ* XII. ad *Benedictum*, Comitem Sapieham, ſupremum Magni Ducatus Lithuaniæ Theſaurarium, quo ei nuntiat, ſe Archiepiſcopo Seleucenſi in commiſſis dediſſe, ut fratrem ipſius Germanum a cenſura eccleſiaſtica ad certum temporis abſolvat ſpatium, 1694. p. 428

DCCCCXXXV.

Digitized by Google

DCCCCXXXV. Literae *Michaelis Radziejoſkii*, Regni Poloniae Primatis, ad *Innocentium Papam* XII. quibus ipſi controverſiam Epiſcopum & Palatinum Vilnenſes inter ferventem ferme extra remedium poſitam eſſe nuntiat, cum cauſæ Palatini maxima Reipublicae pars patrocinetur, Epiſcopus autem valde contentioſus ſuæque ſententiae tenaciſſimus ſit, 1694. p. 429

DCCCCXXXVI. Literae *ſupremorum per Poloniam & Lithuaniam belli Ducum* ad *Innocentium Papam* XII. a quo ſubmiſſe contendunt, velit pro ſummo in Poloniam amore efficere, ut Palatinus Vilnenſis Romæ Eccleſiam experiatur matrem, quam hucusque Vilnæ ſenſiſſet novercam, 1694. p. 432

DCCCCXXXVII. Literæ *Johannis* III. ad *Fridericum* III. Electorem Brandenburgicum, quibus ipſi ingentes pro honotifica filiæ ſuæ, Electricis Bavariæ, exceptione grates perſolvit, mutuaque conjunctiſſimi, imo devinctiſſimi animi officia, quavis data occaſione exhibenda, pollicetur, 1694. p. 435

DCCCCXXXIIX. Literæ, quibus *Legati ac Deputati Principum per Sac. Rom. Imperium Catholicorum*, Ratisbonæ in Comitiis congregati, *Innocentium Papam* XII. ſubmiſſe rogant, velit omni, quo valeret animi conatu & commiſſæ ſibi poteſtatis autoritate impedire, quo minus Dux Hannoveranus, Auguſtanæ Confeſſionis ſacris addictiſſimus, noni Electoratus honore, in ſummum Eccleſiæ Romanæ præjudicium, ornetur, 1694. p. 436

DCCCCXXXIX. Literæ *Friderici Auguſti*, Electoris Saxoniæ, ad *Joannem* III. Poloniæ Regem, quibus fratrem Chriſtiani Ulrici de Harſtall, per biennium injuſte incarceratum dimitti liberum rogat, 1694. p. 445

DCCCCXL. Literae *Andreæ Chryſoſtomi Zaluskii*, Epiſcopi Plocenſis, ad *Georgium VVilhelmum*, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem, quibus tutum pro Electrice Bavariæ ejusque aulico famulitio per ditiones ejus expoſcit tranſitum, 1694. p. 446

DCCCCXLI. Reſponſoriæ *Georgii VVilhelmi*, Ducis Brunſuico-Luneburgenſis, ad præinſertas Andreæ *Chryſo-*

ſtomi Zaluſkii, Epiſcopi Plocenſis literas, 1694. p. 448
DCCCCXLII. Literæ *Oratorum Statuum per Sac. Rom. Imperium Catholicorum*, in Comitiis Ratisbonenſibus congregatorum ad *Innocentium Papam* XII. quibus ipſum ſubmiſſe precantur, velit omni diligentia & poſſibili conatu impedire, quo minus præſulatus Paſſavienſis in Archiepiſcopatum cum probroſa & exitiali totius Ordinis hierarchici convulſione erigatur, 1694. p. 449
DCCCCXLIII. Literæ *Guilielmi* III. Magnæ Britanniæ Regis, ad *præcipuos Cantonum Helvetiæ Evangelicorum Ordines*, quibus ipſis Mariam conjugem ſuam deſideratiſſimam ſibi præmatura morte ereptam eſſe moeſte refert, 1694. p. 457
DCCCCXLIV. Reſponſoriæ a *Præcipuis Cantonum Helvetiæ Evangelicorum Ordinibus*, ad præimpreſſas *Guilielmi* III. de morte lectiſſimæ Conjugis ſuæ nuntiatorias, 1694. p. 458
ANNUS MDCXCV.
DCCCCXLV. Reſponſoriæ *Friderici Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad præinſertas *Guilielmi* III. Magnae Britanniae Regis de praematura Sereniſſimæ conjugis ſuæ morte nuntiatorias, 1695. p. 460
DCCCCXLVI. Reſponſoriæ *Principis cujusdam Sac. Rom.* Imp. ad praecedentes *Guilielmi* III. Magnæ Britanniae Regis literas, 1695. p. 461
DCCCCXLVII. Literae *Friderici Auguſti*, Saxoniae Electoris, ad *Joannem* III. Poloniæ Regem, quibus pro mercatoribus Lipſienſibus in cauſa debiti Turneriani intercedit, 1695. p. 464
DCCCCXLVIII. Breve *Innocentii Papæ* XII. ad *Joannem* III. Poloniae Regem, quo eum hortatur, ut litem Epiſcopum & Palatinum Vilnenſes inter ferventem juxta æquitatis normam componat, 1695. p. 466
DCCCCXLIX. Breve *Innocentii Papæ* XII. ad *Michaelem Radziejoſkium*, Regni Poloniae Primatem, idem quod praeinſertum, argumentum exhibens, 1695. p. 467
DCCCCL. Literae *Mariæ Caſimiræ*, Reginæ Poloniae, ad *Innocentium Papam* XII. quibus ipſi, quam difficile reconciliationis inter Epiſcopum & Palatinum Vilnenſes

nenſes negotium, propter obſtinatam cleri pertinaciam & ſuperbam inprimis dicti Epiſcopi moroſitatem procedat, animo perturbato recenſet, 1695. p. 468
DCCCCLI. Breve *Innocentii Papæ* XII. quo ad præinſertas *Mariæ Caſimiræ*, Poloniæ Reginæ, literas reſpondet, 1696. p. 473
DCCCCLII. Recredentiales a *Friderico Auguſto*, Saxoniæ Electore, Georgio Stepney, ad *Guilielmum* III, Magnae Britanniæ Regem traditæ, 1695. p. 474
DCCCCLIII. Literae *Friderici* III. Electoris Brandenburgici, ad *Carolum* XI. Suecorum Regem, de ſimultanea inveſtitura Ducatus Pomeraniæ ſuis cum legatis recipienda agentes, 1695. p. 475
DCCCCLIV. Literæ *Guilielmi* III. Magnæ Britanniæ Regis, ad *Fridericum Auguſtum*, Saxoniæ Electorem, de felici ſuo in Bataviam reditu nunciæ, 1695. p. 476
DCCCCLV. Reſponſoriæ *Friderici Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad præinſertas *Guilielmi* III. Magnæ Britanniæ Regis literas, 1695. p. 477
DCCCCLVI. Literæ *Friderici Auguſti*, Saxoniæ Electoris ad *Coſmum* III. Magnum Etruriæ Ducem, quibus Brunoni Antonio de Bruni Præſidentis in Aula ipſius munia a ſe collata eſſe nuntiat, 1695. p. 478
DCCCCLVII. Literæ *Michaëlis Radziejovii*, Regni Poloniæ Primatis, ad *Andream Epiſcopum Seleucenſem*, Nuntium in Polonia Apoſtolicum, quem candide monet, ut impoſterum de ſe locuturus modeſtioribus utatur terminis, ſibique propter minime toleranda in ſe nuper effutita dicteria confeſtim ſatisfaciat, 1695. p. 479
DCCCCLVIII. Literæ *Guilielmi* III. Magnæ Britanniae Regis, ad *Fridericum* III. Electorem Brandenburgicum, quibus Namurcum die ſecunda Auguſti, maximam partem militum ipſius virtute occupatum eſſe, nuntiat, 1695. p. 481
DCCCCLIX. Literæ *Coſmi* III. Magni Etruriæ Ducis, ad *Fridericum Auguſtum*, Saxoniæ Electorem, cui ſe Johanni Smidtio reſidentis in Aula ipſius munus commiſiſſe ſignificat, 1695. p. 482

DCCCCLX. Breve *Innocentii P. P.* XII. ad *Joannem* III. Poloniæ Regem, quo ipſi cognitionem cauſæ inter Epiſcopum & Palatinum Vilnenſes agitatæ Congregationi immunitatis concreditam eſſe refert, *1695.* p. 483

DCCCCLXI. Breve *Innocentii Papæ* XII. ad *Michaelem Radziejoßium*, Regni Poloniæ Primatem, ejusdem cum præinſerto argumenti, 1695. p. 485

DCCCCLXII. Literæ *Circuli Sueßici*, ad *Magiſtratum Cißitatis Geneßenſis*, quibus ipſi a Cæſarea Majeſtate æquiſſima, eaque publica ſanctione conſtitutum eſſe, ne impoſterum merces e filis ex auro argentoque diductis fabricatæ in Imperio tolerentur, niſi earum internus valor ad integram marcam argenti puri &c. aſcendat, refert *1695.* p. 486

DCCCCLXIII. Breve *Innocentii Papæ* XII. ad *Joannem* III. Poloniæ Regem, quo ipſum de indicto a ſe univerſali jubileo certiorem reddit, 1695. p. 488

DCCCCLXIV. Literæ *Guilielmi* III. Magnæ Britanniæ Regis, ad *Circuli Sueßici Conſiliarios, Legatos* ad *Deputatos*, quibus generoſum Principalium eorum propoſitum, bellum adverſus Gallos ſtrenue continuandi, decentibus mactat laudibus, *1695.* p. 489

DCCCCLXV. Literæ *Friderici Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad *Carolum* II. Hiſpaniarum Regem, cui proſperrima inſtantis novi anni gratulatur auſpicia, *1695.* p. 491

DCCCCLXVI. Reſponſoriæ *Guilielmi* III. Magnæ Britanniæ Regis, ad præinſertas *Friderici Auguſti*, Saxoniæ Electoris, de novo anno gratulatorias, $169\frac{5}{6}$. p. 492

ANNUS MDCXCVI.

DCCCCLXVII. Literæ *Michaelis Radziejoßii*, Regni Poloniæ Primatis, ad *Innocentium Papam* XII. quibus ipſi difficillimum inter Epiſcopum & Palatinum Vilnenſes, reconciliationis negotium ad optatum tandem, multo labore, finem perductum eſſe, ac ad illius perfectionem nihil, niſi S. Apoſtolicæ ſedis confirmationem reſtare refert, *1696.* p. 493

DCCCCLXIIIX.

Digitized by Google

DCCCCLXIIX. Literae *Capituli Eccleſiæ Metropolitanæ Moguntinæ*, ad *Innocentium Papam* XII, quibus ſcandalum, quod per collatam Lib. Baroni a Berleps, enormi corporis vitio laboranti, canonicalem præbendam, datum fuit, confeſtim aboleri humillime petit, *1696*. p. 495

DCCCCLXIX. Literae *Guilielmi* III. Magnae Britanniae Regis, ad *Conſules & Senatores Civitatis Genevenſis*, quibus ipſis, pro exhibito deditiſſimæ mentis ſpecimine, quo ſibi, quod ex inſidiis nuper a Gallicis ſicariis ſibi ſtructis, feliciter evaſiſſet, gratulati erant, gratias amanter reponit, 1696. p. 496

DCCCCLXX. Literae *Guilielmi* III. Magnae Britanniae Regis, ad *Fridericum Auguſtum*, Saxoniae Electorem, quibus ipſi felicem ſuum, poſt detectum ſtructi in ſe maledicti parricidii facinus, in Hollandiam reditum notificat, *1696*. p. 498

DCCCCLXXI. Reſponſoriæ *Friderici Auguſti*, Saxoniae Electoris, ad praeinſertas *Guilielmi* III. Magnae Britanniae Regis literas, *1696*. p. 499

DCCCCLXXII. Literae *Principum per Sac. Rom. Imperium Eccleſiaſticorum* nomine, ad *Innocentium Papam* XII. ſcriptae, quibus Canonicatum Lib. Bar. a Berleps, monſtroſo corporis defectu informi, in Eccleſia cathedrali Conſtantienſi proviſionaliter, aſt ſummo cum Eccleſiae ſcandalo & concordatorum Nationis Germanicæ praejudicio collatum, alii cuidam capaciori conferri ſubmiſſe precantur, *1696*. p. 500

DCCCCLXXIII. Literae *Mariæ Caſimiræ*, Reginae Poloniae, ad *Eleonoram Magdalenam Thereſiam*, Rom. Imperatricem, quibus ipſi Johannem III. Poloniae Regem, maritum ſuum deſideratiſſimum fatis conceſſiſſe moeſtiſſimo animo refert, *1696*. p. 504

DCCCCLXXIV. Literae *Mariæ Caſimiræ*, Reginae Poloniae, ad *Mariam Annam*, Hiſpaniarum Reginam, quibus ipſi *Johannem* III. Poloniae Regem, maritum ſuum dilectiſſimum, diem obiiſſe ſupremum ingenti cum luctu nuntiat, *1696*. p. 505

DCCCCLXXV. Literae *Mariæ Caſimiræ*, Reginæ Poloniae, ad *Charlottam Amaliam*, Daniæ Reginam, quibus

quibus ipſi Johannem III. Poloniæ Regem, conjugem ſuum chariſſimum, ad beatiores cœlitum ſedes translatum eſſe ſignificat, 1696. p. 506

DCCCCLXXVI. Literae *Mariæ Caſimiræ*, Poloniae Reginae, ad *Hedwigam Eleonoram*, Suecorum Reginam, cui conjugem ſuum amantiſſimum ſibi inopinata morte ereptum eſſe dolenter ſignificat, 1696. pag. 507

DCCCCLXXVII. Literae *Mariæ Caſimiræ*, Reginae Poloniae, ad *Mariam Annam Ludoßicam*, Electricem Palatinam Rheni, quibus ipſi, Johannem III. Poloniae Regem, dulciſſimum tori ſui conſortem, pie defunctum eſſe nuntiat, 1696. p. 508

DCCCCLXXIIX. Literae *Andreæ Chryſoſtomi Zaluskii*, Epiſcopi Plocenſis, ad *Carolum Barberinum*, S. R. Eccleſiae Cardinalem, Regnique Poloniæ Protectorem, quibus elegans Johannis III. Poloniae Regis encomium ac vera Principum ipſius deſcriptio, eorumque ingenua commendatio continetur, 1696. p. 509

DCCCCLXXIX. Literae *Jacobi Ludoßici*, Johannis III. Poloniae Regis Principis filii, natu majoris, ad *Michaelem Radziejoßium*, Regni Poloniae Primatem, quibus ſe resque ſuas ipſius patrocinio commendat, 1696. p. 516

DCCCCLXXX. Reſponſoriae *Michaelis Radziejoßii*, Regni Poloniae Primatis, ad praeinſertas *Jacobi Ludoßici*, Principis Regii literas, 1696. p. 517

DCCCCLXXXI. Literae *Alexandri* & *Conſtantini*, Principum Johannis III. Regiorum, ad *Michaelem Radziejoßium*, Regni Poloniae Primatem, cujus ſibi ſuæque Sereniſſimæ familiæ patrocinium modeſte expoſcunt, 1696. p. 518

DCCCCLXXXII. Reſponſoriae *Michaelis Radziejoßii*, Regni Poloniae Primatis, ad praeimpreſſas *Alexandri* & *Conſtantini*, Principum Regiorum, literas, 1696. p. 519

DCCCCLXXXIII. Literae *Cantonum Helßetiæ Eßangelicorum*, ad *Guilielmum* III. Magnae Britanniae Regem,

gem, quibus ſe pacis inſtantis tractatui nominatim includi precantur, 1696. p. 520

DCCCCLXXXIV. Reſponſoriae *Guilielmi* III. Magnae Britanniae Regis, ad praeinſertas *Cantonum Helvetiae Evangelicorum* literas, 1696. p. 522

DCCCCLXXXV. Literae a *Conſiliariis Principum* & *Statuum Circuli Suevici*, ad *Carolum* XI. Suecorum Regem exaratae, quibus ab eo obnixe contendunt, velit in praeſenti Pacis tractatu aequiſſimorum poſtulatorum Circuli ſui juſtam habere rationem, 1696. p. 523

DCCCCLXXXVI. Literae a *Conſiliariis & Legatis VI. ad Rhenum Circulorum*, Francofurti ad Mœnum congregatis, ad *Guilielmum* III. Magnae Britanniae Regem, quibus ipſi, quam grave ſibi, poſt compoſitam Regem Chriſtianiſſimum inter & Sabaudiae Ducem pacem particularem, invaſionis a Gallis ingenti numero auctis immineat periculum, clare exponunt, & ſuae defenſionis omnimodam curam impenſe commendant, 1696. p. 527

DCCCCLXXXVII. Reſponſoriae *Guilielmi* III. Magnae Britanniae Regis, ad praeinſertas *Conſiliariorum & Legatorum* a VI. ad Rhenum Circulis Francofurtum ad Mœnum miſſorum literas, 1697. p. 530

DCCCCLXXXIIX. Literae *Conſiliariorum & Legatorum*, nomine VI. Circulorum Francofurti ad Mœnum congregatorum, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus ipſis, quid Germaniae a Gallicis copiis adverſus Sabaudiae Ducem nuper adhibitis, mirum ad numerum auctis, metuendum ſit, explicant, ac eis a Principalibus ſuis ideo fœdus defenſivum arctius concluſum eſſe referunt, illosque auxiliis & conſiliis ipſorum ſublevari petunt, 1696. p. 531

DCCCCLXXXIX. Literae *Friderici Auguſti*, Saxoniae Electoris, ad *Carolum* III. Hiſpaniarum Regem, cui exoptatiſſimas proximi & futurorum annorum gratulatur calendas, 1696. p. 535

ANNUS MDCXCVII.

DCCCCXC. Literae *Michaelis Radziejovii*, Regni Poloniae Primatis, ad *Mariam Caſimiram*, Poloniae Re-

ginam, cui modeſte ſuadet, velit ſe ſub inſtantis conſilii tempus, Varſaviam relinquendo de malevolorum quorundam intempeſtivo livore ſubducere, 1697. p. 535

DCCCCXCI. Reſponſoriae *Mariae Caſimirae*, Poloniae Reginae, ad praeinſertas *Michaelis Radziejovii*, Regni Poloniae Primatis, literas, 1697. p. 537

DCCCCXCII. Literae commendatitiae, ab Electore Saxoniae, *Friderico Auguſto*, Locumtenenti Johanni Philippo Jægero, ad *Rempublicam Venetorum* datae, 1697. p. 539

DCCCCXCIII. Literae *Caroli* XII. Svecorum Regis, ad *Fridericum Auguſtum*, Saxoniae Electorem, quibus ipſi Carolum XI. Parentem ſuum chariſſimum, præmatura morte extinctum eſſe nuntiat, ac ſe ad continuanda mutuæ neceſſitudinis cum ipſo officia paratiſſimum eſſe aſſeverat, 1697. pag. 539

DCCCCXCIV. Reſponſoriæ *Friderici Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad præimpreſſas *Caroli* XII. Svecorum Regis literas, 1697. pag. 542

DCCCCXCV. Literæ *Guilielmi* III. Magnae Britanniae Regis, ad *Fridericum Auguſtum*, Saxoniae Electorem, quibus ipſi ſe iterum favente divino Numine feliciter in Hollandiam appuliſſe refert, & cauſæ communis indefatigatam curam amanter commendat, 1697. pag. 544

DCCCCIXCVI. Reſponſoriæ *Friderici Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad *Guilielmi* III. Magnæ Britanniae Regis præinſertas literas, 1697. pag. 545

DCCCCXCVII. Literae *Friderici Auguſti*, Saxoniae Electoris, ad *Ducem Senatumque Reipublicae Venetae*, quibus pro Colonello d' Aalbentel, cædis in Vincentio de Wiſenburg patratæ cauſa proſcripto, ſollicite intercedit, 1697. pag. 547

DCCCCXCIIX. Literae *Magiſtratus Civitatis Gedanenſis*, ad *Dn. Abbatem de Polignac*, Regis Chriſtianiſſimi in Poloniam Legatum, cui nuntiat, Cives urbis, ob naves ſuas a Gallicae Claſſis Præfecto detentas, ingentes excitaſſe turbas, omnesque mercatorum Gallicæ Nationis merces cuſtodiae mandaſſe, ne loco moveantur, donec

nec

Digitized by Google

nec naves ſibi fuerint in integrum reſtitutæ, 1697. pag. 548

DCCCCXCIX. Reſponſoriæ Dn. *Abbatis de Polignac*, ad præinſertas *Magiſtratus Civitatis Gedanenſis* literas, nil niſi minas, Gallici faſtus indicia, continentes, 1697. pag. 550

M. Literæ *Michaelis Radziejovii*, Regni Poloniae Primatis, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, quibus ipſi Principem de Conti, in Regem Poloniae, non obſtantibus Sereniſſimo Electori Saxoniae datis ſuffragiis, unanimi potioris partis conſenſu electum eſſe nuntiat, 1697. pag. 553

MI. Reſponſoriae, *Leopoldi*, Romani Imperatoris, ad praeinſertas *Michaelis Radziejovii*, Regni Poloniae Primatis literas, quibus ipſi ſerio ſvadet, ut partes Sereniſſimi Electoris Saxoniae, a quibus maximam Nobilitatis partem ſtare inaudiviſſet, absque mora amplectatur, 1697. pag. 556

MII. Literae varii argumenti, a *F. Henrico Cardinale Norſio*, ad *Abbatem Nicaſium*, Pariſiis degentem, exaratæ, 1697. pag. 558

MIII. Literæ *Auguſti* II. Poloniarum Regis, ad *Leopoldum* Rom. Imperatorem, quibus ipſi, ſe in Poloniae Regem electum eſſe nuntiat, 1697. pag. 562

MIV. Reſponſoriae *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad præinſertas *Auguſti* II. Poloniarum Regis literas, 1697. p. 563

MV. Literae *Auguſti* II. Poloniæ Regis, ad *Ordines Regni Poloniæ* Magnique Ducatus Lithuaniæ, quibus ipſis pro collata ſibi unanimi conſenſu Regia dignitate amantisſimas agit & habet gratias, ſeque privilegia & libertatem eorum ſancte & cum vitae etiam diſpendio tuiturum pollicetur, 1697. pag. 565

MVI. Literæ *Auguſti* II. Poloniae Regis, ad *Chriſtianum* V. Daniæ Regem, cui ſe unanimi Reipublicae Polonæ, exceptis ſaltem quibusdam refractariis, applauſu, in viduatum Poloniae ſolium evectum eſſe, refert, 1697. pag. 568

MVII. Literae *Auguſti* II. Poloniae Regis, ad *Carolum* XII. Svecorum Regem, quibus ipſi, ſe concordibus maximam partem qua Procerum, qua Nobilitatis Polonicæ ſuf-

ſuffragiis in Regem Poloniæ electum eſſe nuntiat, 1697. pag. 570
MIIX. Literæ *Caroli* XII Svecorum Regis, ad corpus *Statuum* per *S. R. Imperium* Evangelicum, quibus ſe incolumitati Religionis Evangelicæ in præſenti pacis tractatu ſollicite proſpecturum pollicetur, 1697. p. 572
MIX. Literae *Michaelu Radziejovii*, Regni Poloniæ Primatis, ad *Fridericum* III. Electorem Brandenburgicum, quibus candidi legum patriarum & libertatis vindicis ſpeciem præ ſe ferens obnixe ab eo contendit, velit regno Poloniae ad ſummum exitium ruenti confeſtim ſuppetias ire, 1697. p. 574
MX. Breve *Innocentii Papæ* XII. ad *Auguſtum* II. Poloniae Regem, quo ſe Nuntium, quod repudiatis Auguſtanæ Confeſſionis dogmatibus, ſacra Catholicorum amplexus ſit, effuſiſſima in gaudium mente accepiſſe refert, 1697. pag. 577
MXI. Literae *Auguſti* II. Poloniae Regis, ad *Innocentium Papam* XII. quibus ipſi impoſitam ſibi ſvetis Ceremoniis Regni Poloniae Coronam eſſe nuntiat, ſuumque ad S. Sedem Legatum, ut perſonam omni fide dignam ſedulo commendat, 1697. pag. 579
MXII. Breve *Innocentii Papæ* XII. quo ad præinſertas *Auguſti* II. Poloniae Regis literas, reſpondet, 1698. pag. pag. 580
MXIII. Literæ *Auguſti* II. Poloniarum Regis, ad *Caſimirum Sapieham*, Palatinum Vilnenſem, quem eximiis mactat laudibus, quod ſera quidem, aſt ſeria promptitudine in partes ſuas tranſiverit, 1697. p. 581
MXIV. Literæ credentiales, quas *Lotharius Franciſcus*, Elector Moguntinus, Joh. Philippo, lib. Bar. a Schœnborn, Ablegato ſuo Extraordinario, ad *Ludovicum* XIV. Galliarum Regem dedit, 1697. p. 583

ANNUS MDCXIIX.

MXV. Literæ *Auguſti* II. Poloniae Regis, ad *Michaelem Radziejovium*, Regni Poloniae Primatem, quibus valde ſibi gratum fuiſſe nuntium de prona ipſius ad reconciliationem mente aſſerit, fidemque Epiſcopo Jaurinenſi in omnibus, quæ ſuo nomine prolaturus ſit, haberi amanter deſiderat, 1698. p. 584

MXVI.

MXVI. Reſponſoriæ *Michaelis Radziejoſkii*, Regni Poloniæ Primatis, ad præinſertas *Auguſti* II. Regis Poloniæ literas, 1698. pag. 585

MXVII. Breve *Innocentii Papæ* XII. ad *Michaelem Radziejoſkium*, Regni Poloniæ Primatem, quibus ipſi ob confirmandam Poloniæ tranquillitatem, quæ ſibi ſemper curæ cordique eſſet, Nuntium a ſe extraordinarium illuc miſſum eſſe refert, 1698. pag. 586

MXIIX. Literæ *Gbilielmi* III. Magnæ Britanniæ Regis, ad *Carolum* XII. Sveciae Regem, cui magnopere gratulatur, quod avita ſceptra manu ſua regenda ipſe ſuſceperit, 1698. pag. 588

MXIX. Breve *Innocentii Papæ* XII. ad *Epiſcopum Cujavienſem*, quo ipſi gaudium de compoſitis Regem & quoſdam refractarios inter diſſidiis conceptum teſtatur, & nuntium ſuum quamprimum in Polonia adfore refert, 1696. pag. 589

MXX. Breve *Innocentii Papæ* XII. ad *Chriſtianum Auguſtum*, Epiſcopum Jaurinenſem, quibus infucatam ipſius erga S. Rom. Sedem obedientiam multis laudibus extollit, eumque Nuntio ſuo proxime in Poloniam venturo adjumento eſſe petit, 1698. p. 590

MXXI. Breve *Innocentii Papæ* XII. ad *Auguſtum* II. Poloniae Regem, quibus Fabritio Epiſcopo Ferrarienſi, Nuncio ſuo extraordinario, fidem in omnibus, quæ ſuo nomine prolaturus ſit, adhiberi petit, 1698. p. 591

MXXII. Literæ *Gbilielmi* III. Magnae Britanniae Regis, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, quibus ipſi Turcas ad pacem, quod ex adjectis liqueret conditionibus, valde pronos eſſe refert, ſuamque eo in negotio mediationem offert, 1698. pag. 593

MXXIII. Literae *Generalium fœderati Belgii Ordinum*, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, quibus Turcarum ad pacata conſilia proclives animos eſſe nuntiant, ipſique operam ſuam & mediationem modeſte commendant, 1698. p. 595

MXXIV. Literæ *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Auguſtum* II. Poloniae Regem, quibus ipſi tolerabiles a Turcis propoſitas eſſe pacis conditiones recenſet, eique ſerio ſvadet, ut hac vice ſecum tentare aggrediatur, num quid

eis

eis proficere, & ulteriorem humani ſanguinis profuſionem ſiſtere posſint, 1698. pag. 598
MXXV. Literae ejusdem cum præinſertis argumenti a *Leopoldo*, Rom. Imperatore, ad *Petrum*, Czaarum & Magnum Moſcoviae Ducem exaratae, 1698. pag. 599
MXXVI, Literæ *Ulrici Comitis a Kinski*, ad *Gvilielmum Paget*, Magnae Britanniæ Regis in Aula Turcica Internuntium, quibus Cæſareae Majeſtati arridere quidem ex parte factam a Turcis propoſitionem, minime tamen placere, quod Magni Ducis Moſcoviæ, communis Confœderati nulla in ea fiat mentio, 1698. pag. 601
MXXVII. Literae *Ferdinandi*, Ducis Saganenſis, Principis de Lobkowitz, ad *Ludovicum* XIV. Galliarum Regem, quibus ipſi curæ cordique ſibi ea ſemper fore, quæ ad ſtringendam arctius Cæſareae Majeſtatis cum ipſo amicitiam facere aliquid posſint, reverenter pollicetur, 1698. pag. 604
MXXVIII. Literae *Auguſti* II. Poloniarum Regis, ad *Innocentium Papam* XII. quibus ipſi refert, ægre ſibi perceptu fuiſſe, quod Cæſarea Majeſtas axioma: Uti posſidetis, ita posſideatis, in baſin inſtantis cum Turca Pacis ſtatuerit, eumque velut ſacri fœderis vindicem inſtanter rogat, ut æquiores ſuarum rerum rationes haberi curet, 1698. pag. 605
MXXIX. Literae *Auguſti* II. Poloniae Regis, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, idem quod præimpreſſæ argumentum continentes, 1698. pag. 607
MXXX. Literæ *Friderici* III. Electoris Brandenburgici, ad *Auguſtum* II. Poloniae Regem, quibus captam a ſuis Elbingam tam diu a ſe hypothecario jure poſſeſſum iri, donec ſibi juxta fœderis Bydgoſtienſis leges fuerit ſatisfactum, nuntiat, 1698. pag. 608
MXXXI. Reſponſoriae *Auguſti* II. Poloniarum Regis ad præinſertas *Friderici* III. Electoris Brandenburgici literas, 1698. pag. 610
MXXXII. Literae *Friderici* III. Electoris Brandenburgici, ad *Michaelem Radziejovium*, Regni Poloniae Primatem, ejusdem cum præinſertis commatis, 1698. p. 613
MXXXIII. Literae *Gvilielmi* III. Magnae Britanniae Regis, ad *Georgium VVilhelmum*, Ducem Brunſvico-Lunebur-

burgenſem, quibus ab eo obnixe contendit, velit miſeros homines, ob Religionem Reformatam Gallia ejectos patrocinio ſuo beare, ac eorum inopiam omnibus beneficiis, & imprimis re numaria ſublevare, 1698. pag. 615

MXXXIV. Reſponſoriæ *Georgii VVilhelmi*, Ducis Brunſvico-Luneburgenſis, ad præinſertas *Gvilielmi* III. Magnæ Britanniæ Regis literas, 1699. pag.617

MXXXV. Literæ *Stanislai Malachovii*, Palatini Poſnanienſis & Regni Poloniae ad Carolovicenſes tractatus Plenipotentiarii, ad *VVolffgangum Comitem ab Oetting*, & *Leopoldum Comitem a Schlick*, Cæſareos ad idem negotium Plenipotentiarios, quibus clariorem tertii in projecto articuli explicationem, & quousque tractatus Turcas ipſosque inter proceſſerint, diſtinctam relationem poſtulat, 1698. pag.618

MXXXVI. Literæ *Friderici* III. Electoris Brandenburgici ad *Auguſtum* II. Poloniae Regem, quibus ad acerbas & immeritas exprobrationes ab atræ bilis homine profectas, & in univerſalibus ſtylo Polonico ſcriptis publicatas, modeſte reſpondet, 1698. pag.620

MXXXVII. Literæ *Auguſti* II. Poloniæ Regis, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, cui, quid ab Electore Brandenburgico Poloniæ contra pacta Velavienſia intentatum ſit, ſignificat, ejusque in eo negotio mediationem interponi cupit, 1698. p. 625

MXXXIIX. Reſponſoriae *Leopoldi*, Rom. Imperatoris ad praeinſertas *Auguſti* II. Poloniae Regis literas, quibus Vratiſlaviam velut locum congreſſui habendo idoneum proponit, eumque ut durantibus tractatibus Polonos a vi & hoſtili irruptione abſtinere jubeat, amanter hortatur, 1699. pag. 626

MXXXIX. Literae *Auguſti* II. Poloniae Regis, ad *Ludovicum* XIV. Galliae Regem, quibus ipſi Electorem Brandenburgicum Elbingam, contra expreſſum pactorum Velavienſium tenorem, vi occupaſſe nuntiat, eique amanter injungit, velit tanquam primarius Pacis Olivenſis Protector & Vindex Poloniae rationibus hoc in caſu candide conſulere, 1698. pag.628

MXL. Reſponſoriae *Gvilielmi* III. Magnae Britanniae Regis,

gis, ad præcedentes *Auguſti* II. Poloniarum Regis literas, 1699. pag. 629

MXLI. Literæ *Auguſti* II. Poloniæ Regis, ad *Chriſtianum* V. Daniae Regem, de diſſidio Elbingae cauſa ſe & Electorem Brandenburgicum inter exorto agentes & Comiti Galeckio fidem adſtruentes, 1698. pag. 630

MXLII. Reſponſoriae *Chriſtiani* V. Daniae Regis, ad praeinſertas *Auguſti* II. Poloniarum Regis literas, quibus ipſi, ut mitiora media omnia in removendis gliſcentibus cum Electore Brandenburgico diſſidiis adhibeat, ſedulus ſvaſor eſt, 1698. pag. 631

MXLIII. Literae *Auguſti* II. Poloniarum Regis, ad *Carolum* XII. Sveciae Regem, quibus ipſi Elbingam ab Electore Brandenburgico vi captam eſſe refert, & Franciſcum, Comitem in Krotoszyn Galecki, Legatum ſuum, impenſe commendat, 1698. pag. 633

MXLIV. Reſponſoriæ *Caroli* XII. Svecorum Regis, ad proxime præcedentes *Auguſti* II. Poloniæ Regis literas, quibus pariter ad diſſidium quam primum conficiendum mediationem ſuam offert, 1698. pag. 634

MXLV. Literæ *Mariæ Caſimiræ*, Reginæ Poloniæ viduæ, ad *Ordines Regni Poloniæ*, quibus graviter conqueritur falſos contra ſe ſuamque Domum a quibusdam malevolis ſparſos eſſe rumores, 1698. pag. 635

MXLVI. Literæ *Petri*, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad *Carolum XII.* Sveciæ Regem, quibus pro transmiſſis ſibi tormentis in excidium Turcarum adhibendis gratias agit ac Novogardiæ Gubernatori dari veniam petit, nautas & homines rei maritimae peritos in ipſius ditionibus conducendi 1698. pag. 638

ANNUS MDCXCIX.

MXLVII. Literæ *Gvilielmi III.* Magnæ Britanniæ Regis, ad *Philippum Reinhardum*, Comitem Hanoviæ, quibus ab eo amice contendit, velit Reformatæ Religionis aſſeclis, Gallia pulſis, auxilio & ſublevamini eſſe, eosque benigne ſub tutelam ſuam recipere, 1699. pag. 639

MXLIIX. Literæ *Alexandri Maurocordati*, Plenipotentiarii Turcici, ad *Palatinum Mariæburgenſem*, quibus Tartarorum Officiales, ob irruptionem præter mandatum

datum & præſcitum ſupremi Vicarii in Poloniam factam ſat duras pœnas daturos, & captivos omnes & ſingulos confeſtim reſtitutum iri pollicetur, 1699. pag. 641

MXLIX. Literæ recredentiales a *Leopoldo*, Rom. Imperatore, Gabrieli, Comiti ab Oxenſtiern, Internuntio Svecico, ad *Carolum* XII. Svecorum Regem traditæ, 1699. pag. 643

ML. Literæ *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Michaelem Radziejoſkium*, Regni Poloniæ Primatem, a quo amantisſime contendit, ut quicquid apud Populum gratiæ & auctoritatis haberet, id omne ad tollendum funditus ſuſpicionum & diſſenſionum fomitem, & confirmandum inter Regem Populumque amorem, fiduciam & obſequium conferre haud gravetur, 1699. pag. 644

MLI. Literæ recredentiales quas *Hedwigis Eleonora*, Sveciæ Regina, Comiti d' Avaux, Oratori Gallico, ad *Ludoſicum* XIV. Galliæ Regem tradidit, 1699. pag. 645

MLII. Literæ recredentiales, quas *Carolus* XII. Svecorum Rex, Comiti d' Avaux, Internuntio ad Aulam ſuam Regis Chriſtianisſimi, *Ludoſico* XIV. Galliæ Regi exhibendas commiſit, 1699. pag. 647

MLIII. Literæ *Gſilielmi Paget*, Plenipotentiarii a Magnæ Britanniæ Rege ad Carolovicenſes tractatus miſſi, ad *Stanislaum Malachoſium*, Palatinum Poſnanienſem, & in ante memorato congreſſu Regni Poloniæ Plenipotentiarium, quibus Turcicos Plenipotentiarios omni ſedulitate eo anniti aſſerit, ut Regno Poloniæ ob irruptionem a Tartaris nuper factam plenarie ſatis fiat, 1699. pag. 648

MLIV. Literæ *Gſilielmi* III. Magnæ Britanniæ Regis, ad *Johannem VVilhelmum*, Electorem Palatinum ad Rhenum, quibus ipſum modeſte hortatur, ut Sereniſſimi Parentis ſui mitisſimæ clementiæ, legum ac Statutorum S. R. Imperii Chriſtianæque charitatis memor, ſubditos Auguſtanæ Confesſioni per Palatinatum addictos propitiori fortuna ac inturbata conſcientiarum tranquillitate frui gratioſe permittat, 1699. pag. 650

MLV.

MLV. Literæ *Legatorum & Deputatorum Statuum* per S. R. Imperium Auguſtanæ Confeſſioni addictorum, ad *Carolum* XII. Svecorum Regem, quibus ipſi Principales ſuos quandam Calendarii reformationem meditari nunciant, eumque ut ſibi, qua ad eam mente feratur, confeſtim renunciet, ſubmiſſe precantur, 1699 pag. 652

MLVI. Reſponſoriæ *Caroli* XII. Svecorum Regis, ad præinſertas *Legatorum & Deputatorum Statuum* per Sac. Rom. Imperium Auguſtanam Confeſſionem amplectentium literas, 1699. pag. 656

MLVII. Literæ recredentiales nomine *Circuli Franconici*, Domino de Chamoy, Chriſtianiſſimi Regis Plenipotentiario, ad *Ludovicum* XIV. Galliæ Regem traditæ, 1699. pag. 659

MLIIX. Literæ a *Deputatis Electorum, Principum & Statuum* S. Rom. Imperii Coloniæ congregatis ad *Ludovicum* XIV. Galliarum Regem exaratæ, quibus ipſi neminem inter ſe ſuper iis, quæ a Legato ipſius inopinantibus propoſita fuerint, inſtructum fuiſſe referunt, ſeq; illius gratiæ humillim commendant, 1699. p. 660

MLIX. Literæ *Johannis Hugonis*, Electoris Trevirenſis, ad *Innocentium Papam* XII. quibus ab ipſo reverenter contendit, velit Jacobum de Boville, Canonicatum in Eccleſia Wormatienſi affectantem eo adigere, ut pro obtinendo gratiæ ſibi a ſede Apoſtolica factæ effectu, deductionem Nobilitatis ſuæ, memoratæ Eccleſiæ Statutis conformem, quam primum exhibeat, 1699. pag. 662

MLX. Literæ *Lotharii Franciſci*, Electoris Moguntini, ad *Innocentium Papam* XII. de actione a Jacobo de Boville illiusque fautoribus Capitulo Wormatienſi injuſte intentata agentes, ejusdemque plenariam abrogationem urgentes, 1699. pag. 664

MLXI. Literæ *Gvilielmi* III. Magnæ Britanniæ Regis, ad *Fridericum* IV. Ducem Holſato Gottorpienſem, quibus ipſum amanter hortatur, ne hoſtile quid Danis intentet, aut per ſuos attentare permittat, ſed curam diſſidii, quod ſe inter Daniæque Regem ferveat, componen-

ponendi arbitrio ſponſorum pacis Altonavienſis prorſus permittat, 1699. pag. 668

MLXII. Literæ *Procopii Begdanobiz Voſnizin*, Plenipotentiarii Moſcovitici, ad *Stanislaum Malachobium*, Regni Poloniæ ad tractatus Carolovicenſes Plenipotentiarium, quibus ipſi, quæ ſibi difficultates circa pacis concluſionem a Turcis objiciantur, ſedulo refert, 1699. pag. 670

MLXIII. Reſponſoriæ *Stanislai Malachobii*, Plenipotentiarii Polonici, ad præinſertas *Procopii Begdanowiz Voſnizin*, Plenipotentiarii Moſcovitici literas, 1699. pag. 673

MLXIV. Literæ *Conſiliariorum & Legatorum Statuum* per S. R. Imperium Auguſtanæ Confeſſioni addictorum ad *Generales Fœderati Belgii Ordines*, quibus ipſis Calendarium Juliano-Gregorianum inveteratis erroribus ſedulo purgatum, & ab univerſis per Germaniam Evangelicis receptum impenſe commendat, 1699. pag. 676

MLXV. Literæ ejusdem cum præinſertis argumenti a *Conſiliariis & Legatis Statuum per S. Rom. Imp. Auguſtanæ Confeſſioni addictorum*, ad *Gbilielmum* III. Magnæ Britanniæ Regem exaratæ, 1699. pag. 679

MLXVI. Literæ *Corporis Ebangelici*, ad *Carolum* XII. Svecorum Regem, quibus ipſi Calendarium emendatum per univerſas Regni ejus ditiones introducendum enixiſſime commendant, 1699 pag. 682

MLXVII. Literæ *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Carolum*, Archiducem, filium ſuum, quibus ſe libenter a Præfecto ejus intellexiſſe teſtatur ipſum brevi a morbo, quo decumberet, liberatum iri, 1699. pag. 686

ANNUS MDCC.

MLXIIX. Literæ *Auguſti* II. Poloniæ Regis, ad *Michaelem Radziejobium*, Regni Poloniæ Primatem, quibus Elbingam tam accurata & exacta Commiſſariorum ſuorum & præprimis ejus diligentia reſtitutam eſſe gratulatur, & a ſe tractatum retraditae Urbis ratificatum jam remiſſum Varſaviam eſſe nuntiat, 1700. pag. 686

MLXIX. Literae *Legatorum Statuum S. R. Imp. Catholicorum*, ad *Innocentium Papam* XII. quibus pro Capitulo

Wormatienſi in juſta Jacobi de Boville cauſa diu multumque vexato ſubmiſſe intercedunt, 1700. pag. 687
MLXX. Literae *Michaelis Radziejoſkii* Regni Poloniae Primatis, ad *Fridericum* III. Electorem Brandenburgicum, quibus ipſum blande compellat, velit Svecis irruptionem e Pomerania in Poloniam meditantibus tranſitu per ſuas ditiones interdicere, ac in fœdere & amicitia erga Poloniam conſtanter perſeverare, 1700. pag. 691
MLXXI. Literae *Petri*, Czari & Magni Ducis Moſcoviae ad *Carolum* XII. Svecorum Regem, cui legationem ſuam jam in procinctu eſſe in Sveciam proficiſcendi nuntiat, ac unum ex legatis Reſidentis munia in aula ipſius impoſterum obiturum, velut virum indubia fide dignum, ſedulo commendat, 1700. pag. 692
MLXXII. Literae *Auguſti* II. Poloniae Regis, ad *Fridericum* III. Electorem Bradenburgicum, quibus ſibi debitam tenore fœderum militum manum in auxilium adverſus Svecos ſubmitti petit, 1700. pag. 693
MLXXIII. Literæ *Auguſti* II. Poloniae Regis ad *Fridericum* III. Electorem Brandenburgicum, quibus praeproperatum militum ſuorum ex Saxonia per ditiones ejus tranſitum modeſte excuſat, 1700. pag. 695
MLXXIV. Literae *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Carolum* XII. Svecorum Regem, quibus ſe famam de exorto inter eum Regemque Poloniae bello. perturbato excepiſſe animo, ſibique vindictam pactorum Olivenſum curae cordique fore teſtatur, 1700. pag. 696
MLXXV. Literae *Petri*, Czari & Magni Ducis Moſcoviae, ad *Auguſtum* II. Poloniae Regem, de bello Livoniae inferendo agentes, 1700. pag. 698
MLXXVI. Literae *Friderici* IV. Ducis Holſato-Gottorpienſis, ad *Ludovicum* XIV. Galliae Regem, a quo obnixe contendit, velit pacis Travendhalienſis capitibus, adjecta guarantia ſua majus addere pondus & robur, 1700. pag. 699
MLXXVII. Literae *Gvilielmi* III. Magnae Britanniae Regis ad *Petrum*, Czarum & Magnum Ducem Moſcoviae, cui

cui ſancitas cum Turcis ſumma cum laude & emolumento inducias gratulatur, & mediatoris officia, belli inter eum Regemque Sveciae exorti compoſitioni adhibenda, modeſte offert, 1700. pag. 701

MLXXIIX. Literae *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Franciſcum Ludovicum*, ſupremum Ordinis Teutonici per Germaniam Magiſtrum, quem amice hortatur, ut impoſterum commendas in Germania vacantes Nobilibus tantum & vere Germanis conferat, 1700. p. 704

Annus MDCCI.

MLXXIX. Literae *Friderici* I. Boruſſiae Regis, ad *Michaelem Radziejovium*, Regni Poloniae Primatem, quibus ipſi ſuam in Regem ſeptentrionalis Boruſſiæ inaugurationem & coronationem Regiomonti nuper factam eſſe nuntiat, 1701. pag. 706

MLXXX. Reſponſoriæ *Mich. Radziejovii*, Regni Poloniæ Primatis ad præinſertas *Friderici* I. Regis Boruſſiæ literas, quibus ipſi de Regia, quam nuper conſecutus erat, devote gratulatur dignitate, 1701. pag. 707

MLXXXI. Literæ *Auguſti* II. Poloniæ Regis, ad *Frid.* I. Boruſſiæ Regem, quibus ipſum pro Rege Boruſſ. agnoſcit, & de aſſumta dignitate Regia amanter gratulatur, 1701. p. 708

MLXXXII. Reſponſoriæ *Friderici* I. Boruſſiæ Regis, ad præinſertas *Auguſti* II. Poloniæ Regis gratulatorias, 1701. pag. 709

MLXXXIII. Literæ *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Clementem Papam* XI. quibus ſe legitimum defuncti nuper Caroli Regis II. Hiſpan. in Regno Neapolitano ſucceſſorem eſſe concinne & evidenter deducit, ſeque eodem inveſtiri reverenter petit, 1701. pag. 710

MLXXXIV. Literæ *Gvilielmi* III. Magnæ Britanniæ Regis, ad *Fridericum* I. Boruſſiæ Regem, quibus ipſi aſſumptum nuper Regiæ Majeſtatis nomen & ſplendorem ex animo gratulatur, 1701. pag. 717

MLXXXV. Literæ *Georgii Towianskii*, Palatini Lanciciensis ad *Fridericum* I. Boruſſiæ Regem, quibus ab eo ſubmiſſe contendit, velit omni cura ac opera impedire, quo minus Svecis quæſitus per ditiones ejus pateat tranſitus, 1701. pag. 719

MLXXXVI. Reſponſoriæ *Friderici* I. Regis Boruſſiæ ad

præinſertas *Georgii Towianskii*, Palatini Lanciceníis literas, 1701. pag. 720

MLXXXVII. Literæ *Jacobi*, Principis defuncti nuper Poloniae Regis natu majoris, ad *Nuntios & Deputatos* in Comitiolis per Palatinatus majoris Poloniae inſtitutis congregatos, quibus eos amanter requirit, velint ſedulo operam dare, ut ſibi ſuæque familiæ Sereniſſimae debita Regis & Reipublicæ nomine pecuniæ confeſtim reſtituatur ſumma, 1701. pag. 721

MLXXXIIX. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Ludovicum* XIV. Galliæ Regem, quem paterne precatur, ne Friderico I. Boruſſiæ Regi, Regios tribuat honores, 1701. pag. 724

MLXXXIX. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Michaelem Radziejovium*, Regni Poloniae Primatem, quo eum ſerio monet, ut Marchioni Brandenburgico Regium titulum & dignitatem uſurpanti competentes Majeſtati Regiæ honores nec ipſe tribuat, nec ab aliis tribui permittat, 1701. pag. 725

MXC. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Michaelem Radziejovium*, Regni Poloniae Primatem, a quo ſerio contendit, velit pro muneris ſibi concrediti autoritate impedire, quominus acatholici Principis Miniſtro, Varſaviæ Reſidenti, ſuæ Religionis ſacris vacare permittatur, 1701. pag. 726

MXCI. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Franciſcum Ludovicum* ſupremum per Germaniam Ordinis Teutonici Magiſtrum, de aſſumta a Friderico I. Rege Boruſſiæ, Regia dignitate agentes, 1701. pag. 728

MXCII. Literæ *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Coſmum* III. Magnum Etruriæ Ducem, quibus de commiſſo a Duce Mantuano Feloniæ crimine graviter conqueritur, eumque ad conſtantem erga S. R. Imperium fidem clementer hortatur, 1701. pag. 730

MXCIII. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Michaelem Radziejovium*, Regni Poloniæ Primatem, quem ſerio monet, ut Reipublicæ Polonæ Proceres graviter hortetur, ne Svecis, diſcordiarum ſemina ſpargere fatagentibus, aures præbeant, ſed potius Regi ſuo legitimo in rebus ad Catholicæ Eccleſiæ incrementum facientibus libenter pareant, 1701. pag. 732

MXCIV.

MXCIV. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Andream Chryſoſtomum Zaluskium*, Epiſcopum Plocenſem, ejusdem cum præinſerto argumenti, 1701. pag.734
MXCV. Reſponſoriæ *Andreæ Chryſoſtomi Zaluskii*, ad præimpreſſum *Clementis Papæ* XI. Breve, 1701. pag.735
MXCVI. Literæ *Caroli* XII. Svecorum regis, ad *Michaelem Radziejoſkium*, regni Poloniæ Primatem, quibus ipſi clare exponit, ſe pacem cum republica Poloniæ minime inire poſſe, niſi ipſa novo ſit prædita capite. p.1119
MXCVII. Literæ *Petri*, Czaari & Magni Ducis Moſcoviae, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus ſe a pace cum Sveciæ rege, interventu eorum ineunda, minime alienum eſſe, dummodo ſibi ob injurias Legationi ſuæ rigæ illatas plene ſatisfiat, 1701. pag. 737
MXCIIX. Literæ *Petri*, Czaari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, de pacis ſe & regem Sveciæ inter conficiendæ negotio agentes, 1701. p.741
MXCIX. Literæ *Franciſci Menegati*, S. Cæſ. Majeſtatis Confeſſionarii, ad *Carolum*, Haſſiæ Landgravium, quibus Cæſaream Majeſtatem nihil unquam mali de ipſo ſuſpicatam eſſe exponit, eumque gratiae Cæſareæ ſecurum eſſe jubet, 1701. pag.744
MC. Literæ *Guilielmi* III. Magnae Britanniae regis ad *S. R. Imp. Electores, Principes & Status*, quibus ipſis imminentia a Galliae regno Hiſpanica potentia aucto pericula diligenter exponit, eosque, ut in fœdus S. Cæſ. Majeſtatem, ſe & Generales fœderati Belgii Ordines inter initum prompte accedant, amanter hortatur, 1701. pag.745
MCI. Literæ *Conſiliariorum & Legatorum Circuli Franconici*, ad *Ludovicum* XIV. Galliæ regem, quibus ſerium cum ipſo retinendae pacis ſtudium conteſtantur, 1701. p.750
MCII. Literæ *Conſiliariorum & Legatorum Circuli Svevici*, ad *Ludovicum* XIV. Galliae regem, quibus ab eo ſubmiſſe contendunt, velit omni ſtudio allaborare, ut reſtituta per pacem ryſvicenſem quies & concordia in Imperio ſarta tecta ſervetur, 1701. pag. 751
MCIII. Literae *Auguſti* II. Poloniae regis, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus ipſis deteſtanda & inter Chriſtianas gentes minime uſitata conſilia regis Sveciæ exponit, eorumque auxilia contra vaſta ipſius deſtinata

modeſte efflagitat, 1701. pag. 753
MCIV. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Michaelem Radziejoƀium*, regni Poloniae Primatem, quo eum ſerio hortatur, ne turbulentis Svecorum conſiliis aures praebeat, ſed ea potius, aliis in laudabilem imitationis normam, generoſe rejiciat, 1701. pag. 757
MCV. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Ordines Pagorum per Helƀetiam Catholicorum*, quo ipſos ſerio hortatur, velint omni ſecum ſollicitudine contendere, ut priſtina Italiæ pax & tranquillitas quamprimum reſtituatur, 1701. pag. 759
MCVI. Literae *Leopoldi*, rom. Imperatoris, ad *Capitulum Leodienſe*, quibus ejusdem membra conſtanti fortique animo in praeſenti bellorum tempeſtate & gratiae ſuae ſecura eſſe jubet, 1701. pag. 760

ANNUS MDCCII.

MCVII. Literæ *Leopoldi*, rom. Imperatoris, ad *Capitulum Leodienſe*, quibus ſe abominandum Epiſcopi Leodienſis factum valde deteſtari aſſerit, illudque ad inconcuſſam fidem ſibi Sacroque romano Imperio ſemper praeſtandam ſerio hortatur, 1702. pag. 761
MCIIX. Literæ *Auguſti* II. Poloniae regis, ad *Dominos Sapiehas*, quibus eos amanter hortatur, velint novercantis fortunæ infelices impetus patienter ferre, ſibique rerum ſuarum omnimodam curam ea, qua deceat fiducia, committere, 1702. pag. 763
MCIX. Literae *Guilielmi* III. Magnae Britanniae regis, ad *Circuli Sƀeƀici Conſiliarios & Legatos*, Ulmae congregatos, quibus eos, expoſito ipſis imminente ab immoderato Gallorum faſtu ſubjugationis periculo, ſedulo hortatur, ut Principes & committentes illorum fœderi Sac. Caeſaream Majeſtatem, Se & Generales fœderati Belgii Ordines inter ſancito volentes lubentesque ſubſcribant, 1702. pag. 765
MCX. Literae recredentiales, Domino de Ricourt Ablegato Gallico extraordinario, a *Circuli Franconici Conſiliariis & Legatis*, ad *Ludoƀicum* XIV. Galliae regem traditae, 1702. pag. 768
MCXI. Literae *Annæ*, Magnae Britanniae reginae, ad *Leopoldum*, rom. Imperatorem, cui *Guilielmum* III. Magnae

guae Britanniae nuper Regem ſupremam obiiſſe diem nuntiat, inconcuſſamque in fœderibus & amicitia conſervandis conſtantiam ſincere pollicetur, 1702. pag 770
MCXII. Literæ *Annæ*, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad *Pagos Helvetiorum Evangelicos*, quibus ipſis Guilielmum III. magnæ nuper Britanniæ Regem Naturæ debitum ſolviſſe, ſeque in locum ejus ſucceſſiſſe, exponit, 1702. pag. 772
MCXIII. Reſponſoriæ *Cantonum Helvetiæ Evangelicorum*, ad praeinſertas *Annæ*, Magnæ Britanniae Reginae, literas, 1702. pag. 773
MCXIV. Literæ *Annæ*, Magnæ Britanniæ Reginae, ad *Georgium VVilhelmum*, Ducem Brunſvico-Luneburgengenſem, quibus ipſi Guilielmum III. Magnæ Britanniae nuper Regem fato functum, ſeque in orbatum ipſo ſolium evectam eſſe refert, 1702. p. 776
MCXV. Reſponſoriæ *Georgii VVilhelmi*, Ducis Brunſvico-Luneburgenſis, ad præinſertas *Annæ*, Magnae Britanniæ Reginae Literas, 1702. pag. 777
MCXVI. Literæ *Georgii Ludovici* Electoris Hannoverani, ad *Annam*, Magnae Britanniae Reginam, quibus gravem animi ſui dolorem ex præmaturi *Guilielmi* III. glorioſiſſimæ memoriæ, obitus nuntio conceptum teſtatur, eique habenas rerum Britannicarum animitus gratulatur, 1702. pag. 779
MCXVII. Literæ credentiales, quas *Georgius Ludovicus*, Elector Brunſvico-Luneburgenſis, lib. Bar. a Schutz Internuntio ſuo Extraordinario *Annæ*, Magnae Britanniae Reginae, exhibendas transmiſit, 1702. p. 782
MCXVIII. Literæ *Georgii Ludovici*, Electoris Brunſvico-Luneburgici, ad *Annam*, Magnæ Britanniæ Reginam, quibus ipſi ingentes gratias perſolvit, quod Jacobum de Creſet, virum ob ſummam probitatem & conſummatiſſimam prudentiam ſibi chariſſimum; Ablegati in Aula ſua extraordinarii munere ornare dignata ſit, 1702. pag. 783
MCXIX. Literæ recredentiales, quas *Anna*, Magnæ Britan. Regina, Georgio Stepney, Ablegato ſuo, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem dedit, 1702. pag. 784

MCXX. Literæ *Conſiliariorum & Legatorum Circulorum Franconici & Suevici*, ad congreſſum Nordlingenſem Deputatorum, ad *Ludovicum* XIV. Galliae Regem, quibus Principibus & Dominis ſuis conſtans quidem hærere propoſitum, pacem Ryſwicenſem ſtrenue conſervandi, ſed nec minimum etiam in præjudicium libertatis Germanicæ admittendi, 1702. p 786
MCXXI. Literæ *Joſephi Clementis*, Electoris Colonienſis, ad *Carolum* XII. Svecorum Regem, quibus ab ipſo obnixe contendit, velit ſupremus Pacis Ryſvicenſis vindex & aſſertor, ea, qua valeret autoritate, quosdam ejusdem ſtudioſiſſimos turbatores eo adigere, ut pacatiora bellicis præferant conſiliis, 1702. pag. 789
MCXXII. Literæ *Annæ*, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad *S. R. Imperii Proceres*, per delegatos in Comitiis Ratisbonenſibus congregatos, quibus eos obnixe rogat, ut in fœderis inter Sac. Cæſ. Majeſtatem, ſe & fœderati Belgii Ordines initi ſocietatem accedere eidemque ſua acceſſione robur addere velint, 1702. pag. 791
MCXXIII. Literæ credentiales, quas *Anna*, Magnæ Britanniæ Regina, Carolo Whitworth, Ablegato ſuo extraordinario, ad *Proceres S. R. Imper.* per Delegatos in Comitiis Ratisbonenſibus congregatos, dedit, 1702. pag. 795
MCXXIV. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Ludovicum* XIV. Galliæ Regem, quem paterne & graviter hortatur, ut Eccleſiæ ſine mora priſtinas libertates & læſa jura in integrum reſtituat, 1702. pag. 797
MCXXV. Literæ *Caroli* XII. Sveciae Regis, ad *Annam*, Magnae Britanniae Reginam, quibus ſe præmaturam Sereniſſimi Anteceſſoris ejus mortem animo mœrore ferme confecto accepiſſe nuntiat, animitusque precatur, ut ipſi rerum Britannicarum moderamen e voto & cum gloria ſemper ſuccedat, 1702. pag. 800
MCXXVI. Literæ *Pauli Eſterhaſii*, Palatini Hungariæ, ad *Vice-Comitem Comitatus Veſprimienſis* datæ, quibus vetat, ſublato ex urbe Papa præſidio, Exercitium Reformatæ Religionis, aut aliquem verbi divini Miniſtrum ibidem amplius tolerari, 1702. pag. 802
MCXXVII. Literæ *Auguſti* II. Poloniæ Regis, ad *Mich. Radziejo-*

ziejoſium, Regni Poloniæ Primatem, cui potiores cladis exercitui ſuo a Suecis ad Pinſzovam illatæ circumſtantias exponit, eumque blande compellat, ut convocata totius Regni nobilitate Poloniam ab excidio vindicet, 1702. p. 804

MCXXIIX. Literae *Procerum S. R. Imp. Catholicorum* per Plenipotentiarios in diæta Ratisbonenſi congregatorum, ad *Clementem Papam* XI. quem ſubmiſſe precantur, ne Lib. Baronem a Neſſelrode ſpeciali Apoſtolicæ ſedis gratia ſub- & obreptitie emendicata proviſum, Lib. Bar. a Plettenberg, communi capituli conſenſu in Præpoſitum Eccleſiæ Monaſterienſis canonice electo præferendo, concordata Nationis Germanicæ, ſummo cum omnium Eccleſiarum detrimento & præjudicio, patiatur convelli, 1702. p. 805

MCXXIX. Literæ *Procerum S. R. Imp. Catholicorum* per Plenipotentiarios in Comitiis Ratisbonenſibus congregatorum, ad *Fabritium Paoluzzi*, S. R. E. Cardinalem, quibus ipſi, ut præinſertis literis, ſua commendatione & rei geſtæ diſtincta enarratione pondus apud ſummum Pontificem addere dignetur, amanter injungunt, 1702. p. 820

MCXXX. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Archiepiſcopos & Epiſcopos* Regni Poloniæ, quibus eos ſerio hortatur, ut infucata in Deum pietate & inconcuſſa in Regem ſuum fide animabus conſcientiis ſuis concreditis in laudabile exemplum praeeant, 1702. p. 823

MCXXXI. Literae *Procerum S. R. Imp. Auguſtanæ Confeſſioni addictorum*, per Ablegatos in Comitiis Ratisbonenſibus præſentium, ad *Annam*, Magnae Britanniae Reginam, cui, quo in arcto res Evangelicorum per Germaniam & imprimis in ditionibus Palatinis ſint ſtatu, diligenter referunt, eorumque ſublevationem ſollicite commendant, 1702. p. 826

MCXXXII. Literæ *Legatorum Regum & Reipublicæ Evangelicam Religionem Profitentium* in Aula Caeſarea commorantium, ad *Leopoldum*, Rom. Imperatorem, a quo ſupplices contendunt, velit pro commiſſo ſibi a Deo ſupremi honoris munere in id ſedulo eniti, ut Incolis per S. R. Imperium, Sileſiam & Hungariam Aug.

 Con-

Confeſſioni addictis, Religionis ſuae ſacra, juxta genuinum Pacis Weſtphalicae ſenſum, tuto & libere exercere liceat, 1702. p. 831

MCXXXIII. Literæ *Auguſti* II. Poloniæ Regis, ad *Hieronymum Lubomirium*, ſupremum Exercituum Regni Poloniae Ducem, quem ſerio & amanter monet, ne ſe a partibus ſuis & fide ſibi data ullis unquam artibus patiatur avelli, 1702. p. 853

ANNUS MDCCIII.

MCXXXIV. Literae *Franciſci Honorii, Comitis de Trautmansdorf*, Legati in Helvetiam Caeſarei, ad *Nuntium Apoſtolicum* ibidem commorantem, quibus ipſi vanum eſſe rumorem, quod Sac. Cæſ. Majeſtas conſilia arcana de Succeſſione Neocomenſi cum Bernatibus agitaverit, explicat, idemque juſtitiae fervor, ut circa ſucceſsionis Hiſpanicæ cauſam in Urbe adhibeatur, optat & ſuaſor eſt, 1703. p. 856

MCXXXV. Literae *Petri*, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad *Auguſtum* II. Poloniae Regem, quibus firmam fixamque ſibi ſtare ſententiam, pacem perpetuam eocum & Republica Polonica initam ſancte ſervandi, ſeque ſuae ditionis Coſacis ſevere interdixiſſe aſſerit, ne ſe rebellibus in Polonia Coſacis adjungant, 1703. p. 858

MCXXXVI. Breve *Clementis Papa* XI. ad *Andream Chryſoſtomum Zaluskium*, Principem & Epiſcopum Varmienſem, ſupremumque Regni Poloniae Cancellarium, quo ipſi de ſupremi Cancellariatus dignitate nuper obtenta gratulatur, 1703. p. 861

MCXXXVII. Literae *Auguſti* II. Regis Poloniae, ad *Fridericum* IV. Daniæ Regem, a quo amanter efflagitat, velit ea ſecum & Republica Polona amplecti conſilia, quibus Rex Sueciae ad ſanciendum æquae & honeſtæ Pacis leges quam primum obligari poſſit, 1703. p. 862

MCXXXVIII. Reſponſoriae *Friderici* IV. Daniae Regis, ad praeinſertas *Auguſti* II. Poloniae Regis literas, 1703. p. 865

MCXXXIX. Literae *Legat. a Procer. Europa Evangelicis ad Aulam Caſaream miſſorum*, ad *Leopoldum*, Rom. Imperato-

peratorem, quibus iteratis precibus, pro Incolis Auguſtanæ Confeſſioni per Provincias ipſius hæreditarias addictis ſollicite intercedunt, 1703. p. 867

MCXL. Literae *Auguſti* II. Poloniae Regis, ad *Michaelem Radziejoſkium*, Regni Poloniae Primatem, quibus cum ad generale Conſilium Mariaeburgi habendum invitat, 1703. p. 871

MCXLI. Reſponſoriae *Michaelis Radziejoſkii*, Regni Poloniae Primatis, ad praeinſertas *Auguſti* II. Poloniae Regis literas, 1703. p. 872

MCXLII. Literae *Petri* Czaari & Magni Ducis Moſcoviae, ad *Rempublicam Poloniae*, quibus eam ſerio hortatur, ut Regem ſuum legitimum, contra nefanda quorundam publicae quietis turbatorum molimina defendere, refractariosque & errantes ad ſaniora perducere conſilia contendat, 1703. p. 875

MCXLIII. Literae *Auguſti* II. Regis Poloniae, ad *Michaelem Radziejoſkium*, Regni Poloniae Primatem, cui amanter injungit, ut exoptatiſſimum, cui manus admoviſſet, pacis opus, ad finem perducere ſedulo conetur, 1703. p. 884

MCXLIV. Literae *Annæ* Magnae Britanniae Reginae, ad *Proceres S. R. Imperii* per Delegatos in Comitiis Ratisbonenſibus ſubſiſtentes, quibus ipſis valde exprobrat, a Statibus S. R. Imperii praeſtanda hactenus non fuiſſe praeſtita, eosque ad majorem impoſterum rerum ſuarum curam amice hortatur, 1703. p. 885

MCXLV. Literae *Domini Spanhemii*, Legati generalium fœderati Belgii Ordinum, ad *Procerum Sac. Rom. Imperii Legatos*, in Diæta Ratisbonenſi ſubſiſtentes, quos ſerio hortatur, ut Hannibale h. e. Gallis jam intra portas exiſtentibus eas ſedulo rationes ineant, quibus S. R. Imperium ab imminente Gallicae ſervitutis jugo vindicari poſſit, 1703. p. 888

MCXLVI. Literae *Commiſſariorum Reipublicæ Polonæ*, ad *Carolum* XII. Sueciae Regem, quibus ſe ad pacem ipſocum in honeſtas & juſtas leges ineundam Regis & Reipublicae nomine deputatos eſſe nuntiant, 1703. p. 891

MCXLVII. Literae ejusdem cum praeinſertis argumenti a *Commiſſa-*

Commiſſarii Reipublicæ Poloniæ, ad *Carolum Comitem a Piper*, ſupremum Regis Sueciae Cancellarium exaratae, 1703. p. 892

MCXLIIX. Literae *Haſzan Baſſæ*, ſupremi Turcarum Imperatoris Vicarii, ad *Auguſtum* II. Poloniae Regem, quibus ipſi, mortuo Muſtaphae Imperatori Achmedem III. in ſolium Turcicum ſucceſſiſſe, paciſque, quam cum anteceſſore ipſius fecerat, confirmandae cupidiſſimum eſſe nuntiat, 1703. p. 893

MCXLIX. Literae *Achmedis* III. Turcarum Imperatoris, ad *Auguſtum* II. Poloniae regem, cui ſe nuper in avitum ſolium evectum eſſe refert, ſuumque legatum pacis confirmandae bonaeque vicinitatis ſtabiliendae ergo ad eum miſſum impenſe commendat, 1703. pag. 895

MCL. Literae credentiales, quas *Auguſtus* II. Poloniae Rex, Stanislao Antonio a Scucka, Legato ſuo, ad *Fridericum* I. Borusſiae regem, tradidit, 1703. p. 898

MCLI. Literae *Auguſti* II. Poloniae regis, ad *Petrum* Czarum & Magnum Ducem Moſcoviæ, a quo enixe contendit, velit Oratori ſuo in Polonia degenti plenam impertiri poteſtatem, quo cujuscunque generis tractatus tute cum ipſo concludi posſint, ſibique contra ſeditioſos Coſacos auxilio adeſſe, 1703. p. 899

ANNUS MDCCIV.

MCLII. Literae *Annæ*, Magnae Britanniae reginae, ad *Georgium VVilhelmum*, Ducem Brunſvico-Luneburgenſem, cui ſedulo injungit, ut quosdam Sac. Rom. Imperii Principes calamitatis Patriae nimis incurios graviter hortetur, quo majori impoſterum ſollicitudine communis cauſae utilitati proſpiciant, 1704. p. 900

MCLIII. Literae *Michaelis Radziejoſkii*, regni Poloniae Primatis, ad *Senatum Civitatis Gedanenſis*, quibus eum ad Confœderationem Varſavienſem invitat, 1704. p. 903

MCLIV. Literæ *Petri* Portugalliæ Regis, ad *Fridericum* I. Borusſiæ Regem, cui de Regio, quo ante triennium ornatus erat, gratulatur honore, 1704. p. 904

MCLV. Literæ *Leopoldi* Rom. Imperatoris, ad *Joh. Marlboroughium*, ſupremum Copiarum Anglicarum Ducem, quibus

Digitized by Google

quibus mirum ipſius ardorem & conſtantiam in conflictu cum Gallis ad Donawerdam habito oſtenſum præcellenti mactat elogio, eumque ut victoriam ſtrenue fortiterque obtentam, pari alacritate proſequatur, amanter hortatur, 1704. p. 905

MCLVI. Literæ *Caroli* XII. Suecorum Regis, quibus *Stanislao Leſczinio*, a malevolis quibusdam Senatoribus & ſeditioſa Nobilitatis fæce in Regem Poloniæ illegitime electo, regios gratulatur honores, 1704. pag. 907

MCLVII. Literæ *Statuum Regni Poloniæ*, arctisſimo confœderationis Sandomirienſis nexu conjunctisſimorum, ad *Leopoldum* Rom. Imperatorem, quibus eum ſubmiſſe rogant, velit illegitimam Stanislai Leſczinii in Regem Poloniae electionem improbare, eamque velut fœdisſimum venerandae Majeſtatis proſtibulum in integrum rejicere, 1704. p. 909

MCLIIX. Literæ *Annæ*, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad *Fridericum* I. Borusſiæ Regem, & *Georgium VVilhelmum*, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem, tanquam Circuli Saxonici inferioris Directores, quibus eos blande compellat, ut quamprimum in dicto Circulo conventum indicere, & in eo demittendis confeſtim ad exercitum Imperii contingenti militum parte numisque eis alendis ſufficientibus deliberare ſatagant, 1704. p. 911

ANNUS MDCCV.

MCLIX. Literæ *Annæ*, Magnae Britanniæ Reginae, ad *Cantones Helvetiæ Evangelicos*, quibus ipſis legatum ſuum apud ipſos commorantem proxime avocatum, alium vero in locum ejus ſubſtitutum iri ſignificat, 1705. p. 915

MCLX. Literæ *Auguſti* II. Poloniae Regis, ad *Clementem Papam* XI. quibus reverenter ab eo efflagitat, dignetur in Epiſcopum Poſnanienſem ſibi rationibusque ſuis infenſisſimum ſevere animadvertere, 1705. pag. 915

MCLXI. Literæ *Auguſti* II. Regis Poloniæ, ad *Clementem Papam* XI. quibus ipſi gratias ingentes perſolvit, quod

ſuâ

ſui rerumque ſuarum gnavam adeo curam habeat, 1705. p. 917
MCLXII. Literæ *Leopoldi*, *Cardinalis a Kolonitſh*, Regni Hungariæ Primatis, ad *Ordinum Sacrorum per Hungariam Generalem Provincialem*, quibus ipſi ſerio injungit, ut per totum Hungariae Regnum pro anima pie defuncti Imperatoris Leopoldi miſſas haberi, omnesque ſubditos pro ſalute Sereniſſimi Succeſſoris ipſius ardenter orare jubeat, 1705. p. 919
MCLXIII. Literae *Caroli* XII. Suecorum Regis, ad *Joſephum*, Rom. Imperatorem, quibus ipſi, ſe graviter moleſteque tuliſſe acerbum de morte glorioſiſſimi Parentis ejus nuntium refert, & exoptatiſſima Regiminis auſpicia, felicesque ſucceſſus amanter gratulatur, 1705. p. 922
MCLXIV. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Epiſcopos & Proceres Regni Poloniæ*, quo eos ſub pœna Banni hortatur, ut Sereniſſimo Auguſto II. legitimo Regi ſuo fideliter adhæreant, & novi Regis, perperam electi, partes plane deſerant, 1705. pag. 924
MCLXV. Literæ *Friderici* I. Boruſſiæ Regis, ad *Michalem Radziejovium*, Regni Poloniæ Primatem, quibus ipſi valde exprobrat, quod in univerſalibus ſuo nomine nuper publicatis adſeruerit, ſe Poſnanienſem Palatinum pro legitimo Poloniæ Rege agnoviſſe, eaque de cauſa cum Sveciæ Rege fœdus ſanxiſſe, 1705. p. 927
MCLXVI. Literæ *Auguſti* II. Poloniæ Regis, ad *Joſephum* Rom. Imperatorem, de liberatione Principis Jacobi, cuſtodiæ in Saxonia demandati agentes, 1705. p. 928
MCLXVII. Literæ *Friderici* I. Boruſſiæ Regis, ad *Auguſtum* II. Poloniæ Regem, quibus ipſum commenta illa eſſe, quæ in univerſalibus Primatis Regni contineantur, nimirum quod Palatinum Poſnanienſem pro legitimo Poloniæ Rege agnoverit, edocet, conſtantisque & inconcuſſæ amicitiæ ſuæ ſecurum eſſe jubet, 1705. pag. 930
MCLXIIX. Literæ *Joſephi*, Rom. Imperatoris, ad *Johannem Marlboroughium* S. R. Imperii Principem, & ſupremum exercitus Anglici Ducem, quibus ipſum amanter compellat, velis Viennam haud gravatim accedere,

cedere, ut ſecum de futuræ expeditionis bellicæ momentis mature deliberare poſſit, 1705. pag. 932

ANNUS MDCCVI.

MCLXIX. Literæ *Annæ*, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad *Fridericum* IV. Daniæ Regem, quibus maximam partem victoriae e Gallis ad Ramelin reportatæ miro copiarum Danicarum ardori & infractæ fortitudini deberi profitetur, easque ipſi impenſe commendat & gratulatur, 1706. pag. 934

MCLXX. Reſponſoriæ *Friderici* IV. Daniæ Regis, ad præinſertas *Annæ*, Magnæ Britanniæ Reginæ literas, 1706. pag. 935.

MCLXXI. Literæ *Generalium Fœderati Belgii Ordinum*, ad *Joſephum*, Rom. Imperatorem, quibus graviter conqueruntur Epiſcopo Paderbornenſi ab ipſo, quoad Electionem Monaſterienſem excluſivam datam eſſe, ejusque in Epiſcopum Monaſterienſem electionem ſibi ſuisque rationibus ſummopere proficuam fore exponunt, dictique Epiſcopi poſtulationem obnixe poſtulant, 1706. pag. 937

MCLXXII. Reſponſoriæ *Joſephi*, Rom. Imperatoris, ad præinſertas *Generalium fœderati Belgii Ordinum* literas, quibus ſibi nec conjectura unquam aſſequi licuiſſe conqueritur, quod amicitiam ſancte ſecum hactenus cultam & communis cauſæ emolumenta, privatis Epiſcopi Paderbornenſis rationibus ſint poſtpoſituri, 1706. pag. 943

MCLXXIII. Reſponſoriæ *Generalium fœderati Belgii Ordinum*, ad præimpreſſas *Joſephi*, Rom. Imperatoris, reſponſorias, iteratas preces & interceſſionem pro Epiſcopo Paderbornenſi continentes, 1706. pag. 946

MCLXXIV. Literæ *Gabrielis Philippucii*, ad *Clementem Papam* XI. quibus Cardinalitios, quibus ipſum ornare decreverat, ſubmiſſe recuſat honores, 1706. p. 951

MCLXXV. Literæ, quibus *Generales fœderati Belgii Ordines Carolo* XII. Svecorum Regi bellum, quod Saxoniæ inferre parabat, graviter disſvadent, 1706. pag. 953.

MCLXXVI. Literæ recredentiales, quas *Carolus* XII. Svecorum Rex, Johanni Wenceslao, Comiti a Wratislaw, Ablegato

Ablegato Cæſareo, ad *Joſephum*, ROM. Imperatorem tradidit, 1706. pag. 956

ANNUS MDCCVII.

MCLXXVII. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Joſephum* ROM. Imperatorem, quibus libere graviterque conqueritur, milites ejus in ditionibus patrimonio Petri ſubjectis hyberna occupatum veniſſe, eos vero, niſi confeſtim iisdem excedant, vi expulſum iri minitatur, 1707. pag. 957

MCLXXIIX. Literæ *Annæ*, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad *Lotharium Franciſcum*, Electorem Moguntinum, quem blande requirit, velit, ut ſupremus Circuli Electoralis Rhenani Director, dicti Circuli Conſtatus confeſtim convocare, ac de ea militum manu, quæ e lege Imperii expediri deberet, nummisque eidem alendæ neceſſariis mature deliberare, 1707. p. 961

MCLXXIX. Literæ *Caroli* XII. Svecorum Regis, ad *Senatum Civitatis Bernenſis*, quibus ab eo obnixe contendit, velit pro ea, qua apud Comitatus Neocomenſis Ordines valeret & autoritate & gratia, diligenter operam dare, ut juris, quod Rex Boruſſiæ in dictum habere Comitatum aſſereret, ſummam haberent rationem, 1707. pag. 963

MCLXXX. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Petrum*, Czarum & Magnum Ducem Moſcoviæ, quo ipſi pro factis ſibi per Ablegatum ſuum, virum præclara prudentia & morum integritate præcellentiſſimum, egregiis promiſſis, gratias refert maximas, 1707. pag. 964

MCLXXXI. Literæ *Caroli* XII. Svecorum Regis ad *Fridericum* I. Pruſſiæ Regem, quibus libero Religionis exercitio hominum per Sileſiam Reformatæ Religioni addictorum, Tractatu Altranſtadienſi, proſpectum fuiſſe, expreſſe aſſerit, 1707. pag. 966

MCLXXXII. Literæ *Joſephi*, ROM. Imperatoris, ad *Ordines Regni Hungariæ*, quibus eos ad Diætam generalem, proxime Poſonii habendam, clementiſſime invitat, 1707. pag. 967

ANNUS MDCCIIX.

MCLXXXIII. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Joſephum*, ROM. Imperatorem, quo graviter in eum invehitur ob loca quaedam

quædam ſub jurisdictione Eccleſiaſtica a militibus ejus occupata, 1708. pag. 970

MCLXXXIV. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Joſephum*, Rom. Imperatorem, quo ipſum graviter hortatur, velit omni violentia hoſtili abſtinere, & ad pacata conſilia mentem convertere, aut re ſecus eveniente vim vi oppoſitam durumque excommunicationis fulmen præſtolari, 1708. pag. 973

MCLXXXV. Literæ *Epiſcoporum Regni Poloniæ*, ad *Nuntium Apoſtolicum* in Polonia exiſtentem, quibus eum blande compellant, dignetur ſummo Pontifici, pro ea, qua polleret apud illum gratia, ſvadere, ut palantes Reipublicæ ſuæ filios confirmare, errantes vero in viam paterne reducere haud gravetur, 1708. pag. 976.

MCLXXXVI. Literæ *Collegii Cardinalium*, ad *Joſephum*, Rom. Imperatorem, quibus eum ſubmiſſe rogat, velit, remota procul omni vi & diffidentia, in id ſedulo incumbere, ut priſtinæ fiduciæ & mutuæ neceſſitudinis S. R. Imperium & Apoſtolicam Sedem inter vinculum ſolidius indies coarctetur, 1708. pag. 977

MCLXXXVII. Literae *Petri*, Czari & Magni Ducis Moſcoviae, ad *Annam*, Magnae Britanniae Reginam, quibus eam obnixe rogat, ut facinoris inauditi, Londini in perſona legati ſui perpetrati, Autores & Miniſtros duriſſimas gravesque pœnas dare jubeat, 1708. pag. 983.

MCLXXXIIX. Literae *Stanislai a Sczembeck*, Regni Poloniae Primatis, ad Clementem *Papam* XI. quibus ipſi indefatigatum Reipublicae Polonae, tot tantisque calamitatibus vix non conſumtae ſuaeque Archidiœceſeos imprimis curam ſedulo & reverenter commendat, 1708. pag. 986.

MCLXXXIX. Literae *Annæ*, Magnae Britanniae Reginae, ad *Joſephum*, Rom. Imperatorem, quibus ipſum amanter requirit, ut priſtinam Religionis libertatem, Lutheranis feliciter in Sileſia reſtitutam, Reformatis etiam praeſtitam ratamque faciat, 1708. pag. 991

MCXC. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Johannem Baptiſtam*, Archiepiſcopum Tarſenſem & Sedis Apoſtolicae ad

tractum Rheni Nuntium, cui ſevere injungit, ne quid in praejudicium Catholicae religionis Coloniae Agrippinae fieri patiatur, 1709. pag. 993

MCXCI. Literae *Generalium Fœderati Belgii Ordinum*, ad *Joſephum*, Rom. Imperatorem, quibus pro incolis per Sileſiam reformatae Religioni addictis, ut nimirum iisdem ſacris ſuis publice & ſine metu vacare liceat, ſedulo intercedunt, 1709. pag. 995

MCXCII. Literae *Annæ*, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad *Lotharium Franciſcum*, Electorem Moguntinum, quibus obnixe ab eo contendit, velit ſibi res Germaniæ ſedulo habere commendatas, cæterosque S. R. Imperii Principes exemplo, auctoritate & hortatu ſuo ad paria ſtudia excitare, 1709. p. 998

MCXCIII. Literæ *Procerum S. R. Imperii*, fœdere Nordlingenſi comprehenſorum, ad *Annam*, Magnæ Britanniæ Reginam, quibus ab ea amanter efflagitant, dignetur haud gravatim in inſtanti cum corona Galliæ Pacis negotio S. R. Imperii præ ceteris condignam habere rationem, 1709. p. 1001

MCXCIV. Literæ *Annæ*, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad *Procerum S. R. Imperii* Legatos in Comitiis Ratisbonenſibus exiſtentes, quibus ipſis, quam verſatilis Galliæ Rex circa ratificationem confectorum nuper pacis præliminarium ſit, cordate exponit, eosque ſerio hortatur, ut nervos omnes intendant, quo hoſtium obſtinata ferocia penitus frangi queat, 1709. p. 1006

MCXCV. Reſponſoriæ a *Legatis Procerum S. R. Imperii*, in Diæta Ratisbonenſi degentibus, ad præinſertas *Annæ*, Magnae Britanniæ Reginæ datæ, 1709. p. 1009

MCXCVI. Literæ *Auguſti* II. Poloniæ Regis, ad *Ludovicum* XIV. Galliarum Regem, quibus ipſum de reditu ſuo in Poloniam certiorem reddit, 1709. p. 1014

MCXCVII. Literæ *Andreæ de Matueoff*, Legati in Belgio Moſcovitici, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus ipſis nomine Principalis ſui, potiores vix ſub Arctoo auditæ unquam victoriæ ad Pultavam a Suecis reportatæ circumſtantias recenſet, 1709. p. 1016

MCXCIIX. Literae *Procerum Aug. Confeſſioni per S. R. Imperium addictorum* nomine, ad *Annam*, Magnæ Britanniæ

tanniæ

tanniæ Reginam, quibus ab ea ſolicite contendunt, dignetur in futuræ pacis tractatu omnes intendere nervos, ut infeſta rebus Evangelicis in Pacis Ryswicenſis Articulo IV. contenta clauſula radicitus aboleatur exſtirpeturque, 1709. pag. 1018

MCXCIX. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Ordines Regni Poloniæ*, quo eos paterne hortatur, ut fracto tandem per Dei gratiam infauſto obice & Rege Legitimo denuo ad clavum Reipublicæ ſedente, omnes diſcordiarum & diffidentiæ fontes obſtruant, & concordi animorum nexu exhauſtam atque vix non oppreſſam Patriam ſublevent, 1709. p. 1021

MCC. Literæ *Auguſti* II. Regis Poloniae, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, a quibus amanter efflagitat, velint Regem Sueciæ eo diligenter inducere, ut neminem e ſummis in Arctoo confœderatis impoſterum e Provinciis ſuis Germanicis bello laceſſitum iri ſancte promittat, vel ſi id recuſet, irruptionem in eas merito vereatur, 1709. p. 1024

MCCI. Literae *Auguſti* II. Poloniæ Regis, ad *Stanislaum a Sczembeck*, Regni Poloniæ Primatem, cui habenas Reipublicæ, ſe abſente, prudenter regendas amanter committit, 1709. p. 1027

MCCII. Literæ *Auguſti* II. Poloniæ Regis, ad *Achmedem* III. Turcarum Imperatorem, quibus ipſi, ſe communi gentis Sarmaticæ plauſu in Poloniam rediiſſe nuntiat, ac Legationis proxime ad aulam ejus mittendæ præcurſorem impenſe commendat, 1709. p. 1029

MCCIII. Literæ ejusdem cum praeinſertis argumenti, ab *Auguſto* II. Poloniarum Rege, ad *Supremum Turcarum Imperatoris Vicarium*, exaratæ, 1709. p. 1032

MCCIV. Literæ *Aſſeſſorum quorundam Judicii Leodienſis*, ad *Procerum S. R. Imperii Legatos*, Ratisbonæ congregatos, quibus ſubmiſſe ab eis efflagitant, velint ſedulo in id incumbere, ut judicium Cameræ Imperialis quamprimum integre reſtituatur, 1709. p. 1033

ANNUS MDCCX.

MCCV. Literæ *Caroli* XII. Suecorum Regis, ad *Joſephum*, Rom. Imperatorem, quibus ipſi gratias perſolvit maximas, quod Altranſtadenæ conventionis capita non

 modo

modo omnimoda executione adimpleri curaverit, ſed etiam generoſo prorſus animo ſex nova templa in ſolatium Aug. Confeſſioni addictorum ædificare permiſerit, 1710. p. 1037

MCCVI. Literae *Turcarum Imperatoris*, ad *Petrum*, Czarum & Magnum Ducem Moſcoviae, quibus pacem ſe & ipſum inter renovatam per 30. annorum ſpatium, ſancte obſervandam, protractam eſſe nuntiat, 1710. p. 1038

MCCVII. Literæ *Achmedis* III. Turcarum Imperatoris, quibus pacem cum *Petro*, Czaro & Magno Duce Moſcoviæ, denuo initam & per 30. annorum ſpatium ſancte impoſterum ſervandam confirmat, 1710. p. 1041

MCCIIX. Literæ *Regiminis Suecici*, Sueciæ res abſente Rege moderantis, ad *Joſephum*, Rom. Imperatorem, victoriam apud Helſingoburgum a Danis reportatam recenſentes, 1710. p. 1045

MCCIX. Literæ *Petri*, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad *Achmedem* III. Turcarum Imperatorem, quibus facta verbis ipſius minime convenire, eumque Suecorum infeſtis machinationibus plus juſto indulgere graviter conqueritur, 1710. p. 1047

MCCX. Literæ recredentiales, quas *Joſephus*, Rom. Imperator, Henningio, lib. Baroni de Stralenheim, ad *Carolum* XII. Suecorum Regem, tradidir, 1710. p. 1052

MCCXI. Literæ *Petri*, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad *Achmedem* III. Turcarum Imperatorem, quibus ipſum inſtanter requirit, velit ſibi cathegorice reſpondere, num pacem nuper renovatam ſancte ſervare, & vigore ejuſdem Sueciæ Regem e ditionibus ſuis dimittere, aut incertam belli aleam ſubire malit, 1710. p. 1054

MCCXII. Literæ, quibus *Leopoldus Matthias*, Landgravius Leuchtenbergicus, S. R. Imp. Princeps de Lamberg, Conjugis ſuæ obitum exteris Principibus notum facit, 1710. p. 1057

ANNUS MDCCXI.

MCCXIII. Literae *Petri*, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad *Achmedem* III. Turcarum Imperatorem, quibus vehementer conqueritur, ſibi ad binas nuper

trans-

transmiſſas non eſſe reſponſum, ſin autem vim ſibi inferre, prout ex apparatu conſtaret, meditaretur, vi iſtam repulſum iri nuntiat, 1711. p. 1057
MCCXIV. Reſponſoriæ *Eugenii Franciſci*, Ducis Sabaudiæ, ad Literas *Mechmed Paſchæ*, ſupremi Turcarum Imperatoris Vicarii, quibus ipſi Sereniſſimo Rom. Imperatori intemerata pacis Carolovicenſis obſervatione nihil unquam ſanctius nihilque antiquius fore declarat, 1711. p. 1061
MCCXV. Literæ *Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ* Rom. Imperatoris, invictisſimi Leopoldi, glorioſisſimæ memoriæ, viduæ, ad *Carolum* XII. Suecorum Regem, quibus ipſi, Joſephum Rom. Imperatorem, præmatura morte extinctum eſſe, nuntiat, 1711. p. 1064
MCCXVI. Reſponſoriæ *Caroli* XII. Suecorum Regis, ad præinſertas *Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ*, Rom. Imperatricis literas, 1711. p. 1066
MCCXVII. Literæ *Annæ*, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad *Johannem VVilhelmum*, Electorem Palatinum, quibus ipſi Carolum III. Regem Catholicum, ut in Imperatorem eligatur, ſedulo commendat, 1711. p. 1068
MCCXIIX. Literæ *VVilhelminæ Amaliæ*, Imperatricis, viduæ Joſephi nuper defuncti, florentiſſimæ memoriæ, ad *Carolum* XII. Suecorum Regem, quibus ipſi præfatum Imperatorem, maritum ſuum præchariſſimum, ſibi præmatura morte ereptum eſſe, triſti ac perturbato animo refert, 1711. p. 1070
MCCXIX. Breve *Clementis Papæ* XI. ad *Eleonoram Magdalenam Thereſiam*, Rom. Imperatricem, quo cordi ſuo cruentum vulnus inopino de morte Joſephi, Rom. Imperatoris nuntio incuſſum eſſe teſtatur, eamque amantiſſime ſolatur, 1711. p. 1071
MCCXX. Literæ *Petri*, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad *Eleonoram Magdalenam Thereſiam*, Rom. Imperatricem, quibus animum ipſius, ob præmaturam Joſephi, Rom. Imperatoris filii ſui deſideratisſimi mortem doloris imitamentis demulcet, 1711. p. 1074
MCCXXI. Literæ *Georgii Ludovici*, Electoris Brunſuico-Luneburgenſis, ad *Carolum* III. Hiſpaniarum Regem, quibus ſibi cauſam communem curæ ſemper

Digitized by Google

cordique fore declarat, 1711. p. 1077
MCCXXII. Literae *Annae*, Magnæ Brittanniæ, ad Proceres Sac. Rom. Imperii per Delegatos in Comitiis Ratisbonenſibus congregatos, quibus ipſis Ultrajectum ad Rhenum congreſſui de pace habendo dicatum eſſe ſignificat, ac ut plenipotentiarios, deſignata die eo mittere haud cunctentur, amanter ſuadet, 1711. p. 1079
MCCXXIII. Reſponſoriæ a *Circuli Franconici Directoribus*, ad præinſertas *Annae*, Magnæ Britanniae Reginæ literas datæ, 1711. p. 1081
ANNUS MDCCXII.
MCCXXIV. Reſponſoriae *Antonii Ulrici*, Ducis Brunſuico-Luneburgenſis, ad præimpreſſas *Annae*, Magnæ Britanniæ Reginæ literas, 1712. p. 1082
APPENDIX.
I. Literæ *Eliſabethæ*, Reginæ Angliæ, ad *Johannem Fridericum* II. Ducem Saxoniæ, quibus Religionis curam a ſe ſemper habitum iri ſpondet, minime autem, a quo conſtanter aliena fuiſſet, matrimonii, 1559 pag. 1084
II. Literae *Erici* XIV. Sueciae Regis, ad *Eliſabetham*, Angliae Reginam, quibus ſe valde conturbatam fuiſſe, quod matrimonium a ſe oblatum repudiaſſet, neque tamen omni ſpe plane excidiſſe teſtatur, 1563. pag. 1086
III. Literæ *Eliſabethæ*, Angliæ Regnæ, ad *Rudolphum* II. Rom. Imperatorem, quibus a ſe Hanſianis Civitatibus omnes immunitates ac Privilegia reſtitutum iri promittit, modo ipſi Commiſſarios ad ſe ablegare, & forum, ad quod cauſa iſta pertineret, non pertinaciter detrectent, 1583. p. 1089
IV. Reſponſoriae *Rudolphi* II. Rom. Imperatoris, ad praeinſertas *Eliſabethæ*, Angliæ Reginæ literas, 1583. pag. 1091
V. Literae *Rudolphi* II. Rom. Imperatoris, ad *Sigismundum* III. Poloniae Regem, quibus ipſi Joannem Gentilottum, virum rei militaris experientia clarum, manuque fortiſſimum, ſedulo commendat, 1592. p. 1092
VI. Literae *Philippi* III. Hiſpaniarum Regis, ad *Marcum Sitticum*, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ſe
deceſſum

deceſſum Imperatoris Matthiæ valde affeciſſe teſtatur, ac ut Religionis & futurae Imperatoris electionis gnavam curam habeat, amanter rogat, 1619. pag. 1094
VII. Literae *Philippi* III. Hiſpaniarum Regis, ad *Paridem*, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ſe patri ejus deſideratum ab ipſo ſtipendium libenter contuliſſe aſſerit, 1620. p. 1095
VIII. Literae *Philippi* IV. Hiſpaniarum Regis, ad *Paridem*, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ſibi gratam deditisſimi ipſius animi promptitudinem eſſe declarat, 1622. p. 1096
IX. Literae *Philippi* IV. Hiſpaniarum Regis, ad *Paridem*, Archiepiſcopum Salisburgenſem, qvibus ſe Præfecturam Tribunatus ſui Germanici ad commendationem ipſius, Joanni Baptiſtæ Lodronio, conſanguineo ejus contuliſſe refert, 1622. p. 1097
X. Literae credentiales, quas *Philippus* IV. Hiſpaniarum Rex Oſſonae Comitii ad *Paridem*, Archiepiſcopum Salisburgenſem dedit, 1623. p. 1098
XI. Literae *Guſtavi Adolphi*, Suecorum Regis, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, pro Wilhelmo Wſſelinx commendatitiae, 1629. p. 1099
XII. Literae *Philippi* IV. Hiſpaniarum Regis, ad *Guidobaldum*, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus peculiarem ipſius erga ſe Domumque Auſtriacam affectum multis exornat laudibus, 1656. p. 1100
XIII. Literae *Philippi* IV. Hiſpaniarum Regis, ad *Guidobaldum*, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ſe Marchioni de Mancera, ſuo ad Aulam Cæſaream Inter-Nuntio in mandatis dediſſe refert, ut rerum ipſius ſingularem plane habeat curam, 1661. p. 1101
XIV. Breve *Alexandri Papæ* VII. ad *Antonium Barberinum*, S. R. Eccleſiae Cardinalem, quo ipſum hortatur, ut Chriſtianum, Ducem Megapolitanum, ejuratis prius Lutheranae Religionis dogmatibus, more & ritibus conſuetis, in Eccleſiae Rom. gremium recipiat, 1663. p. 1102
XV. Breve *Alexandri Papæ* VII. ad *Antonium Barberinum*, S. R. Eccleſiae Cardinalem, quo ei iniungit, ut Chriſtianum, Ducem Megapolitanum a matrimonii, quod
cum

Digitized by Google

cum Principiſſa, Reformatorum ſacris addicta iniiſſet, abſolvat ipſique aliam, eamque Catholicam ducendi libertatem, Eccleſiae Rom. nomine impertiatur, 1663. p. 1104

XVI. Literae credentiales a *Carolo Emanuele* II. Sabaudiae Duce, Dn Maletto Internuncio ſuo, ad *Guidobaldum*, Archipraeſulem Salisburgenſem traditae, 1664. p. 1107

XVII. Literae *Legatorum Principum Circuli Saxonici ſuperioris*, ad *Ludovicum* XIV. Galliae Regem, de Erfurto vi occupato, & pangendis inde in certas conditiones pacis & mutuæ amicitiae interElectorem Moguntinum & Sereniſsimos Duces Saxoniae reſtituendae legibus agentes, 1665. p. 1108

XIIX. Literae *Mariae Annae*, Reginae & Gubernatricis Hiſpaniae, ad *Guidobaldum*, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ipſi ſe, mortuo Sereniſsimo conjuge ſuo, in Caroli II. Regis adhuc minorennis, filii ſui chariſsimi, Tutricem & Regnorum ipſius Gubernatricem conſtitutam eſſe ſignificat, 1665. p. 1111

XIX. Literae credentiales, quas *Maria Anna*, Hiſpaniarum Regina & Gubernatrix, *Domino Paulo Spinolæ Doriæ*, ſuo ad Aulam Caeſaream Oratori, ad *Maximilianum Gandolphum*, Archiepiſcopum Salisburgenſem dedit, 1670. p. 1112

XX. Literæ *Caroli* II. Hiſpaniarum Regis, ad *Maximilianum Gandolphum*, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ipſi refert, ſe, expleto decimo quarto ætatis ſuæ anno, clavum Regiminis propria manu regendum ſuſcepiſſe, 1676. p. 1114

XXI. Literæ *Caroli* II. Hiſpaniarum Regis, ad *Maximilianum Gandolphum*, Archiepiſcopnm Salisburgenſem, quibus ſibi commoda ipſius curæ ſemper cordique fore ſpondet, 1676. p. 1115

XXII. Literæ *Caroli* II. Hiſpaniarum Regis, ad *Maximilianum Gandolphum*, Archipræſulem Salisburgenſem, quibus ipſi, ſe in throni torique ſui ſociam, Mariam Antoniam, Auſtriæ Archiduciſſam elegiſſe nuntiat, 1676. p. 1115

XXIII. Literæ *Caroli* II. Hiſpaniarum Regis, ad *Maximilianum Gandolphum*, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ipſi fauſtos Chriſti Domini naſcentis gratulatur dies, 1677. p. 1116

XXIV. Literæ ejusdem cum præinſertis argumenti, a *Carolo* II. Hiſpaniarum Rege, ad *Maximilianum Gandolphum*, Archiepiſcopum Salisburgenſem ſcriptæ, 1678. p. 1117

XXV. Literæ *Caroli* II. Hiſpaniarum Regis, ad *Erneſtum*, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ipſi de adepta Archipræſulari dignitate animitus gratulatur, 1688. p. 1118.

LITERÆ

LITERÆ PROCERUM EUROPÆ.

DCXC.

Breve INNOCENTII PAPÆ XI. *ad* LUDOVICUM XIV. *Galliæ & Navarræ Regem, quo eum paterne hortatur, ut armis ſuis toto terrarum orbe celebratis Chriſtianam Rempublicam ab imminenti Turcarum jugo vindicare, aut, ſi id propriis haud conſultum eſſe putaret rationibus, Germaniam ſaltem ab armorum ſuorum metu liberam præſtare velit, 1683.*

Innocentius Papa XI.

CHariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem! Quantus & quam formidabilis Turcarum adverſus Hungariæ Regnum paratus exercitus, quæque eidem regno univerſæque Chriſtianæ Reipublicæ ab immaniſſimo hoſte tempeſtas impendeat, ſatis ſuperque notum atque exploratum eſt Majeſtati Tuæ. Etſi autem de excelſi invictique animi Tui magnitudine adeo præ-

clare ſentimus, ut perſuaſum facile habeamus, Te in tanto rei diſcrimine digna Chriſtianiſſimo Rege ſuſcepturum, eidemque graviſſime periclitanti fortiſſimis exercitibus tuis, quorum virtus & robur atque gloria toto terrarum orbe celebratur, nullo modo defuturum, ea tamen eſt cauſæ conditio, illud Paſtoralis officii noſtri debitum, ut prætermittere non poſſimus, quin Majeſtatem Tuam vehementiſſimo cordis affectu, rogemus, hortemur atque per viſcera Domini noſtri Jeſu Chriſti obteſtemur, ut oblatam eximiam occaſionem Chriſtiani nominis adverſus Barbarorum impetus tuendi, eorumque ferociam ac inexplebilem dominandi libidinem retundendi elabi non ſinas, ſed eo zelo ab inclytis Majoribus tuis hæreditario quaſi jure in te transfuſo, quo hæreſin tam feliciter hactenus expugnaſti, & porro expugnare non ceſſas, victricia arma tua in eosdem Barbaros PopuloDei vivi temere inſultantes moveas,& immanitatem, qua perfidiæ ſuæ abominationem in Chriſtianas ditiones proferre moliuntur, Regiæ Virtutis brachio compeſcas. Quod ſi forte Regni Tui rationes, quod non putamus, id non permiſerint, illud ſaltem præſtes, ut tam neceſſario tempore ab armorum tuorum metu Germania aliæque Chriſtianæ Provinciæ liberentur, quo Chriſtianiſſimus in Chriſto Filius noſter, Leopoldus Romanorum Imperator, cæterique Principes vires ſuas eo convertere valeant, uti in conſimilibus caſibus unanimiter ac certatim privatis ſepoſitis ac poſthabitis diſſidiis, ut publicis malis occurrerent, facere conſve-

conſveverunt. Non arbitramur, neceſſe eſſe pluribus apud Majeſtatem Tuam hac de re agere, Te enim & tuopte ingenio ad magna & illuſtria quæque ac præſertim illa, a quibus Chriſtianæ Religionis ſecuritas pendet, amplectendum proclivem eſſe, perſpectum habemus. Et ea inſidet animo noſtro de tua pietate ac ſapientia opinio, ut ab iis tibi ſatis incitamenti futurum non dubitemus. Reliquum itaque eſt, ut ubi noſtris totiusque Reipublicæ Chriſtianæ votis, quæ per nos te alloquitur, annueris, a divina bonitate liberali egregiorum operum remuneratione conſtantem rerum ſecundarum fauſtitatem Tibi Regiæque Domui pollicearis, dum nos enixis ab eadem precibus id flagitantes, uberioremque ſenſuum noſtrorum perſecutionem dilecto Filio Nobili Viro Duci D'Eſtrée, cui eos diligenter aperuimus, ut ad te referat, relinquentes; Majeſtati Tuæ Apoſtolicam benedictionem amantiſſime impertimur. Dat. Romæ ap. S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 20. Januar. 1683.

DCXCI.

Breve INNOCENTII PAPÆ XI. ad ANSELMUM FRANCISCUM, Electorem Moguntinum, quem ſedulo monet, ut Rom. Imperatori adverſus Turcas caſtra metanti valida, pro virili ſuo, auxilia ſuppeditare, ceteroſque S. R. Imp. Principes pro loci ac muneris ſui eminentia ad par officium verbis & exemplo incitare diligenter contendat, 1683.

Innocentius Papa XI.

Venerabilis Frater ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

IMminentia Hungariæ Regno, ab immaniſſimo Chriſtiani nominis hoſte, pericula, ingentes in Nobis ſollicitudines excitant, atque ad propere undique cogenda ſubſidia nos vehementer impellunt. Etſi autem minime arbitramur, Fraternitatem Tuam, aliosque Germaniæ Principes, incitamento indigere, ad communem cum eodem Regno cauſam juvandam, propugnandamque. Ne ulla tamen unquam ætas exprobrare Nobis valeat, in tanto rei Chriſtianæ negotio, deſidiam, exaltamus quaſi tuba vocem noſtram, Teque inprimis, Venerabilis Frater, acriter hortamur, ut pro loci munerisque tui debito, chariſſimo in Chriſto filio Noſtro Leopoldo Imperatori Electo, omni qua poteris opera adeſſe velis, eique publicæ ſaluti militanti, valida præſentiaque auxilia pro tuo virili ſuppeditare. Sane eam de pietate, eam de zelo fraternitatis tuæ opinionem gerimus, ut ardentiſſimis votis Noſtris cumulate te ſatisfacturum plane ſperemus. Illud viciſſim perſuaſum habebis, quod cum nulla alia in re de Nobis, de Germania, de Chriſtiana Republica bene mereri magis poſſis, ita & Nos nullam, ubi id præſtes, occaſionem dimiſſuros, declarandi eximiis Pontificalis Benevolentiæ teſtimoniis, propenſam Noſtram, hoc præſertim nomine erga te voluntatem,

cujus

cujus interea pignus, Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati tuæ peramanter impertimur. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris 6. Martii 1683. Pontificatus vero Noſtri anno ſeptimo.

Marius Spinola.

Inſcriptio.

Venerabili Fratri, Anſelmo Franciſco, Archiepiſcopo Moguntino, Sac. Rom. Imperii Principi Electori.

DCXCII.

Reſponſoria ANSELMI FRANCISCI, Electoris Moguntini, ad præimpreſſum INNOCENTII PAPÆ XI. breve, 1683.

Beatiſſime &c.

SAnctitatis Veſtræ incitamentum, quo ob imminens bellum Turcicum, juvare monet cauſam cum Hungaris communem, tanto majori apud me eſt loco & veneratione, quo omnem hucusque ſollicitudinem eo impenſius habui, ut ad propulſandum tam potentis inimici impetum S. Rom. Imperii vires unirentur, atque eum in finem pro majori ejusdem ſecuritate cum Chriſtianiſſimo prius Rege quantocius Pax ſtabiliretur, ſimulac utraque potentia eo facilius coaleſceret. Quod ipſum & plures alii Electores & Principes, tanto magis neceſſarium eſſe arbitrantur, cum palam conſtet, Germaniæ Principes & Status jam tum vel maxime

& plus ſolito per partium & Religionis diverſa ſtudia, diviſos eſſe, adeoque ne quidem inter ſe ipſos, multo minus contra Turcarum inſultus convenire poſſe, priusquam cum præfato Rege Chriſtianiſſimo Pax ſtabilita fuerit. Id quod luculentius ex eo patet, quod Germaniæ Principes avertendo utrique periculo minime ſint pares; quin potius cum ſummo Imperii diſcrimine occidentalibus ſimul & orientalibus invaſionibus facile ſubverti poſſint: quod ipſum adeo confirmat experientia manifeſta, ut ego hactenus ſolo ſervandæ pacis publicæ zelo, ſpretis etiam omnibus ſiniſtris de me opinionibus, illam urgere non deſierim, id unice a ſupremo Numine efflagitans, ut Sanctitatis Veſtræ ſumma autoritas, Majeſtatem Cæſaream, una cum nonnullis aliis Germaniæ Principibus, in hanc ſententiam æque trahat minime dubitans, quin inde Reſpublica Chriſtiana ingens capeſſat incrementum, & una mecum (quod pro ditionum mearum viribus ingenue polliceor) reliqui Germaniæ Principes, Turcarum machinationibus, tanto efficacius occurrant. Interea Sanctitatis Veſtræ Benedictionem Apoſtolicam & clementiſſimam propenſionem humillime expecto, eidemque in ſolatium totius Chriſtianitatis, longævam vitam auguror. Moguntiæ 21. Martii 1683.

DCXCIII.

Literæ fiduciariæ a JOHANNE GEORGIO III. Saxoniæ Electore, Georgio Ludovico, Comiti a Zin-

Zinzendorf, Internuntio ſuo, ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem tradita, 1683.

Sereniſſime & potentiſſime Rex.

REgiæ Veſtræ Majeſtati ſalutem dicimus & operam Noſtram in omni officiorum genere paratiſſimam offerimus. Domine conſanguinee & affinis colendiſſime.

Antiquiſſimæ illius, quæ cum Regia Veſtra Majeſtate Sereniſſimæ Domui noſtræ Electorali, imprimis etiam Sereniſſimo Principi Domino Johanni Georgio II. Patri Noſtro dilectiſſimo pie defuncto, diu multumque interceſſit, neceſſitudinis in Nos derivatæ memoria ducti, ſtudioſæ Noſtræ Voluntatis Majeſtati Veſtræ porro quoque comprobandæ indies anſam merito quærimus, adeoque Noſtrarum partium eſſe cenſuimus, tam honorifica mutuæ conjunctionis amicitiæque monumenta, inter quæ non minimum illud Parenti Noſtro honoratisſimo collatum Periſcelidis Decus, & quem Regia Veſtra Majeſtas erga Noſtram Electoralem Domum teſtatum voluit ſingularem affectum grata mentis teſtificatione proſequi. Proinde Nobis viſum fuit ad Regiam Veſtram Majeſtatem Camerarium Noſtrum illuſtrem & generoſum, Dilectum Nobis ac fidelem, Dominum Georgium Ludovicum, Comitem a Zinzendorff & Pottendorff, tanquam Ablegatum Noſtrum Extraordinarium mittere, ut cultum, quo Regiam Veſtram Majeſtatem jure quaſi hæreditario & avito proſequimur ac ulterioris amicitiæ promeren-

dæ deſiderium devinctique animi promptitudinem pluribus declaret, ac quæ a Nobis præterea in mandatis habet expediat. Huic itaque, ut Regia Veſtra Majeſtas ad ſe faciles aditus præbeat, eaque omnia quæ Noſtro Eidem exponet nomine, perinde atque ſi ex Nobis coram audiret, interpretetur, habeat & accipiat, majorem in modum amanter rogamus. Cui ab omnipotenti Deo proſperam valetudinem & rerum omnium incolumitatem ſerio precamur. Dabantur in Electorali Noſtra Dreſda die 10. Martii 1683.

DCXCIV.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. *Saxoniæ Electoris, ad* OTTONEM HENRICUM MARCHIONEM *de* SAVONNA, *Hiſpaniarum Regis per Belgium Gubernatorem, quibus pro Delphino Nobili Domino de Plotho, ne ipſi iter, quod ſub præſentis belli tempeſtate in Galliam meditaretur, vitio, aut ejus ditionibus in Belgio Hiſpanico ſitis in præjudicium verteretur, intercedit, 1683.*

Excellentiſſimo ſingulariter Nobis Dilecto, Domino Ottoni Henrico Marchioni de Savonna, Caretto & Grana, Comiti de Milleſimo, Sereniſſimi & Potentiſſimi Hiſpaniarum Regis per Belgium Gubernatori, & Capitaneo Generali, Aurei Velleris Equiti &c.

Dei gratia Johannes Georgius Tertius, Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium Dux, Sacri Romani

ni Imperii Archimareſchallus & Elector, ſalutem & benevolentiam Noſtram Excellentiæ Veſtræ adſcribimus.

Excellentiſſime Domine, ſingulariter Nobis dilecte.

MAgnopere ſibi metuit Vaſallus Noſter dilectus ac fidelis Dominus Delphinus, Nobilis Dominus de Plotho, Liber Baro in Engelmünſter, ne exorto inter Hiſpaniæ & Galliæ Reges, quod adhuc quaſi ſub cineribus latet, belli incendio, caſtris prædiisque ſuis (quorum ſub utriusque Regis dominio in Provinciis Belgicis nonnulla poſſidet) haud parum damni ruinæq; ſimul inferatur. Expoſuit ergo Nobis, decreviſſe ſe, ſi forſitan Hiſpanici territorii confinia Gallicus miles invaſerit, in illas tantiſper ditiones ſuas concedere, quas ſub dominio Regis Galliæ ſitas habet, donec belli tempeſtas paulo deſæviret. Ne autem iſte ſeceſſus ipſi ſuisque ſub potentia Hiſpanica ſitis caſtris prædiisque detrimento ſit, neque illa ob hanc cauſam confiſcationi forte obnoxia fiant, ea, qua par eſt, ſubmisſione a Nobis rogavit, ut apud Excellentiam Veſtram hac in parte pro ſe intercederemus. Quod quidem illi pro Noſtra in eum gratia denegare noluimus, ſummopere contendentes, ut prædicto fideli Noſtro Vaſallo haud tantum in locis illis, quæ ſub tutela Regis Galliæ poſſidet, liberam ſine periculo confiſcationis commorandi licentiam faciat, verum etiam Hiſpanicæ ſuperioritati ſubjecta illius caſtra, prædia, villas, pagos,

eorundemque ſubditos & incolas, ab omnibus exactionibus, rapinis, devaſtationibus, injuriis, cæterisque belli malis adverſus arma hoſtilia ſecuros præſtet, quo hanc Noſtram interceſſionem ad protectionis Regiæ Veſtrique favoris effectum haut parum ſibi profuiſſe intelligat. Hoc egregiæ Excellentiæ Veſtræ erga ſe ſuosque voluntatis argumentum ad grata viciſſim officia exhibenda arctius obſtringet nominatum Nobilem Dominum de Plotho: Nos vero id ipſum magni æſtimaturos, paremque vicem data occaſione reddituros, ſerio ſpondemus. Dabantur in Electorali Noſtra Dreſda Menſe Martii 1683.

DCXCV.

Litera JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad LUDOVICUM XIV. Galliarum Regem, quibus Marchionem de Vitry, ejus in Polonia Internuntium, concitandis turbis, imo criminandæ Majeſtati ſceleribusque ſuo charactert minime convenientibus diligenter operam dare graviter conqueritur, eumque congrue puniri & ab aula ſua confeſtim avocari cupit. 1683.

AB ipſis ſtatim primordiis Regni noſtri ivimus ſemper in eas partes & ſtudia, quibus Majeſtati veſtræ animum deditum, amicitiam & mutuam benevolentiam teſtatam exhiberemus, quin & recentiſſime amore augendi affectus, ſuſcipiendas inter Cæſaream & Regiam Veſtram Majeſtatem Mediatoris partes, a memorata Cæſarea

Maje-

Majeſtate nobis ultro oblatas, non prius acceptavimus, donec Majeſtatis veſtræ mentem in eo exploratam haberemus, & acceptationem hanc ore illuſtris Marchionis de Vitry, Legati ejusdem Majeſtatis Veſtræ, laudatam probatamve eſſe videremus. Interea non ſine gravi animi noſtri ſenſu comperimus, quod idem Legatus (neſcitur quo ſpiritu ſtimulove agitatus) non modo Perſonam & Majeſtatem Noſtram Regiam, acriori calamo, literisque perquam injurioſis ad quasvis perſonas exaratis, iniquisſime contra Jus aggredi & laceſſere præſumpſit, verum etiam comitiis præſentibus, eorumque piis & ſaluberrimis conſiliis ac conatibus, contra omne fas & æquum rupturam intentare, contra Nos, Domumque Noſtram Regiam, non ſolum ſemina diffidentiarum inter Status & Ordines excitare, ſed etiam pollicitatione Coronæ noſtræ animos civium ſollicitare, in ſpes novas erigere, auſu plane inaudito non dubitavit, atque ſic contravenire omnibus noſtris intentionibus pro hocce Regno imo Chriſtianitate, non alio fine ſuſceptis, niſi, ut liberos populos, quorum ſuffragiis Regium accepimus diadema, ab imminenti eximeremus discrimine, Orbis Chriſtiani conceptæ de nobis reſponderemus æſtimationi, jamque non ſegni conatu ſuſcepta exequi propoſita cœpiſſet, niſi non ſine providentiæ Divinæ ope, ea Nos poſtea & eos, quos ad hoc opus delegavimus, videre, legere & attrectare contigiſſet documenta, quæ ſole meridiano clariora eſſe cenſuimus. Hos itaque pro-

profundiſſimos doloris noſtri ſenſus in amicum Majeſtatis Veſtræ offerimus ſinum, minime ambigentes, ut ſuperis ſalutem, ita Regibus communis dignitatis ſecuritatem, præſertim vero Majeſtati Veſtræ ejus eſſe & fore curam, ut non patiatur illum, qui Regio Majeſtatis Veſtræ inſignitus charactere cum omni fraterni candoris conteſtatione ad nos miſſus eſt, in tam atroci contra Majeſtatem Noſtram deprehenſum machinatione, ſine exemplari relinquere punitione, neque permiſſuram, ut diutius in Aula & Regno noſtro moretur; qui utramque graviſſimo læſerat auſu; Et hoc eſt, quod per mutuæ benevolentiæ Jura & Sacro-Sanctæ a tot ſeculis cultæ Galliam inter & Poloniam amicitiæ fœdera a Majeſt. Veſtra fraterne contendimus, maxime vero cum præſentibus in Comitiis inter alia hæc quoque reſolvatur ſanctio, ut omnes exterorum Principum Legati inter præfixum tempus, ſuis defuncti Commiſſis, ad propria ſe recipiant. Quod dum a Majeſtate Veſtra, impulſu innatæ ejus bonitatis & juſtitiæ, certo certius factum iri confidimus, Eidem optimam valetudinem cum proſpero rerum ſucceſſu apprecamur. Dat. Menſ. Martii 1683.

DCXCVI.

Litera COSMI III. Magni Etruriæ Ducis, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, quibus Literas ipſius a Melanio allatas ſibi fuiſſe gratiſſimas, Melanium vero & quod deberet Sereniſſimæ Familiæ Saxonicæ ſtudium, perpetuo fore commendatiſſimum, teſtatur, 1683.

P. P.

P. P.

ADventus Dominici de Melani Nobis pergratus accidit, eoque etiam gratior, quod is Dilectionis Veſtræ officioſiſſimas literas Nobis attuliſſet, ex quibus Noſtri memoriam non exiguam apud Dilectionem Veſtram reſidere liquido conſtabat, quæ quidem res Nobis fuit optatiſſima. Summa inſuper voluptate affecit Nos præclarum judicium ac teſtimonium, quod de latore ſuarum literarum tam honorifice expreſſerat Dilectio Veſtra, ut non potuerit Nobis non eſſe acceptiſſimus. Quare præfatum Dominicum de Melani, cujus Nos velut ditionis Noſtræ ſubditi meritiſſimi dignitate & honoris prædicatione ſummopere lætamur, ſingulari humanitate & officio proſequendum duximus, unde manifeſtum ſit, quo apud Nos loco eſſe debeat Dilectionis Veſtræ commendatio. Idem porro ſtudium, eandemque erga omnes ſuos voluntatem, pro eximio Noſtro in Dilectionem Veſtram Ejusque Sereniſſimam Electoralem Domum cultu & amore perpetuam ſumus conſervaturi. Extremum eſt, ut omnia Dilectioni Veſtræ, prout ipſi cupimus, bene feliciterque eveniant. Datæ Florentiæ die 8. Aprilis 1683.

DCXCVII.

Reſponſoria JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad præinſertas COSMI III. Magni Etruriæ Ducis literas, quibus ipſi ſimul pro transmiſſo munere rariſſimo gratias agit maximas, 1683.

P. P.

by Google

P. P.

Quam propenſo erga Nos Dilectio Veſtra affectu perſeveret, haut obſcure declarat eximium illud rariſſimumq; munus, quod Nobis Dilectionis Veſtræ nomine nuper ex Italia rediens dilectus Nobis ac fidelis dilectiſſimæ Matris Noſtræ Electoriſſæ Viduæ Ædium ſupremus Præfectus Domenicus de Melani, non ſine prolixa deprædicatione acceptorum in aula Dilectionis Veſtræ beneficiorum, haut ita pridem una cum ejusdem Literis in manus Noſtras tradidit. Quemadmodum igitur illuſtre illud amoris in Nos monumentum, merito obligationum Noſtrarum numero apponimus; ita haut parum gratæ nobis erunt, quas frequentiores deſideramus occaſiones, unde animum Noſtrum officii haud immemorem, tam in ſimili, quam in omnibus aliis, quæ ad ornamenta Dilectionis Veſtræ pertinere videbuntur, re ipſa viciſſim declarare poſſimus. Deum interim precati, ut Dilectionem Veſtram quam diutiſſime ſalvam ac incolumem ſervet. Dabantur in Electorali Noſtra Dreſda, die 12. Junii 1683.

DCXCIIX.

Reſponſoriæ COSMI III. Magni Etruriæ Ducis ad præimpreſſas JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris reſponſorias, quibus omne muneris ipſi transmiſſi pretium ex ejus comprobatione ortum traxiſſe aſſerit, 1683.

P. P.

P. P.

Literas Dilectionis Veſtræ amoris & humanitatis plenas accepimus, in quibus quod Dilectio Veſtra gratum ſibi accidiſſe commemoret officium illud, quo Nos uti nuper minime ſumus veriti, occaſionem ad id Nobis ſuggerente Dominico de Melani hinc deceſſo; facit id quidem Dilectio Veſtra pro ſua innata bonitate, agnoſcimusque in eo eximium Dilectionis Veſtræ ſtudium, ſed nos in ea ſumus opinione, tam exigui momenti rem nullam prorſus æſtimationem mereri apud Dilectionem Veſtram, niſi ut certe arbitramur, ab hac Dilectionis Veſtræ comprobatione omne pretium dicatur accipere. Atque utinam qua in Dilectionem Veſtram voluntate ſimus, tantum Nobis præberet fortuna opportunitatis, ut magna aliqua in re Noſtrum animum Dilectio Veſtra melius perſpicere poſſet. Hoc ſaltem in præſentia Dilectioni Veſtræ poſſumus affirmare, Nos & permagni facere ſpectatam Dilectionis Veſtræ erga Domum hanc propenſionem a Sereniſſimis Progenitoribus animo Dilectionis Veſtræ procul dubio ingenitam, & in omnibus rebus, quæ ex votis optatisque Dilectionis Veſtræ fuerint, ea ſemper facturos eſſe, ex quibus Noſter viciſſim amor in Dilectionem Veſtram ac Sereniſſimam Domum Ejus Electoralem ſummus, & ſingularis obſervantia appareat. Dominus Deus omnia ſemper proſpera ac felicia Dilectioni Veſtræ largiatur. Dabantur Florentiæ pridie Kalendarum Auguſti 1683.

DCXCIX.

DCXCIX.

Literæ, quibus JOHANNES GEORGIUS III. Saxonum Elector, Gubernatori Provinciarum Belgicarum, OTTONI HENRICO, MARCHIONI DE CARETTO fortunata thalami cum Arembergia Principiſſa gratulatur auſpicia, 1683.

Johannes Georgius Tertius Elector, Salutem & benevolentiam Noſtram Excellentiæ Veſtræ adſcribimus.

Excellentiſſime Domine, ſingulariter Nobis dilecte.

DIvina Numinis Providentia Excellentiam Veſtram ad celebranda propediem conſummandi cum Principiſſa Arembergiæ connubii ſolennia feliciter accingi, libenter cognovimus, illoque nomine Eidem animitus gratulamur, nulli dubitantes, exoptatiſſimis hiſce Thalami auſpiciis fauſta omnia fortunataque eventura: quippe quæ pro ſincero Noſtro affectu cœlitus apprecamur. Quamque de cætero habitis pro tam gratæ rei nuntio gratiis proſpere ubique agere, diuque valere ſerio cupimus. Dabantur in Electorali Noſtra Dreſda die 15. Junii Anno 1683.

DCC.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad SRACH SOLIMAN, Perſarum Regem, quibus ipſum in belli contra Turcas ſuſcepti ſocietatem trahere maximopere conatur, 1683.

Joan-

Joannes Tertius Dei gratia Rex.

SErenisſimo Principi Domino Srachſolimam Perſarum ac Medorum Regi, amico noſtro Chariſſimo, ſalutem & amoris mutui, atque amicitiæ perpetuum incrementum! *Sereniſſime Princeps, Domine Amice Noſter Charisſime.* Opportunum ſane & bonæ amicitiæ congruum arbitramur, Noſtros & Regni noſtri ſucceſſus per commercium literale deferre Serenitati Veſtræ, quomodo admoniti vicinis periculis, quibus ab orientis porta amicum nobis regnum Hungariæ involvitur, ne ſimili tempeſtate & Regnum noſtrum immergatur, ineundum nobis eo ſtrictius fœdus cum Sereniſſimo Romanorum Imperatore intererat, ut communia pericula unitis viribus communique auxilio propulſentur; Siquidem læſa ex parte ejusdem Ottomanicæ Portæ non ita pridem Nobiſcum & Regno Noſtro inita pacta, avulſæque contra expreſſum tenorem eorundem pactorum Dominii noſtri ditiones, cæteræque conditiones Pacis convulſæ, quæ ex mutuo vinculo teneri debebantur. Cauſa itaque melior ſuperos jubet ſperare ſecundos, & hanc dubiam ſuſpectamque pacem, bello ipſo ſæviorem, jure meritoque negligimus. Quæ omnia ea potiſſimum ratione cognita eſſe volumus Serenitati Veſtræ, ut & Noſtram erga Suam Serenitatem intelligat propenſionem, & perpenſa rerum noſtrarum validitate atque firmiſſima mutui vinculi colligatione, afflictas non ita pridem Regni Babyloniæ ſortes ab iniquo Domino vin-

dicare & rebus regni ſui non leve momentum addere velit. Sed quoniam bella momentis conſtare longa experientia edocti ſumus, intereſt, ut a Serenitate Veſtra eo celerius Nobis transmittatur reſponſum. Veniet tandem votiva dies & tempus acceptabile parandæ immortalis gloriæ nomini Serenitatis Veſtræ, cujus tantam de Regno ſuo vere Regiam ſollicitudinem ſera rependet Poſteritas. Hanc magnam gloriam ſequentur & Magni Moſchorum Duces Fratres noſtri & cæteri Principes ad hocce fœdus ſine dubio accedent, ſociatisque animis & viribus communem hoſtem volente Deo aggredientur; Virtute hujus tam ſtrictæ colligationis & nomine Sereniſſimi Imperatoris Fratris & fœderati Noſtri Serenitatem Veſtram certam eſſe volumus, pericula Serenitatis Veſtræ jam exinde nobiſcum fore mutua, & ſi contigerit civilioribus remediis & conditionibus Pacis hocce bellum finiri, Serenitatem Veſtram Regnumque ejus certo certius eadem amplectetur adorea, & ſine conſenſu ſpeciali ejus nulla belli pacisque ſubſequetur concluſio, dum modo Serenitas Veſtra Noſtras vere amicas inſpirationes tempori præſenti opportunas judicare, & felix fauſtumque opus, felicibus utinam auſpiciis! aggredi quam citiſſime curet. Ad quod inchoandum primum hujus operis perquam neceſſarium momentum eſt, quam diligentiſſima Nobiſcum communicatio, quæ, ut eo facilius evenire poſſit, intereſt Serenitati Veſtræ ad fines Regni ſui quam numeroſisſimos Emiſ-

ſarios

ſarios habere & Magnos Moſchowiæ Duces omni meliori modo convenire, ut ipſorum opera eo celerius ad fines Regni noſtri omnis expeditio transmittatur. Accedit præterea, quod diligenter a Serenitate Veſtra expoſcimus, ut nobilem Bogdanbeck ad latus Veſtræ Serenitatis Reſidentem Noſtrum ejusque fratrem negotiorum ſuorum cauſa in Regnum Noſtrum tendentem cum bona gratia ſua dimittat, & quam ſufficientisſime inſtructum, quo præſentia literarum Noſtrarum contenta expedire posſit. Si vero ulterior ratio belli ſuadebit & Serenitas Veſtra a Nobis deſiderabit, Reſidentem noſtrum ad latus Serenitatis Veſtræ propter fideliorem rerum communicationem, expediemus: Quam bene valere cupimus. Dabantur Varſaviæ d. 17. Julii 1683. Regni noſtri 10. Anno.

DCCI.

Literæ CAROLI LEOPOLDI Lotharingiæ Ducis, ad JOHANNEM III. Poloniæ Regem, cui res a Polonis fortiter contra Rebelles geſtas laudando refert, ac ut copias ſuas properare gradum, liberandæ Viennæ cauſa, jubeat, amanter ſuadet, 1683.

SAtisfacturus deſideriis Majeſtatis Veſtræ, referre neceſſum credidi, quemadmodum heri caſtra metatus ſuper Marchiam circa Angerenium, ex flammis & fumo judicavi, adeſſe rebelles, incinerantes circumvicinos pagos. Quæ cum mihi confirmata fuiſſent ex relatione Præfectorum, Principis Hermanni a Lichtenſtein, eorumque numerum eſſe ad quadringentos circiter, dimiſi ſexcen-

tos Polonos, quatenus Rebelles ad terminum præfixum inſequerentur; duobus abhinc miliaribus non quadringentos ſed quatuor millia invenere. Quos, licet numero longe inferiores, aggreſſi ſunt fortiter atque fugaverunt, liberatis Auſtriacis captivis, præda a Rebellibus recuperata, eorum usq; ad 300. occiſis, aliquot centenis equorum Hungarorum cum decem vexillis ad caſtra hæc Cæſarea deductis. Informatus circa noctem de numero hoſtium accurreram cum catafracto Equite aſſiſtendi ergo Polonis, verum pugna jam finita ad caſtra revertentes inveni. Idque mirum fuit, quod licet a tergo & a fronte habuerint rebelles, indefeſſa eorum virtus talis fuit, ut numero nec ceſſerint nec 20. homines perdiderint, tam occiſos quam vulneratos, uti latius intelliget ex Duce Lubomirski. Mihi ſufficit Veſtræ Majeſtati laudare actionem, inclytæ Nationis ingenitum ardorem & in omni occaſione generoſitatem. Intelligo ex Præfecto Poſonienſis Præſidii, Tartaros, qui usque ad numerum 15000. in oppido Kitzenſi caſtra metabantur, poſt tentatum inutiliter ad has partes tranſitum per diverſos in Inſula Schuttenſi ramos, per Altenburgum ad pontem Strigonenſem deſcendiſſe. Ideoque non gravabitur Veſtra Majeſtas, uti ſpero, ſi heſternas renovem inſtantias, pro præmittendis copiis Magnifici Sieniawski & accelerando motu Regio pro liberanda Vienna, & ad incrementum gloriæ Majeſtatis Veſtræ. Cui omnia proſpera apprecor! Dabantur in Caſtris noſtris die 7. Auguſti Anno 1683.

DCCII.

DCCII.

Literæ EMERICI, COMITIS a TECKELI, ad KARAM MUSTAPHAM, ſupremum Turcarum Vicarium, quibus ipſi circumſtantias prælii ad Vagum commiſſi exponit 1683.

Celſiſſime Princeps, Clementiſſime Domine.

POſteaquam cum toto exercitu Hungarico & auxiliantibus Copiis Turcicis caſtra metatus fuiſſem, non intermiſi quidquam, quin vires hoſtium Germanorum per certos exploratores reſcirem: quas ubi numeroſiſſimas recenſeri intellexiſſem, & Ducibus Lotharingio Lubomirſchkioq; cum tribus millibus auxiliaribus Polonis ex Moravia adverſus Nos properare reſciviſſem, confeſtim communicatis conſiliis cum Domino Uſſani Baſſa, ſuaſor eram, ne impares viribus hoſti exiſtentes fortunam in loco valde anguſto periclitaremur, conſequentius fore judicans, ut præmiſſis tempeſtive curribus & munitione ad Vagum nos reciperemus, hoſtemque in late patentes campos hac ratione provocaremus. Verum prædictus Dominus Baſſa contraria ductus opinione, nec curatis præmonitionibus meis hoſti obviam profectus eſt cum ſuo equitatu, cui & ipſe majoris ſecuritatis ergo partem militiæ meæ equeſtris ordinis adjunxi. Hoſtis autem validus & commoditati loci fidens, eoſdem ſubito ſtrenueque aggreſſus eſt, damno tamen ex parte noſtra tolerabili.

Fateor equidem, quod iſte caſus me non modice conturbavit, cum ex eo, quod Dominus Baſſa opinioni & ſententiæ meæ ſubſcribere renuens fortunam tentare voluit, partim vero, quod ſperatæ Copiæ auxiliares non aderant, quæ ſi completo numero & in ſua perfectione præſentes adfuiſſent, ſperaſſem me omnino Victoriam de hoſtibus reportaturum, prout etiam Celſitudinem Veſtram iterato demiſſeque rogo, quatenus promiſſas easdem copias transmittere mihi dignetur, quibus præmiſſam actionem vindicare poſſim cum gloria Celſitudinis Veſtræ, quam occaſione omni pro parte mea ampliare conabor. Hæc eſt vera & ingenua rei geſtæ narratio, quam Celſitudini Veſtræ tempeſtive ad notitiam dare debui. Celſitudini Veſtræ de cætero longævam vitam, & rerum proſperrime gerendarum amplisſima incrementa precor

Celſitudinis Veſtræ

Datum ex Caſtris ad fluvium Vagum poſitis, die nona Auguſti Anno MDCLXXXIII.

Servus humillimus & obſequentiſſimus

Emericus Teckeli.

Inſcriptio.

Celſisſimo Principi ac Domino, ſupremo fulgidæ Ottomannicæ Portæ Viſirio.

DCCIII.

Literæ JOHANNIS III. Regis Poloniæ ad ANTHONIUM GUNTHERUM, Principem Anhaltinum, quibus animum ſuum ipſi addictiſſimum eſſe declarat, 1683.

Illuſtriſſime Princeps, Grate Nobis Dilecte.

NIhil nobis jucundius ac gratius fuiſſet, quam humaniſſima Illuſtritatis Veſtræ ſatiari converſatione, cujus amœnitatem vix delibari datum eſt. Cupiebamus equidem noſtrum hac in parte adimplere deſiderium, præſentemque ſarcire temporis jacturam: Cum tamen & ipſamet illuſtritatem Veſtram legalis negotiorum ratio diſtineat; & nobis poſt hoſtem ſit properandum, ſpem habemus fore, ut hoc facile nobis quandoque compenſari poſſit, ſtante præſertim moderna noſtra cum Sereniſſimo Electore Brandenburgico fiducia, quam ut Illuſtritas Veſtra foveat, cumuletque, amanter requirimus, quæſituri occaſiones, quibus Noſtram Illuſtritati Veſtræ addictam probare valeamus voluntatem, cui optimam vovemus valetudinem. Datum in Caſtris Noſtris duobus milliaribus a Vienna die 18. Menſis Septembris Anno Domini 1683. Regni vero noſtri Anno 10mo.

Illuſtritatis Veſtræ

Bonus Cognatus & Amicus

Joannes.

DCCIV.

Literæ CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis ad LEOPOLDUM, Rom. Imperatorem, cui pro candidis, quibus ipſum proſecutus erat, votis congratulatoriis gratias agit maximas, ac parem a præſentium calamitatum cumulo liberationem ſincere vovet, 1683.

Carolus &c. &c.

CÆſareæ Veſtræ Majeſtatis literas Paſſaviæ 23. die Menſis Jul. proxime elapſi datas, nobis tradidit Ablegatus in Aula noſtra Extraordinarius, Illuſtris & Magnificus Franciſcus Sigiſmundus Comes de Thaun, Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani Eques. Maximas quidem Cæſareæ Majeſtati Veſtræ gratias agimus, pro votis illis congratulatoriis, quibus nos Fratremque noſtrum Chariſſimum, & Amicum Sereniſſimum Eboracenſem Ducem a nuperrima conjuratione ereptos gaudet; His ſane artibus a malitioſa intentione promota fuit nefaria hæc conſpiratio, ut effectum omnino ſortita fuiſſet, niſi Deo Optimo Maximo ſummo rerum Arbitro placuiſſet, eandem pro ſua erga nos clementia avertere. Quod vero Cæſarea Veſtra Majeſtas tam intimo hujuſce caſus ſenſu ſeipſam affici demonſtrat, magno nobis ſemper argumento erit ſinceræ amicitiæ, qua perſonam noſtram amplectitur, & Cæſaream Majeſtatem Veſtram perſvaſam eſſe cupimus, omnes ejus res ſemper valde nobis cordi fore, nosque nihil magis in votis habere, quam ut ipſi ſincerioris noſtri

ſtri affectus bonæque correſpondentiæ, quam cum ea ſemper colere decrevimus, meliora quævis, prout occaſio tulerit, exhibeamus indicia. Quod autem ſpectat ad ea, quæ nobis idem Veſter Ablegatus de præſenti rerum in Imperio ſtatu expoſuit, Majeſtatem Veſtram non latet, quo ſtudio Chriſtiani orbis pacem & tranquillitatem proſecuti ſumus, & maximo nobis etiam eſt dolori, tot tantasque clades ſacro R. I. & præſertim hæreditariis Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ Provinciis a communi & immaniſſimo Chriſtiani Nominis hoſte illatas eſſe. Itaque prout operam noſtram libentiſſime conferemus, quo firma & diuturna Pax inter Principes Chriſtianos non ſolum coaleſcat, ſed & ſtabiliatur; Ita ſperamus omnino Cæſaream Veſtram Majeſtatem eo omnes rationes & conſilia inituram, ut optatum aſſequantur effectum & finem. De cætero Cæſaream Veſtram Majeſtatem Dei Opt. Max. tutamini ex animo commendamus. Dabantur in Palatio noſtro de Windſor 18. Aug. Anno 1683.

DCCV.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, quibus ipſi victoriam e Turcis apud Barchanum reportatam exponit, 1683.

Sereniſſime Princeps, Domine Frater & CognateNoſter Chariſſime.

DUm grata & dulci memoria recolimus fortitudinem Serenitatis Veſtræ, qua ad liberandam

randam Viennam, nec propriæ parcendo Perſonæ, univerſæ Chriſtianitati opitulari placuit, ita communicandum Serenitati Veſtræ remur, quomodo Eundem hoſtem recollectis & novis auctum viribus iterum ad Barchan ad ripam Danubii Strigonio oppoſitam invenerimus, & cum exercitu imperatorio adorti ſumus. Afflixerat Nos nonnihil dies Jovis proxime præteritus Stratagemate hoſtili infeſtus, ſolatium eſt Sabbathum Deiparæ Virgini immaculatæ Sacrum, quo & Aquilam ſupervolantem & in hoſtem intrepide ducentem & columbam albam exercitui prævolantem, ſicut ad Viennam obſervavimus. Tumebat hoſtis, quem ad Barchanum adorti ſumus, trium Baſſarum validis copiis, quos ad alios tres Baſſas Veſirius pridie ſubmiſerat, ut ſelectiſſimorum numerum fere ad viginti millia computarent. Sed dextera Domini, quæ manus armat, ad prælium fecit virtutem. Commiſſo enim prælio, non fugati tantum, ſed ad internecionem fere delcti, paucisſimis fuga elapſis. In Barchan ſe recipere conabantur vel ponte ad vicinum e regione Strigonium ſalvari, qui turbam fugientium ſuſtinere non potuit, itaque plurimos ruptus merſit. Reliqui ex octo tormentis grandine globorum disjecti vel necati. Qui ſe aut ſponte aut metu in Danubium præcipitaverant, eodem grandine tormentorum mactati ſunt, ut Danubius ad medium ſtadium in totum ſanguine fluxerit, nulla ſecula ita rubentem vidêre. Alii a circumfuſo per litora exercitu etiam in Danu-

bium

bium irruentes adjunctis vel ad littus retracti & cæſi vel in agris globis confixi, quive ſcaphis ſe evaſiſſe putaverant, rapiditate Danubii ad littora appulſi, vi fatorum ſub ictum veniebant, ſicque innumerabiles horrendum mortis ſpectaculum fuere. Vezirius Budenſis occiſus Siliſtricæ & Alepi Baſſæ in captivitatem ducti univerſique caſtris, equis & fortalitio exuti, victori exercitui præda ingenti relicta. Monſtrant aſtra viam, docentque venire tempus, quo heluo Regnorum Europæ exterminetur, modo Chriſtianitas expergiſcere velit, ſecus ſtrictam Deo elapſæ commoditatis redditura rationem. Gratum hoc Nuncium fore Serenitati Veſtræ haud dubitamus, imo affuturam Nobis primo vere & Chriſtiano Nomini opem laturam ſperamus; In qua pietate innata Serenitatis Veſtræ confirmamur, quam bene valere perpetuoque florere cupimus

Serenitatis Veſtræ

Dab. die 18. Sept.
Anno 1683.

bonus Frater & Cognatus

Johannes.

DCCVI.

Breve INNOCENTII PAPÆ XI. *ad* RUDIGERUM ERNESTUM, COMITEM A STAHRENBERG, *cui Viennam adverſus crebros & ferventes Turcarum inſultus maſcule glorioſeque defenſam gratulatur, 1683.*

Inno-

Innocentius Papa XI.

Dilecte fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Invicta animi magni conſtantia ac fortitudo, qua adverſus immanes potentisſimi hoſtis conatus Viennam Auſtriæ feliciter propugnavit Nobilitas Tua, adeo præclarum apud fideles omnes, de quorum ſalute in prædictæ Urbis obſesſione agebatur, tibi meritum comparavit, ut effuſas, qua Chriſtiana religio floret, inſigni nomini Tuo laudes publicorum beneficiorum remuneratrix fama rependat. Quia vero Nos imprimis afficiunt ingentia commoda, quæ in Chriſtianum orbem ab eximia virtute Tua derivata ſunt, muneris noſtri eſſe duximus, illuſtri hoc literarum noſtrarum teſtimonio partam Tibi gloriam decorare, nullam, quæ ſe offeret, occaſionem dimiſſuri, reipſa declarandi, quam gratam erga Te Chriſtianæ Reipublicæ cauſa geramus voluntatem. Fruere interim, ſtrenue Vir, gaudiis exultantium populorum, in iisque inæſtimabiles inclytorum laborum tuorum fructus agnoſce, dum nos Nobilitati Tuæ, benevolentiæ noſtræ teſtem, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam majorem ſub Annulo Piſcatoris, d. 25. Septembr. Anno 1683.

(L. S.)

Marius Spinola.

Inſcriptio.

Dilecto filio, Nobili Viro, Rudigero Erneſto, Comiti a Stahrenberg.

DCCVII.

DCCVII.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad JOHANNEM III. Poloniæ Regem, cui tropæa Turcis extorta gratulatus, tranquillitatem Regni Hungariæ & ſedandorum in eo motuum inteſtinorum curam impenſe commendat, 1683.

P. P.

AMiciſſimæ Regiæ Majeſtatis Veſtræ literæ die 16. Menſis Septembris ex Caſtris ad Nos exaratæ, redditæ Nobis propterea non niſi ante biduum fuere, quod Princeps cognatus & Generalis Vigiliarum Præfectus Noſter tutiorem perferendi viam haud prius eſt nactus; quapropter etiam Reſponſum paulo tardius Regia Veſtra Majeſtas pro innata bonitate animique ſui æquitate, boni conſulet. Cæterum quam maxime lætamur Eandem integra valetudine frui atque cum fortiſſimo ſuo exercitu incolumem perſiſtere, inſequendisque Chriſtiani nominis hoſtibus etiamnum eſſe occupatam. Certe explicare ſatis non poſſumus dolorem, quo afficimur, quod comitari Majeſtatem Veſtram in tam glorioſo conatu non liceat. Nam ſicut decori gloriæque duximus & in magnam reputavimus felicitatis, partem pro nomine Chriſtiano, pro ſacra Cæſarea Majeſtate ac pro patria denique Germania ſociare arma cum Rege non minus heroicis omnibus virtutibus, quam incomparabili militari experientia claro, ita partam ſemel divini Numinis auxilio communem victoriam proſequi commu-

communibus armis in votis utique, nec diſcedere de latere Ejusdem, niſi obtento feliciter contra communem hoſtem integro fine, conſtitutum Nobis fuiſſet. Sed cum impedimenta ſe varia Nobis objecerint, ac ſtatus rerum Germaniæ in vicinia aliisque locis retrahere exercitum in Noſtras Provincias omnino ſuaſerit, inviti ac reluctantes exoptatam alias occaſionem negligere coacti fuimus. Nulli tamen interea dubitamus, quin Regia Majeſtas Veſtra hanc quam in caſtris Nobiscum contraxit, quæque inter Reges Regnumque Poloniæ atque Domum Noſtram Electoralem ſancta ſemper habita fuit, neceſſitudinem perpetuo, quod de ſingulari ejus candore ſperamus, ſit conſervatura; nec de nobis ſibi aliter perſuaderi patietur, quam, quod omni, quo poterimus majori ſtudio ac honore Eandem perpetuo ſincere ſimus proſecuturi. Qua ſpe freti, non poſſumus non Regiæ Veſtræ Majeſtati mentem Noſtram de rebus Hungariæ eo confidentius exponere, quo per Ejusdem Regiæ plane ac ſinceræ amicitiæ factam oblationem integram Nobis fiduciam concipere licet. Regia Veſtra Majeſtas ad tantam, quam promeruit, gloriam, ſane, quotquot, partium ſtudiis procul habitis, communem Chriſtianitatis cauſam agunt, in laudes trahet, quas immortales etiam habebit, dum non ſolum toti orbi teſtatum facit, non extuliſſe arma cervicibus ferarum gentium deprimendis expedita, ut ſanguine Chriſtianorum tingerentur, ſed etiam quod pro componendis honeſte Hungariæ rebus ſeſemet paratam indicare non eſt gra-

vata.

vata. Acceſſimus in partes haſce & mutua officia omnino, ſi coram adeſſe potuiſſemus, conjunxiſſemus, neque nunc tamen negligendam cauſam exiſtimamus, quod Majoris partis Europæ ſine dubio intereſſe videatur, antemurale Chriſtianitatis ab hac parte, debita ſubmiſſione prævia, in eum reſtituere ſtatum, quo ultimis etiamnum temporibus contra Turcicam Tyrannidem corpora armaque fervide objecit, ac toti imprimis Romano Imperio Cæſareaniſque exercitibus egregio fuit præſidio, fidelemque navavit operam. In cauſas omnes inquirere ſeditionum non ex re nunc eſſe credimus. Eradicare ex animis inſitam Doctrinam vi, ſvetumque majoribus cultum abrogare, nunquam bene ceſſiſſe omnium temporum notant Hiſtoriæ. Religio ſuaderi, non cogi vult. Et cum hæc motuum Hungaricorum ſæpe extiterit cauſa, quibus pro ſuo commodo Ottomannica Porta uſa eſt, indeque florentiſſimæ Auſtriacæ Hereditariæ Provinciæ cum adjacentibus aliis Regionibus in partem periculi ſunt tractæ, facile conjicere licet, niſi ſcaturigine, unde mala ſolent pro-pullulare, probe obſtructa, fata vicinæ Germaniæ proſperiora haud futura; potius metus belli Turcici toti Germaniæ omni tempore hinc imminebit & quiete integra perfrui, niſi cum Hungariæ tranquillitate, non erit ſperandum. Magnum adferre pondus ad hanc conciliandam & ad tam ſalubre negotium perficiendum autoritas Majeſtatis Veſtræ poterit, quæ pro ſingulari ſua prudentia optime judicabit, clementia Auſtriacis Principibus ſemper propria ac tranquillo moderamine in

talibus

talibus opus eſſe, atque amneſtia, certiſſimum ſemper conciliandorum animorum fidumque retinendi obſequii remedium habitum, fortisſimaque ac ſubjectisſima ſimul futura Hungarorum pro Rege & Regno ſunt arma, ſi libera fide (non plane coacte, unde ſunt ſubiti ſæpe tranſitus rerum) nec Religionis ſuæ cultu extorres pareant. Eſt ſane cauſæ Chriſtianorum communis & in penetrandis futurorum eventibus tanta Regiæ Majeſtati Veſtræ perſpicacia, ut in re, quam in amicum ſuum ſinum effundere prolixius non dubitavimus, ad Regna Statusque Europæ vicinos præprimis pertinente, non posſit non nobiſcum conſentire. Quod ſicut omnino ſperamus, Eandemque pro gloria Chriſti ac ſecuritate Chriſtianorum majori obnixe rogamus, ut in ſupra expoſitum finem amica ſua officia apud Cæſaream Majeſtatem, cujus ſicut inclytæ Domus Auſtriacæ, maximo perpetuoque bono, dubio procul cedet, interponere non dedignetur; ita & Nos conjungemus operam ac ſtudia Noſtra atque optima ea intentione, qua Majorum Noſtrorum exemplo intercedere jam ſæpe apud Cæſaream Majeſtatem non intermiſimus, porro quoque in ſimili propoſito pergere non ceſſabimus. Aderit cœptis Deus & largietur, quod plane confidimus, Chriſtianis, potisſimum autem Regiæ Veſtræ Majeſtatis victricibus armis majora victoriarum incrementa, quæ Eidem ex animo omneſque proſperrimos alios ſucceſſus ac vitam longævam calidisſime apprecamur, promptaque Noſtra atque parata ubi-

que

que officia Eidem prolixe deferimus. Dabantur in Electorali Noſtra Dreſda die 28. Septembris 1683.

DCCIIX.

Literæ JOHANNIS III. Regis Poloniæ, ad JOH. GEORGIUM II. Principem Anhaltinum, quibus, quo in eum ſtudio ac propenſi animi affectu feratur, exponit, 1683.

Illuſtrisſime Princeps, Grate Nobis dilecte.

INter luculenta propenſi in nos animi Illuſtritatis Veſtræ indicia, non obſcurum vel in eo accepimus argumentum, quod exilem noſtræ erga ſe voluntatis teſſeram grata exceperit mente, quæ utique tunc demum rectam ſui ſortietur æſtimationem, ſi in ea ſola propenſionis Noſtræ in Illuſtritatem Veſtram perpendatur ſignificatio. De cætero quo proni animi affectu in Illuſtritatem Veſtram ferimur; quo ſtudio id ipſum Illuſtritati Veſtræ teſtatum eſſe volumus, nihil ambigimus, quin tractus temporis luculentioribus Illuſtritati Veſtræ demonſtraturus ſit documentis. Quod vero ſupereſt, votivos rerum ſucceſſus, unaque bonam valetudinem Illuſtritati Veſtræ ex animo apprecamur. Datum ex Caſtris Noſtris ad Strygonium die 2. Menſis Octobris Anno Domini 1683. Regni vero noſtri anno decimo.

Illuſtritatis Veſtræ

Bonus Amicus & Affinis
Johannes.

DCCIX.

Litera JOANNIS III. Poloniæ Regis, ad GEORGIUM WILHELMUM, Ducem Brunſvico-Luneburgenſem, quibus ipſi Viennæ obſidione liberatæ & commiſſi ad Barchanum prælii victoriæque ibi obtentæ circumſtantias recenſet, 1683.

Joannes III. Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Volhyniæ, Kyoviæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviæque. Serenisſimo Principi Dno. Georgio Brunſvicenſi, Cellenſi & Luneburgenſi Duci, Cognato & Amico noſtro Charisſimo, Salutem & omnis felicitatis continuum incrementum.

Sereniſſime Princeps, Domine Cognate & Amice Noſter Chariſſime.

FAcit arctorum Serenisſimæ domus Serenitatis Veſtræ cum Polonia vinculorum dulcis memoria, quod liberatam obſidione Viennam, fugatum Supremum Veſirium, ejusque exercitum innumerum cæſum, & capta ingentia caſtra, jubilum in animo Serenitatis Veſtræ excitaſſe ſperemus, quam rei Chriſtianæ ſtudioſam, Regno noſtro amicam, gloriam Imperii ſingulariter amantem novimus; credimus & inde ſecundæ victoriæ nuncium eidem Serenitati Veſtræ gratam fore. Indeque communicandum duximus, quo magis accendendam credimus ad communem rei Chriſtianæ opem fortunamque

namque promovendam. Poſt Victoriam Viennenſem expeditiori greſſu præire Cæſareanos placuerat, quo majore fuga hoſtis præcipitaretur, ſequente nihilominus Sereniſſimo Principe Lotharingiæ cum iisdem validisſimis copiis Cæſareanis. Ad Barchanum itaque in ripa Danubii e regione Strigonii jacentem hoſtem adorti ſumus, atque ſeptem Basſis & octavo Veſirio Budenſi exercituque, cujus ſupra viginti millia numerum, ſelectisſimarum Europæarum virium computarunt, validum, & quodam Stratagemate primis vigiliis pridie noſtris infeſto tumidum, die Sabbathi, Beatisſimæ Virgini ſacro, quam ob ſingulare ſemper Patrocinium, ut cœli & terræ, ſic in particulari Polonia Reginam ſuam nuncupat, ad internecionem delevimus. Inſilire primo in Noſtros Huſari auſi, ſed eodem momento rejecti fractique, tumultuarie ad oppidum, mox pontem fugere coacti, plurimis per paludes fluvii Gran palantibus, qvi per duos fere dies ex paludibus tracti necabantur. Illi vero, qui fortalii vim impleverant, clementiam precati, qui ſe ponti crediderant, grandine globorum ex octo tormentis disjecti, reliqvi rupto ponte merſi, qui vero ſe in Danubium nudi præcipitaverant, eodem grandine globorum mactati vel ab exercitu per littora effuſo, & in Danubium irruente aduncis ad littora tracti & occiſi, vel natantes transfixi, ita ut Danubius nullo ſeculorum exemplo ad medium ſtadium longe lateqve ſangvine fluxerit coloremque mutaverit. Inſuper qui ſe ſcaphis ex rupto ponte ſalvos pu-

tabant, rapiditate Danubii ad littus delati ſub manum exercitus venere, horrendum fatorum fuit ſpectaculum, nullis Hiſtoriis imitatum etiam contemplationi difficile ac amarum. Binorum Baſſarum inventa poſt cadavera. Siliſtriæ & Aleppii Baſſæ capti, primarius Aga, id eſt locum tenens Veſirii, pluresque Beji & Agæ. Ipſe Veſirius Budenſis, bino vulnere ſaucius, per cadavera rupti pontis, quæ a fundo Danubium ſtagnabant, Strigonium delatus, utrum vitam ſuſtineat, ignotum. Monſtrant aſtra viam docentque adeſſe tempus, quo heluo Regnorum Europæ exterminetur, modo Chriſtianitas ſincere velit concurrere. Quod ab autoritate Serenitatis Veſtræ futurum perſuaſumque iri, imo eandem Nobis primo vere affuturam & opem laturam ſperamus ac vovemus. Quæ Illuſtriſſimus Joannes Gninsky, Palatinus Czerniechovienſis, Ablegatus noſter extraordinarius, cui in ejusdem Serenitatis Aulam eo nomine deflectendi mandatum dedimus, fuſius exponet. Interim Serenitatem Veſtram bene valere cupimus, & Deo ter optimo Maximo commendamus. Dabantur in Caſtris ad Danubium Barchanio Strigonioque oppoſitis, die X. Menſis Octobris Anno Domini MDCLXXXIII.

P. S. Præterire non poſſumus particulare Noſtrum illudque maximum ſolatium, quod ad Viennam Sereniſſimos Principes de Hannover, Serenitatis Veſtræ nepotes, vivamque fortitudinis ejus imaginem & magnæ ſpei indolem repræ-

repræſentantes, comites laborum habuerimus. Unde Serenitati Veſtræ tantos ſurculos gratulamur, ipſis autem Dei benedictionem intime vovemus.

Ejusdem Serenitatis Veſtræ

Bonus Amicus & Cognatus

Joannes.

Inſcriptio.

Sereniſſimo Principi, Domino Georgio, Brunſvicenſi, Cellenſ. & Luneb. Duci, Cognato & Amico noſtro chariſſimo.

DCCX.

Reſponſoria GEORGII WILHELMI, Ducis Brunſvico-Luneburgenſis, ad præinſertas JOHANNIS III. Regis Poloniarum literas, 1684.

Sereniſſime atque Potentiſſime Rex,

Domine conſanguinee plurimum colende.

TErnas a Regia Majeſtate Veſtra litteras Octobri & Novembri Menſibus anni ſuperioris ſcriptas, Illuſtriſſimus Joannes Gninski, Palatinus Czerniechovienſis, Ablegatus Regiæ Majeſtatis Veſtræ Extraordinarius, Nobis attulit, victoriarum Regiæ Majeſtatis Veſtræ nuncias, & ſingulare erga Nos ſtudium benevolentiamque ſpirantes, ac proinde longe Nobis acceptiſſimas. Nos vero ut triumphos & tropæa Regiæ Majeſtatis Ve-

ſtræ ab immani potentiſſimoque hoſte reportata, ingenti animi lætitia cognovimus & ſolenni celebratione in Noſtris ditionibus ſumus proſecuti; ita Eidem de rebus tam magnis, Imperio Romano-Germanico, imo Europæ univerſæ, tam ſalutaribus, tam proſpere celeriterque geſtis, ex animo gratulamur, & grates, quas omnes, quibus communis rei Chriſtianæ ſalus cordi eſt, Majeſtati Veſtræ debent, ſummas agimus. Equidem jam antehac non vulgaribus documentis excelſa Regiæ Majeſtatis Veſtræ virtus ac fortuna aliquoties emicuit; ſed illa, quæ autumno proximo ab ea Spiritu heroico & felicitate admirabili acta ſunt, ſupra omnis ævi laudes gloriam Regii Majeſtatis Veſtræ Nominis provehunt, & in annalibus ac faſtis æternæ gentium atque ætatum venerationi commendabuntur. Neque vero minora in futurum ab Eadem exſpectamus; quin imo, cum inſtauret vires Turca, & ad denuo invadendos majore impetu Chriſtianos ſeſe præparet, quotidiana poſthac Regiæ Majeſtati Veſtræ laurearum incrementa, & finem initiis tam præclaris dignum, Deo exercituum bene juvante, auguramur: Id unicum ſerio dolentes, ipſosmet inter ſe diſſidere Reges atque Principes Chriſtianos, nec, tanquam ad reſtinguendum commune incendium, unitis animis, ut par erat, concurrere. Ad Nos quidem quod attinet, haut quaquam deeſſemus Regiæ Majeſtatis Veſtræ & Noſtro deſiderio, ſed Copias Noſtras cum illis, qui contra infideles pugnant, conjungeremus, niſi excitati, alieno hoc, ſi unquam

quam tempore, ad proximum parietem periculoſi motus, ab iſthoc propoſito Nos retraherent. Hi ſi ſedabuntur mature, & Noſtris terris ſua conſtabit ſecuritas, Nos, quantum in Nobis erit, lubentes præſtabimus. Interea Regiæ Majeſtati Veſtræ ſingulariter Nos obſtrictos agnoſcimus, pro favore Fratris Noſtri, Domini Erneſti Auguſti, Ducis Brunſvicenſis & Luneburgenſis, Filiis, Majeſtatis Veſtræ fortitudinis oculatis teſtibus, ad Viennam exhibito & ab illis magnopere deprædicato, & illos, & Domum Noſtram univerſam, ad omnes conſervandæ augendæque cum Regia Majeſtate Veſtra amicitiæ uſusque mutui rationes paratiſſimam, Veſtræ Majeſtati porro commendamus; Cœleſte Numen toto pectore precantes, ut, qua benignitate hactenus cum Majeſtate Veſtra egit, eadem conſtanter agat, Eique vitam, valetudinem, & perpetuum rerum proſperrimarum curſum propitius indulgeat. Dabamus in aula Noſtra Cellis die 21. Martii Anno 1684.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Frater & Cognatus ad officia paratiſſimus

Georgius Wilhelmus.

DCCXI.

Literæ CHRISTINÆ, Svecorum olim Reginæ, ad JOHANNEM III. Poloniæ Regem, quibus ipſi victorias bina vice adeptas gratulata, proſperrimos & exoptatiſſimos ſemper adverſus Turcas armorum ſucceſſus precatur, 1683.

 P. P.

P. P.

MAgnum & rarum ſpectaculum dedit in univerſum mundum Majeſtas Veſtra memorabili illo & glorioſo die ſuccurſum Viennæ ferendo, pro quo tantum debet illi ſancta ſedes & univerſus orbis, ut gaudere & applaudere gloriæ ſuæ ſit obligatio cujuslibet Chriſtiani, qui ſuam in communi teſtatur lætitiam. Felici illo die monſtravit ſe Majeſtas Veſtra non tantum Coronæ Polonicæ, cui Deus eam præfecit, dignam, ſed meruit Imperium mundi, ſi illud uni tantum Monarchæ cælum deſtinaſſet. Libenter ego vellem exprimere Majeſtati Veſtræ meos ſenſus ſuper id particulares, & ſum certa, ſi clare cognoſcere poſſet, neminem melius me reddere Juſtitiam gloriæ & meritis ſuis. Poſſum dicere & inde glorior, quod nemo me melius pretium victoriæ hujus cognoſcat, nemo valorem actionis tam inſignis æſtimet, nemo tam magnæ victoriæ a Majeſtate Veſtra de Monarcha Aſiæ reportatæ æſtimet conſequentias, cum ego plus aliis cognoverim periculum noſtrum, plus timuerim ruinam & exterminium, quod nobis formidabilis illa potentia minata eſt, de qua voluit Deus triumphare per medium heroicæ fortitudinis Majeſtatis Veſtræ, cui imposterum omnes alii Reges, poſt Deum, debent conſervationem Regnorum ſuorum. Ego vero cum amplius Regna non poſſideam, profiteor obligationem conſervationis meæ independentiæ, quietis meæ, quam ego ſupra omnia Regna

gna mundi æſtimo. Interim tamen opus eſt, ut confitear ingratitudinem meam erga tam magnum Regem, uti eſt Majeſtas Veſtra, ex eo, quod premar invidia, quæ mihi eo minus tolerabilis, quo magis mihi nova iſta paſſio. Nemini viventi invidebam unquam, ſola Majeſtas Veſtra facta eſt ſcopus invidiæ meæ, effecitque, ut crederem huic me obnoxiam, cujus me credidi incapacem. Velim tamen ſciat Majeſtas Veſtra, invidiam meam eſſe ejusmodi, quæ excitat in corde æſtimationem & admirationem, Majeſtati Veſtræ debitam. Non invideo Regnum, nec theſauros & ſpolia, quæ acquirere datum eſt a Deo, invideo Majeſtati Veſtræ incommoditates & pericula. Invideo titulum liberationis Chriſtianitatis, nec non gratiam, quod poſſit dici dator vitæ & libertatis amicorum æque ac inimicorum; utrisque enim vitam & libertatem in tuto locavit. Attamen invidia hæc tantum gloriæ incrementum Majeſtati Veſtræ contulit, ut multum mihi deeſſe dicerem, ſi illa carerem. Quanquam certo ſpero me veniam & indulgentiam a Majeſtate Veſtra impetraturam. Dominus Deus, qui eſt unicum meritum & præmium actionum heroicarum & glorioſarum, remuneretur Majeſtati Veſtræ in hoc mundo & in æternitate, quia ſolus eſt, qui poteſt hæc omnia digne recompenſare, in ſe ipſo. Conſervet & proſperam faciat Majeſtatem Veſtram pro gloria & obſequio catholicæ Eccleſiæ; reddat illam ſemper triumphantem de omnibus ejus inimicis. Inte-

 rim

terim non ingrati ſint ſinceriſſimi mei & affectuoſiſſimi ſenſus, cum ſim

Majeſtati Veſtræ &c.

Dabantur Romæ die 23. Octobris Anno MDCLXXXIII.

DCCXII.

Literæ KUNICKI, Ducis Coſaccorum, ad DOMINUM POTOCKI, Caſtellanum Cracovienſem, de clade Tartaris, circa Budziackum illata agentes, 1683.

P. P.

DEo auxiliante proſperum habuimus contra Tartaros & Turcas progreſſum, nec timendum eſt, ut tam cito per Ucraniam debeat hoſtis Poloniam ſolitis infeſtare incurſionibus, cum Princeps Tartarorum, circa Budziackum eximiam paſſus cladem, centum & aliquot millia ſubditorum utriusque amiſerit ſexus, Regioque fuerit combuſta. Exercitus *Valachiæ*, Kizenoriæ, poſt peractam devotionem juramentum fidelitatis ſuæ præbuit Sereniſſimo Regi Poloniæ, & toti Reipublicæ, ac utrique Exercitui Zaporovienſi, cujus jam ex Dei gratia triginta millia numerare poſſum; ſed & Nos viciſſim Valachis ſimile præſtitimus juramentum. Itaque unito exercitu die 4. Decemb. veni *Filogranum*, Pagum Budziacki 5. Dec. Turcarum & Tartarorum 30. advenere millia, ſub directione Hiſinakam Jalapaſſi, quos in primo conento

flictu ſtrenue fugavimus magnamque fecimus cladem: Aufugientes vero per quatuor vias, cruento proſecuti Marte, per quatuor milliaria cadaveribus hoſtium implevimus vias. Tres periere Generales, vulgo dicti Bey Ichinenis, Ali Bey, Sphaiorum Generalis, qui 100000. Thalerorum ſuam redimendi vitam dabat; verum Coſacki de diviſione hujus prædæ certantes, ipſum mactarunt. Tertius Kaimacan Jalagaſſa, Generalis Tartarorum, & is occubuit, dum præ ingenti nive, aufugere non poterat. Nos vero nihil ferme ex Noſtro perdidimus exercitu. Totus hoſtis exercitus læſus. Valachis certo fidendum eſt; nam cum omni pugnarunt alacritate, habueruntque bona victoriæ & prædæ principia. Tartarorum Principales Colonelli, Murec nuncupati, decem in acie Martis occubuerunt. Tanta ergo ex ſingulari Dei gratia in illis oris facta eſt victoria, quantam jam aliquot annis nec habuimus, nec audivimus, pro qua Deo Optimo Maximo agendæ ſunt gratiæ. Quibus &c. Dab. Techiniæ die 7. Decembr. A. 1683.

DCCXIII.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad LEOPOLDUM, Rom. Imperatorem, quibus ipſi, quo in loco Hungariæ Poloniæque res ſint, ac quo ipſe in communem Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem feratur animo, exponit, 1683.

Sere-

Sereniſſime ac Potentiſſime Princeps,

Domine Frater ac Vicine noſter Chariſſime.

APparet, literas noſtras ad Majeſtatem Veſtram tardius, quam rei momenta exegerant, commeaſſe; Unde Comes Teckelius actus deſperatione, eo firmius Ottomannicæ ſe credidit protectioni, Nobisque hoſtilitatem Superior Hungaria ubique palam eſt profeſſa; Qua de cauſa etiam Caſſovia impenetrabilis, ex quo loco copiis Majeſtatis Veſtræ Leucoviam dimiſſis, ipſi Eperjeſinum verſus proceſſimus; ſed clauſum, & nomine hoſtili objectum offendimus. Expugnare hanc Civitatem non tam attritæ vires exercitus noſtri, licet toties cruento Marte, ac vel maxime malis morborum imminuti, quam penuria victus & pabuli, quorum omnium in præſenti fuit ſpectator Magnificus Ablegatus Majeſtatis Veſtræ, non permiſit; cum incolæ Regni illius, amiſſa ſpe Clementiæ Majeſtatis Veſtræ pagos ſuos & Villas incendio abſumere maluerint, quam rebus dubiis ſe committere. Sibinum nihilominus, quantum loci capacitas ſuſtinendique victus ratio permiſit, milite noſtro implevimus. Præſidiariis vero loci illius militaria apud Majeſt. Veſtram promiſſa ſunt ſtipendia, atque ad rationem de theſauro noſtro ad manus præfati Magnifici Ablegati prænumerari fecimus; arbitrati, efficaciſſimum hunc eſſe modum, avellendi ipſos a partibus Teckelii, alliciendique alios complures, qui ſolo

ſolo defectu prædantur, ac partes illas ſequuntur. Præſtamus autem ea omnia in ſimplicitate cordis, intima erga res Chriſtianas ſinceritate, ſtudio & zelo ſopiendi vicini regni eripiendique de manibus communis hoſtis ac demum ſtudio Veſtræ Majeſtatis. Nunc primum itaque in arce noſtra Lubuolenſi a Reverendiſſimo Cardinali Bonviſio hic jam in limitibus Regni, a Majeſtate Veſtra accepimus literas, die 1. Decembris, in quibus, licet Clementiam nomine ſuo Regno huic palam & approbatam velit, nihilominus hoc idem negotium ad Conſilium etiam referre non intermittit. Nobis proinde non reſtat, niſi votis illud proſequi, quatenus Ter Optimus Maximus Deus ita ſuccedere faciat, ut ſit bono & utilitati totius Chriſtianitatis & Majeſtatis Veſtræ. Nos interea in viſcera Regni Noſtri (ut proximis Nuncium Czarorum Moſcoviæ in via Nos alicubi offenſurum, expediamus) remeamus domum: ut ibi quam efficaciſſime integritati ditionum noſtrarum, urgentibus hoſtium ſucceſſibus, conſultum proſpectumque faciamus; Cum præcipue recentiſſime obvium habuerimus Nuncium, quomodo ad famam reditus Noſtri, jam Dei gratia in Podolia nonnulla Turcæ deſeruerunt fortalitia; Ukrania integra ſeſe ſubdidit Coſaccorum Præfecto & Ductori, quem illic recenter creavimus; feliciſſime in Bialogrod & Budciaki ceſſerunt expeditiones. Phalanges inſuper & Copiæ Tartarorum, quæ Confinia Volhyniæ invaſerant, diſſipatæ, præda & captivi ſine damno vindicati, ipſi plures præcipui & præſtan-

præſtantiores capti. Quibus omnibus Majeſtati Veſtræ fraterne communicatis, eidem optimam valetudinem & proſperos rerum ſucceſſus ex animo precamur. Dabantur in oppido noſtro antiquo Sandear, die 19. Decembr. 1683.

DCCXIV.

Literæ STEPHANI WYDZGÆ, Regni Poloniæ Primatis, ad Malachowſkium, Epiſcopum Cracovienſem, de Tariffa ſive Tributo a Clericis pendi ſolito, agentes, 1684.

P. P.

QUod veteris obſervantiæ meæ memor eſſe volueris, uti ex gratulatione feſtorum agnoſco; gratias tibi ago. Retorqueo venerabundus in te easdem apprecationes, optando ſub auſpicia novi anni ejusmodi ad multos felicitatem, qualem tibi ipſe precaris. Ad Reverendum Potworowski non ſcribo; quia jam excesſit Leopoli: literas autem non libenter perdo, ut fiant (ſicut Poeta dixit) croci piperisque cuculli. Tariffam mutare meum non eſt: prout inveni, ſic vivendum eſt, ſecundum Monachi illius doctrinam, quam juniorem docuit. Succedent tibi omnia in cœnobio, tantum primo de Priore non loquaris: ſecundo officium tuum fac taliter qualiter: tertio ſine res ire prout eunt. Servavi id ſemper, quem mihi Priorem dedit, veneratus ſum, feci quæ debebam ſecundum poſſe, mundum non reformavi. Interfui, quando piæ mememoriæ Primas Olſzowsky congregatis Epiſcopis

pis conſtituit taxam, quæ modo Tariffa vocatur: communi conſenſu ea ſtatuta eſt, & ita eam inveni. Si quid autem me abſente & luctante per mortem irrepſit, non eſſet charitatis: hæc enim inter Nos lex ſancita fuit, ut alter alterum defenderet, & vere ſupremum malorum eſſet, ſi unus alteri lupus foret. Hæc gratioſis literis tuis cum antiqua veneratione repono apprecatus toties quoties fauſtisſima quæque. Lovicio die 11. Januarii Anno 1684.

DCXCV.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, cui ſecundum Nepotem, Philippum, Ducem Andegavienſem, e Filio primogenito natum eſſe amice gratulatur, 1684.

Serenisſime ac Potentisſime Rex, Regiæ Majeſtati Veſtræ ſalutem &c.

Domine ac Conſanguinee Charisſime.

Regiæ Veſtræ Majeſtati denuo Nepotem in ſpem Sereniſſimæ Domus ex Filio primogenito, Serenisſimaque Ejus Conjuge Principe Delphina feliciter natum, ex datis ad Nos Literis, non ſine ſuavisſimi gaudii ſenſu percepimus. Cum igitur tam læti Nuntii ſignificationem merito inter mutuæ conjunctionis benevolentiæque argumenta referamus, gratias inde Regiæ Veſtræ Majeſtati, pro eo, quo Eandem proſequimur, perpetuo honore ac cultu agimus ingentes, Eidemque

que de tam felici florentiſſimæ Domus Regnique & munimento & incremento magnopere gratulamur, atque ut ingenti olim Chriſtianæ Reipublicæ bono, in Regiæ Veſtræ Majeſtatis ſingulare oblectamentum & in ſtemmatis inclyti Decus ac gloriam perenni Numinis divini benignitate feliciter indies ſuccreſcat ſoboles & augeatur, ſerio vovemus. Quibus Regiam Veſtram Majeſtatem cœleſti tutelæ ad comprobanda dediti animi noſtri ſtudia nihil facturi reliquum etiam atque etiam commendamus. Dabantur in Electorali Noſtra Dreſda die 9. Januarii 1684.

DCCXVI.

Literæ SUPREMI REGNI POLONIÆ CANCELLARII *ad* EMERICUM, COMITEM A TOECKELI, *quibus ipſi ſerio ſuadet, ut tranquillandis Hungariæ rebus animum protinus admoveat, ſuumque militem ab hoſtili impoſterum adverſus Polonos conatu abſtinere jubeat, 1684.*

Illuſtriſſime ac Celſiſſime Princeps,
Domine Colendiſſime.

AD binam compellationem Celſitudinis Veſtræ tam per egregium Vernay, quam ſeorſivis Literis expreſſam, non eſt aliud, quod reſpondeam, præterquam Sacram Regiam Majeſtatem Dominum meum clementiſſimum, non animo lædendi veniſſe in Hungariam, ſed contra hoſtem Chriſtiani Nominis ſuſcepiſſe in ſe paterno cum

cum affectu mediationis munus, ſtudioque pacandæ Celſitudinis Veſtræ, gentiſque Hungarorum inſtitiſſe apud Cæſaream Majeſtatem ea, qua par eſt, ſollicitudine. Hæc inter, cum Celſitudo Veſtra alia agitaret conſilia, animumque ſuum & facta ſuorum longe diverſa oſtenderet ab eo, quod Suæ Majeſtati tam per literas, quam per Deputatos ſuos, & ultimum Egregium Vernay ablegatum, teſtari voluit, dum in regreſſu Sacræ Regiæ Majeſtatis Domini mei clementisſimi, non recuſata neque renuntiata mediatione, imo Deputatis ſuis penes eandem Majeſtatem Regiam exiſtentibus, a milite Veſtræ Celſitudinis in exercitum Sacræ Regiæ Majeſtatis irruebatur, ſæviebaturque immaniter, imo ſuper ægris & morbo afflictis mira crudelitas exercebatur; ex Fortalitiis Caſgovienſi & Eperienſi grandiora tormenta ac ſi in hoſtes explodebantur: quæ omnia evitata, imo & damna ſubſecuta plene declinata fuiſſent, ſi juxta conſilium Strigonienſe, exercitus ſuæ Regiæ Majeſtatis cum exercitibus Cæſareis, promiſcue locarentur, ita ut uno in loco Legio Polonica cum Cæſareana; Cæſareana in altera cum Polonica Legione miſceretur. Sed cum Veſtra Celſitudo deſideraret imo peteret, ut a Polonico exercitu XIII. Comitatus occuparentur, relictis nonnullis locis pro militibus Veſtræ Celſitudinis; facile & perlibenter Sua Regia Majeſtas annuerat. Jam vero Ipſimet Veſtræ Celſitudinis Deputati omnino fateri debent, quantum Sua Regia Majeſtas, Dominus meus

Clementiſsimus, incendiis Villarum, quæ hyeme jam rigente acciderant, affligebatur; Nam viderant & oculati teſtes erant, quam diſtricte eadem fieri prohibebat, qua ſeveritate ſontes ex ſuis puniebat; qua ſolicitudine, ut defenderentur, agebat. In conſpectu illorum erat, qua charitate captivos ex Hungaris dimittebat, imo ſauciis, tam pro curandis vulneribus, quam viatico manu liberali & munifice ſubveniebat, ut oſtenderet, quantum deſideret, amicam ſibi & Regno ſuo reddere Hungariam. His minime attentis, inſuper Sacræ Reg. Majeſtatis certam peditatus portionem, non aliud, niſi iter, non pro aliquo ſuccurſu, ut prætenditur, ſed verſus Quartina, quæ pro ſtatione hyberna illis obtigerant, quærentem, milites Veſtræ Celſitudinis, loco iniquo, ex improviſo aggreſſi afflixerunt, quod procul dubio haud ſperabatur, ſimilia pro bono affectu redditum iri. Proinde aliud Suæ Regiæ Majeſtati, Domino meo clementiſſimo, nihil reſtat, quam reſolutio ad removendam de tabula mediationis manum; ſiquidem tali gratitudine res agitur. Habet interim ſua Majeſtas Dominus meus Clementiſſimus, uberrima a bonitate divina ſolatia, quod arma ſua usque ad hanc diem victricia in terris Budziacenſium Bialogrodenſium Tartarorum clareſcant, & Valachia juramento Coſatico exercitui mutuo obligata, quicquid inter Tyram & Danubium interjacet, feliciter terruit & occupavit. Quod ideo Celſitudini Veſtræ ſignificandum cenſui, ut ſit perſvaſa, ſuam

am Regiam Majeſtatem, Dominum meum clementiſſimum, etiam nunc, neque proſperis adeo extolli, nec levioribus iſtis, quæ acciderunt, in tantum commoveri, ut non optet pacatam, uti antea erat, Polonos inter & Hungaros vicinitatem; fore tamen expediens cenſui, & Celſitudinem Veſtram interim pro meo in eandem affectu permonere ac obteſtari volui, ut a perſecutione & obſidione illuſtriſſimi Comitis Humanay, unaque militum ſuæ Regiæ Majeſtatis in ſtatione Hiberna ibidem exiſtentium velit de facto ceſſare, nimirum quod Comes ſub peculiari Sereniſſimi Regis Domini mei clementiſſimi protectione exiſtit, nec non captivos ex Polono exercitu, variis in occaſionibus ab Hungaris perperam factos, ubicunque reperti fuerint, dimittere. Alias enim nimirum quam evidens foret, Veſtram Celſitudinem neglectui habere favorem & reſpectum Sereniſſimi Regis, Domini mei clementiſſimi atque amicitiæ ejus penitus renunciare, nec non ſpem totius negotiationis abruptæ præcidere, & apertam hoſtilitatem declarare velle. Quod an Veſtræ Celſitudini expediat, pro uſu prudentiæ facile dijudicabit. Officia interim mea prompta ſemper parataque Celſitudini Veſtræ defero ac promitto. Dab. 10. Januarii 1684.

DCCXVII.

Literæ EMERICI COMITIS A TOECKELI, ad JOANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electo-

rem,

rem, quibus Domum Auſtriacam, proculcatis Hungaricæ Nationis privilegiis, abſoluto dominio inhiando tot tamque vehementibus inteſtinorum motuum per Hungariam procellis anſam dediſſe demonſtrare aggreditur, ac abs eo, ut ſibi rebusque Hungariæ gratioſe patrocinari easque quoquo modo pacatas reddere dignetur, ſubmiſſe contendit, 1684.

Sereniſſime Princeps Elector,

Domine gratioſisſime.

ADverſa fata, triſtemque ac calamitoſum Regni Hungariæ Gentisque nobiliſſimæ ſtatum ex florentiſſimo ad deterrimæ jugum ſervitutis prolapſum, quem Domus Auſtriacæ (cujus in immenſum auctam potentiam reformidant populi, experiuntur malo ſuo Hungari, ſenſuri mox, niſi Hungariæ innocenti ſuccurratur, Regna & Principatus vicini) ſtudium abſolute dominandi peperit Nobis, intuentur omnes, ſtupent Reges, dolent cognati Principes, deplorant Cives; at originem mali unde quibusve ex principiis promanet, vix cuiquam cura indagandi, cognitione exacta tantæ converſionis paucis conceſſa. Hinc prout quemvis rapit huc atque illuc affectus privatus partiumque ſtudium, præjudicia varia, immaturosque ſententiarum in animis multorum progenerari fœtus; hinc criminationibus mille, odiisque ac obtrectationibus fœdis gentem innocentem denigrari, inde populum liberum, pro Chriſtianitate a tot ſeculorum decurſibus conſtanter,

ſtanter, animoſe & fortiter pugnantem, in juſtisſima defendenda libertatis avitæ, ſanguine Majorum partæ armisque propagatæ cauſa deſeri, & potentiorum libidini exponi, conſectarium eſt. At vero quam immerenter hæc talia Genti Hungaricæ eveniant, nemini melius conſtabit, quam qui aureas Nationis hujus Nobiliſſimæ libertates, a divis quondam Hungariæ Regibus ampliſſime conceſſas, cum Auſtriacæ Domus abſoluto, quod meditatur in Hungaros gubernio, privationem prærogativarum, tam religioſarum in ſtatu eccleſiaſtico, quam profanarum in politico diligenter contulerit. Is demum cognoſcet rei controverſæ ſtatum, judicabitque dextre, non ſine cauſa, imo ex lege ipſa fundamentali Regni poſitivaque, arma Hungaros defenſiva ſuſcepiſſe, & adhuc dum gerere, adhibereque debuiſſe media, nempe ejusmodi, quæ jus ipſum Naturæ, in tali extremitatis & totalis deſertionis caſu admitti & uſurpari dictaret excuſandis per hoc coram Deo & orbe Chriſtiano. Ut itaque innocentia armorum Hungaricorum, tentatis fruſtra hactenus cum Domo Auſtriaca componendarum rerum variis viis, lucidior evadat, ceſſetque omnis adverſus Hungaros obtrectandi impoſterum livor, ſinceros nonnunquam dementans animos, quin potius Amor loco ejus & propenſio Chriſtianorum Principum ac Regum populo huic concilietur, unde tranquillitas Regno iſti optato ſperari poſſit; ſcripto publico ſeu manifeſto declaratorio, cauſas & rationes armorum Hungaricorum juſtificas remonſtrare,

Digitized by Google

ſtrare, obtutuique ac cenſuræ Chriſtianorum Principum ſubmittere, gens hæc animo firmo concepit atque ſtatuit. Interea verò donec hoc ipſum luci publicæ exponatur, Serenitatem Veſtram, quam Deus glorioſum inter Principes & poteſtates ſupremas defenſorem ac Patronum oppreſſorum eſſe voluit, pro innata ſua, qua ſemper Gentem Hungaricam dignata proſecutaque eſt benignitate, humillimis exoro votis atque precibus, ut porro cauſæ Noſtræ gratioſiſſime patrocinari ac decenti ratione, pro exigentia temporis & occaſionis opportunitate, eandem defendendam ſuſcipere, & ut compoſitis his tam diuturnis civilium motuum turbis, gens Hungarica ad priſtinæ libertatis & quietis portum, per gratioſiſſimam Serenitatis Veſtræ moderationem emergere poſſit, dare operam gratioſiſſime dignetur. Unde Serenitati Veſtræ perennis gloria exſurget, propaganda ad ſeram Ejusdem Poſteritatem. Quod ſupereſt, Serenitati Veſtræ longævam vitam, fortunatiſſimosque rerum gerendarum ſucceſſus venerabundus apprecor. Datum Lelez die 30. Januarii Anno 1684.

Serenitatis Veſtræ

Servitor humillimus

Emericus Thöckely.

DCCXIIX.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad JOHANNEM & PETRUM, Czaros Moſcoviæ, quibus Laurentium Blumentroſtium,

um, Medicinæ Doctorem, ſtudioſe commendat,
1684.

P. P.

NOn potuit Nobis deprædicare ſatis, in ditionibus Noſtris oriundus, & jam in Aula Czarearum Veſtrarum Majeſtatum & Dilectionum Archiatri munere fungens, Doctor Laurentius Blumentroſt, benignitatem ac clementiam, quam ſub florentisſimo Ruthenorum Imperio abunde expertus eſt per omne illud tempus, quo non ſolum Czareis Veſtris Majeſtatibus ac Dilectionibus, verum etiam inclytis Majoribus ſuis in re medica fidelem præſtitit operam. Quæ quidem in illum indulgentia atque liberalitas, uti glorioſo Czarearum Veſtrarum Majeſtatum & Dilectionum regimine dignisſima eſt, ita non minus Nobis intellectu jucunda extitit, quod ad eam obtinendam commendatitias olim a Serenisſimo Parente Noſtro glorioſæ memoriæ illius cauſa perſcriptas haud parum ipſi profuiſſe audivimus. Rogamus autem Czareas Veſtras Majeſtates & Dilectiones pro mutua illa, quam Majores Noſtri cum Prædeceſſoribus Veſtris conſtanter coluerunt, benevolentia, ut præfatum Doctorem Blumentroſt Noſtri quoque cauſa non tantum gratiæ & protectionis ſuæ clypeo porro complecti, & contra omnem vim atque injuriam tueri, verum etiam, ſi ad repetendas patriæ oras animum forte adjecerit, veniam facultatemque revertendi benigne illi concedere dignentur. Hunc ſane indubitatum commendationis Noſtræ fructum ipſe devotis obſequiis

ſequiis promereri conabitur, Nos autem eadem gratia ac facilitate Veſtræ Nationis homines viciſſim proſequemur. Qui de cætero Czareis Veſtris Majeſtatibus & Dilectionibus felicem vitam proſperosque rerum precamur ſucceſſus. Dabantur in Electorali Noſtra Dreſda die 12. Februarii 1684.

DCCXIX.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad JOHANNEM III. Poloniæ Regem, quibus ab eo amice contendit, ut Dionyſium Micottum, Mercatorem Varſavienſem, ad ſolvendum debitos Joachimo Eckolto, Mercatori Lipſienſi, 396. Imperiales confeſtim adigere haud gravetur, 1684.

Sereniſſime & Potentiſſime Rex.

Regiæ Veſtræ Majeſtati ſalutem dicimus, & operam Noſtram in omni officiorum genere paratiſſimam offerimus, Domine Amice chariſſime.

EXplicuit Nobis ea, qua par eſt, ſubmisſione ſubditus Noſter dilectus ac fidelis Joachimus Eckoldt Mercator Lipſienſis, Dionyſium Micotti, Mercatorem Warſavienſem, pro creditis acceptisque a ſe Mercibus ſericis, debito 396. Imperialium ſibi obſtrictum teneri: & licet perquam humaniter ac modeſte ſolutionem ipſe hactenus flagitaverit, nihil tamen per integros ſeptem annos ſe potuiſſe efficere vel precibus vel querelis apud ſurdas aures tam ingrati debitoris, ſolutionem

tantum

tantum non detrectantis. Quæ res ipſum denique permoviſſet ad petendum ſubmiſſe haſce Noſtras intercesſionales, futuras forſitan efficacisſimum conſequendæ pro creditis mercibus pecuniæ remedium. Quamvis itaque Regiam Veſtram Majeſtatem ad diſpenſandam omnibus ex æquo juſtitiam, natura ſua proclivem eſſe non ignoremus, pro eo tamen quo Noſtros proſequimur amore, tanto impenſius Eandem hiſce rogandam duximus, ut præfati ſubditi Noſtri cauſam, juſtam ſane & æquitati convenientem, favore Regio complecti atque provehere velit, datis in eam rem ad Magiſtratum municipalem Warſavienſem mandatorum tabulis, qui prædictum debitorem Micotti ad præſtandam ſine mora ſolutionem neceſſariis mediis adigat & compellat, nec ante deſinat impertiri auxilium, quam vel nominato creditori ſuo Eckolto, vel Ejus Mandatario Horatio Pagnini a Poſen, de debito plenisſime fuerit ſatisfactum. Hæc adhibita a Regia Veſtra Majeſtate pro conſequendo jure ſuo ſtudia ipſe devotis obſequiis promereri conabitur; Et nos viciſſim Regiæ Veſtræ Majeſtatis ſubditis parem vicem, data occaſione reddemus. Quam proſpere & feliciter interim agere etiam atque etiam optamus. Dabantur Annæburgi die 18. Febr. 1684.

Dei Gratia Johannes Georgius Tertius
&c. &c.

DCCXX.

Litera EMERICI COMITIS a TEKELI, ad INNOCENTIUM PAPAM XI. quibus Nationem Hungaricam nimio Domus Auſtriacæ abſolute dominandi pruritu inter malleum & incudem poſitam eſſe valde conqueritur, ac ſe & totius Hungariæ libertates & privilegia paternæ ejus tutelæ humillime commendat, 1684.

VEnerabundus provolvor coram purpura Sanctitatis Veſtræ, in ipſo Sanctisſimi limine deprecans juſtitiam cauſæ, quam contra Sacratisſimum Imperatorem, a tot annis defendimus, & libertates per vim protritas, quarum redintegrationem inhianti ſtudio anhelamus, ut Sanctitas Veſtra profunde cognoſcat; Ideo ejusdem Paternas piisſimasque pro ſalute Chriſtiani Orbis curas interrumpo præſenti epiſtola. Nihil in me defuit per totum tempus civilis in Ungaria belli, quo Sacram Cæſaream Regiamque Majeſtatem, mihi totique Regno reddere propitiam non anniterer. Super quo vel ipſa Sac. Regia Majeſtas Poloniæ mihi benignum dabit teſtimonium. Paratus eram anno præterito propoſita mihi a Sacratisſimo Imperatore per Dominum Baronem Saponaram puncta cum veneratione ſuſcipere, unicum tantum rogabam, ut ſecuritas retentionis ſanctisſimorum, h. e. Religionis per mediationem Serenisſimi Regis Poloniæ (qui tanquam Princeps magnanimus rem ſerio cum fervore egerat) mihi daretur. Verum ad juſtam hanc propoſitionem Cæſarea Majeſtas deſcendere noluit, æſtate

æſtate præterita ſpe & fiducia ſopiendæ controverſiæ animatus, Turcis Viennam potenter obſidentibus ita me meo cum exercitu geſſi, ut ne minimum quidem nocumentum militiæ Chriſtianæ dederim: ſuſpirabamus complanationem rerum ipſo etiam Othomano in tractatum pacis conſentiente; ſed fruſtranea vota erant, labor inutilis, victoria ad Viennam difflavit omnia; nobis inter malleum & incudem poſitis, cum ab una parte rerum omnium, & ipſius vitæ immineret periculum, ab altera nihil ſecuritatis agnoſceretur; unicam, quæ ſupereſt, protectionem leviter deſerere ratio ſtatus minime conceſſit. Scio bene plurimos eſſe obtrectatores, qui criminandi licentia tumidi, læſæ Chriſtianitatis coram Sanctitate Veſtra me arguunt, & neſcio quibus denigrant contumeliis, ut Sanctitatis Veſtræ clementiſſimam erga me propenſionem avertant. Unde erumpere tandem in defenſionem meam debui, ſuadente hoc ipſo nota per orbem Chriſtianum Sanctitatis Veſtræ benignitate; Communis enim Chriſtianorum Pater meas quoque admittet rationes & juſtam excuſationem. Arma pro communi libertate gerimus, non contra Religionem, neque contra intereſſe Chriſtianitatis: bellum extrema nobis impoſuit neceſſitas, deſtituti omni ope Chriſtianorum Principum, & cum nulla ſpes appareret mihi mitigandi oneroſi & præpotentis Domini, eam acceptavimus protectionem, quæ nobis propior erat & contra quam ſacratiſſimus Imperator a tot annorum revolutionibus

Nos

Nos defendere noluit. Rebelles nos indigno nominant vocabulo. Requiratur in ſcriniis conſiſtorii S. Sedis diploma Andreæ II. Regis, cognomento Hieroſolymitani, & luce clarius fundamentum Noſtræ libertatis & amor Juſtitiæ apparebit. Nihil peccaveram in Sacram Cæſaream Regiamque Majeſtatem, imo neque peccandi capax eram in ætate tenerrima conſtitutus; quando vi cum tot millibus Ungarorum clariſſimi ſtemmatis ex dulciſſima Patria extorris factus, bonis omnibus confiſcatis & direptis in exilium cogebar migrare: poſt cum deeſſet & omni modo præſcinderetur poſt omnem humiliationem indulgentia; cogitandum nobis erat de naturali & legitima defenſione, quo Noſmet-ipſos Patriamque ab extremo exitio vindicaremus: proinde Sanctitati Veſtræ demiſſe ſupplico, dignetur excuſationes noſtras paterne admittere & pro altiſſimo judicio ſuo paulo profundius res noſtras penſitare. Nihil enim ex temeritate ſuſceptum eſt, nihil agitur, niſi quod jus naturæ, jus publicum rectaque nobis ſuaſit ratio; pridem poterant tempeſtates iſtæ placidioribus componi mediis, ſed cupiditas libero populo abſolute dominandi occaſiones omnes præcludit. Querulabantur in aula Sacratiſſimi Imperatoris a multis annis Hungari læſas cum diplomate Regni libertates, protrita privilegia, murmura in Regno, mox niſi moderamen aliquod in Regno malo opponatur, bellum provocatura; ſed invalidæ erant preces, lamentationesque, & ſurdis fabula narrabatur, ne-

que

que conqueri amplius neque congemiſcere licuit: his inducti malis Proceres Regni præcipue Veſelinus Palatinus Ungariæ, Comes Nadaſti, Judex Curiæ, Serinius Bannus Croatiæ & Frangipanius aliique quamplurimi conſilia inceperant: cum Imperatoris mandato rapti, deinde in judicium neque citati neque debito modo exauditi, ex norma duntaxat pertumidæ poteſtatis a Judicibus Partialibus convicti, fatali & ferali gladio ſubjiciebantur, ſolo Palatino naturali morte defuncto & Archiepiſcopo Strigonienſi, Georgio Lippas, qui ingenti aſſerendi libertates flagrabat zelo. Hi omnes, Beatiſsime Pater, erant Heroes, ideo rebelles adeoque morte digni, quod libertatem propugnabant tot privilegiis Anteceſſorum Cæſareæ Majeſtatis ſtabilitam, & quam modernus quoque Sacratiſſimus Imperator corporali Juramento, antequam fuiſſet coronatus, Poſonii 1653. confirmaverat. Trucidatis Regni Proceribus & miſſa in exilium proſcriptaque Nobilitatis parte, vis illata Eccleſiis Evangelicis extrema, deſperationem auxit; quæ perſecutio eo tantum fine inſtituta fuit, ut prætextu belli contra hæreticos palliaretur injuria libertati facta, velumque & larva vi obduceretur flagitio Dominationis; ut eo citius Regnum Ungariæ ex ſtatu libero in hæreditarium præcipitaretur, publicato in totum orbem claſſico contra juſtitiam cauſæ Noſtræ, quam coram Deo & orbe profitemur & ad extremam guttulam ſanguinis defendemus. Quibus ita declaratis ad benignitatem Sanctitatis Veſtræ recurro fiducialiter, ſubmiſiſſime rogans, ut

de

de moribus noſtris benigne judicet, iisque paterne patrocinetur. Teſtor enim Chriſtiana & ſimpliciſſima fide, quod in præjudicium Religionis Catholicæ, nihil unquam neque ſuſceperim neque egerim, ſed neque intentionem ullam habemus eam labefactandi, firmata quoque eſt per leges publicas Evangelica libertas. Hoc tantum requirimus, hoc ex dictamine juſtitiæ prætendimus, quod jus publicum legesque Regni nobis conceſſerunt, & in quo, contra Regum diplomata, nullam unquam obtinere potuimus ſatisfactionem; Quod ſupereſt, Sanctitati Veſtræ a Deo omnipotenti longævam vitam & felix Eccleſiæ Chriſtianæ Regimen devoto ex corde deſidero, ejusdemque ſacratos pedes humillime exoſculor. Dabantur Caſſoviæ 12. Aprilis Anno 1684.

DCCXXI.

Literæ COLLEGII ELECTORALIS ad CAROLUM II. Magnæ Britanniæ Regem, quibus Hagæ Comitum Rom. Imperii nomine quædam cum Rege Chriſtianiſſimo de pace citra Mandatum & præſcitum ſuum geſta eſſe graviter conqueruntur, ſeque iis minime obligatum iri decenter conteſtantur, 1684.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex,
Domine Clementisſime.

ELectorali Collegio ex fide dignis literis innotuit, eſſe, qui Hagæ Comitum Romani Imperii nomine, de pace aut armiſtitio cum Rege Chriſtianisſimo ineundis rem agere, quin & Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ jamdudum certas Co-

ronæ Galliæ deferendas conditiones offerre præſumpſerint; Accidit id Nobis eo gravius, quando plus ſatis notum eſt iſta absque Imperii Romani Mandato geſta eſſe,de quo Regiam Majeſtatem Veſtram cum debita obſervantia certiorem reddere, & quod eidem præmemoratæ propoſitiones citra Statuum, præſertim vero Principum Electorum Imperii aſſenſum exhibitæ fuerint, atque adeo illarum nullatenus Nos participes faciamus, hisce decenter conteſtari neceſſarium duximus, Regiæ Majeſtati Veſtræ omnem felicisſimi Regiminis proſperitatem ex animo comprecantes. Ratisbonæ 29. Aprilis 1684.

DCCXXII.

Literæ JOHANNIS III. Regis Poloniæ, ad JOHANNEM GEORGIUM II. Principem Anhaltinum, quibus ipſi pro præſtitis ſibi in Aula Electorali Brandenburgica egregiis officiis, amanter grates perſolvit, & devinctiſſimum affectum ſuum ſemper & ubique declarandum, redhoſtimenti velut loco, pollicetur, 1684.

Sereniſſime Princeps, Grate Nobis dilecte.

DUm immarceſcibilem eamque ſemper gratam Serenitatis Veſtræ gerimus memoriam, in ſingulari ejusdem in Nos promptitudine confirmamur literis Coloniæ ad Spream 6. Martii Anni currentis ad nos datis, tum relatione Illuſtris Caſtellani Poſnanienſis Ablegati noſtri, qui Nos conſtantis Serenitatis Veſtræ ſtudii facit ſecuros, imo florere in Nos amorem affirmat. Credat Se-

renitas

renitas Veſtra, non oblatas tantum capeſſendas a nobis occaſiones, ſed ultro quærendas, quibus teſtemur, quam ſingulariter Serenitatem Veſtram affectumque ejus magnifaciamus: Quem cum in Tractatu, cum Sua Serenitate Electorali inito copiisque ad promovendum Sacrum hoc bellum, in rem communem præſtandis a Serenitate Veſtra demonſtratum habeamus, devinctiſſimum mutuo affectum noſtrum fatemur, omni loco & tempore declarandum. Cæterum Serenitatem Veſtram bene valere cupimus, ac Deo optimo Maximo commendamus. Dabam Javoroviæ inRusſia die 3. Menſis Maji Anno Domini 1684.

Serenitatis Veſtræ

Bonus Amicus & Affinis

Johannes.

DCCXXIII.

Literæ JOANNIS III. Poloniæ Regis, ad GEORGIUM WILHELMUM, Ducem Brunſvico-Luneburgenſem, quibus eum amice hortatur, velit animum & arma ſua cum Electore Brandenburgico adverſus Turcas conjungere 1684.

Johannes Tertius Dei gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviæque, SereniſſimoPrincipi, Domino Georgio Duci Brunſvicenſi, Cellenſi & Luneburgenſi, Cognato & Amico noſtroChariſſimo, Salutem & continuum proſperitatis incrementum.

Sere-

Sereniſſime Princeps, Domine Cognate & Amice Noſter Chariſſime.

NIſi optime perſuaſi eſſemus animum Serenitatis Veſtræ capacem ingentium factorum, maxima & vix olim audita Rerum Chriſtianarum momenta, non poſſe ita præterire, quin ſibi ex merito erga easdem, immortalis nominis cupiat gloriam; Nequaquam literas præſentes ad eandem exarare, momentum faceremus. Nunc quoniam perſpectum habemus, imo proxime elapſa expeditione Viennenſi luculenter probatum, quanto ſtudio commodis rerum Chriſtianarum adhæreat; eorumque uſui nomen ſuum ſacrare non intermiſerit; ſine cunctatione Serenitati Veſtræ amorem ejusdem rei Chriſtianæ ponimus ob oculos: quatenus votivas conditiones, quas Sereniſſimus Elector Brandenburgenſis, ad conjunctionem animorum, conſiliorum ac virium proponit eo admittat ſenſu, quem de Serenitate Veſtra publica univerſalis boni Chriſtiani concipit, præſtolaturque expectatio. Quod dum enixis votis & deſideriis Serenitati Veſtræ impenſius commendamus, eadem intra felices rerum Succeſſus optime valere cupimus. Dabantur Javoroviæ in Ruſſia die IX Menſis Junii Anno Domini MDCLXXXIV. Regni noſtri XI. Anno.

Serenitatis Veſtræ

bonus Amicus & Cognatus

Joannes.

DCCXXIV.

Reſponſoriæ GEORGII WILHELMI, Ducis Brunſvico-Luneburgenſis, ad præinſertas JOANNIS III. Regis Poloniæ literas, 1684.

Sereniſſime atque Potentiſſime Rex, Domine Conſanguinee plurimum colende.

QUas Regia Majeſtas Veſtra Javorovia Ruſſiæ nono hujus menſis die ad nos dedit literas, benevolentiæ erga Nos, & pro Salute communi conſtantis curæ indices, has ea mente accepimus, quæ & iſtam porro demereri, & ad hanc ipſo opere concurrere ſerio exoptat. Equidem, ut par eſt, conſilia noſtra atque ſtudium omne eo hactenus direximus, ut Imperio Germanico, inque eo Circulo huic Saxonico, ſua conſtaret tranquillitas, quo junctis viribus contra barbarum hoſtem ire, & cum Regia Majeſtate veſtra hunc in finem ſociare arma liceret. Aſt quæ honeſtiſſimo huic propoſito objecta Nobis & aliis ſint impedimenta, res ipſa loquitur, nec Majeſtas Veſtra poteſt ignorare. Confidimus tamen, poſtquam omnia remiſit, & in conditiones, quamvis duriſſimas, conſenſit imperium, fore, ut Pax propediem coaleſcat, & pars earum copiarum, quas interna Chriſtianorum diſſidia domi retinuerunt, contra Turcam educi poſſit. Interea dum inſtat glorioſe cœptis Regia Majeſtas Veſtra, dum urget Succeſſus, continuat Victorias, perpetuum Ipſi Divini Numinis auxilium ex animo

nimo precamur. Dab. in aula noſtra, Cellis d. XXV. Junii Anno MDCLXXXIV.

Georg. Wilhelmus.

DCCXXV.

Litera ORDINUM FOEDERATI BELGII GENERALIUM ad CAROLUM XI. Svecorum Regem, quibus ab eo obnixe contendunt, velit armiſtitium, quod cum Chriſtianiſſimo Rege a quibusdam feſtinanter & inconſulte nimis pepigiſſe, culparentur, in malam nequaquam interpretari partem, ſed penſitatis graviſſimis rationibus ſuis eidem potius aſſentire. 1684.

Sereniſſime & Potentiſſime Rex.

PErneceſſarium non modo, verum etiam utile admodum eſſe exiſtimamus Regiam Majeſtatem Veſtram certiorem facere, Nos diligenter & cum ſingulari cura examinato præſenti rerum intricato & periculoſo ſtatu, perpenſaque ſententiarum varietate, atque inde natis diverſis opinionibus, quo nempe pacto ſimultates, quæ Imperium & Galliarum Regem dividunt, & bellum, quod inter Hiſpaniarum & eundem Galliarum Regem exortum eſt funeſtiſſimum, tolli & finiri poſſent, coactos tandem eſſe cedere neceſſitati & judicaſſe tutius fore, ut per inducias e medio tollerentur diſcordiæ, quam ut Chriſtianus Orbis majoribus gravioribusque objiceretur calamitatibus indies, & rejectis induciis exoriretur Nubes trucis ac cruenti & magna mercede piandi licendique belli. Exiſtimavimus toto Orbe ſatis ſpectatam eſſe acerrimam voluntatem Noſtram ad Religiones quas ditione hoc ſub ſo-

le Hiſpaniarum Rex tenet, Urbemque Lucisburgum conſervandas, illiusque præclariſſimum documentum eſſe miſſum auxilio militem; verum poſtquam animadvertimus Britanniarum Regem non e re ſua judicaſſe Hiſpaniarum Regi ſuppetias ferre, Imperii Germanici Proceres non modo eſſe immane quantum inter ſe diſcordes, verum etiam duo illius dignitate & opibus illuſtria membra, Colonienſem Electorem eundemque Epiſcopum Monaſterienſem, & Electorem Brandenburgicum alia omnia ſentire, illumque aperte teſtatum eſſe, coactum ſeſe fore rationes, quæ non inſervient commodo Fœderatorum Belgarum Reipublicæ, ſequi, ſi propter Bellum, quod in Hiſpania Belgica ortum eſt, cum Galliarum Rege Nobis bellandum foret, alterum vero non obſcure idem etiam ſignificaſſe. Poſtquam animum advertimus inſuper illuſtres fœderatos præclara quidem voluntate ferri ad communem cauſam communibus viribus ſtrenue defendendam & conſervandam Chriſtiano Orbi tranquillitatem, ſed propenſum illum & benignum Majeſtatis Suæ Cæſareæ animum trucis & cruenti belli Turcici procella, aliorumque fœderatorum eximiam voluntatem bellicis vicinorum Regum & Principum apparatibus impediri, nec potuiſſe præſtare, quæ certiſſima expectabamus. Poſtquam animum advertimusHiſpaniarum Regem ob calamitates, cum quibus conflictatur, non potuiſſe tempeſtive, & prout neceſſitas efflagitabat componere & ordinare res Belgarum ſuorum, nec opis eſſe noſtræ, qui ſoli fere manus operi admovimus, reſiſtere

magnæ

magnæ militum vi, quam Galliarum Rex coegerat, poſtquam tandem perpendimus Luceburgum non modo difficillime poſſe recipi, verum etiam periculum eſſe, ne quæ Hiſpaniarum Regi in Belgio reliqua ſunt, facili opera eriperentur confœderatosque una cum Nobis implicitos iri bello, cujus fortuna anceps, Mars communis, & eventus difficilis admodum & periculoſæ plenus aleæ futurus ſit, neceſſe habuimus tempori morem gerere, & quod ad Nos attinet condicere inducias a Galliarum Rege Regi Hiſpaniarum & Nobis latas. Conabimur omni via Hiſpaniarum Regem permovere, ut acquieſcere iisdem conditionibus velit, quemadmodum ex iis, quæ pacta & ſubſcripta ſunt nono & vigeſimo Junii proximi die, palam fiet, & certo ſperamus, Majeſtatem Veſtram conſilia Noſtra adjuturam & collimaturam ad eundem ſcopum, id quod certo futurum Nobis promittimus, ſi Majeſtas Veſtra animo perpendere velit, non modo rationes in medium allatas, verum etiam Cæſaream ſuam Majeſtatem in Ratisbonenſi Conventu ſententiæ loco dixiſſe Hiſpaniarum Regem accepturum conditiones, ſi Lucisburgum Urbs, quam nondum conſtabat a Galliarum Rege occupatam eſſe, obſidione liberaretur, vel capta reſtitueretur Hiſpanis. Audemus Nobis perſuadere Majeſtatem Veſtram, non rejecturam Gallicas conditiones, idque eo magis, quia vel parva vel nulla ſpes reliqua eſt, urbem eam cito recuperari poſſe, & quia metus haud vanus Nos tenet, plura Oppida, ſi bellum non extinguitur, eandem fortunam ſubitura, miſerrimi

 tempo-

temporis propagationem & proximam victoriam Inſtrumentum ſequentis fore. Illud certe unicum Nobis in votis fuit ſemper, ut majori concordia inducias ſancire datum fuiſſet, atque illæ magis placuiſſent Majeſtati Veſtræ, verum eo loco eſt ſapientia, Providentisſime Rex, apud Nos Tua, eo loco bonitas & modeſtia, ut ſperemus & promittamus Nobis Majeſtatem Veſtram, præclaris iis virtutibus in Conſilium adhibitis facili opera percepturam, Nos eadem, quod ad ipſam pactionem attinet, ſentire, ſed non convenire plane in ratione & modo, quo illa facta fuit, nec dubitandum fore, quin & hæc levis difficultas brevi ſublata foret, niſi tempus Noſtra duntaxat ex ſententia Nos admonuiſſet, arreptis conditionibus a Galliarum Rege latis, proſpiciendum eſſe commodo publico. Etſi Majeſtas Veſtra cum cura putare velit, Cæſaream Suam Majeſtatem cenſuiſſe, Hiſpaniarum Regem bene conſulturum rebus ſuis, ſi acciperet conditiones toties memoratas ea lege atque omine, ut Urbs Lucisburgum in poteſtate ejus maneret, haud difficulter perſpiciet nullam inter Cæſaream ſuam Majeſtatem atque Nos relinqui diſceptationem, niſi num Lucisburgum a Galliarum Rege captum induciarum tempore ſit ditionis Gallicæ, an vero Hiſpaniarum Regi reſtitui debeat, arbitramurque hanc opinionum diverſitatem (quæ certe magni momenti non eſt, ſi ipſas inducias ſpectamus) non debere eſſe impedimentum & obſtaculum pactioni, quæ, quantum Nos conſilio aſſequi poſſumus, perneceſſaria eſt non modo, quia ea induciarum natura eſt, ut

nemo

nemo reddat alteri vel urbem vel agrum alicujus momenti, quem antequam de induciis conveniſſet, armis occupavit: Verum etiam, quia hoc rerum ſtatu urbs amiſſa difficulter admodum vel plane recuperari non poteſt; recte quoque Nos facturos exiſtimavimus, ſi nihil ſtatueremus de conditionibus, quibus induciæ cum Romano Imperio percuterentur, atque in illud unice incubuimus, ut idoneum Imperio tempus & opportunum ſatis daretur ad tollendas eadem via diſcordias, & ut conditiones per illud tempus a Galliarum Rege augeri & Fœderati irruptionibus aliisve, quæ ad belli inſtar ſunt auſis, vexari poſſent: Neque etiam illud facere induxiſſemus animum, niſi certiores facti eſſemus, Electorum Collegium non modo, verum etiam Cæſaream ſuam Majeſtatem & Collegium Ducum, talia ſentire, quæ ſi certe non plane ſpondent, attamen promittunt & ſperare Nos faciunt, inducias haſce Germanico etiam Imperio placituras; Nam licet ſua Cæſarea Majeſtas tempus reſtrinxerit ad decem, non autem ad ipſos viginti annos, illa tamen differentia non magni facienda eſt, quia agitur res de faciendis induciis, quibus conſilia inire dabitur de pace percutienda perpetua & æterna, & quia non tam tempus, quam ipſa pax præcipuus induciarum ſcopus eſt, illisque finis imponitur, ſimulac hæc fuerit ſancita. Nulli igitur dubitamus, quin rebus ad eam normam examinatis, & primario opere in tantum profligatis, præ æquitate & juſtitia, quas in mente veluti in templo collocavit Majeſtas Veſtra, Nos judicio ſuo probatos

 batos

batos & ornatos, a culpa & omni noxa abſolvat, ſi forte omnia non ita facere potuimus, ut rei Natura & Ordo, quem alioquin hilares lubenteſque obſervaſſemus, videbantur depoſcere. Certum equidem eſt, multis partibus melius fore, ſi inducias Cæſarea Majeſtas, Imperium & Hiſpaniarum Rex uno eodemque tempore feciſſent Nobiſcum, verum nec illud negari poteſt, Galliarum Regem numeroſo admodum & pene magno exercitu inſtructum promptum atque paratum fuiſſe ad alia armis experienda; proindeque ſive ſpectemus Imperium Germanicum, ſive Hiſpaniarum Regem, a ratione non alienum videri debere, maxime cum non tanta ſit, ſi caput rei ſpectamus, differentia, ut de felici eventu ſit deſperandum, ſi poſthabito paululum modo & via agendi compotes facti ſumus rei permagnæ atque egregiæ, ac convenerimus Regem Galliarum illo, quod Imperio offertur, tempore, nihil vi armiſque agere, nec cumulum conditionibus poſſe adjicere, fidem certe facere poſſumus, Nos laturos & Majeſtati Veſtræ & fœderatis promiſſa auxilia, ſi quiſquam invadere & infeſtos habere eorum agros velit, piaculum exiſtimare Majeſtatem Veſtram & illuſtres fœderatos, cum quibus Nobis omnia ſunt communia, relinquere, conſiliumque & propoſitum eſſe Reipublicæ amicitias non utilitate, ſed fide colere, pacta conventa perſancte ſervare, injurias fœderatis illatas repellere, & Nobis recipere induciarum Leges, quibus imperium & Galliarum Rex ſeſe obſtringent, ſi modo Imperium etiam præſtare velit inducias, quæ inter

ter

ter Hiſpaniarum & Galliarum Reges, ut ſperamus, fient ; quod ſi hoc obtineri continuo non poſſit, paratiſſimi ſumus cum fœderatis & illorum ablegatis paciſci , quæ inſervient omnium ſecuritati & quieti : præſtabimus ad hoc omnia , quæ in fraudem percuſſorum fœderum & damna fœderatorum ſuſcipientur , & quidem ſi quis prætexat ſeſe corpori, quæ inde avulſa & ſeparata ſunt, reddere , annexa quondam repetere , appendices & ea , quæ exinde dependerunt , vindicare , vel quodcunque tandem nomen , quive titulus illiusmodi, aliisve adquirendi modis dari poſſit. Et cum perſpectum habeamus, Majeſtatem Veſtram aliosque foederatos id ſedulo agere , ut ſua ſeptentrioni ſervetur quies , aſſeveramus nihil Nobis deliberatius eſſe , quam curare diligenter, ut finiantur exortæ ibi contentiones , & iis tollendis Nos Nobis Normam & Regulam propoſuiſſe ac fœdera , quibus tenemur , ſi autem forte controverſiæ non dirimi , nec arma conditionibus poni poſſent ; Regiæ Veſtræ Majeſtati & fœderatis , quibus contra pactorum fidem damna inferrentur , auxilia promiſſa & debita mittemus. Atque ut clariſſime pateat , Nos velle pactis conventis ſtare , nec ullam ob rationem communem cauſam relicturos , cum Majeſtate Veſtra, in quam Noſtra ſemper conſtabunt officia , & aliis fœderatis , de obſervandis bona fide induciis in conſilium ire parati ſumus , ut ea via ſecuritas & tranquillitas fundetur , Reipublicæque Chriſtianæ & mutuæ amicitiæ conſulatur. Cæterum, Sereniſſime & Potentiſſime Rex , Deum Opti-

 mum

mum Maximum, ut Majeſtatem Veſtram ſoſpitem conſervet, & diu proſpere ac feliciter regnare dignetur, rogamus. Datæ Hagæ Comitum die 3. Julii 1684.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Ad quævis officia paratiſſimi ac Confœderati

Ordines generales Fœderati Belgii.

De Weede,

Ad Mandatum Eorum

H. Fagel.

DCCXXVI.

Literæ EMERICI COMITIS a TOECKELT, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, quibus ipſi deplorandum Nationis Hungaricæ ſtatum exponens, cauſam & Patrocinium Religionis in Hungaria Evangelicæ ſubmiſſe commendat, 1684.

Sereniſſime & Potentiſſime Princeps, Elector, Domine mihi gratioſiſſime.

OPpreſſiones Noſtræ & cruenta, intolerandaque perſecutio, cum a tot annis Orbi Univerſo innotuerint, ita coram Electorali Serenitate Veſtra funeſtam hanc conditionem & ſortem, quam divinum Numen Nobis ſuſtinendam impoſuit, evidenter conſtare non ambigo, imo vel ex illa nuperrima mea declaratione, quam ad Electoralem Serenitatem Veſtram emiſi, originem & fontem malorum, cauſaſque & Juſtitiam belli, plene & Evangelica cum commiſeratione cogno-

ſcere

ſcere potuit. Arma Noſtra,Reſolutionesque pro Libertatibus Patriæ, adhæc protectio potentisſimæ Nationis truculentos impedierunt impetus, Religionique Evangelicæ non exiguum procurarunt reſpirium. Sed poſtquam fortuna belli in partem Cæſareanorum verſa eſt, novæ Nobis & Evangelicæ Religioni imminent afflictiones, & ſi furentes animi ulterioribus efferveſcant ſuccesſibus, certisſimum eſt, Auſtriacos omnem vim & impetum in Noſtram perniciem & exterminium Religionis effuſuros. In his extremitatibus, dum fluctuantem vides Hungariam, Serenisſimus Poloniæ Rex mediationem ſuam ad componendos hoſce motus & procurandam reconciliationem benigne obtulit, neque alienus eſſem ab accommodatione in rem Chriſtianam, dum modo libertates Nobis cum ſecuritate & bona fide reſtituantur, mihique pro tot damnis impendatur ſatisfactio. Alioquin neceſſitabimur in extremitatibus extrema ſequi conſilia, ſi Miniſtri Cæſarei, prouti hactenus, ita etiam impoſterum tractandi normam ad rationem ſtatus & occaſionum momenta direxerint. Proinde Electoralem Veſtram Serenitatem demiſſe rogo, dignetur ſerio penſitare labantem rerum ſtatum, & exorientia ex oppreſſione noſtra in everſionem libertatum, & præſertim libertatis Evangelicæ pericula, quæ ut omnibus modis præcaveantur, templisque & ſacris ſua permittantur Jura & leges, æquitas & Chriſtiana conſcientia efflagitant. Teſtor Deum, quod in hac cauſa hunc ſolum & principalem ſemper habuerim habeamque ſcopum, ut everſæ contra

mum Maximum, ut Majeſtatem Veſtram ſoſpitem conſervet, & diu proſpere ac feliciter regnare dignetur, rogamus. Datæ Hagæ Comitum die 3. Julii 1684.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Ad quævis officia paratiſſimi ac Confœderati

Ordines generales Fœderati Belgii.

De Weede,

Ad Mandatum Eorum

H. Fagel.

DCCXXVI.

Litera EMERICI COMITIS a TOECKELI, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, quibus ipſi deplorandum Nationis Hungaricæ ſtatum exponens, cauſam & Patrocinium Religionis in Hungaria Evangelicæ ſubmiſſe commendat, 1684.

Sereniſſime & Potentiſſime Princeps, Elector, Domine mihi gratioſiſſime.

OPpreſſiones Noſtræ & cruenta, intoleranda que perſecutio, cum a tot annis Orbi Univerſo innotuerint, ita coram Electorali Serenitate Veſtra funeſtam hanc conditionem & ſortem, quam divinum Numen Nobis ſuſtinendam impoſuit, evidenter conſtare non ambigo, imo vel ex illa nuperrima mea declaratione, quam ad Electoralem Serenitatem Veſtram emiſi, originem & fontem malorum, cauſasque & Juſtitiam belli, plene & Evangelica cum commiſeratione cogno-

ſcere

ſcere potuit. Arma Noſtra,Reſolutionesque pro Libertatibus Patriæ, adhæc protectio potentisſimæ Nationis truculentos impedierunt impetus, Religionique Evangelicæ non exiguum procurarunt reſpirium. Sed poſtquam fortuna belli in partem Cæſareanorum verſa eſt, novæ Nobis & Evangelicæ Religioni imminent afflictiones, & ſi furentes animi ulterioribus efferveſcant ſuccesſibus, certisſimum eſt, Auſtriacos omnem vim & impetum in Noſtram perniciem & exterminium Religionis effuſuros. In his extremitatibus, dum fluctuantem vides Hungariam, Serenisſimus Poloniæ Rex mediationem ſuam ad componendos hoſce motus & procurandam reconciliationem benigne obtulit, neque alienus eſſem ab accommodatione in rem Chriſtianam, dum modo libertates Nobis cum ſecuritate & bona fide reſtituantur, mihique pro tot damnis impendatur ſatisfactio. Alioquin neceſſitabimur in extremitatibus extrema ſequi conſilia, ſi Miniſtri Cæſarei, prouti hactenus, ita etiam impoſterum tractandi normam ad rationem ſtatus & occaſionum momenta direxerint. Proinde Electoralem Veſtram Serenitatem demiſſe rogo, dignetur ſerio penſitare labantem rerum ſtatum, & exorientia ex oppreſſione noſtra in everſionem libertatum, & præſertim libertatis Evangelicæ pericula, quæ ut omnibus modis præcaveantur, templisque & ſacris ſua permittantur Jura & leges, æquitas & Chriſtiana conſcientia efflagitant. Teſtor Deum, quod in hac cauſa hunc ſolum & principalem ſemper habuerim habeamque ſcopum, ut everſæ contra

tra fidem & per ſummam vim libertates in priſtinam vindicentur integritatem, Religio autem Evangelica ex fundamento legum patriarum ſuum conſequatur vigorem. Hoc lateri meo accinxit frameam, quam a tenera ætate pro aris & focis intrepide porto, Deo judici & injuriarum mearum vindici juſtiſſimam cauſam committens; quod ſi etiam ſacratiſſimus Imperator meam devotionem & juſtisſimas prætenſiones per contemtum transmittat & repudiet, neque ſic tamen animum deſpondebo, vel a protectione hujus cauſæ recedam, quantumque etiam calamitatum & periculorum ſuſtinendum ſit; tandem juſtæ cauſæ Deus ſolet eſſe protector. Si vero res ad honeſtam & ſecuram compoſitionem deveniret, Electoralem Serenitatem Veſtram meo & mihi unitorum Hungarorum nomine demiſſe rogo, ut ſi politici non urgerent reſpectus (qui ponderandi tamen ſunt, & caute evitandum, ne Regnum Hungariæ ex ſtatu libero in hæreditarium præcipitetur) moveat tamen Heroicum animum conſideratio Religionis, ne (quod Clerus omnino intendit) tandem in Hungaria extremum patiatur naufragium. Interpoſitio Electoralis Serenitatis Veſtræ aliorumque Evangelicorum Regum & Principum ad ſalutem & emolumentum Hungariæ plurimum conferet, præſertim, ſi Sereniſſimus Rex Poloniæ, tanquam Princeps vicinus & conſervationi Noſtræ innitens, requiratur, ad continuandam Mediationem & benignam erga Nos propenſionem. Hoc eſt quod ab Electorali Veſtra Serenitate ſubmiſſe peto; hoc tot animæ

mæ ſub onere perſecutionum ſuſpirantes, hoc religio & erga eundem ipſa chriſtiana obligatio depoſcunt, ideoque certus ſum & ſecurus Electoralem Veſtram Serenitatem zelum ſuum & gratioſum erga me & Nationem Hungaricam favorem ſalutariter conſervaturam. Pro qua benignitate Electoralis Serenitas Veſtra me ſibi ſemper devotum, totum vero hocce Regnum experietur gratioſiſſimum. Quod ſupereſt Electoralis Serenitatis Veſtræ longævitatem & proſperos rerum ſucceſſus deſiderans, maneo

Electoralis Serenitatis Veſtræ

Datum Boſnaviæ d. 29. Julii 1684.

Servus obſequentiſſimus

EmericusThœckeli.

DCCXXVII.

Literæ LEOPOLDI Romanorum Imperatoris ad CAROLUM XI. Sveciæ Regem, quem amanter rogat, velit vicennalis armiſtitii cum Rege Chriſtianiſſimo initi tuitionem in ſe recipere, 1684.

Leopoldus divina favente Clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wurtembergæ, Comes Tyrolis &c. Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi Domino Carolo Svecorum &c. Regi Salutem cum omnis boni incremento.

Sere-

Sereniſſime.

QUemadmodum hactenus omnem collocaverimus operam, ut pax & tranquillitas in Orbe Chriſtiano redintegraretur, maxime poſt illatum a Turcis immane bellum, Serenitas Veſtra abunde compertum habet. Hinc decima quinta menſis Auguſti in Comitiis Sacri Imperii, quæ Ratisbonæ perdurant, arduum illud Induciarum vicennalium opus inter Nos, Sacrum Romanum Imperium & Sereniſſimum Franciæ Regem Chriſtianiſſimum coaluit; Nec minus Rex Hiſpaniarum Catholicus, ex quietis amore & Noſtris Conſiliis permotus, inducias pariter cum Chriſtianiſſimo Rege in Vicennii ſpatium ſancivit, ut Reſpublica Chriſtiana univerſa Concordiæ fructibus uteretur ac frueretur. Quapropter ſpem imo fiduciam concepimus maximam, fore, ut quæ Chriſtianus populus in mutua viſcera pridem ſtrinxit tela, nunc demum in perniciem Barbarorum convertat. Quoniam vero non minus ſolliciti ſumus, ut ſacra & ſalubris hæc armiſtitii pactio in ſolidam & univerſalem pacem coaleſcat, intereaque majus adhuc robur conſequatur; Nos, Sacrum Imperium, & Regem Chriſtianiſſimum inter convenit, alios quoque Reges, Principes ac Reſpublicas ad præſtationem mutuæ gvarantiæ invitandos eſſe. Certi igitur de Serenitatis Veſtræ indefeſſo erga Pacem & Publicam ſalutem ſtudio, tum propenſione in res Noſtras juxta arctiorem amicitiæ & fœderis nexum, Eandem Noſtro & Sacri Romani Imperii nomine fraterne & peramanter invitamus & interpel-

terpellamus, dignetur Serenitas Veſtra Sua quoque ad memoratam Gvarantiam acceſſione ipſas inducias & ab illarum Cuſtodia pendentem Chriſtiani Orbis ſecuritatem firmiorem reddere, atque intra trimeſtre ſpatium, quod a die concluſionis Armiſtitii in hunc finem conſtitutum eſt, mentem ſuam declarare. Perſpectum habentes Serenitatis Veſtræ animum in tutelam publicæ ſalutis omnino pronum, reſolutionem expectationi Noſtræ congruam Nobis pollicemur. Et prout id gratum acceptumque habituri ſumus: Ita viciſſim Noſtro Sacrique Imperii, tum paciſcentis Sereniſſimi Regis Catholici nomine mutuam ac reciprocam opem eidem promittimus. Cæteraque ad illuſtrem & Magnificum Ablegatum & Camerarium Noſtrum, Sacri Imperii fidelem dilectum, Franciſcum Beroa, Comitem Havarræ, Dominum in Doup & Leippa rejicimus, quem circa præſentem rerum faciem ſenſus Noſtros coram exponere juſſimus. Interea Serenitati Veſtræ inconcuſſam valetudinem & proſperos quosque Conſiliorum ſucceſſus voventes. Datum in Civitate Noſtra Viennæ die 28. Menſis Auguſti Anno 1684. Regnorum Noſtrorum Romani 27. Hungarici 30. Bohemici 28.

Serenitatis Veſtræ

Bonus Conſanguineus & bonus Frater

LEOPOLDUS.

Leopold Wilhelm Comes in Königſegg.

Johannes Probſt.

DCCXXIIX.

DCCXXIIX.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad INNOCENTIUM PAPAM XI. quibus ſuſceptæ præſenti anno adverſus Turcas expeditionis bellicæ ſeriem pertexens, ejusdem paternæ providentiæ & liberalitati futura momenta impenſe commendat, 1684.

POſt oſcula pedum beatorum Sanctitatis Veſtræ, mei & Regni Dominiorumque meorum filialem commendationem. Poſtquam Sanctitatem veſtram de initiis bellicarum mearum operationum, atque expugnato fortalitio Jazloveceniſi certiorem reddidi, juvat eidem finem operis mei, quæque geſta fuerint, filiola referre veneratione. Conſtare minime dubito Sanctitati Veſtræ, quam tardo gradu complures Legiones, & cohortes exercitus mei caſtra ſubintraſſent. Exemplo licet præſto adfui, Regiamque perſonam, ac primogenitum meum in Caſtra, circa medios Auguſti producens, unice contenderam univerſum quantocius congregare militem, quoque magis allicerem, bellique tuba clarius inſonaret, velut primam offam victricium armorum, memoratum fortalitium Jazlovecenſe, limitibus meis, Othomanica ereptum poſſeſſione reſtitui. Mox ad Thyram usque, qua jacet Chocimenſis & Zwanecenſis arx, progreſſus id unicum egi, quomodo collectis, nec dum bene reſumtis Regni poſtViennenſem expeditionem viribus, fortia plus ultra contra hæreditarium S. Crucis hoſtem proferrent arma. Eam enim exercitibus & copiis meis præteritum in Germania & Hungaria bellum, per laboros

labores, morbos, adverſique cœli injurias impreſſerat calamitatem, ut non modo in Caſtris, ſed ne dum in reditu meo certas legiones & cohortes offendere valuerim. Cauſavit non minus eandem tarditatem Palatinatuum & Diſtrictuum in ſolvendis contributionibus ſequior præteritorum Comitiorum interpretatio, quaſi vero laudatæ eſſent, non pro duobus annis, ſed duntaxat pro ſemi quatuor quartualibus; defectus tamen iſtæ militiæ deſideratæ, nequaquam mihi obſtitit, quo minus præmeditata ad ſuum reducerem finem & ultra. Diverſis locis, diſtinctoque tempore cura & ſollicitudine omni poſſibili ſtruere pontem ſuper Thyram tentabam, ſed pluviæ, tempeſtatis, aquarumque inde exuberantior vis, ac inſveta inundatio poſuere obicem tam diu, donec Hanus Crimenſis cum univerſis Tartarorum copiis, & mox Soliman Baſſa Seraskierus, vulgo Generaliſſimus, cum octo aliis Baſſis ex altera parte terræ prope Chocimum conſtitiſſent; igitur ubi acies ſolo diviſæ flumine conſpicerentur, hoſtemque ſatis per copias meas ex ea parte Thyræ ad Chocimum locatas laceſſitum, nequaquam in hanc ripam evocare, ipſe vero præ aquarum inundatione, nullatenus ad illam tranſire potuerim, ſtatueram arte aliqua provocandum; Noveram bene Tartaris tam facilem eſſe Thyram trajectui, quam exercitui meo vel levem rivulum aut exiguam paludem; noveram id quoque quod ſi cognoverint, me Canienecum verſus proceſſurum, neceſſario adſtringendos fore, ad dandas ſuppetias, tranſeundumque memoratum

ratum fluvium. Itaque deſerto ponte, nec dum ob aquarum inundationem perfecto, alio vero ſuperius inſtruendo de mandato, ad rupem usque & muros Camenecenſes, ſimilis expugnaturo proceſſi. Quo viſo, Tartari ſoliti ac ſveti nandi, dum miles meus proxima quæque Cameneco, pagos, fruges, imo prata ipſa calcat, & radicitus exſtirpat, ſuperveniunt mox & memoratus Sieraskierus ſeſe adjunxit, fultique præſidiariis Camenecenſibus, ubi quatuor Baſſæ & 12000. militum feruntur fuiſſe, tormentisque inde acceptis prodeunt in apricum. Tum demum ego partim, quo magis adjacentem regionem peſſumdarem, partim quo in apertiores campos educerem hoſtem, alio, quam veneram tractu, verſus, ſecundario per inſtitutum ſuper Thyram pontem iter feci, & quidem videbatur inſtare hoſtis, ad quemvis fluvii vel uliginis tranſitum, & nos per velitationes adoriebatur, ſemper tamen damno ſuo rejectus, ſtatariam nunquam dare pugnam, imo ne quidem ex memoratis tormentis, metu ne eadem amitteret, vel unica vice explodere auſus, id unicum moliebatur, quomodo naturali ſuo & originali bellandi more, ſcilicet deſultoriis præliis, ſive velitationibus, ſubitaneoque impetu exercitum meum ad ultimum illud, ſemperque infelicibus olim Reipub. vicibus contra ſimiles impetus practicatum remedium, nempe ſui circumvallationem neceſſitaret, quo facilius ſic circumventos, ſecluſoque commeatu annonæ, prout id ex captivis conjicere licuit, ad conditiones pacis, quæ liberaliſſime propinata eſt, ſtringeret, ſeque

manu-

manumiſſum ad ferendum ocius Budæ ſubſidium redderet; ſed poſtquam aperto marte in liberrimos campos progrediendum cognoverit, non plus ultra 4. leucas à muris Camenecenſibus exceſſit, mihique ad deſtinatum ſecundarii pontis locum inoffenſo pertingere licuit pede; verum poſtquam nec ibi, nec tertio loco ſtructi, molitique ſucceſſere pontes, relictis omnibus impedimentis, curribus, ac feſſo peditatu moveram rurſus ultro, quæſiturus, offenſurusque hoſtem; ſed cum hic ad nuntium motus mei ad ipſas fere rupes, & muros Camenecenſes ſeſe recepiſſet, per quinque dies, ſine igne & fumo contiguos penetravi campos, levibusque duntaxat Tartarorum copiis, quos in partem Volhyniæ excurriſſe fama erat, obviis diſperſis & profligatis, præcipuisque eorum in captivitatem abductis ad caſtra redii. Interea Turcæ & Tartari prius in Moldavia ad Lecoram conſtiterunt, antequam mihi fuiſſe eos compertum eſſet, utpote ſuperato Thyra veloci curſu intra duos dies & noctes memorarum attigerunt locum, quo ipſorum progreſſu Camenecenſes Præſidiarii adeo conturbati ſunt, ut ſupplicem libellum contra Seraskierum & Hanum per ſuos legatos ad Portam expedire non dubitarent, querulabundi, quod non ſolum ſtatariam pugnam mihi detrectaſſent, verum etiam mutatione caſtrorum ſuorum ad muros fortalitii, plurimam inediæ & carentiæ attuliſſent cauſam, ſuccedente tamen præmature autumno, rigidiorique cœlo & frigoribus inſperatis, fataliquc quadam morborum ſubintrante lue, ac denique ſolenni per

 legem

legem comitiorum ſupereminente termino recedere viresque reſumere neceſſum fuit, neque tamen dimiſi, ut ſolitum erat, in viſcera Regni pro hybernis militiam, ſed eam in finibus in hoſtico, imo poſt Thyram in Moldavia, quantum per inexplicabilem illius terræ ſolitudinem licuit, per totum tractum, ac diſtrictum Czernielicenſem diſpoſui, qua locatione militum fortalitia quoque Barenſia, Miedzybozenſia adeo ſtringentur, ut facile primo vere ſuccubitura illa nemini ſit dubium, ubi recentiſſime verſus Bar Calmucenſes, & Coſacci Dunenſes, quos magna ſolicitudine conduxeram tardius ad me venientes, obvios ſibi Tartaros habuerunt, atque egregia fortitudine numeroſiorem hoſtem fuderunt, ulteriusque perſecuti ſunt. Quia vero anguſtiæ locorum, ac ingens ſolitudo exercitum capere non potuit, propriis meis hæreditariis, ultra morem & conſuetudinem Patriam, non peperci, quietem in iis hybernandi militibus, indulgendo, atque artileriam Regni, ac totam rem æneam, cum omnibus impedimentis in arce mea hæreditaria Zlogovienſi collocando, quo exemplo proceres etiam nonnullos, ad eundem charitatis erga Patriam morem traxi, ne pœniteret militi ad confinia excubanti in hæreditariis bonis concedere focum, cum alias non niſi ad Regalia onus hoc ſtativorum pertineret. Eodem motivo proſpiciendorum, propulſandorumque de propinquo periculorum, tum pro facilius continuanda cum Palatino Vallachiæ Cacecuſano mihi, ac rebus Chriſtianis addictiſſimo correſpondentia, qui Dei gratia hucusque Barba-

ras ſuſpiciones dexterrime effugit, in hiſce Ruſſiæ partibus non modo ipſemet ſubſiſtere, verum etiam ventura comitia, quibus per legem Grodnæ in Lithuania locus deſtinatus eſt, Leopoli indicere ſtudium, conſilium atque operam converteram; ſed ubi Proceres M. D. Lith. legis pro ſua gente tenaciſſimi, nequaquam id ſibi perſuadere permittant, neſcio, an præſentes rerum conjuncturæ medium ſaltem inter Leopolim & Grodnam locum ſcil. Varſaviæ impetraturæ ſint. Pertinaciorem tamen ſenſum hunc Magni Ducatus Lithuaniæ de celebrandis Grodnæ comitiis elicit vel maxime recentiſſimum a Moſchis periculum, qui notabilem tractum poſt fluvium Soz nuperrime limitibus *Lithuaniæ* vi ademerunt, contra pacta tot juramentis ab utriſque firmata, licet ipſis nulla ex parte Reipubl. data ſit occaſio, ſed totum id Deo adjuvante, ac omni meliori modo abolendi ac componendi, hocce tempore hyemali operam meam interponam, quo facilius progreſſibus ſacri belli inſiſtere valeam. De noviſſimo quoque acerbiori illorum facto Sanctitati Veſtræ communicandum. Hic proinde inſperatus, quem ſuperi avertant, hoſtilitatis caſus de confinio hocce conſilium, ac perſonam meam retrahendi, removendi imponere videtur neceſſitatem. Cæterum ubique Deo auſpice memorata comitia indicere concluſum fuerit, tempeſtive paternis erga Regnum meum Sanctitatis Veſtræ gratiis ac ſolicitudini, maturam futuri veris providentiam humillime commendo. Pericula nulli majora, quam mihi Regnoque meo imminent; res enim mihi

 eſt,

eſt, non cum ſolis Turcis, prout meis ſacri belli conſociis, ſed cum Tartaris etiam multitudine & ferocia gravibus ac ad vincendum difficilibus. Si enim fugiant, ventum per aëra ſectari eſt; ſi inſequuntur, velut tempeſtatem & grandinem de cœlis irruere conſpicies. Et profecto ſacratisſimus Imperator hereditariis totius Imperii ac Electoralibus fulcitur viribus; Illuſtrisſima Reſpublica Veneta, conterminis maritimis inſiſtit provinciis; mihi duntaxat propriis exhauſti regni armis, tot, tantosque exercitus ſuſtinere, ac retundere, quo modo par erit? Quodque maximum, non modo par erit gerendum bellum inter ſolitudines locaque habitatore vacua, ſed etiam ad bella per deſerta eundum. Podoliæ integer tractus deſertus, Moldavia potior ſolitudinum Patria; ſi usſpiam aliquid incolarum inveniatur, aut offenſi, aut infidi in ipſa Podolia, nobilisſima parte Regni mei. Videre nuper fuit non ſine horrore, ſeptuagenarios ruſticos, Mahometanam ultro & benevole amplexos ſectam, circumciſos, majorisque conſtantiæ fœminas repertas, quæ maritis ſuis contactum Mahometiſmi aut diſſuaſere, aut rurſus ab eo retraxere. Quare omnem illam plebem, ne aut Mahometana ſenſim univerſi imbuerentur inficerenturque ſecta, aut magis Turcis, quam noſtratibus favendo, alimenta Cameneco ſubminiſtrarent, proditionemque aliquam molirentur in viſcera regni, ex partibus illis ſecedere curavi. Illic itaque geſturis bellum niſi præter ſolita militibus ſtipendia adſit annonæ, omniumque neceſſariorum proviſio, tum curruum tum vi-

ctualium

ctualium continua ſuppeditatio, impoſſibilis fere ſubſiſtendi modus ob prætactam in iis partibus vix credibilem & imaginabilem ſolitudinem. His vero omnibus, an rationes Reipubl. ſufficiant, optime Sanctitas Veſtra novit, ac facile colligere poteſt, quod niſi ſingularioribus ſuis gratiis, beneficentia ac liberalitate erga Regnum hoc asſiſtere contendat, plurima ac evidentisſima pericula perhorreſcenda ſint. Quod dum Sanctitati Veſt. filiali devotione & ſinceritate expono, atque ex zelo felicis Chriſtianarum rerum ſucceſſus imperiſius promoveo, minime dubito, eandem rebus meis, imo potius univerſæ Chriſtianitati tantum affuturum, quantum necesſitas, pericula, commoda Chriſtiana, gloria crucis, S. Eccleſiæ, ac fidei poſcunt incrementa. Cæterum a Sanctitate Veſtra paternas exoro benedictiones. Sanctitati vero Veſtræ a Deo T. O. M. longævam valetudinem, cum felici ac diuturno regimine ex amore precor. Dabantur ex Arce noſtra hæreditaria Zloczovienſi die 13. menſis Novembris Anno Regni noſtri XI.

DCCXXIX.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad JOHANNEM III. Poloniæ Regem, quibus ipſi equos aliquos e Saxonia ſua oriundos, in conſtantis & tenerrimi amoris teſſeram a ſe tranſmitti, nuntiat, 1684.

P. P.

EA omnino fide ac induſtria ſanctioris illius, quæ elapſo jam fere biennio in Caſtris ante Viennam inter Regiam Veſtram Majeſtatem & Nos

coaluit, amicitiæ memoriam ſervamus, ut quotiescunque illius Nos temporis recordatio ſubit, toties tacito quodam ductu ſimul ad æſtimationem ſpectatæ Illius fortitudinis exhibitæque Nobis humanitatis atque officiorum rapiamur, incerti, utrum ex his magis laudare debeamus. Nec enim ſatis habuit Regia Veſtra Majeſtas comitate tantum ſua Nos complecti, ſed teſtari etiam publice voluit, quam propenſo in Nos affectu perſeveret, dum eodem tempore aliquot equorum munere Nos exornaret, tanquam certisſimo conſtantis ſui in Nos amoris benevolentiæque pignore, quod tanto gratiori loco merito habuimus, quanto ſincerior benigniorque ipſe in Nos fuit donantis animus. Ut igitur liberalitatis hujus magnitudini aliquam ſaltem grati devinctique animi vicem reponderemus, promisſioneque Regiæ Veſtræ Majeſtati in Caſtris facta Nos una vicisſim liberaremus, viſum eſt ad Eundem Virum Nobilem Noſtri ſtabuli Præfectum, dilectum Nobis ac fidelem, Johannem Georgium a Wehlen cum aliquot equis, quales in Noſtris hiſce Provinciis procreantur & aluntur, impræſentiarum ablegare, qui exiguum hoc munuſculum, juſſu & Nomine Noſtro cum prolixa honoris cultusque debiti delatione, Regiæ Veſtræ Majeſtati vicisſim offerat, pluribusque teſtetur, quantæ Nos gloriæ ducamus familiarioris amici titulo honorari ab illo Rege, ſub cujus auſpiciis Poloniæ Regnum excelſe adeo hactenus floruit. Cum quo ſicuti indivulſo ſemper necesſitudinis vinculo vivere, ſerio habemus in votis, ita ad ornanda & amplianda mutuo officia

occaſio-

occaſionem nullam facile impoſterum ſumus omiſſuri. Quod ſupereſt Deum precamur, ut Regia Veſtra Majeſtas felicioribus indies ſucceſſibus victricia ſua arma expediat in Infideles. Dabantur in Electorali Noſtra Dreſda, die 26. Decembris 1684.

DCCXXX.

Breve INNOCENTII PAPÆ XI. ad JOANNEM III. Poloniæ Regem, quo ipſum ad bellum indefeſſe adverſus Turcas proſequendum inſtigat, eique Nuntium ſuum commendat, 1684.

Innocentius Papa XI.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter.

ETſi non dubitamus, quin ſtrenuus zelus, quo Majeſtas Tua magno cum fidelium plauſu rem chriſtianam longe lateque protendere hucusque ſtuduit, valido tibi ſit incitamento futurus, ad inclytæ iſtius Nationis conſtantiam, haud dubia ſpe victoriarum confirmandam, in magnanimo inſtituto Turcici belli, indefeſſis conatibus proſequendi, ea tamen eſt cauſæ gravitas, ea ex hujusmodi conſtantia in Chriſtianam Rempublicam derivari commoda poſſunt & incrementa, ut acriores etiam currenti ſolicitudinis Noſtræ ſtimulos in id ipſum admovere duxerimus, de perſpecta totque præclaris comprobatis documentis Majeſtatis tuæ fortitudine plane confidentes, nihil a Te prætermiſſum iri, quo amplam Tibi ad nova ac egregia patranda facinora viam ſternas, Noſtræque de eximia Tua virtute expectationi reſpondeas. Cætera

tera a Venerabili Fratre Opitio, Archiepiſcopo Epheſino cognoſces, chariſſime in Chriſto Fili, Cui proſpera cuncta a Deo impenſe precamur, ac Apoſtolicam Benedictionem Amantiſſime impertimur. Dat. Rom. die 30. Dec. 1684.

Inſcriptio.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, JOANNI, Poloniæ Regi illuſtri.

DCCXXXI.

Breve INNOCENTII PAPÆ XI. ad ORDINEM REGNI POLONIÆ SENATORIUM, quo eum, ut in ſuſcepto contra Turcas bello ſtrenue & conſtanter pergeret, paterne hortatur, 1684.

Innocentius Papa XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri.

UBI ex Apoſtolicæ Stationis ſpecula mentis Noſtræ oculos in Poloniæ Regnum convertimus, non levem ingentibus curis, quibus undique premimur, ſolatii materiam comparamus, animadvertentes inclytam Nationem Veſtram ab omnis ævi memoria ab impenſis adverſus Chriſtiani nominis hoſtes ac præſertim Turcas, viribus immortales ſibi laudes quæſiviſſe. Hujuſce autem intimi gaudii argumentum præcipue Nobis in præſens exhibent Nobilitates Veſtræ, quæ eximiis majorum veſtigiis inſiſtentes ingentem avitæ gloriæ cumulum adjicere ſtrenuo contenditis, in prædictorum Turcarum exitium metuenda arma tractantes. Commendamus Nos excelſis meritisque

ritisque præconiis religionem ac fortitudinem Veſtram, utque in ſuſcepto præclaro inſtituto conſtanter permaneatis, vos vehementer hortamur, qui decora Veſtra cum chriſtianæ Reipubl. ingentibus commodis conjuncta magnopere cordi habemus. Cæterum quam propenſam erga Vos geramus voluntatem; & quam paratiſſimi in omnes occaſiones, ſimus eandem Vobis præſtantibus documentis declarandi, a Venerabili Fratre Opitio, Archi-Epiſcopo Epheſino fuſe intelligent Nobilitates Veſtræ, quibus Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Dat. Romæ d. 30. Decembr. Anno 1684.

Inſcriptio.

Dilectis Filiis, Nobilibus viris, Ordini Senatorio Regni Poloniæ.

DCCXXXII.

Breve INNOCENTII PAPÆ XI. ad ORDINEM EQUESTREM REGNI POLONIÆ, quo depradicata pracellenti ipſius fortitudine, eum ad majora impavidi Martis ſpecimina Turcarum cladibus edenda ſtimulat, 1684.

Innocentius Papa XI.

Dilecti Filii,

ADeo præclare de Veſtra in rebus ſtrenue gerendis conſtantia ſentimus, ut uberes Nobis ab eadem in Turcarum exitium fructus plane polliceamur, perſpecta enim in eosdem Turcas fortitudinis Veſtræ documenta ſolicitudini Noſtræ ſpem

ſpem indubiam faciunt, eximiis inceptis inconcuſſe vos extituros, nihilque intentatum relicturos, quo majora indies immaniſſimis hoſtibus damna inferatis, hos autem animi Noſtri ſenſus Vobis aperuimus, ut magis hinc excitemini ad veſtras laudes amplificandas, perſuaſumque habeatis, non defutura vobis hoc nomine, ubi facultas aderit, præcipua benevolentiæ Noſtræ teſtimonia, ſicuti a venerabili Fratre Opitio, Archi-Epiſcopo Epheſino intelligetis, quibus interim apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ die 30. Decembr. Anno 1684.

Inſcriptio.

Dilectis Filiis Ordini Equeſtri Regni Poloniæ.

DCCXXXIII.

Litera JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad CARDINALEM ALTIERIUM, cui amanter committit, ut ſummo Pontifici ſedulo repræſentet, ne jus Patronatus Regibus Poloniæ circa conferendas Abbatias competens, a S. Sedis Dataria & Monachis quibusdam ſeditioſis patiatur convelli, 1684.

INter bellicos armorum ſtrepitus & Regii capitis noſtri contra chriſtiani nominis hoſtes diſcrimina non poſtrema nos id cura exercet, jura Patronatus noſtri in Curia Romana inſolenti aliquot monachorum & indigniſſimo auſu, accedente Datariæ Apoſtolicæ erga eosdem monachos ſtudio, funditus convelli. Mirari profecto, & dolere ſatis non poſſumus, quod hactenus pacificum

ficum & nunquam in dubium vocatum jus Patronatus Regum Poloniæ nunc primum moderno Pontificatu infringatur; Abbates titulati, ſine nominatione & præſentatione noſtra intrudantur, noſtri pro more & jure antiquisſimo ad Abbatias nominati, diverſis modis, litigiis, ſumtibus, cum ſumma indignitate & præjudicio noſtro vexentur, & beneficiis a nobis collatis excludantur, noſtraque autoritas & commendationes Regiæ fruſtra habeantur. Declaramus itaque firmam & conſtantem mentem noſtram, nos minime unquam paſſuros, jura Patronatus noſtri nobis de manibus extorqueri, neque permiſſuros, ut quisquam Abbatiis in Regno Poloniæ ſine nominatione noſtra Regia præficiatur. Accepimus ſimul cum ſceptro eam a Deo auctoritatem, ut exemplis Regum Poloniæ anteceſſorum noſtrorum (accedente etiam capitulatione, cum ordinibus Regni, poſt evectionem noſtram ad thronum Regium ſolenni juramento noſtro firmata) ad manutenenda jura Patronatus Noſtri contra quoscunque convulſores obſtringamur. Condignum profecto eſſet, Monachorum ambitum in urbe non foveri, ſed potius reprimi, illisque inſana molientibus ſilentium imperari, minime dubitamus, Illuſtritatem veſtram ſenſus noſtros ſuæ Sanctitati repræſentaturam, ac opportuno remedio conſulturam, ut præjudiciis Noſtris, exindeque ſecutis & ſecuturis inconvenientiis obiretur. De reliquo Illuſtritatem veſtram bene valere cupimus. Dabantur Anno 1684.

DCCXXXIV.

DCCXXXIV.

Litera recredentiales à GEORGIO WILHELMO Duce Brunſvico-Luneburgenſi, Marchioni d' Arcy Ablegato Gallico extraordinario, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem tradita, 1685.

Sereniſſime Rex &c.

REdit ad Majeſtatem Veſtram Ablegatus per aliquot annos apud Nos Extraordinarius, Dominus Marchio d' Arcy, atque ita redit, ut ægre a Nobis dimittatur. Sic enim ille Regiæ Majeſtatis Veſtræ negotia curavit, ac eam ubique fidem, prudentiam, integritatem animique moderationem & conſtantiam oſtendit, ut majorem in uno quoque genere virtutem nec Majeſtas Veſtra in Legato ſuo requirere, neque Nos in eodem approbare valeamus. Ac fatemur ingenue, nulli eorum, quos unquam penes Nos habuimus, exterorum Miniſtrorum iſthæc elogia majori, quam huic a Nobis jure deberi. Confirmavit Nobis abituriens traditis Regiis menſe ſuperiori perſcriptis Literis Majeſtatis Veſtræ conſtantem in Nos benevolentiam, quæ ſicut honoratiſſima Nobis atque longe acceptiſſima eſt, eritque ſemper, ita rogavimus eundem, ut quem ipſe optime perſpectum habet Noſtrum erga Majeſtatem Veſtram animum, cultumque, ei referat verisſimeque exponat. Quod cum facturum illum eſſe haud dubitemus, nihil nunc ſupereſt, niſi ut proſperrimum ejus, quem ingreſſi ſumus anni, & plurimorum, qui ſequentur, decur-

decurſum, atque porro vitam, ſalutem, gloriam Veſtræ Majeſtati comprecemur. Dab. in aula Noſtra Cellenſi die quarta Januarii, Anno Domini 1685.

Georgius Wilhelmus.

DCCXXXV.

Literæ, quibus CAROLUS II. Mag. Brit. Rex, JOHANNI GEORGIO III. Saxoniæ Electori pro amica de novo anno gratulatione, gratias, cum ſinceris omnigenæ felicitatis votis, reponit, 168 4/5.

P. P.

CElſitudinis Veſtræ Electoralis Literas nono die Decembris recens elapſi ſcriptas, quibus novum annum Nobis felicem fore exoptat & auguratur, non ſine maxima voluptate accepimus perlegimusque, utpote quas magis ex ſinceritate affectus, quam ex ſolennitate temporis profectas eſſe credimus. Sicut autem Celſitudo Veſtra Electoralis hanc ſuæ erga Nos propenſionis demonſtrandæ opportunitatem commode amplexa eſt, ita Nos Eandem arripuimus, ut Noſtram quoque Celſitudini Veſtræ Electoralis Sereniſſimæ Domus ſuæ amicitiam nunquam intermorituram & pro more & pro amore teſtificemur. Cui de cætero, ut Deus optimus maximus tum fauſta præſentis anni auſpicia, tum proſperam & prolixam inſequentium ſeriem concedat, ex animo peccamur. Dabantur in Palatio Noſtro de White-

Whitehall 26. die Menſis Januarii Anno Domini $\frac{4}{5}$168. Regnique Noſtri Trigeſimo ſexto.

Celſitudinis Veſtræ Electoralis

Bonus Frater & Conſanguineus

Carolus Rex.

DCCXXXVI.

Literæ JACOBI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad ANSELMUM FRANCISCUM, Archipræſulem & Electorem Moguntinum, cui Carolum II. Magn. Brit. Regem, fratrem ſuum, ſupremam obiiſſe diem nuntiat, 168$\frac{4}{5}$.

Jacobus ſecundus Dei gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, fidei Defenſor &c.

Celſiſſimo & Eminentiſſimo Principi, Domino Anshelmo Franciſco Friderico, Archiepiſcopo Moguntino, Sac. Rom. Imp. Archicancellario & Principi Electori, amico & Conſanguineo noſtro chariſſimo, ſalutem.

Celſiſſime & Eminentiſſime Princeps, Amice & conſanguinee chariſſime.

Quum ſupremo Numini, cui omnes & omnia ſubjici neceſſe eſt, ex inſcrutabili providentia ſua viſum fuerit Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem, Dominum Carolum ſecundum, nuper Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regem, fidei Defenſorem &c. præchariſſimum fratrem Noſtrum, ſexta die currentis, mortali hac

hac vita privare, ingentem illum luctum, quo Nos ea propter obruimur, cum amicis & fœderatis partiri voluimus, ut eo ſaltem modo aliqua doloris parte levari videamur. Ideoque exploratum habentes, quanto honore & affectu, Celſitudo Veſtra Electoralis præfatum Dominum Regem glorioſæ memoriæ ſemper proſecuta ſit, ipſam triſtiſſimi iſtius eventus per præſentes certiorem facimus, ſatis perſuaſi, vix quicquam lugubrius ipſi accidere potuiſſe, hoc præſertim tempore, quo conturbatus Orbis Chriſtiani ſtatus, tali prudentia ac moderatione indiget, quali nemo majorem quam ſupra memoratus & ſemper memorandus dilectiſſimus Frater Noſter habuit & exercuit. Quod ſupereſt, quod apud Nos conſtituerimus, amicitiam illam, quæ chariſſimo Fratri Noſtro cum Celſitudine Veſtra Electorali interceſſit, ſanctiſſime conſervare, non dubitamus, quin ipſa viciſſim eandem ex parte ſuâ Nobis præſtitura ſit, adeoque Celſitudinem Veſtram Dei O. M. tutelæ ex animis commendamus. Dabantur in arce Noſtra de Withehal 10. die Febr. 1685.

Celſitudinis Veſtræ Electoralis

Bonus Amicus & Conſanguineus

Jacobus Rex.

Middleton.

Nota. Literæ ejusdem tenoris, mutatis ſaltem nominibus & titulis, ad reliquos etiam Electores, & nonnullos S. R. Imperii Principes exaratæ fuerunt, quorum hic ex parte ſequentur reſponſoriæ.

DCCXXXVII.

Reſponſoria ANSELMI FRANCISCI, Electoris Moguntini ad præinſertas JACOBI II. Magnæ Britanniæ Regis Literas, cui ſimul gratulatur fauſtiſſima Regiminis auſpicia, 1685.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex,

PArem cum Regia Majeſtate Veſtra dolorem concepimus, quando ex Ejusdem ad Nos conſcriptis Literis Sereniſſimum Dominum Fratrem, Carolum ſecundum, Magnæ Britanniæ Regem, vita defunctum eſſe intelleximus, eo magis ſenſuum Noſtrorum teneritudine compuncti, quo per indefeſſa Suæ Majeſtatis ſtudia tota Respublica Chriſtiana Pacis commodum, Nos ipſi vero mutuæ ac ſinceræ amicitiæ ſolamen experti fuimus, ſolum itaque in communi hoc luctu levamen reliquum eſt, ut quam pollicetur Majeſtas Veſtra fraternorum veſtigiorum obſervantiam, pro culminis Regii dignitate & juſtitia fortiter & generoſe ſuſtineat, quo fine Majeſtatem Veſtram ſupremi Numinis auſpiciis feliciſſimis ad Thronum Regium evectam eſſe, toto pectore lætamur & gratulamur, ſpemque maximam facimus fore, ut Majeſtas Veſtra afflatu divino, Orbis Chriſtiani tranquillitatem deinceps potenter fovere, & Noſtra ſimul & officiorum & ſervitiorum ſtudia promptiſſima ſibi æque conjuncta, quam commendata habere velit, quam dignitate Regiæ gloriæ diutiſſime frui ſoſpitem animitus percupimus. Dabantur in Urbe Noſtra Moguntina 14. Martii 1685.

DCCXXXIIX.

DCCXXXIIX.

Reſponſoriæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad præcedentes JACOBI II. Magnæ Britanniæ Regis de obitu Sereniſſimi Fratris notificatorias, quibus conſolatoris officio functus, proſperrimam ipſi in florentiſſimi Regni ſolium ſucceſſionem gratatur, 1685.

P. P.

Ex quo Nobis per Regiæ Veſtræ Majeſtatis literas innotuit, ſupremi Numinis providentia Sereniſſimum quondam ac Potentiſſimum Principem, Dominum Carolum II. Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regem, præchariſſimum Fratrem Veſtrum ſexto die Februarii rebus humanis exemptum eſſe, graviter omnino ac moleſte inclytæ Domus jacturam tulimus. Ita namque affectui plane antiquo, & quæ jam inde a tot annis inter Regiam Veſtram & Noſtram Electoralem Domum quaſi conſenuit amicitiæ convenire videtur, ut non minore doloris ſenſu lugeamus mortuum, quem vivum tanto honore cultuque ſemper proſecuti ſumus, quique inter cæteras, quæ ſummam fortunam ornant laudes, hanc imprimis gloriam obtinuit, ut mediis ſeculi turbis illuſtre tranquillitatis publicæ conſervandæ exemplum reliquerit, quam cum hactenus tot deſolatis bello Provinciis reſtituere maxima diligentia laboraſſet, ipſe opportuna tandem morte quaſi in præmium laboris feliciter invenit. Quod quidem Regiæ Veſtræ Majeſtati pro ſolatio ſuffecturum confidimus, ſatis gnari, non poſſe illam melioris

lioris vitæ felicitatem invidere Fratri defuncto, quem, quoad vixit, tantopere amavit. Nos interea Veſtræ Regiæ Majeſtati florentiſſimi Regni ſucceſſionem & hanc tam inſignem novæ gloriæ acceſſionem merito gratulamur, quamque illa Nobis amicitiam promptiſſime offert debito cultu amplectimur, nihil magis in votis habentes, quam ut ſubinde Nobis opportunæ obveniant occaſiones, quibus devincti animi Noſtri affectusque ſincerioris ſtudia Eidem vicisſim queamus declarare. Cui de cætero proſperrimæ felicitatis ſucceſſus & incrementa precamur. Dabantur in Electorali Noſtra Dreſdæ 17. Aprilis 1685.

DCCXXXIX.

Reſponſoria GEORGII WILHELMI, Ducis Brunſvico-Luneburgenſis, ad præimpreſſas JACOBI II. Magnæ Britanniæ Regis de morte Sereniſſimi fratris ſui nuntiatorias, quibus pariter ipſi fauſta Imperii primordia & auſpicatiſſimos rerum ſucceſſus apprecatur, 1685.

Sereniſſime atque Potentiſſime Rex, Domine Conſanguinee plurimum colende.

QUod Regia Veſtra Majeſtas de exceſſu Sereniſſimi atque Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini Caroli ſecundi, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Regis, Fidei Defenſoris, Fratris ſui unice dilecti, glorioſæ memoriæ, deque translato in ſeſe regno non ſola fama Nos cognoſcere, ſed Regia manu ſua certiores facere voluerit, & honori Nobis ducimus, & ſingularis

laris benevolentiæ minime fallax documentum interpretamur. Equidem graviſſime Nos perculit triſtis de obitu maximi Regis nuncius, probe gnaros, quanta ejus in publicam Orbis Chriſtiani quietem extent merita, quanto pro illa impoſterum conſervanda flagraverit ſtudio, qua denique erga Nos Noſtramque Domum fuerit propenſione. Verum agnoſcenda ſimul ſupremi rerum omnium Gubernatoris eſt benignitas, quæ Illum, antequam animam cœlo redderet, in Veſtram Majeſtatem, utpote ſucceſſorem legitimum, compoſito animo transferri faſces imperii, & a Majeſtate Veſtra eadem tranquillo auſpicio fecit capeſſi. Quo nomine Regiæ Veſtræ Majeſtati impenſe gratulamur, voventes, ut idem ille Deus conſilia Veſtræ Majeſtatis propitiis oculis reſpiciat, actiones fortunante manu gubernet, vitamque Ei longævam, valetudinem proſperam, miniſtros fideles, populum obſequentem, ac Regiæ benedictionis genus omne indulgeat. Sed iſta & quantopere pro præclara Regiæ in Nos voluntatis ſignificatione Majeſtati Veſtræ obſtrictos Nos intelligamus, quamque ſimus parati Eandem omnibus, quibus poſſumus, officiis demereri, propediem is, quem ad Regiam Veſtram Majeſtatem ablegare decrevimus, uberius declarabit. Dabamus in aula Noſtra Cellis die 23. Februarii, Anno Milleſimo, Sexcenteſimo Octogeſimo quinto.

Georgius Wilhelmus.

DCCXL.

Literæ Credentiales, quas CAROLUS XI. Svecorum Rex, Gabrieli Oxenſtiernæ, Comiti in Cronebergk, ſuo verſus aulam Cæſaream Internuntio, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem tradidit, 1685.

P. P.

JAm eo tempore, quo Plenipotentiarium Noſtrum Illuſtrem Nobis ſincere fidelem Gabrielem Oxenſtierna, Comitem in Cronebergk, Liberum Baronem in Kymitho, Dominum in Forſa ad Aulam Cæſaream ablegabamus, eidem injunximus, ut ad Celſitudinem Veſtram Electoralem ex eodem itinere diverteret. Cæterum, quo minus id ſtatim fieret, prohibuere contagionis tum per aliquot Germaniæ partes graſſantis pericula cauſamque præbuere, ut ad obeunda, quæ moram pati non poterant, negotia, alium interim Miniſtrum Noſtrum Hartmansdorfium ad Celſitudinem Veſtram Electoralem mitteremus. Nunc quoniam ex Aula Imperiali ad Nos remeat dictus Plenipotentiarius Noſter, priora ad eundem Mandata iteravimus de Celſitudine Veſtra Electorali adeunda, idque eo cupimus vehementius, quod ad priſtinas intentionis noſtræ cauſas multa acceſſere, quæ ad ſocianda cum Celſitudine Veſtra Electorali conſilia pro communi bono, Imperii imprimis Romano-Germanici incolumitate, tranquillitate ac ſalute ſtabilienda, nos inducunt. Quæ omnia cum uberius expoſiturus ſit memoratus noſter Plenipotentiarius, a Celſitudine Ve-

ſtra

ſtra Electorali peramice requirimus, ut eidem liberum indulgeat acceſſum, fidemque tribuat haut dubiam in omnibus iis, quæ noſtro nomine ad firmanda cum Celſitudine Veſtra Electorali intimioris confidentiæ vincula, prolaturus eſt atque deprompturus. Quam amicitiam reciprocis propenſionis ſinceræ ſtudiis, queis poterimus, remunerari nunquam ceſſabimus, Celſitudini Veſtræ Electorali de reliquo a Deo Ter Optimo Maximo fauſta quævis & læta animitus apprecantes. Dabamus in Arce Noſtra Regiâ Holmenſi, die 24. Januarii Anno 1685.

DCCXLI.

Litera JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad HIERONYMUM MOLINUM, Venetiarum Ducem, reliquosque ejusdem Reipublicæ Senatores, quibus milites ipſis promiſſos itineri accinctos eſſe, modo his liber per Imperium tranſitus concedatur, nuntiat, & fidem Pflugio, ea de re plura relaturo, adhiberi rogat, 1685.

P. P.

NOn defuit Nobis vel cura vel voluntas ſtatim poſt diſceſſum noſtrum impigre exequendi ea, quæ nuper inter nos & inclytam Rempublicam de mittendo 3000. militum adverſus Chriſtiani nominis hoſtem auxilio, acta ſunt. Adeoque ſatis illico in hanc rem traditis ad militiæ noſtræ Præfectos mandatorum tabulis, in ipſo reditu noſtro non ſine quodam gaudii ſenſu accinctas jam fere itineri & pugnæ paratas invenimus co-

hortes, quæ tam præclaro operi paulo ante a nobis deſtinatæ fuerant. Neque omiſimus in ipſo adhuc noſtro itinere, de libero & ſecuro eorum tranſitu mature ſollicitudinem ſuſcipere, ſcriptis in eum finem ad Principes & Status Imperii, per quorum confinia & ditiones ducendus miles erat, literis, uti vocant, requiſitorialibus. Quibus tamen nullus eorum, præter Circulum Franconicum, cujus reſponſionem hiſce noſtris inſerere juſſimus, quicquam hactenus repoſuit. Ut autem omnis, quæ hac in parte timenda videtur, mora & difficultas mature amoveatur, Dilectionem Veſtram & Vos pro ea, quæ noſtris anteceſſoribus ac nobis cum Dilectione & Republica Veſtra multis abhinc annis interceſſit familiaritate, amanter rogamus, ut operam ſuam officiaque cum noſtris conjungere, & prout pactis inter nos legibus conventum eſt, ſuo etiam loco, apud prædictos Imperii Principes eo allaborare velint, quo contra Infideles abeunti & pro communi libertate Chriſtiana pugnaturo militi antequam opportunum tempus effluat, innoxius & ſecurus tranſitus præſtetur, nos Ipſi autem impenſis ac ſumptibus, quibus jam motui paratus incolisque noſtris quotidie gravior futurus miles alitur, liberemur. Quam quidem in rem nos Generalem aſſiſtentem Pflugium ad Dilectionem Veſtram & Vos ablegare neceſſarium duximus, ut de his omnibus, imprimis vero de Noſtro in inclytam Veſtram Rempublicam propenſiſſimo animo pluribus teſtetur. Cui ut in omnibus, quæ Noſtro Nomine referet, plenam habere fidem velint, eſt quod amanter

manter atque officioſe rogamus. Deum interim precati, ut clarioribus ſubinde victoriis adverſus infideles inclytæ Reipublicæ Veſtræ potentiam magis magisque formidabilem reddat, cui proſperos rerum ſucceſſus etiam atque etiam optamus. Dabantur Dreſdæ 1685.

DCCXLII.

Reſponſoria HIERONYMI MOLINI, Ducis Venetiarum ad præimpreſſas JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris literas, 1685.

Sereniſſime ac Potentiſſime Princeps, *Elector, Domine Clementiſſime.*

EA eſt ac tanta obſequii mei vel amplitudo vel ambitio, ut nihil mihi potius ſit, quam Electoralis Celſitudinis Veſtræ mandatis obtemperare. Literarum Electoralis Celſitudinis Veſtræ, quas $\frac{2}{12}$ Maji accepi, humaniſſimos ſenſus Sereniſſimæ Reipublicæ Regimini expoſui, ejusdemque diei confinio in id, præſertim Senatus incubuit, ut Electorali Celſitudini Veſtræ Suisque votis conſuleret, miſſo ad Legatum Noſtrum Tabellario, cum iis omnibus, quæ ad rem magis pertinere viſa ſunt. Aget nimirum cum Cæſare & Ipſius Reipublicæ Nomine cum Epiſcopo Duce Bambergenſi aliisque Principibus, ne militibus Electoralis Veſtræ Celſitudinis longior mora injiciatur, negato tranſitu. His rite peractis additisque Electoralis Veſtræ Celſitudinis cura & ſtudio, quo meritum ſuum nuper auxit, faciles rerum eventus ſperare non dubitamus.

Quanto mentis ardore Reſpublica copiarum adventum opperiatur, dici non poteſt. Novit enim bellicum Nationis ingenium & optimam militiæ diſciplinam, quæ ſub Electorali Celſitudine Veſtra, Marte nempe ſub ſuo, non fabuloſis ſed veraci omnium ſeculorum commendatione probandis dexteræ monumentis inclyto, qui in Vienneſi obſidione ita ſe geſſit, ut Ottomannici Imperii terror & exitium, Chriſtiani orbis tutela & præſidium uno populorum conſenſu nuncupetur. Quod autem ſpectat ad articulos conventionibus annectendos, Generalis Aſſiſtens Dominus Pflugius pronum Reipublicæ animum referet: eademque erit publica voluntas in excipiendo, tractando, bellique ſtipendiis perfunctas copias dimittendo. Magna ſiquidem eſt erga Celſitudinem Veſtram Electoralem exiſtimatio, & certa beneficiorum memoria. Cæterum nulla vox eſt, quæ meum erga Electoralem Celſitudinem Veſtram cultum & venerationem aſſequi poſſit. Inter ſumma felicitatis argumenta optatam Electoralis Celſitudinis Veſtræ mandatorum gloriam reponam. Electoralem interim Veſtram Celſitudinem Deus optimus maximus quam diutiſſime ſervet incolumem ad Reipublicæ Chriſtianæ incrementum & decus. Valeat! Venetiis 13. Kal. Junii 1685.

Electoralis Celſitudinis Veſtræ

humillimus ſervus

Hieronymus Molinus.

DCCXLIII.

DCCXLIII.

Litera JOHANNIS III. Regis Poloniæ ad JOH. GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, quibus ipſi grates, ingentem ſimul amorem ſpirantes pro transmisſis perſolvit equis, 1685.

P. P.

PErennat in Nobis viva Serenitatis Veſtræ memoria, propenſusque ipſius erga Nos animus toties occurrit, quoties proſpera recordatione intima ejus officia atque plena humanitatis & affectus documenta revolvimus. Ita nempe cum Serenitate Veſtra notitiam contraximus, ut nunquam pasſi fuerimus abeſſe Nobis vel deſiderium uberioris demonſtrandæ benevolentiæ vel ſtudium augendarum mutuo amicitiarum. Addidit his recens incrementum teſtatus Serenitatis Veſtræ amor, non minus Literis in officia exuberantibus, quam Equorum præſentatis per Virum Nobilem Johannem Georgium a Wehlen Præfectum ſtabuli ſui muneribus. Agnoſcimus profecto luculentisſimum hunc Serenitatis Veſtræ affectum non niſi ab intimis venire præcordiis. Ideoque tantum Regia Noſtra complectimur teneritudine, quantum par ſit referendæ ejus propenſioni. Dabit interim ſufficiens charitatis Noſtræ humanitatis & officiorum erga Serenitatem Veſtram teſtimonium memoratus Vir Nobilis, ſtabuli Magiſter, quem dum humanisſime in aula Noſtra exceptum commendatione eximiarum ipſius Dotum comitamur, ſingularesque Serenitati Veſtræ pro illo contendimus gratias, minime

me dubitamus, quin ipſemet luculentior ſit oretenus Noſtræ erga Dominum ſuum æſtimationis interpres. Quod reliquum eſt, Serenitati Veſtræ optimam valetudinem intra proſperos rerum ſucceſſus ex animo precamur. Dabantur in Regia Noſtra Warſaviæ die IV. Menſis Aprilis Anno Domini MDCLXXXV. Regni vero Noſtri XI. Anno.

DCCXLIV.

Reſponſoriæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad præinſertas JOANNIS III. Poloniæ Regis, quibus ipſi gratias agit, quod exiguum nuper ipſi tranſmiſſum munuſculum adeo honorifice æſtimaverit, ſeque ea humanitate ad majora impoſterum offerenda incitatum eſſe teſtatur, 1685.

P. P.

EX Italia Nobis haut ita pridem feliciter redeuntibus offeruntur demum, quas Regia Veſtra Majeſtas ad Nos Venetias deſtinaverat, Literæ, Warſaviæ die 21mo Martii exaratæ, in quibus perluſtrandis dum adhuc occupamur, alteræ etiam illæ per ſtabuli Noſtri Præfectum a Wehlen non ſine ampliſſima deprædicatione acceptorum in aula Veſtra beneficiorum redduntur. Utræque tanto nobis fuere gratiores, quanto conſtantiori affectu ſinceriorisque in Nos animi expreſſione perſcriptæ videntur. Neque enim niſi ex abundantia quadam amoris profluxiſſe credimus, quod Regia Veſtra Majeſtas honorifice adeo ac benigne æſtimare exiguum illud munuſculum

ſculum Noſtrum voluit, in quo præter ſincerum devinctumque donantis animum, nihil ſane eximium, nihil illuſtre ac tanto Rege dignum reperire eſt. Quo magis ad majora impoſterum offerenda Nos obligatos agnoſcimus, poſtquam nimirum levia hæc Regiæ Veſtræ Majeſtati ſenſimus non injucunda fuiſſe. Sic ergo ſerio credere Regiam Veſtram Majeſtatem amanter atque officioſe rogamus, nihil quicquam deinceps Nobis fore antiquius, cœptam ſemel inter Nos in Caſtris ante Viennam familiarioris amicitiæ conjunctionem luculentioribus ſubinde documentis augere, auctamque mutuis officiis magis magisque confirmare. Cui interea proſpera omnia feliciaque ac florentiſſimo Regno digna etiam atque etiam precamur. Dabantur inElectorali Noſtra Dreſda, die 28. Aprilis 1685.

DCCXLV.

Literæ credentiales a CAROLO XI. Svecorum Rege, Juſto Henrico Storri, Legationis Secretario, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem traditæ, 1685.

Nos Carolus Dei gratia Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex &c. Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi, Conſanguineo, Affini & Amico Noſtro Chariſſimo, Domino Johanni Georgio III. Saxoniæ Duci tot. tit. Salutem & proſperos rerum ſucceſſus!

Sere-

Sereniſſime & Celſiſſime Princeps, Conſanguinee, Affinis & Amice Chariſſime.

QVandoquidem præſentium rerum & temporum intuitu ſtatus Noſtri Bremenſis & Vehrdenſis Conſiliario, Nobili & Nobis ſincere fideli, Eberhardo de Graventhal munus Ablegati Noſtri Extraordinarii in Utraque tam Celſitudinis Veſtræ Electoralis quam Electorali Brandenburgica Aula poſthac obeundum commiſimus, ita tamen, ut antequam ad Celſitudinem Veſtram Electoralem ſe conferat, certorum negotiorum cauſa huc ad Nos excurrat. Itaque ne quid interea, quod e re vel Noſtra vel Celſitudinis Veſtræ Electoralis fuerit, negligatur, non inutile Nobis viſum eſt Secretarium Noſtrum dictæ Commiſſionis, Nobis ſincere fidelem Juſtum Henricum Storrem in eum finem præmittere, ut præbentibus ſeſe occaſionibus, quæ mutua Noſtra commoda concernunt, vel aliquam hinc inde communicationem poſcunt, convenienter invigilare poſſit. Amice proinde requirimus, velit Celſitudo Veſtra Electoralis, quoties res poſtulaverit, benigne eum admittere plenamque iis, quæ ex Noſtro vel dicti Noſtri Miniſtri juſſu expoſiturus fuerit, fidem tribuere, tum quæ neceſſaria viſa fuerint, per eum Nobis indicare, ipſum denique, quamdiu in Celſitudinis Veſtræ Electoralis Aula commorabitur, favore ſuo complecti, quod nec Nos, quoties res tempuſque tulerit, pari benevolentiæ genere compenſare ceſſabimus. De cætero Celſitudinem Veſtram Electoralem Deo

Teo optimo maximo animitus commendatum cupimus. Dabantur in Arce Noſtra Regia Holmenſi die 10 Aprilis 1685.

DCCXLVI.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis ad CARDINALEM BARBARINIUM, cui quo in loco Poloniæ res ſint, Moſcoſque datam fidem in ſummum univerſæ rei Chriſtianæ præjudicium feſelliſſe, refert, 1685.

CUm ad primam de approximante jamque ſub Stephanówce loco inter Camenecum, & Jaſſi ad fluvium Thyras ſito, degente hoſte notitiam, non attenta parum firma pro tunc valetudine noſtra, nec momenti diſpendium paſſi Zolkiewia Zloczewiam moverimus, ibique revocatorias noſtras delatæ notitiæ repererimus, hærendum non nihil erat, quid faciendum eſſet; vicit tandem amor boni publici, dum ſumpta una ſanitati noſtræ perquam neceſſaria medicina duorum tantum dierum interpoſito ſpatio ad Buczacz perreximus; ubi convocatis, exercitus noſtri gentis utriusque Polonæ, & Litvanæ, jam congregati primariis Generalibus, Conſilium inivimus, de ulteriori belli proſecutione, in quo quantumvis potior Senatus Noſtri ſatis protunc numeroſi pars ſenſerit, titulo circumvallationis, vulgo Blocadæ Cameneci, exercitum diſtribuendum, ut mature proviſiones pro hyeme neceſſarias provideant. Nos tamen ex innato rerum noſtrarum, cum gloria Chriſtiani nominis fervore, concludendum rati ſumus; extruendum quantocius ſub Wazy-

Wazylow in finibus Moldaviæ in Thyra fluvio pontem, ut ſi hoſtis hanc in partem (uti fama fert) inclinaret, commodius illi occurrere, illumque in illa Thyræ parte aggredi poſſemus, antequam cum Camenecenſi præſidio jungeretur. Interea vero antequam pons conſtruatur, ne fruſtra dies effluant, Camenecum igne miſſili infeſtare deſtinavimus, eoque nomine re tormentaria ex peculiari peculio noſtro proviſa, & inſtructa, filium noſtrum primogenitum expedivimus, cui ut belligeranti propria conſilia inſinuare poſſemus, hic Jaczloweci in Podolia tantum octo leucis Camenec̄o ſubſiſtimus. Et cum heſterna die pro his, quæ nobis Vienna, & Venetiis, ſupervenerunt, felicibus in rem Chriſtianam rei novis, Dno. Exercituum gratias reddiderimus, inexpectatus a Moſchis Nuntius, vix non oblviſci aliena, obtentu propriorum cogit, dum non tantum totam Tartarorum potentiam, ſed & Coſacorum arma indies nos aggreſſura non ex vano vereamur, literarum enim harum a noſtro Reſidente in caſtra Moſchovitica vigore pactorum miſſo, hic tenor eſt: quod ſcilicet die 27. Junii ad Samariam uſque fluvium Generalis Moſchoviticus Gallicinius, cum toto exercitu compoſito, uti ipſimet nobis ſignificabant, ex trecentis millibus hominum Moſchis & Coſacis, milleque trecenta magna tormenta (quod fidem ſuperat) ſecum portante, non viſo plane hoſte, nec unquam conſerta cum eodem manu, redierit: videbatur quidem verſus Perecopum ire, ſed vix aliquatenus a Boryſthene moverat, ſtatim iterum

iterum pedem, cum ſummo, ſi honor in pretio, pudore, noſtrarumque rerum præjudicio retulit, cum eo tempore Crimæam invadere promiſerit, idque e re ſua facere debebat, quando nos Budziakienſes Tartaros aggrederemur, ſed verſa eſt in luctum cythara noſtra, dum hanc æque infauſtam, quam inexpectatam accipimus de regreſſu eorum notitiam. Conſideret Illuſtritas Veſtra genium gentis hujus, dum literas, magnifica verba continentes, per extraordinarios Ablegatos ſuos nobis de bellicis ſuis operationibus ſcribunt, hoc ipſo tempore deſerunt ſtationem, nullo vel minimo dato Nuntio, imo nec noſter Reſidens ad caſtra perveniſſet unquam, obſtaculis interpoſitis, cum Generalem Gallicinium adire, & videre non niſi in reditu potuerit. Et ſi exercitus noſter verſus Budziaki moviſſet, nihil certius, quam quod tota illa colluvies Tartarorum omnino ex illa parte libera, nihil ſperantes, & ſecuros diverſionis aggreſſa fuiſſet. Sed quod majus eſt, Generalem Coſacorum Samuytowicz (de cujus mala fide Legatis illorum hic præſentibus, per authentica documenta probaveramus) quod ille per ſuos milites levis armaturæ in anteceſſum miſſos, herbas omnes exurere, obſtacula ulteriori proſecutioni ponere, continuas, & ſecretas cum Hano Tartarorum correſpondentias habere auſus fuiſſet, ſub coſtodiam acceperunt, ferro pedes manusque onerarunt, alio, in locum, ejuſdem farinæ, & nobis parum amico, Maſeppa nomine, ſubſtituto, quod gens Coſacorum ægre minus ferens, primo murmurare, poſt rebellionem inſti-

 tuere

tuere præ ſe ferat, cujus non leve argumentum eſt jam de facto, cum aliquot principales officiales occiderint, aliqua propria fortalitia per tumultum vaſtaverint, obſeſſa, motus magnos, & brevi ingentem flammam minantes excitarint, qui utinam alio divertant, ne ſcilicet cum Tartaris, uti jam alias fecerant, cum magno Regni noſtri damno componant. Nobis enim, his velut oſſa expoſitis, non leve inſtat periculum, cum tot hoſtes, & tam potentes contra nos habeamus; expoſtulavit Reſidens noſter cum Gallicinio, quod datum a nobis e re Colligatorum non ſequatur conſilium, ut nempe in hac parte Boryſthenis Oczakowiam, & quædam a Tartaris exſtructa fortalitia expugnent, cum nos Thechiniam, & Bialogrodum aggrediemur, quo per mutuam inter nos communicationem, trium enim dierum diſtantia eſſet, Tartari omnino dividerentur, nec congregari in perpetuum poſſent, cum nunc bis tantum vera de illis audiverimus, per noſtros proprios, nam illi nunquam nobis de progreſſibus ſuis ſignificabant; Addidit inſuper, quod contra fas, fidemque datam obliti noſtri redeant. Ad quod reſpondit ſupradictus Gallicinius relinquere ſe in finibus potentem manum ad retinendos Tartaros, ſi Poloniam invadere cogitarent, ſed aperte patet, gentem hanc tam facile promittere, quam fallere fidem gnaram, omnino falſa pro veris nobis oſtendere, cum Nuradyn Soltanus, Tartarorum Generalis Primarius, in hanc partem Boryſthenis tranſiverit, quod non feciſſet, ſi aliquod præſenſiſſet impedimentum, imo nihil cer-

tius,

tius, quod dum de vicino exercitu noſtro penes Camenecum inaudiverint, more ſuo advolabunt, & forte citius id, quod optabamus, ut eos propius attrahere poſſimus, habebimus, ſed non in eo, uti putabamus, numero. Omnis enim illa multitudo, quam Moſchi occupare debebant, accurreret, & niſi potens nobis manus Domini opituletur, non extra evidens periculum erimus.

Detulimus hoc Miniſtris Sereniſſimi Imperatoris, & Reipublicæ Venetæ ad referendum Principalibus ſuis, tanta ſcilicet, dum alii fructus colligunt, non tantum nos perferre damna, ſed imminentia non ex vano ſubvereri pericula. Rogatam etiam Illuſtritatem Veſtram volumus, ut Sanctitati ſuæ Nomine noſtro id deferat, pro cujus gloria Filio Noſtro primogenito non parcimus, & ipſi, ſi occaſio & conjunctura voluerit, ſine ullo ſanitatis parum firmæ reſpectu Perſonam Noſtram rei Chriſtianæ hoſtibus oppoſituri. Anno 1685.

DCCXLVII.

Literæ JACOBI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, quibus pro Joanne Bancks, Mercatore Londinenſi, in cauſa pannorum levidenſium negotium attinentes, intercedit, 1685.

P. P.

Quidam ſubditus Noſter Joannes Bancks melioris notæ Mercator Londinenſis Nobis humiliter expoſuit, ſe commercium pannorum Levidenſium (vulgo Scherges vel Gronraches) in

tuere præ ſe ferat, cujus non leve argumentum eſt jam de facto, cum aliquot principales officiales occiderint, aliqua propria fortalitia per tumultum vaſtaverint, obſeſſa, motus magnos, & brevi ingentem flammam minantes excitarint, qui utinam alio divertant, ne ſcilicet cum Tartaris, uti jam alias fecerant, cum magno Regni noſtri damno componant. Nobis enim, his velut oſſa expoſitis, non leve inſtat periculum, cum tot hoſtes, & tam potentes contra nos habeamus; expoſtulavit Reſidens noſter cum Gallicinio, quod datum a nobis e re Colligatorum non ſequatur conſilium, ut nempe in hac parte Boryſthenis Oczakowiam, & quædam a Tartaris exſtructa fortalitia expugnent, cum nos Thechiniam, & Bialogrodum aggrediemur, quo per mutuam inter nos communicationem, trium enim dierum diſtantia eſſet, Tartari omnino dividerentur, nec congregari in perpetuum poſſent, cum nunc bis tantum vera de illis audiverimus, per noſtros proprios, nam illi nunquam nobis de progreſſibus ſuis ſignificabant; Addidit inſuper, quod contra fas, fidemque datam obliti noſtri redeant. Ad quod reſpondit ſupradictus Gallicinius relinquere ſe in finibus potentem manum ad retinendos Tartaros, ſi Poloniam invadere cogitarent, ſed aperte patet, gentem hanc tam facile promittere, quam fallere fidem gnaram, omnino falſa pro veris nobis oſtendere, cum Nuradyn Soltanus, Tartarorum Generalis Primarius, in hanc partem Boryſthenis tranſiverit, quod non feciſſet, ſi aliquod præſenſiſſet impedimentum, imo nihil certius,

tius, quod dum de vicino exercitu noſtro penes Camenecum inaudiverint, more ſuo advolabunt, & forte citius id, quod optabamus, ut eos propius attrahere poſſimus, habebimus, ſed non in eo, uti putabamus, numero. Omnis enim illa multitudo, quam Moſchi occupare debebant, accurreret, & niſi potens nobis manus Domini opituletur, non extra evidens periculum erimus.

Detulimus hoc Miniſtris Sereniſſimi Imperatoris, & Reipublicæ Venetæ ad referendum Principalibus ſuis, tanta ſcilicet, dum alii fructus colligunt, non tantum nos perferre damna, ſed imminentia non ex vano ſubvereri pericula. Rogatam etiam Illuſtritatem Veſtram volumus, ut Sanctitati ſuæ Nomine noſtro id deferat, pro cujus gloria Filio Noſtro primogenito non parcimus, & ipſi, ſi occaſio & conjunctura voluerit, ſine ullo ſanitatis parum firmæ reſpectu Perſonam Noſtram rei Chriſtianæ hoſtibus oppoſituri. Anno 1685.

DCCXLVII.

Literæ JACOBI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, quibus pro Joanne Bancks, Mercatore Londinenſi, in cauſa pannorum levidenſium negotium attinentes, intercedit, 1685.

P. P.

Quidam ſubditus Noſter Joannes Bancks melioris notæ Mercator Londinenſis Nobis humiliter expoſuit, ſe commercium pannorum Levidenſium (vulgo Scherges vel Gronraches) in

Germania per viginti plus minus annos egiſſe, ejusque merces tanta peritia ac probitate fabriçatas eſſe, ut præ reliquis ejusdem generis facile emptores allicerent & prædicto ſubdito Noſtro lucrum cum laude compararent. Quod perſpicientes duo Celſitudinis Veſtræ Electoralis ſubditi Lipſiæ degentes nomine Awerback & Wincklaer, inſtitoribus ſuis Londini agentibus mandarunt, ut bullas teſſerasque ſimiles iis, quas dictus Bancks mercibus ſuis diſtinctionis ergo affigere ſolebat, confingerent, & vilioribus pannis applicarent; qua fraude & dedecus & damnum non exiguum ſubdito Noſtro illatum eſt. Sed cum præchariſſimus frater noſter Carolus nuper Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defenſor &c. Celſitudini Veſtræ Electorali per Literas ſuas vigeſimo tertio Junii 1683. rem iſtam plenius & efficacius ſignificaverit, ne tædio ſimus, earundem Literarum exemplar hiſce Noſtris adjungi curavimus, hoc ſolummodo de novo rogantes, ut dicti ſubditi Noſtri cauſam e Lipſianorum manibus (ubi alias tum partium favore, tum litigantium tricis perennis futura eſt) ad ſe revocare velit, & ſecundum clementiam juſtitiamque ſuam ſine mora & moleſtia terminari jubeat, ea pœna malæ fidei negotiatoribus inflicta, quam leges poſtulant & delicti gravitas merebitur. Quod in gratiam prædicti ſubditi Noſtri à Celſitudinis Veſtræ Electoralis amicitia Nobis facile pollicemur, promptique ſemper erimus eodem vel pari veſtratibus ſubvenire. Interea Celſitudinem Veſtram Electoralem Dei Optimi Maximi tutelæ ex animo

animo commendantes. Dabantur in Palatio Noſtro de Whitehall 21. die Menſis Aprilis Anno Domini 1685. Regnique Noſtri primo.

DCCXLIIX.

Literæ credentiales, quas JOANNES III. Poloniæ Rex, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, Joanni Wolfio, Soc. Jeſ. Presbytero, dedit, 1685.

Joannes III. Dei gratia Rex Poloniæ, tot. tit. Sereniſſimo Principi Domino Johanni Georgio, Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, Sacri Romani Imperii Archimareſchallo & Principi Electori, tot. tit. Fratri & Cognato Noſtro chariſſimo, ſalutem & omnem proſperitatem.

Sereniſſime Princeps, Frater & Cognate Noſter Chariſſime.

Adeo Nobis grata jucundaque eſt recordatio omnium officiorum, quæcunque hactenus e Fraterno Serenitatis Veſtræ erga Nos animo profecta ſunt, ut contra amicitiæ jura cenſeamus, ullam ſilentio præterlabi occaſionem, qua Serenitati Veſtræ conſtantiſſimæ voluntatis Noſtræ ſpecimen exhibere valeamus. Non ambigimus jam Serenitatem Veſtram e peregrinatione ſua, quam per cultiſſimi Orbis delicias fecerat ad proprios rediiſſe penates. Cum proinde Vir Nobilis Joannes Wolff S. J. Presbyter in illas iter inſti[illegible]s, Ipſamque Serenitatem Veſtram [illegible]eſſurus, perquam diligenter ei-

dem in commiſſis dedimus, ut Fraterni affectus Noſtri, quo erga Serenitatem Veſtram ferimur, teſtis ſit ac Interpres. Non ambigimus, quin plenam ſit habiturus fidem, ac ſimul cum proſperrimis rerum eventibus Serenitati Veſtræ longævam vovemus incolumitatem. Dabantur Varſaviæ die 30. Menſis Aprilis Anno M DC LXXXV. Regni vero Noſtri XI. Anno.

Serenitatis Veſtræ

bonus frater

Johannes.

DCCXLIX.

Litera JOANNIS GEORGII III. Saxonum Electoris ad COSMUM III. Magnum Etruriæ Ducem, de Margaretha Salicola agentes, 1685.

P. P.

Commode ad manus meas pervenerunt Dilectionis Veſtræ Literæ, de ſtatu conditioneque Margarithæ Salicolæ paulo curatius Me inſtruentes. Inter famulas illam Dilectionis Veſtræ fuiſſe referunt: quod ipſum tum plane ignoravi, de facili alias (prout confido) impetraturus, ut deſideriis meis locus, ac Dilectione Veſtra nihil renuente ipſi ad miniſteria mea transeundi licentia daretur. Nec alia illam intentione ex Italia deduxi, quam ut amœniſſimæ vocis ſuavitate, cantuumque elegantia Aulæ meæ Electorali ornamento foret. Serio cre[illegible]s, Dilectionem Veſtram ad iſthæc omnia [illegible]em

ſuturam, ſed curaturam potius enixe, ut perſonæ ob virtutes ſuas adeo æſtimatæ, ſecura apud me commorandi copia ſit. Mihi equidem, ſi quid in ditionibus meis reperire eſt, quod Dilectioni Veſtræ aliqua ſui parte ſe commendare poſſit, haud quicquam ſane antiquius erit, quam id ipſum Dilectioni Veſtræ in pignus reciprocæ benevolentiæ totum permittere, qui nihil magis in votis habeo, quam ut antiquæ Illius, quæ inter utramque Domum Noſtram olim viguit amicitiæ conſervandæ indies magis ac magis augendæ, aliæ ſuper aliis mihi occaſiones oriantur: Dilectionem Veſtram interea bene feliciterque agere etiam atque etiam precatus. Dabantur Torgaviæ die 2. Julii 1685.

DCCL.

Literæ GEORGII WILHELMI, Ducis Brunſvico-Luneburgenſis, ad JACOBUM II. Magnæ Britanniæ Regem, cui coortas nuper in Regnis ejus turbas tam facile tamque feliciter diſſipatas eſſe valde gratulatur, 1685.

Sereniſſime atque Potentiſſime Rex, Domine Conſanguinee plurimum colende.

QUemadmdum de Regiæ Majeſtatis Veſtræ placido imperii primordio, ceu par erat, lætati; mox ſeditioſorum quorundam molimina & infeſtos ſceptro Ejus furores, cum diſplicentia & dolore accepimus; ita denuo impenſe gaviſi ſumus, cum fractas uno impetu perduellium tur-

mas, & calcatam hoſtium ſpem tam felicis victoriæ fama nunciaret. Angebat merito Principes, quotquot ad publicam ſalutem cogitationes attollunt, Regiæ Majeſtatis Veſtræ animum, ſublimem, atque ipſi fortunæ metuendum, a regni ſui ac Europæ curis, in ſedationem inteſtini ac feralis tumultus averti, tum ſeorſim Nos maxime habebat ſollicitos, qui Majeſtati Veſtræ a tot annis tenero cultu propius adſtringimur.

Quando vero omnis illa velut ex inſidiis undique coorta, & in viſcera patriæ jam graſſans factio, inſigni ſapientia & fortitudine diſſipata repente ac contuſa eſt, rediitque Britanniæ, a qua poſt ſummum Numen Majeſtatis Veſtræ auſpicio, melioris fati auxilia & ſecuri temporis cuſtodiam Chriſtianus Orbis exſpectat, Sua quies & tranquillitas, Nos quoque fortunæ publicæ ac privatæ ſenſu, Majeſtati Veſtræ exoptatum hoc rerum ſuarum firmamentum, ex animo gratulamur, Deum Opt. Max. cujus nutu & præſenti efficacia tantum opus eveniſſe jure credimus, obnixe venerantes, ut invicta & ſupra conatus mundi conſtituta providentia, Majeſtatem Veſtram etiam deinceps tueatur, Ejusque inclytæ Domus felicitatem & potentiam æternum ſtabiliat. Interea Regiam Majeſtatem Veſtram decenter rogamus, ut ſuæ benevolentiæ perpetuo nos habeat commendatos, qui nunquam ceſſabimus favori Ejus reverente ſtudio, & obſequioſis officiis reſpondere. Dabantur in arce noſtra Cellenſi die 28. Julii, Anno Milleſimo Sexcenteſimo Octogeſimo quinto.

Georg. Wilhelmus.

DCCLI.

Reſponſoria JACOBI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad præinſertas GEORGII WILHELMI, Ducis Brunſvico-Luneburgenſis Literas, 1685.

Jacobus Secundus Dei Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei defenſor &c. Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi, Domino Georgio Guilielmo, Brunſvicenſium & Luneburgenſium Duci, Conſanguineo & Amico Noſtro Chariſſimo Salutem.

Sereniſſime & Celſiſſime Princeps, Conſanguinee & Amice Chariſſime.

Sereniſſimi Domini Principis Electoris Colonienſis Reſidens, Joannes Gloxin, dum apud Nos erat, Celſitudinis Veſtræ literas in Arce ſua Cellenſi 28. die Julii ſuperius elapſi ſcriptas Nobis tradi fecit, quibus ipſa tetras illas rebelliones in Regnis Noſtris haud ita pridem coortas tam facile tamque feliciter diſſipatas & profligatas eſſe amiciſſime gratulata eſt.

Succeſſus illos plane admirabiles Dei Opt. Max. effuſiſſimæ erga Nos bonitati unice debemus, iisque tanto impenſius lætamur, non ſolum quod Rebelles, dum Regni Noſtri primordia concutere & labefactare conati ſunt, poteſtatem Noſtram firmiorem conſtantioremque reddiderint, ſed etiam quod aliis Principibus exemplo eſſe poſſint, ut ſibi ab ejusmodi pravis & inquietis hominibus caveant, quorum ingenia nulla ſuavitate mulceri, nulla ſeveritate compeſci queunt. Ut

Deus Opt. Max. tales a Celſitudine Veſtra peſtes procul arceat, Ipſamque diu ſoſpitem conſervet, ex animo precamur. Dab. apud Caſtrum Noſtrum Windſor 27. die Septembris, Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Octogeſimo quinto, Regnique Noſtri primo

Celſitudinis Veſtræ

Conſanguineus & Amicus

Jacobus Rex.

Inſcriptio.

Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi, Domino Georgio Guilielmo, Brunſvicenſium & Lunæburgenſium Duci, Conſanguineo & Amico Noſtro Chariſſimo.

DCCLII.

Literæ JOANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris ad JOANNEM III. Poloniæ Regem, quibus pro Patientia Gieriſcha, iniquis quorundam Gedanenſium artibus a capeſſenda ad ſe jure meritoque pertinente hæreditate coercita, intercedit, 1685.

P. P.

Humiliter Nobis per incluſas expoſuit Patientia Gieriſcha, Martini Gorbigii ſubditi quondam Noſtri relicta vidua, defunctum eſſe paucis ab hinc annis in Civitate Regiæ Veſtræ Majeſtatis Gedanenſi fratrem ſuum germanum, Fridericum Gieriſch, relictis ſibi per Teſtamentum omnibus, quas diu exercitis negotiationibus ſatis amplas acquiſiverat, facultatibus ſuis ac bonis.

bonis. Hanc igitur Hæreditatem, tanquam legitimæ unicæ hæredi ſibi alias debitam, cum in hunc usque diem adipiſci non potuerit curatorum teſtamentariorum artibus circumventa, tot impenſis ac ſumptibus defatigata, tandemque inſecuta mariti morte confiſa eſt interceſſionalibus hiſce Noſtris ſe effecturam, ut absque difficultate aut mora longiore, quod ſibi teſtamento fratris legitime relictum eſt, conſequatur. Quare Regiæ Veſtræ Majeſtati prædictam hanc Gieriſcham diligenter commendamus, & ab illa petimus, ſi quis forſitan, quod tamen non ſperamus, eam in adeunda hæreditate iniquis conditionibus gravare, vel a jure ſucceſſionis repellere conetur, ut contra quoſcunque inſultus illam tunc regie tueri, ſubditisque ſuis mandare velit, quo citra ambages prædicta bona hæreditaria cum facultate transferendi, quemadmodum apud Nos vel Noſtros Regiæ Veſtræ Majeſtatis ſubditis hoc concedi ſolet, ei integra adſcribant, tradantque. Hoc egregiæ ſuæ erga Nos Voluntatis documentum magni æſtimaturi, datoque tempore & loco grate ſumus agnituri. Dabantur in arce Noſtra Electorali Dreſdæ die 9. Auguſti 1685.

DCCLIII.

Literæ recredentiales a JOHANNE GEORGIO III. Saxoniæ Electore, Comiti de Violardi, ad CAROLUM IV. Mantuæ Ducem traditæ, 1685.

P. P.

EXhibuit Mihi Dilectionis Veſtræ Ablegatus, Illuſtris Comes de Violardi, literas quas Ipſa

Ipſa ad me dedit, multo humaniſsimas, ſimulque prolixiorem, quo Se Mihi addictam profitetur affectu, laudabili dexteritate explicuit, adeo prudenter commiſſas partes adminiſtrans, ut plene per omnia ſatisfecerit. Enimvero quod tam deſideratam me obligandi occaſionem amplecti voluit Dilectio Veſtra, id ipſum ex abundantia quadam civilitatis effuſique in Me amoris feciſſe, quid ignorem? Cui paribus humanitatis officiorumque documentis, omnibusque vicisſim inſerviendi ſtudiis reſpondere nunquam non Mihi curæ cordique erit. Qui nihil magis in deſideriis habeo, quam ut declarandæ mutuo amicitiæ meæ gratiæque, quam debeo, referendæ, ſubinde novas posſim invenire occaſiones. Dabit de his omnibus ſufficiens teſtimonium memoratus Vir illuſtris, Comes de Violardi, quem humaniſsime in Aula mea non ſine amplisſima exceptum commendatione eximiarum, quas posſidet, virtutum jam iterum dimitto, minime dubitans, quin Ipſimet de Mea erga Dilectionem Veſtram propenſione animi, ſummoque oſtendendi vicisſim benevolentis ſtudii ardore, prolixius ſit relaturus. Quibus Dilectionem Veſtram bene feliciterque agere etiam atque etiam voveo. Dabantur Colditii die 24. Auguſti 1685.

DCCLIV.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad JOANNEM III. Poloniæ Regem, quibus pro Friderico Masſio, fratris perfidia, quoad diviſionem maternæ hereditatis, circumvento intercedit, 1685.

P. P.

P. P.

Expoſuit Nobis, qua par eſt ſubmiſſione quidam ſubditus Noſter dilectus ac fidelis Fridericus Maſſius, defunctam eſſe haud ita pridem in Civitate Gedanenſi Matrem ſuam Agnetam Maſſiam, inſtitutis ſe ac fratre ſuo, ſororeque uterina per teſtamentum hæredibus. In hac hæreditatis diviſione haud parum æquis modis a fratre ſecum agi queritur ex eo, quod omnem ille paratam ad ſe pecuniam rapuiſſet ſolus, quem ea propter in jus vocare neceſſum omnino haberet. Sed cum Eundem non niſi coram ſummo Tribunali Regiæ Veſtræ Majeſtatis (Juriſdictioni enim Senatus Gedanenſis, miniſteriis Regiis haud ita pridem admotus, ſe exemit) conveniendi licentia ſit, felicioris rei eventus cauſa interceſſionales haſce noſtras humiliter petiit atque obtinuit. Diligenter itaque Regiæ Veſtræ Majeſtati memoratum Maſſium commendamus, benevole rogantes, ut honeſtis ſubditi Noſtri deſideriis in proſequendo jure ſuo clementer adeſſe, eundemque ad id, quod ipſi teſtamento matris legitime relictum eſt, facilius obtinendum gratia & autoritate Regia complecti velit, quo has noſtras pro ſe interpoſitas preces haud parum ſibi intelligat profuiſſe. Hoc favoris regii genus ipſe devotiſſime deprædicabit, Nos vero magni æſtimabimus, datoque tempore ac loco benigne agnoſcemus. Dabantur Dreſdæ, die 6. Septembr. 1685.

DCCLV.

Breve INNOCENTII PAPÆ XI. ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quo laudes ipſius, abro-

abrogati edicti Nannetenſis cauſa nimium quantum extollit, 1685.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter.

CUm præ cæteris documentis, quæ ingenitam Majeſtati Tuæ pietatem abunde declarant, maxime excellat eximius ille, Regeque Chriſtianiſſimo dignus zelus, quo ſtrenue incenſus fa-ventes iſtius Regni hæreticis conſtitutiones penitus abrogaſti, fideique orthodoxæ propagationi ſapientisſimis edictis decretisque egregie conſuluiſti, ſicut nobis expoſuit dilectus filius, Nobilis Vir, Dux d'Eſtrees, Tuus apud Nos orator, officii Noſtri eſſe duximus, ſplendido ac manſuro hoc literarum Noſtrarum teſtimonio inclytam animi tui religionem effuſe commendare, quemque rebus hucusque cumulum adjeciſti, impenſe tibi gratulari, recenſebit profecto ſuis in faſtis catholica eccleſia, tam grande tuæ erga ipſam devotionis opus, nomenque tuum non interituris præconiis proſequetur: Uberem vero imprimis a divina bonitate præſtantisſimi conſilii retributionem polliceri tibi merito poteris, perſuaſumque habere, non omiſſuros nos enixe ad eandem bonitatem in hunc ſcopum vota continenter effundere. Cætera a Venerabili Angelo Archiepiſcopo Farrenſi cognoſces, dum Majeſtati tuæ apoſtolicam benedictionem amantisſime impertimur. Datum Romæ die 13. Nov. 1685. Pontificatus Maximi anno Decimo.

Inſcriptio.

Charisſimo in Chriſto Filio Noſtro Ludovico, Francorum Regi Chriſtianisſimo.

DCCLVI.

DCCLVI.

Litera JACOBI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, cui auſpicatisſimas recens incepti & plurimum ſequentium annorum gratulatur calendas, 1686.

Jacobus II. Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex &c.

QUanquam Noſtra erga Celſitudinem Veſtram Electoralem amicitia ita penitus animo Noſtro ſedet infixa, ut ad illam teſtificandam neque recurrentis anni memoria, neque ulla alia inſigniori occaſione indigeamus, tamen ipſius Literæ Torgaviæ undecimo die Decembris nuperrime elapſi ſcriptæ jucunda quadam provocatione mentem Noſtram excitarunt, ut Nos etiam antiquæ illi & laudabili inter Amicos conſuetudini hoc tempore morem geramus. Adeoque ſerio & obnixe Deum optimum maximum precamur, ut cum anno jam renovato omnes præteritorum ſeculorum proſperitates Celſitudini Veſtræ Electorali totique Sereniſſimæ Domui ſuæ renovare, & cum ætate longæva felicitates nunquam deſituras in Ipſius perſonam & proſapiam benigne effundere dignetur. Dabantur in Palatio Noſtro de Whitehall tertio die Januarii Anno 1686 Regnique Noſtri primo.

DCCLVII.

Litera FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, ad VICTOREM AMADEUM II. Sabaudiæ Ducem, quibus eum, pro incolis

incolis in Gallia & Vallibus Pedemontanis reformatæ Religioni addictis ſedulo intercedens, amanter rogat, velit ipſis adverſus cruentas & immaniſſimas Gallorum perſecutiones patrocinio eſſe, aut tutum ſaltem per ditiones ſuas perfugium concedere, 1686.

Sereniſſime.

Quamvis gravia ſint plerumque ex diverſitate Religionum odia, antiquior tamen & ſanctior eſt naturæ lex, qua homo hominem ferre, pati, imo & afflictum immerito, juvare tenetur: nec enim commercium inter gentes ullum eſſe aut ſubſiſtere poſſet, absque hoc humanæ ſocietatis vinculo, quo non tantum moratiores, ſed & barbaræ pleræque gentes omni ævo inter ſe coaluerunt. Pervenit ad Nos, multos ex vicina Gallia, qui eandem Nobiſcum profitentur Religionem, graviſſimis adverſus eos ibidem promulgatis edictis perculſos, & conſcientiæ ſtimulis, quibus nulli acutiores, actos in ditiones Regiæ Celſitudinis Veſtræ ſe recipere non alia mente, quam ut tutum per easdem quærant perfugium, quo alibi tranſire poſſint, ſi, ut ibidem ſubſiſtant & commorentur, Celſitudo Veſtra Regia pati forte nollet: quod ut iis concedatur, ne miſeri exules, ad certa & atrocia ſupplicia iis, qui in hunc finem eosdem perſequuntur, & quod fertur contagione perſecutionum ſuarum etiam Celſitudinis Veſtræ Regiæ ſubditos, reformatæ Religioni addictos, quamvis fideliſſimos, nec ulla inobedientiæ labe adſperſos involvere ſatagunt,

extra-

extradantur, ſed ut Protectionis jure, quo hactenus gaviſi ſunt ſubditi Pedemontani & impoſterum fruantur; hoc eſt, quod lex Naturæ, quod humanitas, quod miſericordia & clementia, congenitæ magnorum Principum virtutes, Regiæ Celſitudini Veſtræ ſuadent, ſuggerunt, & ad quod tandem non eandem cogunt, quod Nos vero, eo quo par eſt affectu imo & precibus ſummopere ab eadem contendimus. Sane ſi miſeri iſti vel minimum perpetraſſent delictum, quod eos pœna & odio dignos redderet, tantum abeſt, ut pro iisdem intercedere induci Nos pateremur, quin potius Ipſi, absque ullo Religionis Nobiſcum communis intuitu, promeritas ab iisdem exigeremus pœnas; At nunc, cum nullius criminis rei, & ipſa innocentia tuti, miſeri tamen extorres, inopes, exules, famelici, omnia bona, quibus aviditas humana pretium fecit, imo & cariſſima vitæ & ſanguinis pignora reliquerint & quaſi a ſe ipſis divulſi fuerint, ſaltem ut conſcientiis ſuis, quæ nulla vi humana cogi poſſunt, & in quas ſolus ſibi Deus reſervavit imperium, conſulerent. Quis non miſericordia, ope, auxilio dignos eos judicaret? Equidem tantam in bonitate Celſitudinis Veſtræ Regiæ fiduciam reponimus, ut non veriti ſimus, pias has ad Eandem deferre commendationes Noſtras, quamvis diverſitas Religionum quas profitemur, & cauſa, pro qua Nos oramus, ſcrupulum Nobis movere potuiſſent; ſed & Nos in ditionibus Noſtris imprimis Weſtphalicis plurimos habemus Romano-Catholicos ſubditos, eos protegimus, fove-

mus, amamus, ad honores, dignitates & munia provehimus, non ſecus ac cæteros, qui ejusdem Nobiſcum ſunt fidei: quidni igitur perſuaderi Nos patiamur hujus etiam exempli rationem Celſitudinem Veſtram Regiam habituram? Sane nullum Eadem Nobis gratius præſtare poterit beneficium, quod non tantum grata ſemper recolere mente, ſed & omni officiorum genere demereri firmum nobis fixumque ſtat. Deus Celſitudinem Veſtram Regiam quam diutisſime ſervet incolumem. Dabantur ex arce noſtra Potsdamenſi die 19 Menſis Januarii 1686.

DCCLIIX.

Literæ credentiales, quas JOANNES III. Poloniæ Rex, Franciſco Galeckio, Ablegato ſuo, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem dedit, 1686.

Johannes III. Dei Gratia Rex Poloniæ &c.

Ut eo magis tenerioris affectus Noſtri erga Serenitatem Veſtram pateant indicia, non minus id præſentibus Literis quam vivæ vocis oraculo Magnifici Franciſci Galecki, Præfecti Culinæ Regni, Ablegati Noſtri commonſtrare, & exprimere ſatagimus: Nihil quippe amplius mutuo amicitiæ fœdere connexis deſiderari poteſt, ſi etiam tranſituris temporibus præconcepta inter Nos Veſtramque Serenitatem Jurium ac benevolentiæ cultura eodem floreat vigeatque ſucceſſu. Quod dum luculentius fuſiusque Serenitati Veſtræ Magnificus Ablegatus Noſter ad coram explanabit

nabit, eidem plenam in commiſſis fidem adhiberi enixe poſtulamus proſperamque a Deo valetudinem Serenitati Veſtræ apprecamur. Dabantur in Ruſſia, Zotlucitiæ die 27. Menſis Februarii Anno Domini 1686. Regni Noſtri XII.

Serenitatis Veſtræ

Bonus Frater & Cognatus

Johannes.

DCCLIX.

Literæ FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, ad JOANNEM III. Poloniæ Regem quibus eum amanter compellat, velit amico interpretari animo, quod ipſi, ob miſſas in Hungariam copias, juſtum pene exercitum efficientes, ſuppetias ire hac vice non poſſit, 1686.

Sereniſſime & Potentiſſime Rex, Domine Cognate & Frater Colendiſſime.

Expoſuit Nobis Illuſtris & Magnificus Franciſcus Galecki Præfectus Culinæ Regni, Ablegatus Regiæ Majeſtatis Veſtræ, iterata ejusdem deſideria, quibus ſuppetias adverſus truculentum Chriſtiani Nominis hoſtem efflagitat: Et quæ præterea Regia Majeſtas Veſtra ad Nos deferenda Eidem in mandatis dedit. Equidem cum eo in Regiam Veſtram Majeſtatem feramur animo, ut non facile Eidem quid negaturi ſimus, niſi ipſa prohibeamur neceſſitate, idque bis jam hoc eodem bello ſpontanea ſuppetiarum miſſione, ſub iis conditionibus, quas non tam pactum ullum,

quam affectus noſter expreſſit, comprobaverimus. Hoc Nobis viciſſim ab æquanimitate Regiæ Majeſtatis Veſtræ promittimus, ut reſponſum, quod non ita pridem Illuſtriſſimo Regni ſupremo Cancellario dedimus, & quod nunc repetere cogimur, ita ſit interpretatura, ut res & ratio ſuadent. Teſtabitur ipſe ſupradictus Ablegatus quæ vidit, nimirum copias iſtas, quas ad ſacram Cæſaream Majeſtatem mittimus, jam in itinere eſſe, quæ cum juſtum pene exercitum efficiant, & adverſus Eundem, quem Regia Veſtra Majeſtas habet hoſtem, adeoque pro communi cauſa militaturæ ſint, non minus in commodum Regiæ Majeſtatis Veſtræ quam ipſius Imperatoris miſſæ cenſeri debent. Quæ omnia cum fuſius Præfato Ablegato exponi curaverimus, non dubitamus, quin eadem Regiæ Veſtræ Majeſtati ea, qua par eſt, fide ſit relaturus. Quod ſupereſt, Deum veneramur, ut inſtantem Regiæ Majeſtatis Veſtræ adverſus commmunem hoſtem expeditionem continuo victoriarum curſu beare dignetur. Dabantur in arce Noſtra Potsdam die $\frac{2}{12}$. Aprilis 1686.

DCCLX.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad VICTOREM AMADEUM II. Sabaudiæ Ducem, quibus pro Hugenottis reformatisque Vallium Pedemontanarum incolis, inauditis & truculentis Gallorum perſecutionibus mirum in modum vexatis ſolicite intercedit, 1686.

P. P.

P. P.

NOn ſine ſenſu Chriſtiani doloris accepimus perſecutiones, quas incolæ ac ſubditi Regiæ Veſtræ Celſitudinis in Vallibus Pedemontanis viciniſque locis patiuntur, nihil tale quicquam ullo crimine promeriti, nec aliam ob cauſam quam propter diverſitatem Religionis inviſi. Equidem duriter adeo haberi, qui præterquam, quod cultui divino a Majoribus ſuis tradito firmiter inhæreant, nihil deliquerunt, id juſtam forte Nobis commiſerationem expreſſit. Cum nec nativæ Legi nec gentium Juri conveniens eſſe videatur, ut homo hominem ſine merito affligat, tantumque abſit, ut divina lege de vi conſcientiis inferenda quicquam præceptum reperiatur, ut potius contrarium in Evangelica Inſtructione apertiſſime appareat. Quo magis dolorem adauget, qui ad Nos non ita pridem delatus eſt rumor, Celſitudinem Veſtram Regiam haud fere diſſimili ſeveritate perſequi ex vicina Gallia ad ſe venientes, perque Ditiones ſuas fugientes Hugenottas, omnem miſeris denegando in confinibus ſuis protectionem, nec multo mitiore Eandem animo adverſus Pedemontanos ſuos eſſe, propterea quod in cultu divino a Romano-Catholicis nonnihil iſti abirent. Enim vero laudata cum primis Regiæ Veſtræ Celſitudinis manſuetudo atque clementia, & illa per tanta temporum ſpatia a Majoribus ſuis obſervata, Eidemque ad imitandum propoſita æquanimitas, nondum Nos patitur induci, ut iſthæc omnia credamus, quæ hinc inde de executionibus adverſus miſeros & commiſeratione

dignos ad aures Noſtras perferuntur. At quia tamen haud tantum in Imperio, ſed & extra illud hæc innotuerunt, & ab aliis etiam Principibus ad Nos perſcripta ſunt, per Nos mutuæ inter utramque Domum Noſtram veteriſque amicitiæ jura, perque pignora jam inde a Majoribus ad Nos deducti amoris, Regiam Veſtram Celſitudinem oramus, atque ab Ea contendimus, ut miſericordiam magis ac clementiam, quæ altis erectiſque animis propriæ ſunt virtutes, quam vel odia vel acerbitatem in innocentes, nulliusque, niſi quod ab antiqua Religione recedere detrectent, criminis aut inobedientiæ reos exercere, quin potius ab atrociſſimis, quibus jam inde alias ſatis afflicti ad ultimam denique perniciem deſtinantur, ſuppliciis immunes illos reddere malit, quo liberam & ſecuram, quam per tot ſecula in Ducatu illius hactenus retinuerunt, ſi non commorandi, ſaltem emigrandi fugiendique licentiam inveniant. Hoc naturæ Gentiumque Jus & Naturalis æquitas; hoc tot animæ ſub onere perſecutionum ſuſpirantes; hoc ipſa erga easdem Chriſtiana obligatio, & ſalus denique publica depoſcunt. Nos vero id ipſum vel propter humanitatis legem permagni æſtimabimus, omnique officiorum genere, quicquid Regia Veſtra Celſitudo ad inſtantiam Noſtraſque preces benigne afflictis fecerit, ſuo tempore ac loco ſtudebimus demereri. Quam proſpere interim feliciterque agere etiam atque etiam exoptamus. Dabantur in Electorali Noſtra Dreſda die 6. Aprilis Anno 1686.

DCCLXI.

DCCLXI.

Reſponſoria VICTORIS AMADEI II. Sabaudiæ Ducis, ad prainſertas JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris interceſſionales, 1686.

P. P.

Quanta ſemper fuerit hujus Sabaudicæ Domus in Electoralem Saxonicam devotionis affectio, innoteſcere Serenitati Veſtræ Electorali non ambigimus, quod & ipſi ſtudium non modo ex quodam hæreditario jure a Majoribus tradito, ſed ex ſingulari etiam animi Noſtri propenſione perpetuo a Nobis colendum propoſuimus. Hinc fit, ut vehementer doleamus, quod gratiſſimas Serenitatis Veſtræ Electoralis Literas datas die 6. Aprilis eo duntaxat tempore acceperimus, quo jam confecta erant, quæ in Vallibus Noſtris Lucernæ acta ſunt, quanquam nihil intentatum reliquerimus, quo hæc extrema a ſubditis Noſtris evitari poſſent, ad quæ eorundem pertinacia malentium pœnas provocare, quibus optabamus exemptos, quam facilitate & gratiis Noſtris uti, Nos adegit vel invitos. Hæc autem fuſius explicabit Serenitatis Veſtræ Electoralis Miniſtro Ratisbonæ commoranti, Carolus Carrocius, qui juſſu Noſtro ibidem reſidet; dum interim non aliud Nobis ſupereſt, quam ut Electorali Veſtræ Serenitati addictiſſimam noſtram voluntatem omni occaſione comprobandam ratam faciamus, Eandemque rogemus, ut continuati amoris ſui deſiderio nos

ſemper compotes velit, Deum Optimum Maximum denique exorantes, ut Serenitati Veſtræ Electorali fauſtiſſima quæque contingant. Dabantur Auguſtæ Taurinorum die 8. Junii 1686.

Serenitatis Veſtræ Electoralis

deditiſſimus Agnatus

Victor Amadeus.

DCCLXII.

Litera JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad JOANNEM III. Poloniæ Regem, tenerioris, quo flagrabat in eum, amoris teſtes, 1686.

P. P.

PErſane grata Nobis fuere expreſſa amantiſſimis Regiæ Veſtræ Majeſtatis literis, affectus in nos tenerioris indicia. Quæ quidem Magnificus Dominus Ablegatus Ejus multo illuſtriora reddidit, non ſine laudabili explicatione etiam illorum, quæ Regia Veſtra Majeſtas ipſi præterea in mandatis dedit, adeo ut credamus, eum partibus ſibi commiſſis abunde per omnia ſatisfeciſſe. Huic ergo viciſſim haud obſcuris oſtendimus argumentis, Regiam Veſtram Majeſtatem ſupra quam dici poteſt, & amari a nobis tantique fieri, quantum & excellentiſſima ipſius virtus & eminentior fortuna ac dignitas poſtulant, hoc eſt plurimi atque maximi. Quorum omnium

um ipſum Dominum Legatum locupletiorem fore interpretem ſperamus. De cætero precamur Deum, ut victricia Regiæ Veſtræ Majeſtatis arma aliis ſuper alias adverſus infideles victoriis ornet, generoſoque ipſius deſiderio, Auguſti nominis ſui famam per præclara facinora longe lateque extendendi, ampliſſime ſatisfaciat. Dabantur Dreſdæ Menſe Aprilis 1686.

DCCLXIII.

Literæ SENATUS LIPSIENSIS AD JUDICIUM MERCATORIUM delegati, ad PRÆSIDEM ET ASSESSORES JUDICII MERCATORII LUGDUNENSIS, a quibus amice contendunt, velint haud gravatim citationem præſentibus incluſam Wolfio & Cropio Civibus ſuis rite inſinuare, 1686.

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, atque Conſultiſſimi Domini & Amici honoratiſſimi.

NObiliſſimas Veſtras Amplitudines prævia officiorum & amicitiæ promtiſſimæ oblatione in ſubſidium juris hiſce obnixe rogamus, ut eorum jurisdictioni ſubjectis Civibus, Wolff & Crop, incluſam iſtis literis Citationem, quamprimum fieri poterit, inſinuandam curare, ſimulque eos, ut Citationi pareant, ſerio admonere, nos autem de inſinuatione hac rite facta facere certiores velint, id quod ſimili, & quovis officiorum genere para-

tiſſima promtitudine demereri non intermittemus. Dabantur Lipſiæ die 22. Junii Anno MDCLXXXVI.

Veſtrarum Nobiliſſimarum Amplitudinum

Studioſiſſimi

Senatus Lipſienſis ad judicium mercatorium delegati.

Inſcriptio.

Dominis Præſidi & Aſſeſſoribus Judicii mercatorii Lugdunenſis.

DCCLXIV.

Litera MARIÆ CASIMIRÆ, Reginæ Poloniæ, ad INNOCENTIUM PAPAM XI. quibus Sereniſſimum maritum ſuum, arma adverſus Turcas fortiter & feliciter gerentem inopinatum de poſthabito nominato a ſe ad Cardinalitiam dignitatem candidato nuntium ægerrime laturum eſſe conqueritur, ab eoque reverenter contendit, dignetur ſaltem aliquale huic malo parare remedium 1686.

POſt oſcula pedum Sanctitatis Veſtræ, & mei, domusque meæ humillimam recommendationem. Trigeſimus inſtat prope dies, ex quo nullas a Rege meo habui literas. Ille non ſalutis ſæpius fatiſcentis uti per labores continuos feſſæ, ſed dati tantum Sanctitati Veſtræ memor verbi, Me, minori familia, Patriaque tota relictis, hoſtes Chriſtiani nominis in finibus Regni, dum non

non reperit, aliquot in Sylva famoſa Bukowina, & peninſula ad Pruth, dicta Peretita, noviter exſtructis fortalitiis, in Moldavia, non vi & ferro, ſed ſolo nominis ſui clamore vel terrore ad obedientiam per ſolenne juramentum redacta, deſerta & invia, ubi nunquam in hanc usque diem arma Polona viſa ſunt, tranſivit loca. Opponentem ſe non levem Tartarorum manum 24. Aug. per Theſaurarium Aulæ ſuæ, & locum tenentem Rzewuski fugavit, accepto de Turcis in vicinia Danubii nuntio, quærendos potius, quam expectandos ratus, in alteram fluvii Pruth partem, ad ulterius eundem feſtinatione exſtimulante per erectum a noſtris pontem tranſivit. Quid ulterius factum ſit, quid nunc fiat, plane ignoro, ac proinde anxia ſollicitaque eſſe debeo. Scio enim cum Tartaris nobis rem eſſe, qui aggredi & fugere pariter ſueti, modica quidem, ſed crebra, imo continua exercitui noſtro inferunt damna. Novi animum Regis mei, qui ſecuritati minus ſuæ quam famæ, cautius quandoque conſuluit. Hinc metus juſtaque apprehenſio, quam evidentia periculi eo magis auget, quo diutius ſine ulla vel minima notitia non ducere, ſed trahere vitam cogor. Dabit proinde veniam filiali ad beneficum patrem confidentiæ Sanctitas Veſtra, ſi & alium animi mei angorem, cum pleno, & debito ſanctæ ſedi ejus reſpectu communicavero. Prævideo magno doloris ſenſu Regem meum id accepturum, dum, in nupera Cardinalium promotione poſtpoſitam ſuam nominationem indigniusque habitam audiet. Vellem libenter

benter, ut notitia hæc ad aures ejus non veniat, ne imparatum deprehendat, nam & fortes viri ſubitis moventur, dum dolor ejus tot curis exercitus, ubi ſe reclinet, non habebit. Dignetur conſiderare Sanctitas Veſtra, cui ſummum judicium cœli dedere, quomodo ille alacer exercitus, quocunque res tulerit, intrepido gradu properat, quo reverentis obſequii cultu non magis ad morem, quam ad propriam inclinationem pertinente perſonam Sanctitatis Veſtræ proſequatur. Antiquiora, quæ vetuſtas (quanquam recte factorum verus fructus ſit feciſſe) jam forte abduxit, tranſeo, Viennam non memoro, ad quam defendendam, ſolo deſiderii Sanctitatis Veſtræ circa ſalutem Chriſtianitatis ſolliciti adductus motivo, mei, prolis, Patriæque oblitus, eo ipſo, quo deſtinaverat & Sanctitati ſuæ promiſerat, venit die. Proximum perſonæ ſuæ, & primogeniti ſui ad Barkam periculum, utinam ita in poteſtate mea eſſet, oblivìſci quam tacere! Incepta feliciter in Ungaria, quæ tot ulterioribus in rem Chriſtianam beneficiis locum aperuerunt, ſat nota ſunt. Totum id Magno Nomini Sanctitatis Veſtræ litavit, ut Pontificatum ejus ſupra omnes, quos antiquior & recentior ætas vidit, redderet glorioſiorem, Pontifices. Huic vero omnes curas ſine cura ſui, omnes conatus etiam nunc impendit, ut Sanctitas Veſtra ex ſacro hoc fœdere, quod nutu plane ejus incepit & coaleſcit, quam frequentiſſimos videre poſſit fructus, dum hæc, inquam fiunt, & ecce magnum non perſonæ tantum, ſed

toti

toti in Regibus ſuis Regno, Sanctitate Veſtra moderante terras, rebusque Chriſtianis præſidente fieri videbit, dolebitque præjudicium. Ignoſcat Sanctitas Veſtra, ſi liberius id dico, nihil eſt difficilius, quam magno dolori paria reperire verba. Scio, quantum Rex meus in paterno affectu conceptam non ſpem modo, ſed ipſius ſpei fiduciam ſemper habuerit, ideoque gravior, quo magis repentina & ex inſperato hæc eo veniet notitia ſi cum his, qui digni hac fortuna & Reverentisſimus in Chriſto Epiſcopus Belluacenſis, qui nominatione Regia potior erat, gratiam Sanctitatis Veſtræ expertus fuiſſet, Rex meus non delectaretur tantum, ſed gloriaretur. Innocentia dicti Epiſcopi poſt rigidum examen palam patuit, conſtantes & ſine intermisſione frequentiores ad Sanctitatem Veſtram, ore per Illuſtrisſimum Nuntium, & manu propria per literas toties expresſæ erant inſtantiæ, ſed eas ex cauſis incertis, eoque difficilioribus remediis ſine cura habitas, quam ingenti animi mœrore hic ferre debebit filius qui ſibi ſe eripit, ut nutibus ſanctitatis Veſtræ pareat, notius eſt, quam ut ego oſtendam. Deferendum nihilominus ad ipſas Sanctitatis Veſtræ aures, cum omni debita ſubmisſione in animum induxi, ut maturius conſiderato eo, quod Rex meus nihil ſanctius hactenus habuerit, quam ut pro aſſervanda autoritate Pontificia, propugnanda Eccleſia Romana, non curam duntaxat, & opes, ſed vitam ipſam devoveat, ſi quod remedium in innata Paterna Sanctitatis Veſtræ bonitate inveniri poteſt, ad ſedandum hunc adverſus

ſus omne ſolatium contumacem dolorem adhibere & impendere velit. Benedicet Deus diebus, & plus ultra creſcenti in dies Sanctitatis Veſtræ fortunæ, ſi belligeranti pro aris ſuis, ſanguinique proprio non parcenti filio Regi, id ſolatii dederit, quod æſtimationem ejus in orbe Chriſtiano ſalvare, & eum de affectu Paterno Sanctitatis Veſtræ adverſo in rumore diminuto certiorem reddere, ora iniqua loquentium confundere, & ad majora pro re Chriſtiana incipienda & agenda currenti calcar addere favore ſuo, & gratia non dedignabitur. His reverenter inſinuatis Paternam Sanctitatis Veſtræ imploro benedictionem. Dab. Samboriæ 25. Sept. 1686.

DCCLXV.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, cui de nato denuo feliciter Nepote impenſe gratulatur, 1686.

P. P.

MAgnæ Nobis delectationi fuerunt literæ, quas Regia Veſtra Majeſtas de Nato ſibi denuo feliciter Nepote usque eo benigne & ſuaviter ad Nos perſcripſit, ut egregium & ſingularem plane amorem in Illis erga Nos ſimul expreſſiſſe videatur: De quo felici inclytæ ſtirpis augmento tanto Nos quidem vehementius lætamur, quanto Ipſi majore cultu affectuque animi in Regiam Veſtram Majeſtatem univerſamque illius Sereniſſimam Regiam Domum viciſſim propendemus.

demus. Quæ cum ſine dubio jam nativitate novi Principis haud leviter gaudeat, non magis Regiæ Veſtræ Majeſtati quam Auguſtisſimæ Illius familiæ novum hunc quaſi exortum tam auſpicati Sideris gratulamur, ſerio voventes, ut maſcula illa ſoboles, qua Regiæ Veſtræ Majeſtatis florentisſima Domus in præſentiarum aucta denuo atque munita eſt, in ſinu Serenisſimorum Parentum ſuaviter adoleſcat, Majorumque virtutibus & Magnitudini ſimilis, in avitum olim exſurgat decus, frequentisſimæque impoſterum & Regiæ Veſtræ Majeſtati propagandi inclyti generis & Nobis Eidem ſæpius gratulandi occaſiones obveniant. Quibus Regiam Veſtram Majeſtatem cœleſti tutelæ ad comprobanda dediti animi noſtri ſtudia nihil facturi reliquum, etiam atque etiam commendamus. Dabantur Dreſdæ die 27. Septemb. 1686.

DCCLXVI.

Literæ MARIÆ CASIMIRÆ, Reginæ Poloniæ ad INNOCENTIUM PAPAM XI. quibus ipſi inſignem victoriam e Tartaris per Polonos reportatam quoad potiores exponit circumſtantias, 1686.

POſt oſcula pedum Sanctitatis Veſtræ & mei, Regiæque domus Noſtræ humillimam commendationem. Quo momento die 10. Octobr. læta accepi nuntia, de profligato uno die geminata vice inſigni Tartarorum numero, eidem Sanctitati, & rem & ejus ſeriem defero, plena ſpei Sanctitati Veſtræ non injucundum fore, non improſpe-

proſperum hunc Sereniſſimi Domini Regis mei, & mariti contra hoſtes fidei ſucceſſum, quem Bonitas Divina, & dextera Excelſi inter tot pericula, quibus perſonam indeſinenter objicit, benedictionibus cœleſtibus non deſerit. Verba Sereniſſimi Regis Dni. & Mariti chariſſimi ad me die Divo Franciſco Seraphico ſacra, data eo libentius hic pono, quo æquius eſſe cenſui, ut Sanctitas Veſtra ab ea manu, quæ victoriam operata eſt, genuinam valeat habere relationem. Et hæc ſunt, quæ ſequuntur: Sit Deus benedictus in ſæcula pro gratia & beneficio die heſterna nobis collato. Jam diſparuerant Tartaricorum Exercituum nubes, quæ inſeſſis montibus & vicinis nobis locis, continuis in noſtros aſſultibus per tot ſeptimanas factis, creberrimis videbantur laſſatæ cladibus, quas a noſtro, ſemper juvante Deo, reportabant exercitu. Tandem denuo comparuere agmina noſtra, ad inſtar luporum ex ſylva proſilientium carpendo non tam militari, quam furtivo modo; Plura illorum millia præſtantioris armaturæ, & roboris congregata ſolito more, circa trajectus fluminum & anguſtias locorum, inſolens famulitium noſtratium cum equis abducebant. Cum autem flumen Szocavam tranſeundo, ejuſdemque nominis Civitatem ingreſſi fuiſſemus, Tartaricus Exercitus magis ac magis coadunari cœpit, eo conſilio, ut 3. Octobris in pervigilio Divi Franciſci undequaque aggrederentur anteriorem Exercitus noſtri partem, videntes, quod nobis arduum erat hoſtem vento velociorem, qui momento paret & diſparet, inſequi,

ſequi, alia eundem methodo aggredi inſtituimus, denuntiari fecimus omnibus incolis, ut quicunque illorum exploraret loca, in quibus pernoctarent Tartari, habiturus ſit pro tali Nuntio Ducentos Imperiales. Succeſſit conſilium, hora undecima ante mediam noctem, nuntiatum eſt: Tartaros in loco certo, uno milliari a caſtris, ut examen apum conſediſſe, non cunctanter ergo expeditas manus militum tribuimus Theſaurario Curiæ, & Venatori Regni cum aliis Mag. Ducatus Lithuaniæ Præfectis, juſſimusque antecedere contra hoſtem. Nos ipſi cum exercitu ſtatim ſecuti, ſub auroram ergo hoſtis præoccupatus, in prædicto loco internecione deletus, quicunque ibi erat, exceptis ad minimum trecentis captivis, quæ res tam rara eſt, apud velociſſimum hoſtem, ut citius, (expertis credendum) triginta millia ex alia gente capi poſſint, quam ex hac trecenti. Eo loco cecidit tota aula ipſius Hani Nuradini, Soltanique Filii ejus. Hanus enim liber in Crymea ab impetitione Moſchorum, quam principio anni timuerat, ſelectam militiam huc tranſmiſerat. Inter captivos ſunt multi Murzæ, ſeu Præfecti & nobiliores aulici, quorum ductor erat Affinis præteriti Hanni, dictus Neſzta Szoblabey, agebatque primarium Aulæ præfectum apud Nuradinum. His deletis circa ortum ſolis ſupervenerunt alii ex ſylvis ex condictamine antea facto, ignari eorum, quæ ſociis acciderant. Hos quoque aggreſſi fudimus multos, ceciderunt plurimi, ſauciatos fuga cum reliquis abſtulit. Eſt ergo pro quo datori omnium rerum, agamus gratias. Ex Noſtra-

tibus vero vix quatuor cecidere. Hactenus Rex meus. Quod vero ex aliis literis didicimus, ſilentio nullatenus tranſeundum, ea occaſione credimus, quanta Primogenitus Filius Noſter Patris ad exemplum dederit, Martium ardorem ſpirans, imperterriti animi ſpecimina, cum ſe videret per expeditos, præviosque omiſſum, aſſumtis iis, quos alacritas ſtimulabat, ſuſcepit in ſe munia ſtrenui militis, ſub auſpiciis Paternis non contentus plurimos profligaſſe, niſi propria manu Murzam Tartaricum prenſatum, & detentum in conſpectum Sereniſſimi deduceret. Id vel ex ea ratione Sanctitati Veſtræ deferendum eſſe duxi, ut videat, quomodo Rex Maritus, Princepsque Filius ſine cura ſui proprium pro re Chriſtiana etiam profundere ſint parati ſanguinem, & ſi hoſtis occaſionem conferendarum manuum tam ſedulo non evitaret, nomine Dei invocato, cui, quemadmodum Rex meus omnia tribuit, ſic ab eo ſolo, uti intima cordis noſcente, æquam remunerationem ſperat, ſi, inquam, hoſtis pugnare vellet, potenti manu Dei per arma noſtra procul dubio vinceretur. Ex captivis conſtat animatos eſſe Tartaros ſparſis Nuntiis, de ſimili obſidionis Budenſis fato, quale ante biennium fuerat, unde Sereniſſimus Rex nihil dolentius accepit, quam quod exitum rerum Budenſium hucusque ignoret, rem tam magni, ut vix hac ætate dari potuerit, momenti. Ex iisdem captivis conſtat & aliud, quod Moſchorum Monarcha nullam omnino diverſionem nec per ſe, nec per Coſacos fecerit in Tauricam, quæ hoc metu ſoluta validiora robora contra noſtros emiſe-

e miſerat; imo conſtat, quod inter Coſacos & Crymeam durant pacifica commercia. Hoc adjecto, quod Coſaci datos ſibi a Polonis Moſchorum Duces dedignentur, cupiantque eſſe Populi liberi non ſervi, dummodo Tartaricam habeant aſſiſtentiam. Certum itaque eſt, totam Crymæam cum Turcis incubuiſſe noſtris exercitibus. His reverenter inſinuatis Sanctitatis Veſtræ pedes humili veneratione exoſculans eandem ſummi numinis tutamini animitus commendamus. Dabantur Samboriæ die 10. Octobris Anno 1686.

DCCLXVII.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad INNOCENTIUM PAPAM XI. quibus ſuſceptæ a ſe hoc anno in Tauricam, e voto quidem, ſed innumeris difficultatibus obnoxiæ expeditionis ſeriem exhibet, & dolorem, qui ſibi neglectu nominati ſui ad purpuram candidati inflictus ſit, omnibus, quas memoraſſet calamitatibus, longe graviorem eſſe aſſerit, 1686.

POſt oſcula pedum Sanctitatis Veſtræ meique ac Regnorum meorum filialem commendationem. Tertia abhinc ex Caſtris redux die terminatæ licet nedum integre dimiſſis copiis præſentis meæ bellicæ expeditionis, quam primum Sanctitati Veſtræ pro filiali mea reverentia, reddere ſtatui rationem. Ut enim ab ipſius paternis benedictionibus auſpicatus ſum, ita ad eandem, tanquam ad communem Chriſtianæ felicitatis fontem, actorum geſtorumque per Exercitus Chriſtianos redire neceſſum eſt momenta. Magnifi-

cos equidem non fero triumphos, ſed geſtis fortium egregia militum fortitudine, caſibus ac mille periculis; quæ non pro una duntaxat expeditione, ſed pro ſeculorum ſufficerent hiſtoria memoranda facinora; ac diverſionem hoſtium, pro ſucceſſibus ſocialium adeo fauſtam & opportunam, pro partibus vero meis adeo duram & aſperam, ut plus certo ſit, me & patriam meam aliis inſerviendo, conſumi. Poſtquam enim cum primo vere ad promulgatos armorum meorum motus, Barenſe & Medzibolenſe, præſidia per Turcas deſerta refici, ac muniri demandaſſem, Paternæ Sanctitatis Veſtræ voluntatis conſcius, primum me ad caſtra contuli, mox in interiores Moldaviæ Provincias, poſt tergum ad oſtia hoſtilis terræ tribus recenter erectis munitionibus, relictiſque ad fines Patriæ copiis proceſſi, vaſtiſſima deſerta ſine omni prorſus habitatore Jaſſios usque ſuperavi. Ibi cum ambigua & abſtruſa Chriſtianorum fide aliquantulum luctatus, relicto, quantum permiſit locus ille ſine ulla neglectus fortificatione, præſidio, per magis adhuc tædioſa, invia & nunquam habitata deſerta progreſſus ſum, donec in terris Budziacenſibus præ foribus domuum ſuarum, Scythas primum, poſt Turcas cum Sieraskiero a Danubio ſupervenientes offenderim. Igitur cum iis per ſeptem quadraginta continuos dies, non prælia, ſed quotidianas acies, & certamina impendendo generalem pugnam detrectantes, crebris iisque furtivis excurſionibus graves, dum vincere univerſos non potui, audaciſſimi quique ac præcipui hoſtium cecidere, biniſque vicibus memoranda

randa poſt Caluſienſes meas victorias percuſſi ſunt clade, ac aliquot inſignium centena inter mancipia devenere. Et hæc quidem homines contra homines valuimus, ſed major nobis cum elementis, terrena non ſuperandis poteſtate lucta fuit. Integrum prope Quadrimeſtre, quod caſtris inſumpſi, ne unica pluviæ gutta, ne ros quidem ſolitus irrigavit, hinc tam grandi peruſta terra ſiccitate non modo uſus aquarum ignotos, ſed etiam famoſos abſorpſit fluvios, utpote Dzieza, Bachluiec. Qua aquarum penuria preſſus exercitus meus, ſolismet fluvii Pruth incumbere debuit ripis, nec quo eundum erat, ſed quo ille ducebat, tenebatur iter. Sive enim ſiniſtrorſum, ſive dextrorſum occaſio vertendi poſcebat, abſque omni prorſus aqua quinque aut quatuor dies viæ inſumendi erant. Rurſus contrarium ignis elementum plurimum aderat; præter enim inſolitos, militique meo inſvetos calores Tartari circum circa herbas exurebant, quæ tam facile ignem concipiebant, ut vix credibile, niſi vidiſſem, ad cujus ſcintillæ contactum, tanquam ſtipula ſicca incendebantur, atque ita ſuccenſæ ſæpe ſæpius non leve periculum caſtris minabantur, compluries etiam in exuſtis atque carbonibus, quam terræ ſimilioribus locis metari debuerant. Igitur cognito, quod hoſtes compagibus & ergaſtulis ſuis, quorſum penetrare ſtatueram, idem facere, quod cum herbis decreverant, magis arduum ratus cum elementis quam cum hoſte bellum, tempeſtivam enervatæ, feſſæ, laboribus attritæ, morbis afflictæ, annonæque penuria (non enim aderat ulla,

 niſi

niſi ex Polonia, quæ devehi poterat) plurimum laborantis militiæ conſervandæ præhabui meditationem, tum maxime, cum Moldavorum Vallachorumque perfidiæ erant non inobſcura documenta, qui neſcitur, quibus inducti exſtimulationibus, omnium promiſſorum, quæ ſpoponderant, ac religione ſeſe obſtrinxerant, prorſus obliti, timendos ſe magis, quam ſociandos præbuerunt. Populi inſuper Trans-Danubiani univerſi & ſinguli viritim ad arma convocabantur, nobis opponenda. Acceſſit vacua rebus ſpes, de diverſione per magnos Moſchorum duces promiſſa, non modo enim Crimenſes ordinaria gaudebant tranquillitate, ſed adeo ſecuri fuerunt, ut, præterquam, quod continuo inde Tartari in Moldaviam contra exercitum meum commearunt, recentiſſime viginti millia inde, in exitu fere meo ex Moldavia illuc venere. Velim proinde, ut Sanctitas Veſtra pro paterno ſuo erga me, & Patriam meam affectu, ſeriam ſuper his omnibus faciat reflexionem, quantas peragravi ſolitudines, nunquam antehac pervias Polonis, quot caſuum Dei favore ſuperavi ictus, quas elementorum ſuſtinui inclementias, quam Turcicam, Tauricamque in mediis hoſtilium terrarum viſceribus potentiam ea fortitudine adorſus, regeſſi, ut id ſolum ad victoriam deeſſet, quod ſe generali ſemper ſubduxiſſent aciei; Potuitne quiſquam majoribus periculis, damnis, prout horum omnium fuere ſpectatores generoſi, Cæſarianus & Venetiarum Reſidentes, minore vero belligerare ſolatio, præter hoc unicum, quod opportuniſſimam expugnationi

gnationi Budenſi præbuerim diverſionem, niſi enim hos, quos armis meis tenui hoſtes matura præveniſſem expeditione, certo certius laboranti adfuiſſent Budæ, toties a ſupremo Vezirio requiſiti & vocati, ſed ſemper ſuarum defenſione terrarum excuſati. Dum itaque tam arduam, tamque difficilem, ſuccesſibusque tantum fœderatorum peropportunam, mihi vero Regnoque meo nullius, ultra commune Chriſtianorum, emolumenti feracem Sanctitati Veſtræ præſento expeditionem; non dubito paternæ ipſius providentiæ facile ſubintraturum, quid tandem ulterius pro commodo proprio agendum ſit, dum ſuſceptum hoc bellum ſolisınet Colligatorum Respublica alit commodis, ſuæ impotens utilitatis, ob eas, quas jam olim Sanctitati Veſtræ memoraveram difficultates, ſcilicet, quod hoſtis mihi petendus ſit, per medias ſolitudines, longum iter & vaſtisſima deſerta, plane extra modum devehendæ annonæ; adeoque prius neceſſe eſt vinci, antequam in conſpectum veniatur; jam vero expugnationem Cameneci plane impoſſibilem remonſtrant, tot fata, mortesque virorum in obſidione Budenſi, eo enim numero hominum, qui ad Budam deperiit, vix totus meus conſtat exercitus, his ergo difficultatibus ſtatueram, communicato cum Sanctitate Veſtra conſilio curas meas exerere, matureque conſulere, quomodo ſit ulterius tum propriis, tum communibus ex hoc bello invigilandum commodis. Sed ecce ponit his omnibus modum dolor ſine modo inſperatusque, prout anterioribus meis inſinuavi,

 animi

animi angor, ex recenti Sanctitatis Veſtræ purpuratorum promotione, in qua cum mea unius prætermiſſa ſit nominatio, omnium vero aliorum Principum commendationes etiam pro externis ſecum reportaſſent ex voto eventum, gravisſimus ſine ſolatio dolor. Liceat itaque rurſus filiali devotione coram Sanctitate Veſtra ingenue fateri, mihi non ſic pericula, caſus rerum, ingentes curas, e ſolicitudines laboresque caſtrenſes, quibus pene ſuccumbebam, graves fuiſſe, quam hic vel in limine domus repertus rumor. Expectatione enim me mea, pro quantiscunque in Chriſtianitatem meritis fruſtrari, novisque carere gratiis non pœnitet, ſed priſca exiſtimatione erga alios Reges ſemper æquali, Sereniſſimisque olim prædeceſſoribus meis illæſa non frui, hoc demum eſt delicatisſimi ſenſus vulnus. Non curarem, quid dicat hac ſuper re univerſus orbis, niſi juſta timeretur ſuſpicio, quod non ſit creditura Gallia, me pro commendato meo, qua natalium, qua meritorum decoribus conſpicuo, objectorum immuni, ac de innocentia ſua jam ſecuro ne tantum quidem valuiſſe, quantum profuiſſet non adhibita mea nominatio. Hunc igitur, cui impar ſum, dolorem in ſinum Sanctitatis Veſtræ iterum iterumque repono, per illibatum Regni mei decus, quod anteceſſoribus ſervatum, per gratias, quas mereri ſemper ſtudui, per vitam, quam toties ad nutus Sanctitatis Veſtræ immolavi, humilibus expetens precibus, ne illum permittat ulterius ſerpere, ſed potius eo, qui decet tantum Patrem & me obſequentem filium,

pro

pro immortali dignisſimi ejus Pontificatus gloria laborantem, vincula triſtis animi diſrumpat affectu. Quem certo præſtolaturus, optimam valetudinem Sanctitati Veſtræ demiſſa mente apprecor. Dab. in arce Stryzenſi 27. Octobr. 1686.

DCCLXIIX.

Litera JOANNIS III. Poloniæ Regis ad JOANNEM GEORGIUM II. Principem Anhaltinum, amoris in eum nunquam interituri certisſimi indices, 1686.

Johannes Tertius Dei Gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenskiæ, Severiæ, Czernicoviæ. &c.

Serenisſime Princeps, Grate Nobis dilecte.

POſt tot tædioſas non tantum cum hoſtibus, ſed & cum ipſis injuriis cœli elementisque luctas ad propria reverſi, id præcipui ſolatii loco habemus, quod a Reverendo in Chriſto Patre Epiſcopo Kyovienſi didicimus antiquioris jura amicitiæ, recenti ſtrictioris nexus vinculo, cum Domo Serenitatis Veſtræ renovata, dum quærenti Illuſtrisſimo Georgio Principi Radzivilio, Nepoti noſtro, in Domo Serenitatis Veſtræ æternum Connubii fœdus, jam paterno Serenitatis Veſtræ conſenſu firmatum, non niſi reditum ejus ab exteris expectet. Continere proinde ple-

nam animi noſtri ſatisfactionem non poſſumus, quin Serenit. Veſtræ palam faciamus nihil nobis optabilius accidere potuiſſe, quam dum Veteris noſtræ in perſonam ingentiaque merita Veſtra propenſioris æſtimationis, eo ſæpius teſtari poterimus Documenta, quo viciniorem & nobiliorem oculis ſpectare licebit arrham. In reliquo dictus Epiſcopus cum Serenitate Veſtra conferet. Quam nos de conſtanti noſtro nec unquam immutando affectu ſecuram reddimus. Optimam a Deo valetudinem, & proſperrimum rerum curſum ex animo precantes. Dabantur in Arce noſtra Seryens, die 28. Menſis Octobris Anno Domini 1686. Regni Noſtri Anno 12.

Serenitatis Veſtræ

Bonus Amicus & Affinis

Joannes.

DCCLXIX.

Litera JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad JOHANNEM III. Poloniæ Regem, quibus ipſi proſperrima exorientis denuo & plurimum aliorum annorum gratulatur auſpicia, 1687.

P. P.

OBſequimur antiquæ illi laudabilique inter Principes conſuetudini, qua ipſi exorientibus novi anni auſpiciis certare votis inter ſe, proſperaque omnia atque felicia ſibi invicem precari ſolent. Ita namque confidimus hanc cultus

pietatisque Noſtræ expresſionem provocationemque amicam mutui amoris non injucundam fore Regiæ Veſtræ Majeſtati. Cui ut non hæ tantum Calendæ, ſed & plures aliæ florente ſtatu Reipublicæ maximaque civium tranquillitate quam felicisſime decurrant, 'eſt, quod Nos quidem non tam ex ſolennitate temporis quam ſinceritate affectus etiam atque etiam optamus, Deum venerati, ut Regiam Veſtram Majeſtatem univerſamque Illius Regiam Domum & præſtet incolumem & perpetuo felicem. Dabantur in arce Noſtra Torgavienſi die 11. Decembris 1686.

Nota. Pari quoque ratione ad nonnullos alios Europæ Proceres ſcriptum fuit.

DCCLXX.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad præinſertas JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris de novo anno gratulatorias reſponſoriæ, 1687.

P. P.

FEſtivum hunc plauſum, quem Nobis Serenitas Veſtra proſperrimis vertentis anni auſpiciis per humanisſimas literas ſuas dare voluit, non tam receptæ antiquitus conſuetudini, quam fraterni affectus ſinceritati conſtantique erga Nos voluntati tribuimus. Et eſt ſane inſigne ſui erga Nos candoris experimentum, Serenitatem Veſtram nullam ſinere, ut ulla elabatur, occaſio, qua Nos ſibi Senenisſimæque Domui ſuæ uſque & usque devinctiores reddat. Quo in paſſu dum recipro-

reciproco cum Serenitate Veſtra certamus affe-ctu, cordicitus vovemus, ut cum recentibus anni primordiis, Serenitas Veſtra fortunatos quosque ſecunda, ſine offenſione, incolumitate auſpicetur dierum rerum ſucceſſus, quorum fructus in prolixam annorum ſeriem proſperrime extendantur. Dabantur Leopoli, die ſexta Menſis Januarii, Anno Domini 1687. Regni vero Noſtri decimo tertio Anno.

DCCLXXI.

Literæ credentiales, quas CAROLUS XI. Sveciæ Rex, Eberhardo a Grafenthal, Ablegato ſuo extraordinario, JOHANNI GEORGIO III. Saxoniæ Electori exhibendas commiſit, 1687.

P. P.

Quæ nobis cum Serenitate Veſtra Electorali ſincero ſemper affectu culta fuit amicitia & ad quam alendam augendamque propenſo ferimur ſtudio, Nos in eam mentem adduxit, ut ad Eam amandandum cenſuerimus Ablegatum Noſtrum Extraordinarium, Nobilem Nobis ſincere fidelem, Eberhardum de Grafenthal, commisſis ei certis negotiis coram uberius exponendis. Quocirca a Serenitate Veſtra Electorali hiſce amice requirimus, ne gravetur dictum Ablegatum Noſtrum Extraordinarium in conſpectum ſuum benevole admittere, eique in iis, quæ Noſtro nomine depromturus eſt, plenam tribuere fidem. Quæcunque vero a Serenitate Veſtra Electorali in nos oſtendentur amicæ voluntatis ſpeci-

ſpecimina, ea nobis non modo erunt gratiſſima, ſed & magnum offerent incitamentum ad paria affectus reciproci ſtudia quovis loco ac tempore cupidisſime teſtificanda. Qui de cætero Serenitati Veſtræ Electorali diuturnam incolumitatem & proſperos rerum ſucceſſus ex animo apprecamur. Dabantur in arce Noſtra Regia Holmenſi die 11. Menſis Junii 1687.

DCCLXXII.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad COSMUM III. Magnum Etruriæ Ducem, quibus a Melanio iter Romam verſus jam inſtitutum eſſe, nuntiat, & nova quotidie infucati amoris incrementa promittit.

P. P.

Lectis quas multo humanisſimas Dilectio Veſtra ad Nos perſcripſit Literis, ſimul quaſi & intelleximus & probavimus profectionem, quam Romam verſus inſtituit Dominicus de Melani, ob virtutes & fidelitatem ſemper quidem Nobis charus, quod & a Dilectione Veſtra non leviter illum diligi, & ob rerum agendarum ſolertiam præſtantiamque dignum judicari cognovimus. Cui ipſa certa quædam negotia Romæ procuranda committeret. Qua quidem in re illum Dilectionis Veſtræ expectationi pulcherrimæ ſatisfacturum non tam ſperamus quam confidimus. Nos interea, quos tam conſtanti cultu Dilectio Veſtra proſequitur, aliisque ſuper aliis benevolentiæ ſtudiis cumulare non deſinit, nihil magis curæ cordique habebimus, quam ad priorem veteremque

teremque Noſtram neceſſitudinem atque amorem mutuum nova quotidie incrementa adferre, & non obſcuris viciſſim oſtendere indiciis, Dilectionem Veſtram magnopere & amari a Nobis tantique fieri, quantum & eximia illius merita dignitasque poſtulant, hoc eſt plurimi atque maximi. Quam proſpere interim feliciterque agere etiam atque etiam optamus. Dabantur in Electorali Noſtra Dreſda die 3. Septembris 1687.

DCCLXXIII.

Literæ JOANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM XI, Svecorum Regem, quibus ſibi curæ cordique fore promittit modum controverſias inter Daniæ Regem Holſatiæque Ducem exortas felici eventu finiendi, 1687.

P. P.

NOn poſſumus ſatis efferre laudibus curam ſollicitudinemque, quam Regia Veſtra Majeſtas componendis illis diſcordiis, quæ Daniæ Regem inter Ducemque Holſatiæ aliquot jam annis viguerunt, indefeſſo hactenus ſtudio adhibuit, quamque ipſa tanto nunc quidem luculentius oſtendit, dum Nobis dicti Domini Ducis reſtitutionem in priſtinum ſuum ſplendorem ac ſtatum literis multo amantiſſimis commendat. Qua ſane commendatione] non videbatur eſſe opus, cum idem Nobis, qui Regiæ Veſtræ Majeſtati jam inde ab initio animus voluntasque fuerit, controverſias iſtas honeſtis modis finiendi, parteſque inter ſe divulſas ad pacem amicitiamque revocan-

revocandi. Satis gnari, a negotii hujus felici eventu præter utilitates cæteras quietis publicæ conſervationem dependere. Quæ vel ſola denique Nos permovit ratio, ut ad tantos, qui timebantur, motus mature comprimendos periculaque avertenda adjiceremus animum, cumque Sacra Cæſarea Majeſtate & Electore Brandenburgico officia Noſtra mediatoria interponeremus. Ad quod tamen opus tanta majori cura perficiendum Nos quidem nunc Regiæ Veſtræ Majeſtatis literis magis magisque incitamur, adeo ut Regia Veſtra Majeſtas de Nobis non tam ſperare quam certo confidere poſſit, nihil Nos quicquam eorum in univerſa negotii illius tractatione facturos eſſe reliquum, quod vel ad commoda dignitatemque ac ornamenta Ducis Holſatiæ, vel ad aſſerendam pactorum Borealium religionem ac fidem, ipſamque adeo tot florentisſimarum Provinciarum tranquillitatem firmandam pertinere ullo modo poſſe videbitur. De quibus omnibus Miniſtrum Noſtrum, quem ad Tractatus iſtos haud ita pridem ablegavimus, ulterius inſtruendi nulla in Nobis mora erit. Cui jam ante alias ſerio in mandatis dedimus, eo omnem ſuam diligentiam operamque conferre, ut inter utrasque partes offenſæ, odia controverſiæque omnes, quantacunque fieri poteſt celeritate ſedentur, cauſisque armorum ſublatis, univerſalis ex æquo & bono componatur, concordiæque via finiatur. Qua in re cum eandem Regia Veſtra Majeſtas ſententiam Nobiſcum foveat, merito Illi de tam amica in tranquillitatem publicam

eam voluntate gratiam habemus. Qui de cætero ad ſtudia officiaque omnia, quibus Noſtram Regiæ Veſtræ Majeſtati benevolentiam declarare poterimus, pro veteri utriusque Domus conjunctione, mutuaque neceſſitudine, nunquam non paratiſſimi ſumus futuri. Quam feliciter interim agere proſperrimisque ſucceſſibus perfrui exoptamus. Dabantur Dresdæ die 17. Septembris 1687.

DCCLXXIV.

Breve INNOCENTII PAPÆ XI. ad STEPHANUM S. ROM. ECCLESIÆ CARDINALEM LE CAMUM Epiſcopum Gratianopolitanum, quem heterodoxia a quibusdam malevolis inſimulatum eximiis laudibus mactando, ab imputato crimine abſolvit, 1687.

Innocentius Papa XI.

P. P.

Dilecte Fili noſter, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex literis, quas vigeſima quinta proxime elapſi menſis Septembris ad Nos dediſti, aperte cognovimus ſolicitudinem, in qua verſabaris, ob ea, quæ adverſus Epiſtolam ad Parochos Diœceſis tibi commiſſæ a te non ita pridem directam, vulgata fuerunt; De perſpecta autem pietate ac ſapientia tua adeo præclare ſentimus, ut pro explorato habere poſſis, nullius apud Nos momenti extitiſſe inanes inſciæ multitudinis criminationes. In opinione vero, quam gerebamus, magis etiam Nos magisque confir-

confirmarunt, obſequentisſimi ſenſus, quos erga ſanctam hanc ſedem eccleſiarum omnium Matrem ac Magiſtram, profiteri te, ejusdemque Judicio dicta univerſa, ac ſcripta tua ſubjicere paratum eſſe, præfatis in literis diſerte declaraviſti, incorruptam enim ineſſe tibi Religionem, inde luculenter apparet. Reliquum eſt, ut præſtantiora indies, ſingularis virtutis tuæ teſtimonia edere pergas. Dilecte Fili noſter, cui Nos Apoſtolicam ad id Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Octobris 1687. Pontificatus Noſtri anno duodecimo.

Marius Spinola.

Inſcriptio.

Dilecto Filio Noſtro, Stephano, Sac. Rom. Eccleſiæ Presbytero Cardinali le Camus.

DCCLXXV.

Literæ CAROLI XI. Sveciæ Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, conſtitutumque inter Daniæ Regem & Holſatiæ Ducem mediatorem, cui cauſam Holſatici Ducis impenſe commendat, 1687.

P. P.

Etſi Nobis omnino perſuaſum eſt, Negotium Ducis Schleſvico-Holſatiæ Serenitati Veſtræ Electorali tantopere eſſe curæ cordique, ut de ejus optabili eventu per mediatricem Serenitatis Veſtræ operam obtinendo minime dubitemus,

mus; facere tamen non poſſumus, quin in præſentiarum in dicto jam conventu Althenoæ propediem inſtituendo, ad componendas amicabiliter inter partes diſſidentes controverſias, Serenitati Veſtræ Electorali omni meliori modo commendemus dicti Ducis æquiſſima atque juſtisſima deſideria ad recuperandum priſtinum ſuum ſtatum, qui Ipſi Domuique Ejus ex pactis ac pacificationibus Arctois indubie debetur & competit, præſertim cum, ſi aliter evenerit, vis omnis, fidesque horum pactorum fluxa futura ſit, non ſine pernicioſo admodum generi humano exemplo & Chriſtianæ rei concuſſione inde facile emerſuro. Quo uberior Serenitati Veſtræ Electorali obveniet gloriæ ſeges, ſi plenaria dicti Domini Ducis reſtitutione in priſtinum ſplendorem ac ſtatum, ejusmodi malorum metum averterit, cumque in finem Miniſtris ſuis in hocce negotio mediationis munia obituris, ſerio in mandatis dederit, ne quicquam admittant, quod quacunque ratione in præjudicium ac detrimentum pactorum Borealium vergere iisque quicquam derogare poſſit. Ita enim & juſtitiæ ſatisfiet, & ad aſſerendum, pactorum publicorum fidem ac religionem ſalutare orbi prodetur exemplum. Quod ne operoſius apud Serenitatem Veſtram Electoralem hiſce exequamur, vetat & ſumma Ejusdem prudentia, ſua ſponte rerum momenta ſatis ſecum expendens, & perfecta, quam cum Ipſa colimus, amicitia, incrementa maxima hinc quoque adeptura. Cui de cætero a Deo Ter optimo maximo proſperos rerum ſucceſſus & diuturnam incolumitatem

ex animo vovemus. Dabantur in arce Noſtra Regia Holmenſi die 20. Octobris 1687.

DCCLXXVI.

Litera LEOPOLDI, Romanorum Imperatoris, ad INNOCENTIUM Papam XI. quibus ipſi actionem Capituli Wormatienſis in Curia Romana contra Hermannum Lotharium ab Auwach inſtitutam diligenter commendat, 1687.

Beatiſſime in Chriſto Pater, Domine Reverendiſſime.

POſt officioſiſſimam commendationem filialis obſervantiæ, continuum incrementum. Cum Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Wormatienſis Nobis cauſam repræſentaret, quod ſibi cum Canonico ſuo Hermanno Lothario ab Auwach (quem comperto defectu ſufficientis Nobilitatis ad eandem Eccleſiam requiſitæ, a Choro & Capitulo ſuſpendit) nunc in curia Romana intercedit, lugeretque in eadem nunc, antequam ſufficienter eſſet inſtructa contra ſe per excommunicationes atque cenſuras procedi, ſupplicando, ut noſtris ad Sanctitatem Veſtram officiis in jurium ſtatutorumque ſuorum conſervationem ſubvenire ſibi vellemus. Cauſa nobis ejusmodi viſa fuit, quam neque ratione Imperatorii noſtri muneris, neque ejus obligationis, quæ Nobis, tanquam Advocato Eccleſiæ & ex capitulatione noſtra incumbit, inſuper habere poſſemus: Requiſivimus igitur Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Pio, Nationis Germanicæ apud Sanctitatem Veſtram com-

protectorem; ut cum eadem de hoc negotio reverenter agat; Quam proinde filialiter hiſce requirimus, velit dictum Reverendiſſ. Dominum Cardinalem ita audire atque exaudire, ut ſua in nos & univerſam Nationem Germanicam propenſio & præcipue in Eccleſiarum conſervationem fert charitas. Quod reliquum eſt, Deus optimus maximus Sanctitatem Veſtram omni incolumitate in Noſtrum & militantis Eccleſiæ ſolatium beet atque fortunet. Datum ex Comitiis Regni noſtri Ungariæ, Sopronii die 14. Menſis Novembr. 1687. Regnorum noſtrorum Romani 29. Hungarici 32. Bohemici 31.

Obſequens Filius

Leopoldus.

DCCLXXVII.

Literæ LEOPOLDI, Rom. Imperatoris, ad INNOCENTIUM PAPAM XI. quibus duas propoſitiones ipſi a Cardinali d' Eſtrées exhibitas ſolide refutat & qua in vicennale armiſtitium, & pacem, ſi ſuperis libuerit, inde derivandam mente feratur, ſincere declarat, 1687.

Beatiſſime Pater.

TRanſmiſit Nobis Reverendiſſimus Dominus Cardinalis *Pio*, binas Propoſitiones nomine Sereniſſimi Galliarum Regis a Cardinale *d' Eſtrées* in aula Sanctitatis Veſtræ de vicennali nuper Ratisbonæ inito Armiſtitio in Pacem perpetuam convertendo, exhibitas & ſimul Reverendiſſimus Dominus Cardinalis *Bonviſi*, Sanctitatis Veſtræ apud aulam

aulam Noſtram Nuntius, pluribus coram expoſuit, quæ ſuper hoc argumento a Sanctitate Veſtra in mandatis habuit, ad quæ, quid jam dicto Cardinali Nuntio, ex tempore oretenus reſponderimus, etſi non dubitemus eum Sanctitati Veſtræ accurate retuliſſe, non poſſumus tamen, quin animi Noſtri ſenſa, Sanctitati Veſtræ Ipſimet ſollicite aperiamus. Et quidem, uti conciliare non poſſumus, quod in una dictarum Propoſitionum ad Armiſtitium in pacem commutandum inclinare dicamur; in altera vero ejusdem, poſt confectam pacem Turcicam, infractionem meditari inſimulemur, ita, quod ultimum attinet, tam luculenta, jam inde ab initio, quo ad gubernacula Imperii acceſſimus, ſinceri Noſtri in tranquillitatem publicam animi, & inviolabilis in pactorum juribus ſervandis fidei documenta Nos dediſſe exiſtimamus, ut, quo illud fundamento nitatur, toti Chriſtiano Orbi, ne dum Sanctitati Veſtræ non poſſit eſſe obſcurum: neque enim ex vero & ſolido quicquam adduci poterit, quo aut pacem publicam aut pactorum religionem vel minima in re unquam temeraſſe arguamur. Fœdus quod nuper Auguſtæ Vindelicorum Nos inter & nonnullos Imperii Status percuſſum eſt, nihil novi, ſed pactorum antehac ſæpius placitorum renovationem continet, nulliusque læſionem, ſed innocentisſimam omni jure permiſſam eorum, qui tam fideliter hucusque Nobis adverſus infideles opitulantur, defenſionem reciprocam in caſum aggresſionis ſpectat, numerusque auxiliarium in eo expreſſus, tam eſt modicus, ut vix ne-

 ceſſariæ

ceſſariæ tutelæ ſufficiat, minuſque ſit, quod ab ea ſiniſtre florentiſſima Corona Galliæ ſuſpicetur aut pertimeſcat. Nihil ab omni ævo in Imperio magis receptum, aut ejus Legibus aut Conſtitutionibus conſonum, quam ut membra cum capite pro conſervatione & ſecuritate totius Corporis correſpondeant, Status Imperii cum Imperatore ſuo ſe conjungant, eoque nomine tanto minus Nobis ſuccenſere jure poteſt Rex Chriſtianiſſimus, quod ipſe non tantum in Regno & territorio ſuo, pro lubitu, nemine conſulto, exercitus ſuos diſponat, præſidia augeat, armamentaria annona & commeatu impleat, fœdera cum exteris pangat, ſed etiam ipſoſmet Imperii Principes & Status in Societatem allicere, ſibi haud illicitum ducat, neque velit ex ejusmodi manifeſtis belli apparatibus a vicino ſiniſtræ intentionis ſuſpicionem capi. Conteſtatus eſt non una vice per Miniſtros ſuos ante pactas inducias, non repugnaturum ſe, ut poſt earum confectionem, Imperii ſecuritati quovis meliori modo conſuleretur, imo & in ipſo Inſtrumento Armiſtitii cautum eſt, illud qualicunque Gvarantia roborare, ad eamque alias quoque exteras Potentias invitare; Qua ergo ſpecie ex hoc fœdere Auguſtano infractio aliqua Armiſtitii, aut ejusdem infringendi intentio evinci poſſit, non capimus. Sumus præterea graviſſimo adhuc dum bello contra Turcas implicati, & tametſi id ad Armiſtitii obſervationem non pertinet, attamen tantum abeſt, ut de eo impræſentiarum deponendo cogitaverimus, ut cum hac in re arctis nexibus cum Sereniſſimo Rege Poloniæ

&

& Illuſtriſſimo Domino Veneto conſtringamur, non ſolum cum illis indiſſolubiliter conjuncti maneamus, ſed etiam de contrahenda nova cum magnis Moſcorum Ducibus ſocietate, deliberemus; Ejusque intentionis Noſtræ novum præbent argumentum literæ reſponſoriæ, quas non ita pridem, per Conſilii Noſtri bellici Præſidem Marchionem Badenſem ad Magnum Turcarum Vezirium, juxta exemplar Sanctitati Veſtræ per Reverendisſimum Dominum Cardinalem Bonviſum transmiſſum, exarari jusſimus. Et quemadmodum abunde conſtat, hoc ſumptuoſisſimo bello, quod pro divini nominis gloria & Chriſtiani Orbis ſecuritate exantlamus, Provincias Noſtras hæreditarias plurimum eſſe paſſas & etiamnum pati; Ita facile quivis ab affectibus remotus judicaverit, num eo finito, aliud bellum an tranquillitatem, quæ Nobis alias ſemper chara fuit, affectaturi ſimus? Quod alterum concernit, nempe Nos ad induciarum leges in pacem perpetuam commutandas inclinare, non erraverit Reverendisſimus Dominus Cardinalis Ranuzzi, ſi Nos a Tractatu eum in finem, more inter ſupremas Potentias uſitato, & juxta ſenſum Pacis Weſtphalicæ & Neomagenſis inſtituendo non fore alienos affirmaverit; Id enim ut fiat, Armiſtitii legibus conforme eſt, neque dubitandum, S. Rom. Imperii Electores, Principes & Status ad id æque ac Nos ſincere propendere: quia vero in eodem Armiſtitio cautum eſt, ut imprimis de regundis finibus, ad quod ex parte Noſtra in omne tempus parati ſumus, inque locum eum in finem propoſitum jam

pridem conſenſimus, congreſſus inſtituatur, deinde de pace perpetua agatur, cujus autem tractandæ tempus non circumſcriptum termino inſtantis Menſis Martii, ſed duraturi Armiſtitii, quod ipſomet Rege Chriſtianisſimo urgente, in viginti annos pacti ſumus, non apparet, qua ratione illud ad paucarum hebdomadum ſpatium nunc arctari posſit, nos certe in illud contra expreſſum Armiſtitii tenorem, tanto etiam minus conſentire poſſumus, quod a Gallia id agatur, ut præciſa omni diſcusſione & ſuppresſis quibuscunque querelis, eidem omnia, quæ tam poſt, quam quæ ante Armiſtitium occupavit, intra inſtantis Menſis Martii terminum, pleno & irrevocabili jure cedantur, cum tamen teſtantibus actis conſtet, inducias non tantum eam ob cauſam ad viginti annos extenſas eſſe, ut Gallia occupatis interea temporis tranquille frueretur, ſed etiam, ut Imperium ab ulterioribus impetitionibus ſecurum auxilia ſua contra communem Chriſtianitatis hoſtem, absque ullo aliunde orituri belli periculo libere expediret, & ſimul partibus intereſſatis ſpatium, jura ſua utrinque examinandi, & controverſias juxta cauſæ merita amicabiliter componendi, ſuppeteret, ut proinde evidens plane ſit in eo a Nobis, citra Electorum, Principum & Statuum Imperii conſenſum, nihil immutari, minus tot nobilisſimas Provincias, quæ ſextam fere Imperii partem efficiunt, absque ullo examine uno quaſi jactu, tranſmitti poſſe. Quæ cum ita ſint, terminus quoque a Sereniſſimo Rege Galliæ præfixus, tam ſit anguſtus, ut deſuper eorundem fœderatorum

&

& intereſſatorum, quorum nonnulli longe diſſident, ſententiam vix exquirere valeamus, non abs re quidem tam propter vanitatem & contrarietatem prætextuum, quam conditionum impoſsibilitatem ſubvereri licet, anſam novandis in Chriſtianitate rebus & progresſibus Noſtris contra Turcam interrumpendis quæri; Quia tamen de Sereniſsimi Regis Galliæ generoſo animo Nobis perſuadere non poſſumus, eum, ſi ad rei circumſtantias maturius reflectat, hiſce Nominis ſui gloriam contaminaturum, publicæque fidei ſanctimoniam temeraturum eſſe, nihil ſupereſt, quam ut Sanctitatem Veſtram filiali fiducia obteſtemur, velit omnia hæc prædicto Ser. Regi, prout & Nos ablegatum Noſtrum Pariſiis exiſtentem facere juſſimus, repræſentare, officiaque & autoritatem ſuam paternam apud Eundem quam efficacisſime interponere, quo tam ſiniſtras & male fundatas ſuſpiciones deponat, nec viginti annorum inducias, ſpatio vix elapſi biennii circumſcribendo committat; ut Imperii Electoribus, Principibus & Statibus apprehenſione vicinioris periculi ab auxilio contra infideles deſtinato abſterritis, Turcæ æterno Chriſtiani Nominis ludibrio unquam gloriari posſint, ſe Chriſtianisſimi Regis beneficio, à præcipitio eſſe ſublevatos, quin potius commisſioni de limitibus dividundis curſum liberum relinquat, ac demum de pace commode ac ordine agi ſinat, qui publice Imperantium Majeſtati & Tractatuum Imperium inter & Galliam legibus conformis ſit. Ad quod ſicut omnem promptitudinem, operam & facilitatem noſtra

ex parte ſincere allaturi ſumus, ita Sanctitatem Veſtram iterum iterumque ſecuram reddimus, etſi quod ſanctius vinculum verbo Noſtro Imperiali & Regio eſſe poteſt, illo Nos ad manus Sanct. Veſtræ obſtringere, ſi idem & Galliæ Regi placeat, non abnuimus, quod, ſicut in animum noſtrum nunquam duximus fidem pactorum temerare, juxta fixum Nobis ſtet, ſæpedictas inducias, finito non minus ac durante bello Turcico ſancte & religioſe obſervare. Quod ſi hoc non attento Sereniſſimo Regi præter expectationem Noſtram nihilominus ſtatutum foret, declarationi ſuæ inſiſtere & Chriſtianitatem novis turbis (quod Deus avertat!) minas ſuas exequendo involvere, indolebimus quidem pulcherrimam nobis occaſionem eripi, tot fidelium animas e faucibus Barbarorum Chriſto vindicandi; juſtitia tamen cauſæ Noſtræ & conſcientiæ freti, ſperamus, altisſimum Deum, qui corda ſcrutatur & pactorum ruptorum ſe ultorem contra Turcas, vel ipſis fatentibus exhibuit, Noſtræ in iis ſervandis fidei & Religionis vindicem & autorem futurum; Ad ea veró cum mentem & intentionem Sereniſſimi Regis reſcire plurimum Noſtri interſit, Sanct. Veſtram obnixe rogamus, ut ejusdem Declarationem, quantum posſibile eſt, Reipublicæ Chriſt. faventem quantocyus procurare non gravetur. Quod reliquum eſt, Sanctitatem Veſtram ad noſtrum Solatium & Eccleſiæ Catholicæ incrementum diu Soſpitem incolumemque ex animo optamus. Dabantur Viennæ Auſtriæ Anno Chriſti 1687.

DCCLXXIIX.

DCCLXXIIX.

Litera JOANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris ad JACOBUM II. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ipſi feliciſſimas inſtantis & inſequentium annorum apprecatur calendas.

P. P.

Renovante ſe iterum felicibus auſpiciis anno, Nos quoque Veteris amicitiæ memoriam renovandam votisque denuo pro incolumitate Regiæ Veſtræ Majeſtatis ex conſuetudine nuncupatis, officio Noſtro ſatisfaciendum duximus: Eo nimirum in Regiam Veſtram Majeſtatem propendemus affectu, ut felicitatem Regiæ Illius Domus quaſi Noſtram æſtimemus, nihil magis in deſideriis habentes, quam ut recentibus quotannis benevolentiæ indiciis queamus oſtendere Regiam Veſtram Majeſtatem ſupra quam dici poteſt & amari a nobis tantique fieri, quantum eximia illius merita poſtulant, hoc eſt, plurimi atque maximi. Ut igitur annus etiam iſte novus, florente ſtatu Imperii omnique rerum affluentia Regiæ Veſtræ Majeſtati decurrat, aliique ſuper aliis ſuccedant multo felicisſimi, eſt, quod Nos etiam atque etiam exoptamus. Qui interea ſtudiis officiisque omnibus contendemus efficere, ne quid ad cultum honoremque Regiæ Veſtræ Majeſtati exhibendum unquam quicquam in nobis merito deſiderari posſit. Dabantur Libenwerdæ die 13tio Decembris Anno 1687.

DCCLXXIX.

Reſponſoriæ JACOBI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris de novo anno gratulatorias, 168⅞.

P. P.

Literæ, quas Celſitudo Veſtra Electoralis Libenwerdæ die 13 Decembris recens elapſi ſcripſit, non ſolum Nos excitant ad par ineuntis anni officium erga ipſam præſtandum, ſed gratisſimæ Nos admonent perpetuæ Illius amicitiæ, quam absque ulla temporis diſtinctione Ipſa erga Nos nunquam non demonſtravit, & quam Nos vicisſim mente ſubinde recolimus, ac ſemper ſanctisſime colemus. Cum igitur Celſitudinem Veſtram Electoralem ſinceri affectus ſtudiique Noſtri certisſimam eſſe confidamus, ad Deum optimum maximum vota precesque noſtras convertimus, ut quemadmodum annum præteritum felicem ipſi reddidit, ita jam incipientem (cum longa inſequentium catena) tum ſalutis firmitate, tum inoffenſo rerum proſperarum curſu, feliciorem reddere dignetur. Nos quod attinet Celſitudinis Veſtræ Electoralis Perſonam & Serenisſimam Domum ſuam antiquo inter anteceſſores utrinque Noſtros nunquam deficiente amore complectimur, Ipſique præſertim omnia in poſterum fauſta ex animo apprecamur. Dabantur in Palatio Noſtro de Whitehall octavo die Januarii Anno 168⅞. Regnique Noſtri tertio.

DCCLXXX.

Literæ MAXIMILIANI HENRICI Electoris & Archiepiſcopi Colonienſis, ad INNOCENTIUM PAPAM

PAPAM XI. quibus ab eo reverenter contendit, dignetur ſe inſtantis extremi vitæ ſuæ diei fata placide præſtolantem exoptata & ſumme neceſſaria Coadjutoris ſubſtitutione reficere, 1688.

Sanctiſsime Pater!

CUm jam pridem Illuſtrisſimo Domino Sanctitatis Veſtræ Nuncio momenta expoſuerim, quibus adductus fui, ut in Coadjutoris poſtulationem conſenſum meum præſtiterim, neque per eam, quæ me jam opprimit, ægritudinem, multa mihi dicere liceat, de hiſce momentis Sanctitatem Veſtram iterum non gravabo, at, Sanctisſime Pater, cum per morbum, quo teneor, disſolutionis dies non immerito timendus mihi veniat, antequam animam meam Deus a me repetat, devotionis meæ in Sanctitatem Veſtram eſſe duxi, ut Sedis Apoſtolicæ benedictionis præſidio mihi conſulerem, & conſcientiæ meæ incumbere exiſtimavi, ut ipſam inſtantibus valde precibus exorem, quatenus per Coadjutoris deputationem prævertere velit calamitates, quæ per Sedis Colonienſis vacantiam, hanc Eccleſiam, measque oves, quæ Chriſti ſunt, infeſtare posſent. Jam ego, Sanctisſime Pater, omnibus votis optarem cunctis Eccleſiis, quibus divina providentia me præfecit, eadem ratione proviſum fuiſſe, ſed cum id ſperare jam vix detur, ſive ſummo Creatori me ad ſe evocare placuerit, ſive meliori Sanitati clementia ſua me reſtituere abundanti conſolatione recreabor, cum ſaltem Eccleſiam Colonienſem, quæ, ut omnium dignior eſt,

ita

ita in majori diſcrimine verſatur, a vacantiæ periculis liberatam ſcivero, itaque, Sanctisſime Pater, pedes Sanctitatis Veſtræ amplexus, eam enixe obſecro, & per Salvatoris noſtri charitatem obteſtor, ut ultima me hac gratia reficere hocque ultimo forſan in Jeſu Chriſto gaudio me perfundere amantisſime velit, ut ſcilicet, cum Deo libuerit, dimitti posſit animus meus in pace, cum oculi mei Salutare Eccleſiæ meæ viderint. Quæ Sanctisſime Pater, dum a Sanctitatis Veſtræ paterna & propitia charitate ſpero, tranquille & placide admodum Diem Domini expectans, præparabo illi Spiritum meum, quem interim perenni & almæ Sanctitatis Veſtræ Benedictioni ſumma cum pietate commendo. Dab. Anno 1688.

DCCLXXXI.

Literæ LEGATORUM STATUUM S. R. IMPERII, *ad* INNOCENTIUM PAPAM XI. *quibus controverſiam inter Hermannum Lotharium ab Auwach & Jacobum de Boville a Commisſariis S. Rotæ, ad Rom. Curiæ cognitionem injuſte pertractam, ad capitulum Wormatienſe, tanquam forum competens, remitti ſubmiſſe precantur, 1688.*

Beatisſime Pater.

SAnctitatem Veſtram non immemorem credimus controverſiæ, quæ in ejus Curia inter Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Wormatienſis & Hermannum Lotharium ab Auwach ac Jacobum de Boville jam pridem nata ac nota eſt. Ex-

poſue-

poſuerunt Nobis illam Decanus & præfatum Capitulum, ſignificantes porro quatenus poſt habita ſuorum ſtatutorum Privilegiorum atque conſuetudinum ratione ambo illi prætendentes ad Poſſeſſionem duorum ibidem Canonicatuum, abſque prævia ſufficienti requiſitæ Nobilitatis probatione, admitti, Beatitudinis Veſtræ Rotæ Commiſſarios & Auditores per infinitas informationes eo protraxerint, ut hi non ſolum neglectis præmemorati Capituli remonſtrationibus, verum & ipſiusmet ſacratisſimæ Cæſareæ Majeſtatis diverſorumque Metropolitanorum & Cathedralium capitulorum interventionibus minime perpenſis, Decanum & Capitulum Wormatienſe, per vana Decreta, ſub Cenſuris & excomunicationibus, contra Pii ſecundi & Clementis ſeptimi, Summorum Pontificum, indulta & Bullas, continuamque ab aliquot ſeculis hactenus non interruptam obſervantiam condemnare & compellere fuerint conati. Quam inopinatum vero & citra omnem expectationem ſacri Romani Imperii Electoribus ac Principibus Eccleſiaſticis Dominis Noſtris Principalibus Clementisſimis, talia percipere acciderit, ex eo liquet, dum gravati Capituli in prædictis ſuis Statutis abunde fundatam cauſam juſtisſimam perſpicientes ſentientesque eidem pro talium jurium Statutorumque conſervatione intercesſionibus Noſtris ſubvenire non ſolum conſultum, ſed & inſuper ob urgens intereſſe commune inevitabilis necesſitatis eſſe, in mandatis Nobis dederunt ſanctitatem Veſtram, humillime rogare, dignetur clementiſſi-

mentiſſime præmemoratis Rotæ commiſſariis ſerio injungere, ut pro avertendo tum irreparabili omnium Germaniæ Metropolitanarum tum Cathedralium Eccleſiarum præjudicio, ac inclytæ ejusdem Nobilitatis detrimento, ambos prætendentes, videlicet Hermannum Lotharium ab Auwach, & Jacobum de Boville, præbendas in Cathedrali Wormatienſi affectantes, ad præfatum Capitulum (coram eodem ſufficienter & juxta ſtatuta ac morem requiſitum Nobilitatis ſuæ probationem deducendi) remittant ac illud deinceps contra notoria ſua jura, Statuta, Privilegia, Conſuetudines immemoriales, Cæſaream Capitulationem & concordata Germaniæ amplius gravare deſiſtant. Quod dum Beatitudinem Veſtram, pro paterna ſua in univerſam Nationem Teutonicam clementiſſimaque propenſione, præcipue vero in Eccleſiarum & antiquiſſimæ Nobilitatis Germaniæ conſervationem haud difficulter facturam confidimus, eidem humillima ſanctorum pedum exoſculatione omnem a Divina Benignitate incolumitatem fortunatiſſimosque rerum ſucceſſus animitus apprecamur. Dabantur Ratisbonæ die 9. Aprilis 1688.

Sanctitatis Veſtræ

Devotiſſimi ac obedientiſſimi Sacri Romani Imperii Electorum ac Principum Eccleſiaſticorum Deputati, Conſiliarii & Legati.

DCCLXXXII.

DCCLXXXII.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad MARCHIONEM DE GASTANAGA, Provinciarum Belgicarum nomine Caroli II. Hiſp. Regis Præſidem, quibus ipſi, ſe Bruxellas, velut promiſerat, venire non poſſe nuntiat, & pro edito bonæ voluntatis egregio ſpecimine ingentes agit gratias, 1688.

EXhibuit Nobis gratisſimas Excellentiæ Veſtræ Literas Serenisſimi & Potentisſimi Hiſpaniarum Regis ſupremus tormentariæ rei Præfectus Marchio de Betmar, Nobis ab Excellentia Veſtra obviam miſſus, ſimulque ſingulare ejus nos coram videndi deſiderium oretenus expoſuit. Vehementer autem dolemus urgentia Nobis incidiſſe impedimenta, per quæ propoſitum Noſtrum Bruxellas Nos conferendi mutatum, adeoque gratiſſimus Excellentiæ Veſtræ conſpectus & colloquii fructus Nobis ademptus. Occaſionem igitur præſentibus denegatam, literis hiſce ſinceræ Noſtræ benevolentiæ teſtibus voluimus compenſare, immenſas agentes gratias, pro concepto de adventu Noſtro in has ditiones gaudio, & oblata bonæ voluntatis præſtatione, ſecuramque Excellentiam Veſtram reddentes, Nos in id conniſuros ſedulo, ut viciſſim de affectu Noſtro prolixiſſimaque grata omnia conferendi promptitudine ambigere nunquam poſſit. Dabantur Mechliniæ die 22 Aprilis / 12 Maji 1688.

DCCLXXXIII.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris

ſtoris, ad MARCHIONEM DE GASTANAGA, Regis Hiſpaniæ in Belgio Vicarium, quibus ſe Bruxellas certâ ſub conditione venturum eſſe ſignificat, 1688.

P. P.

Animus quidem erat, occupationum feſtinationem imponentium, adeoque temporis aucupandi cauſa itineris Noſtri curſui inſiſtere, rectaque Hollandiam via ulteriori ſine mora repetere. Verum inſigni illa, qua Nos Excellentia Veſtra proſequitur, civilitate moti, fretique promiſſis tam per iteratas ſuas literas, quam delegatum Comitem ab Autel datis, nos ſine omni ceremoniarum ſolennium prolixitate receptum iri, non poſſumus non, quin Bruxellas Nos conferamus, & deditisſimum Noſtrum Sereniſſimo Hiſpaniarum Regi animum devotaque ſtudia, una cum propenſiſſimo erga Excellentiam Veſtram affectu coram profiteamur ac exponamus. Ablegamus itaque Liberum Baronem de Frieſen, ut de Adventu noſtro Excellentiam Veſtram certiorem reddat declinetque ceremonias. Dabantur Gandavi die 3. Maji 1688.

DCCLXXXIV.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris ad MARCHIONEM DE GASTANAGA, Vices Hiſpaniarum Regis in Belgio ſuſtinentem, quibus ipſi Joannem Wonſel, Scabinum Antwerpienſem, velut virum conſularis dignitatis præ cæteris dignum, impenſe commendat, 1688.

P. P.

P. P.

Quamvis nondum Noſtro nos exſolverimus debito ex officiorum in Nos ab Excellentia Veſtra collatorum multitudine contracto, non tamen veremur novum poſtulare beneficium, poſtquam Nobis innotuit, primarium Antwerpiæ Conſulem e ſcabinis propediem eſſe eligendum. Cum itaque Jean Wonſel, Civis Antwerpienſis, per præſtita Nobis ſedulo officia honeſtum ſuum ſatis comprobarit animum, nullique dubitemus, quin Excellentiæ Veſtræ integritas ejus, cæteraque merita, poſtquam Scabini munere non una vice functus, perſpecta ſint atque cognita, valde Nobis fuerit gratum, ſi Excellentia Veſtra Ipſum ad hunc conſularis dignitatis gradum promovere eidemque recommendationis noſtræ fructum indulgere voluerit. Agnoſcet devota mente inſignem hanc benignitatem atque gratiam. Nos autem Excellentiæ Veſtræ proſpera cuncta atque feliciſſimos rerum ſucceſſus ex animo apprecamur. Datæ Hagæ Comitis die 7. Maji 1688.

DCCLXXXV.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad MARCHIONEM DE GASTANAGA, Gubernatorem Belgii Hiſpanici, cui pro exhibito ſibi ab ipſo Bruxellis honore ingentes refert grates, 1688.

P. P.

Valde nos delectavit percepta ab Excellentia

 Veſtra

Veſtra per tempus illud, quo Bruxellis commorati ſumus, bonitas ac jucunda converſatio, atque Nos ipſi devinxit, ut non ſolum erga Sereniſſimum Hiſpaniæ Regem ingentia Excellentiæ Veſtræ merita ſimus deprædicaturi, verum etiam nihil, quo gratam ob beneficia in Nos collata declarare poſſimus mentem, nunquam prætermiſſuri. Dolentes anguſtiam temporis curandæ valetudini Noſtræ deſtinati non permittere Bruxellas ſecundum promiſſum propoſitumque Noſtrum, reverti, ſperamus tamen Excellentiam Veſtram alias Nobis ſuppedituram eſſe occaſiones, quibus ſincerioris noſtri atque conſtantis affectus teſtimonia edere valeamus. Dabantur Trajecti ad Moſam die $\frac{10}{20}$ Maji Anno 1688.

DCCLXXXVI.

Literæ JACOBI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad GEORGIUM GUILIELMUM, Ducem Brunſvico-Luneburgenſem, cui Principem ſibi natum eſſe amanter refert, 1688.

Jacobus Secundus Dei Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defenſor &c. Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi Domino Georgio Guilielmo Brunſvicenſium & Luneburgenſium Duci, Conſanguineo & Amico Noſtro Chariſſimo Salutem.

Sereniſſime & Celſiſſime Princeps, Conſanguinee & Amice Chariſſime.

Viſum eſt munifico bonorum omnium datori nos noſtraque regna ac Dominia ita recipere, ut

ut Chariſſima Conjux Noſtra, Sereniſſima Regina Maria heſterna die circa horam decimam matutinam Filium pepererit ſanum & vita plenum, ipſa quoque divina benignitate ſalva atque incolumis.

Quod donum cœleſte ut pectus Noſtrum exuberante gaudio implere debet, ita nuntium illius Fœderatis & Amicis Noſtris gratiſſimum fore credidimus; præſertim Celſitudini Veſtræ, quam proſperis rebus Noſtris tam ſincere affectam fuiſſe nunquam non perſpeximus. Ideoque mirificam iſtam ſupremi Numinis benedictionem Nobis hoc tempore conceſſam Celſitudini Veſtræ quantocius communicandam eſſe duximus, ſperantes hoc novo ad inſequentes annos pignore amicitiam Noſtram cum Celſitudine Veſtra poſteriſque ſuis in ſecula propagatam fore. Dab. in Palatio Noſtro de Whithehall 11. die Junii Anno Domini 1688. Regnique Noſtri quarto.

Celſitudinis Veſtræ

Conſanguineus & Amicus

Jacobus Rex.

Inſcriptio.

Serenisſimo & Celſiſſimo Principi, Domino Georgio Guilielmo, Brunſvicenſium & Luneburgenſium Duci, Conſanguineo & Amico Noſtro Chariſſimo.

DCCLXXXVII.

Reſponſoria GEORGII WILHELMI, Ducis

Brunſuico-Luneburgenſis, ad præinſertas JACOBI II. Magnæ Britanniæ Regis Literas, quibus ipſi de recens nato gratulatur Principe, 1689.

Serenisſime &c.

Quod Majeſtas Veſtra optatiſſimi nuncii, de nata ſibi prole maſcula literis undecimo die menſis hujus datis, nos voluerit reddere participes, merito eximiæ erga Nos comitatis & benevolentiæ argumentum habemus, illique maximas eo nomine perſolvimus gratias.

Sicuti vero hanc ſingularem & commemorabilem benedictionem, hunc proſperarum rerum cumulum Majeſtati Veſtræ ex animo gratulamur, ita ſimul ſincera mente vovemus, ut Deus O. M. non tantum Sereniſſimam Reginam priſtinæ ſanitati brevi reſtituat, ſed & tenellum Principem latiſſimorum Regnorum ſpem benigne complectatur, foveat ac conſervet, & Regiæ Britannicæ Domus poſteritatem per ſecutura hujus univerſi ſecula omnia jubeat perpetuari. De cætero Majeſtatis Veſtræ prolixo favori nos commendantes, Eidem vitam longævam felicesque votorum ſucceſsus officioſo cultu apprecamur. Dabantur in Aula Noſtra Ducali Cellis XXVI. Jun. MDCLXXXVIII.

Georgius Wilhelmus.

DCCLXXXIIX.

Literæ LEOPOLDI, Romanorum Imperatoris, qua Regis Hungariæ, ad STATUS ET ORDINES

DINES TRANSYLVANIÆ, quibus ipſis Clementiam & Protectionem ſuam promittens, gratioſe injungit, ut jugo Barbarorum penitus excuſſo, bellum in Turcas ſtrenue proſequantur, 1688.

Leopoldus Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus &c.

Magnifici, Egregii, Strenui & Nobiles, Prudentes ac Circumſpecti, Fideles ſincere dilecti!

Amplam ad Nos dedit relationem Camerarius Noſter, Equeſtris militiæ Generalis Colonellus, & Commiſſarius Noſter Generalis Plenipotentiarius, Fidelis Nobis dilectus, Antonius Comes Caraffa, de non minus laudabili, quam Vobiſmet ipſis proficua reſolutione Veſtra, qua excuſſo Barbarorum jugo, quo tot annorum ſerie preſſi, & vix non oppresſi eſtis, abdicataque ſponte Protectione, imo intolerabili ſervitute Ottomannica, ad Nos tanquam legitimum Regem Veſtrum avitamque devotionem poſtliminio cum Poſteritate Veſtra redire decreviſtis, perſonis, fortuniſque Veſtris, protectioni Noſtræ Cæſareæ Regiæque ſubjectis. Quam egregiam, intrepidamque declarationem Veſtram, operamque Nobis hactenus pro redimendis Turcarum viribus factam, & quæ conatibus hoſtilibus longius removendis præſtita a Vobis ſunt ſubſidia clementiſſimo gratoque ſuſcipientes animo, nulli parcemus labori, vigilantiæ ac ſollici-

 tudini.

tudini, ut ſaluti, conſervationi, ſecuritatique Veſtræ, contra quoscunque Barbarorum auſus & oppreſſiones, proſpiciatur, eoque Protectionem Noſtram paternam, actu ſentiatis; neminem etiam in libertate conſcientiæ & Religionis in Tranſylvania receptæ & hactenus toleratæ, turbari permittemus, omni denique modo curaturi, ut fiduciæ Veſtræ de benignitate Noſtra conceptæ affectus correſpondeat. Exacta quoque militari diſciplina obſervata, ſeria hunc in finem militiæ, Generalibusque Noſtris dedimus mandata, & peracta expeditione campeſtri, ulterius operi huic Vobis tam ſalubri plane ſtabiliendo, manum admovebimus, Vobis deſuper ſenſa Noſtra ſincere propoſituri. Interim in forti Altiſſimi dextera, cauſæ ſuæ juſtiſſimæ vindice, Nobiscum confidite, inſiſtite cœptis, & de Paterna ſollicitudine, tutela, gratiaque Cæſarea & Regia, optime ſperate, quam vobis uberrimam clementiſſime deferimus. Datum in Civitate Noſtra Viennæ die 17. Menſis Junii Anno 1688. Regnorum Noſtrorum Romani 30. Hungarici 33. Bohemici vero 32.

Leopoldus

T. A. Comes de Stratmann.

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis proprium

Stephanus Andreas de Verdenburg.

DCCLXXXIX.

DCCLXXXIX.

Breve eligibilitatis, ab INNOCENTIO PAPA XI. ad JOSEPHUM CLEMENTEM, Ducem Bavariæ & electum Ratisbonenſis ac Friſingenſis Eccleſiarum Præſulem, transmiſſum, 1688.

Innocentius Papa XI.

Dilecte Fili, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Singularibus tuis & majorum tuorum in Nos & Apoſtolicam ſedem fidei & devotionis promeritis abducimur, ut Apoſtolicæ noſtræ benignitatis favore te libentiſſime complectamur. Volentes itaque Te, qui ex illuſtri Ducum Bavariæ proſapia, ex qua tot egregii Catholicæ fidei defenſores aliique clariſſimi principes longa ſerie prodierunt, ortus, & dilecti Filii Nobilis Viri, Maximiliani Emanuelis utriusque Bavariæ Ducis, Sacri Romani Imperii Principis Electoris, cujus præclara in Eccleſiam Dei & univerſam Chriſtianam Rempublicam merita omnis humanæ laudis præconium jam longe ſupergreſſa ſunt, frater Germanus, ac in decimo ſeptimo vel circiter tuæ ætatis anno conſtitutus exiſtis, quique Ratisbonenſi & Friſingenſi Eccleſiis ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica, munere conſecrationis nondum ſuſcepto, præeſſe dignoſceris, ac unum & unam in Metropolitana Colonienſi, atque alterum & alteram Canonicatus & præbendas in Hildeſimenſi reſpective Eccleſiis una cum iisdem Ratisbonenſi & Friſingenſi Eccleſiis ex indulto ſeu diſpenſatione Sedis

prædictæ obtines, ac ex cujus clarioribus ſemper, quæ exhibes, egregiæ ad pietatem & ad Eccleſiaſticam diſciplinam accommodatæ indolis argumentis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, rationabiliter conjicitur, quod quamprimum, benedicente Domino, in Virum virtutibus Catholico Principe & circumſpecto Præſule, generisque tui ſplendore dignis inſignem evadere debeas, horum intuitu amplioris favore gratiæ proſequi, teque a quibusvis Excommunicationis, ſuſpenſionis & Interdicti aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa, latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tecum, ut, ſi contingat, Venerabilem Fratrem Maximilianum Henricum, Archiepiſcopum Colonienſem, Sacri Romani Imperii Principem Electorem, Regimini & Adminiſtrationi Metropolitanæ Colonienſis & Hildeſienſis prædictarum, & alterius Leodienſis Eccleſiarum, quibus ex ſimili conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica etiam præeſſe dignoſcitur, vel earum cujuslibet cedere, vel decedere tu a dilectis filiis Capitulis & Canonicis earundem Metropolitanæ Colonienſis, Hildeſienſis & Leodienſis Eccleſiarum, ad quos reſpective, occurente ipſarum Eccleſiarum vocatione, electio perſonarum idonearum ipſis Eccleſiis in Archiepi-

chiepiſcopum & Epiſcopos reſpective per Romanum Pontificem,pro tempore exiſtentem, ad electionem hujusmodi præficiendarum juxta privilegia, & indulta Apoſtolica ſeu concordata, dudum inter ſedem Apoſtolicam & inclytam nationem Germanicam inita, aut alias canonice ſpectat, licet nec in ætate legitima, nec in ſacris ordinibus conſtitutus, nec dictæ Eccleſiæ Leodienſis Canonicus, aut de gremio capituli ejusdem Eccleſiæ Leodienſis exiſtas, nec tam in illo, quam in aliis Metropolitanæ Colonienſis, & Hildeſienſis Eccleſiarum prædictarum Capitulis vocem activam & paſſivam habeas, neque alias debite, juxta diſpoſitionem ſacrorum canonum & conſtitutionum Apoſtolicarum & Statutorum, Ordinationum, Uſuum, Indultorum & Privilegiorum, ipſarum Eccleſiarum reſpective qualificatus ſis, ac memoratis Eccleſiis Ratisbonenſi & Friſingenſi præſis, nihilominus in Archiepiſcopum & Epiſcopum reſpective ac Paſtorem dictarum Eccleſiarum Metropolitanæ Colonienſis, Hildeſienſis & Leodienſis, ac illarum cujuslibet, ſervatis alias ſervandis, eligi, & ſic electus, electioni hujusmodi conſenſum præſtare libere, licite & valide poſſis & valeas, ita ut electio de perſona Tua ad dictas Eccleſias, vel earum aliquas ſeu aliquam, ut præfertur, pro tempore facta, valida & efficax exiſtat, ac Tibi ſuffragetur & ſuffragari debeat in omnibus & per omnia, perinde, ac ſi in legitima ad id ætate, ac ſacris Ordinibus conſtitutus, & de gremio Capituli dictæ Eccleſiæ Leodienſis, ac illius Canonicus exiſte-

res,

res, vocemque activam & paſſivam tam in eo, quam in aliis Metropolitanæ Colonienſis & Hildeſienſis Eccleſiarum prædictarum Capitulis haberes, nec non juxta illarum ſtatuta, Ordinationes, Conſuetudines, uſus, Privilegia & Indulta, ſacroſque canones & conſtitutiones Apoſtolicas hujusmodi, & alias debite qualificatus repereris, nec prædictis Ratisbonenſi & Friſingenſi Eccleſiis præeſſes, ita tamen, ut ſtatim atque electionem, ſic de perſona Tua, pro tempore factam, per nos ſeu Romanum Pontificem, pro tempore exiſtentem, confirmari, Teque eisdem Eccleſiis Metropolitanæ Colonienſi, Hildeſienſi, vel etiam earum alteri duntaxat, in Archiepiſcopum vel Epiſcopum reſpective & Paſtorem præfici contigerit, Eccleſiæ ſupra dictæ Ratisbonenſis & Friſingenſis vacent, & vacare cenſeantur, eo ipſo autoritate Apoſtolica, tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus, tibique concedimus & indulgemus. Decernentes, easdem præſentes literas, nullo unquam tempore aut quovis prætextu, etiam ex eo, quod capitula & canonici Eccleſiarum prædictarum, & quicunque alii intereſſe habentes ad præmiſſa vocati non fuerint, nec illis conſenſerint, aut alias, ex quavis cauſa, etiam legitima, de ſubreptionis aut nullitatis vitio ſeu intentionis noſtræ, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, aut in jus vel controverſiam, quovis modo, vocari poſſe, ſed ipſas præſentes literas firmas, validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuosque plenarios & integros effectus ſortiri

&

& obtinere, ac tibi in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari; Sicque & non aliter in præmiſſis, per quoscunque Judices ordinarios & Delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores ac Sac. Rom Eccles. Cardinales, etiam de latere Legatos & Apoſtolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoscunque, etiam qualibet præeminentia & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata ejus & eorum, cujuslibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & autoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis autoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus defectu ætatis, aliisque præmiſſis, ac Apoſtolicis & in Lateranenſi etiam Generali aliisve quibuslibet univerſalibus Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, nec non prædictarum Eccleſiarum aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, uſibus & ordinationibus, privilegiis quoque indultis & literis Apoſtolicis ejusdem Eccleſiis earumque Præſulibus ac Capitulis & Canonicis, ac aliis perſonis quibuslibet, etiam ſpecifica & individua mentione & expresſione dignis, ſub quibuscunque verborum tenoribus & formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, cum efficacisſimis & inſolitis clauſulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine, paribus, ac conſiſtorialiter & alias

alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujusmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur & inſererentur, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter expreſſe derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Junii MDCLXXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno duodecimo.

J. F. Albanus.

Inſcriptio.

Dilecto Filio, Joſepho Clementi, ex Ducibus Bavariæ, Electo Ratisbonenſi & Friſingenſi.

DCCXC.

Breve INNOCENTII PAPÆ XI. *ad* FRANCISCUM S. ROM. ECCLESIÆ CARDINALEM *a* FURSTENBERG, *quo ſe deſideriis ejus annuere haud poſſe refert, 1688.*

Inno-

Innocentius Papa XI.

Dilecte Fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sicuti nihil aut gratius, aut jucundius habemus opportunitatibus gratificandi tibi, declarandique indies magis, quanti perſpectas virtutes ac merita tua faciamus, ita majorem in modum triſtamur, ubi ea ſe propenſæ noſtræ erga te voluntati objiciunt impedimenta, quæ minime patiantur, Nos id præſtare poſſe; hujusmodi autem moleſtiam profecto experimur in negotio, de quo, occaſione obitus bonæ memoriæ Venerabilis Fratris, Maximiliani Henrici Archiepiſcopi, dum viveret Colonienſis, ad nos ſcripſiſti, tam multas enim gravesque in ſe continet difficultates, quemadmodum a noſtro ad Rheni Tractum Nuncio abunde cognoſces, ut nullum nobis relinquant locum ſatisfaciendi votis tuis. De pietate vero ac ſapientia Tua adeo præclare ſentimus, ut deliberationi, quam hac in cauſa ſuſcepimus, ultro te acquieturum eſſe, plane confidamus, tibique interim, dilecte Fili noſter, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die prima Julii 1688. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Marius Spinola.

Inſcriptio.

Dilecto Filio noſtro, Franciſco Sac. Rom. Eccleſiæ Presbytero Cardinali, Landgravio a Fürſtenberg.

DCCXCI.

alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujusmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur & inſererentur, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Junii MDCLXXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno duodecimo.

J. F. Albanus.

Inſcriptio.

Dilecto Filio, Joſepho Clementi, ex Ducibus Bavariæ, Electo Ratisbonenſi & Friſingenſi.

DCCXC.

Breve INNOCENTII PAPÆ XI. ad FRANCISCUM S. ROM. ECCLESIÆ CARDINALEM a FURSTENBERG, quo ſe deſideriis ejus annuere haud poſſe refert, 1688.

Inno-

Innocentius Papa XI.

Dilecte Fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sicuti nihil aut gratius, aut jucundius habemus opportunitatibus gratificandi tibi, declarandique indies magis, quanti perſpectas virtutes ac merita tua faciamus, ita majorem in modum triſtamur, ubi ea ſe propenſæ noſtræ erga te voluntati objiciunt impedimenta, quæ minime patiantur, Nos id præſtare poſſe; hujusmodi autem moleſtiam profecto experimur in negotio, de quo, occaſione obitus bonæ memoriæ Venerabilis Fratris, Maximiliani Henrici Archiepiſcopi, dum viveret Colonienſis, ad nos ſcripſiſti, tam multas enim graveſque in ſe continet difficultates, quemadmodum a noſtro ad Rheni Tractum Nuncio abunde cognoſces, ut nullum nobis relinquant locum ſatisfaciendi votis tuis. De pietate vero ac ſapientia Tua adeo præclare ſentimus, ut deliberationi, quam hac in cauſa ſuſcepimus, ultro te acquieturum eſſe, plane confidamus, tibique interim, dilecte Fili noſter, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die prima Julii 1688. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Marius Spinola.

Inſcriptio.

Dilecto Filio noſtro, Franciſco Sac. Rom. Eccleſiæ Presbytero Cardinali, Landgravio a Furſtenberg.

DCCXCI.

DCCXCI.

Breve INNOCENTII PAPÆ XI. ad CAPITULUM COLONIENSE, quo illud paterne monet, ut ſub ipſum electionis Archiepiſcopi actum ad virum præclaris virtutibus & vita probitate excellentem reſpiciat, 1688.

Innocentius Papa XI.

Dilecti Filii, Salutem & Apoſtolicam benedictionem, triſtati ſane non parum ſumus, de obitu venerabilis Fratris, Maximiliani Henrici, Archiepiſcopi, dum viveret, Colonienſis, de quo literis quinta Junii proxime elapſi datis certiores nos reddidiſtis; perſpectæ enim ejusdem virtutes ac prærogativæ a charitate, qua illum proſequebamur, prorſus id repoſcebant, triſtitiam autem noſtram opportune levantes, conſideratione mercedis magnæ nimis, quam ipſum in æterna beatitudine, a liberali juſtorum remuneratore Deo, recepiſſe ſperamus, pro ſollicitudine, qua gerere debemus omnium Eccleſiarum, præſertim vero Colonienſis, vehementer vos in Domino hortamur, ut in eligendo ſucceſſore augmentum Divinæ gloriæ unice propoſitum habeatis, eumque tantummodo conveniatis, quem præclaris magnoque præſule dignis dotibus NB. inſignitum ad omnes Paſtoralis officii partes, laudabiliter obeundas, magis NB. inter vos, idoneum agnoveritis. Quod ut juxta pietatis, zelique veſtri munus, votumque noſtrum ac expectationem præſtetis, Sancti Spiritus auram vobis, dilecti filii, afflantem usque precamur ac Apoſtolicam

cam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Maria Majorem ſub annulo Piſcatoris die tertia Julii MDCLXXXVIII Pontificatus noſtri Anno duodecimo.

Marius Spinola.

DCCXCII.

Literæ CAPITULI COLONIENSIS ad INNOCENTIUM PAPAM XI. quibus S. R. Eccleſ. Cardinalem a Fürſtenberg unanimi omnium conſenſu in Coadjutorem Eccleſiæ ſuæ poſtulatum, novæque Electioni celebrandæ decimam nonam Julii diem dicatam eſſe, refert, 1688.

Beatiſſime Pater.

QVamvis dubitare non poſſimus ; quin ad Sanctitatis Veſtræ notitiam devenerit, qualiter, Deo ita diſponente ; Sereniſſimus & Reverendiſſimus Princeps Elector & Archiepiſcopus Colonienſis Maximilianus Henricus, utriusque Bavariæ Dux, Dominus noſter clementiſſimus viam univerſæ carnis ingreſſus, die tertia currentis menſis Junii placidisſime & piisſime in Domino obdormierit, immarcesſibilem virtutum ſuarum, quibus inter Præſules ſingulariter ſplendere viſus eſt, coronam reportaturus, nihilominus pro noſtra, qua erga Sanct. Veſt. ſanctamque ſedem Apoſtolicam ferimur ſubmisſiſſima devotione luctuoſum hujusmodi obitum Veſtræ Sanctitati humillime notificandum, ſimulque inſinuandum fore duximus, quod maturis tractatibus præhabitis, in loco Capitulari legitime congregati ; Capitulum repræſentantes,

tantes, ad animum revocaverimus, quanta Eccleſiis, & præſertim harum Regionum Metropolitanis, Præſulis ſolatio deſtitutis, pericula & diſpendia imminere ſoleant, adeoque attentius perpendentes poſtulationem Coadjutoris Archiepiſcopatus Colonienſis in perſonam Eminentisſimi Cardinalis Landgravii de Fürſtenberg &c. ſub Sanctitatis Veſtræ & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ beneplacito, non ita pridem a nobis concorditer factam, quantum nobis conſtat, hactenus nec dum a Sanctitate Veſtra fuiſſe admiſſam, ad occurrendum gravisſimis incommodis, quæ in Eccleſiam prætactam, totamque Archidiœceſin Colon. ex diuturna vacatione redundare poſſent, in eventum, quo gratiam ſucceſsionis memorato Eminentiſſ. Cardinali Landgravio de Fürſtenberg &c. Decano noſtro longe dignisſimo, & de Eccleſia præ ceteris optime merito, ad humillimas noſtras preces, & factam concordem poſtulationem a Sanctitate Veſtra conceſſam eſſe, interea nobis conſtiterit, prout de illius conceſſione nihil hactenus nobis innotuit, ad Canonicam novi Archiepiſcopi Electionem vel poſtulationem, prout de jure procedendum fore, concorditer reſolverimus, & ad hujusmodi Electionem vel Poſtulationem canonice celebrandam, diem decimam nonam proximi Menſis Julii, cum continuatione ſequentium, ſtatuerimus, & præfixerimus, relaxata eum in finem citatione ſolita & opportuna. In Domino confidentes, quod Sanctitas Veſtra hanc noſtræ providæ intentionis ſolertiam, pro publico Eccleſiæ Colonienſis bono, benigniſſime ſit probatura

tura & laudatura, cujus beatisſimos pedes devotisſime exoſculamur, & ulterioris Paterni affectûs erga nos, Eccleſiamque Colonienſem, continuationem humillime deprecamur, manentes ſemper

Sanctitatis Veſtræ

Coloniæ 5. Julii 1688.

Devotiſſimi & humillimi,

Decanus & Capitulum Eccleſiæ Metropolitanæ Colonienſis.

DCCXCIII.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris ad JACOBUM II. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ipſi de ſobole maſcula nuper in firmamentum ſereniſſimæ familiæ ejus natâ amanter gratulatur, 1688.

P. P.

SUaviſſimam ſane ex Regiæ Veſtræ Majeſtatis Literis percepimus voluptatem, quas illa de Felici Sereniſſimæ Conjugis partu, editaque in Domus inclytæ ſpem ac firmamentum maſculâ ſobole multo amantisſimas ad Nos perſcripſit. Ita nimirum antiquæ illi mutuæque inter utramque Domum Noſtram necesſitudini convenire videtur, ut rerum, quæ ad Regiam Veſtram Majeſtatem pertinent, tam jucundarum expertes eſſe nequeamus: adeoque etiam in publica hac lætitia tantum abeſt, ut auſpicatisſimam hanc regii ſtemmatis propagationem auguſtisſimæ illius familiæ

invidere poſſimus, ut exortum potius ex tam felici nuntio in animo Noſtro gaudium magis magisque accendi, & majorem in modum augeri ſentiamus, ſerio voventes, ut recens natus iſte filius in decus & gloriam regni inque avitas pariter paternasque virtutes feliciter adoleſcat, cultamque inter Majores Noſtros & ab iisdem laudabili exemplo ad Nos deductam amicitiam cum poſteris Noſtris faciat perennare. De cætero Regiæ Veſtræ Majeſtati, ut proſpera omnia feliciaque eveniant, eſt quod Nos quidem ad comprobandi dediti animi ſtudia nihil facturi reliquum etiam atque etiam optamus. Dabantur Dreſdæ die 10. Jul. 1688.

DCCXCIV.

Literæ NUNCII APOSTOLICI Coloniæ ſubſiſtentis, ad CAPITULUM COLONIENSE, quod ſanctæ ſedis nomine hortatur, ut in inſtanti Archipræſulis electione canonice procedat, 1688.

Illuſtriſſimi, Perilluſtres ac Reverendi admodum Domini.

NOn exiguum concepit mœrorem ſanctisſimus Dominus noſter ex obitu claræ memoriæ Serenisſimi Electoris Colonienſis, enixisque votis a Deo ſupplex efflagitat, ut Eccleſiis illius morte viduatis condigne provideatur. Sanctitas ſua mihi ideo injungere dignata fuit, ut Illuſtrisſimis Dominationibus Veſtris renunciarem, mentem ejus eſſe, quod in imminentibus electionibus ineundis, canonice procedatur, illæque dirigantur

gantur in eos, qui prudentia & virtute NB. digniores aptioresque cenſeantur, ad earundem Eccleſiarum Regimen laudabiliter ſubeundum: hæc ſunt vota tanto digna Pontifice, digna etiam, ut iiſdem ad amusſim obſequatur Illuſtrisſimarum Dominationum Veſtrarum pietas, illarumque zelus erga iſtam Eccleſiam, cui & ipſe pro mearum virium tenuitate inſervire exoptans permaneo

Illuſtriſſimarum, Perilluſtrium ac Reverend. admodum Dominationum Veſtrarum.

Coloniæ Agrip. 13. Julii 1688.

Ad omnia officia paratiſſimus

J. A. Archiepiſcopus Damacenus.

Inſcriptio.

Illuſtrisſimo Capitulo Metropolitanæ Colonienſis.

DCCXCV.

Literæ COSMI III. Magni Etruriæ Ducis, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, quibus ipſi Ferdinando, Filio ſuo natu majori, Violentam Beatricem, Bavariæ Principem deſponſatam eſſe nuntiat, 1688.

P. P.

Arctisſimus amicitiæ nexus, qui mutua animorum propenſione Sereniſſimam Veſtræ Dilectionis Electoralem Domum cum Familia Noſtra conjungit, jure ſuo poſcit, ut magni Noſtra

intereſſe putemus, Dilectionem Veſtram certiorem facere ſponſalium, quæ nuper inter Sereniſſimam Bavariæ Principem & Filium Noſtrum Ferdinandum natu majorem contracta ſunt. Ad hoc autem officium exhibendum Nosmet impellit, tum ſingularis Noſtra erga Dilectionem Veſtram obſervantia, tum etiam, ut Eandem Dilectionem Veſtram in noſtrarum conſolationum partem adſciſcamus, quippe qui jam probe noverimus, Dilectionem Veſtram res omnes, quæ Deo favente Nobis ſecundæ contingunt, jucundisſime ſemper accipere. Hæ vero nuptiæ erunt plane auſpicatisſimæ, ubi eædem Veſtræ Dilectioni, uti ſperamus probatæ acceptæque advenerint, cujus quidem cordis Veſtri conſenſus nullum certius argumentum capiemus, quam cum quidpiam in Mandatis Dilectio Veſtra dare dignabitur. Qui Nobis honor, ut ab eadem addatur, etiam atque etiam rogamus, cum nihil antiquius habuerimus, quam animi noſtri peculiare ſtudium, promptamque Dilectioni Veſtræ obſequendi voluntatem rebus ipſis ac factis teſtatam facere. Deus optimus maximus Dilectionem Veſtram Germanarum gentium bono ac Imperii gloriæ incremento incolumem ſervet, uti Nos ex corde votis omnibus adprecamur. Dabantur Florentiæ die 31. Julii Anno 1688.

DCCXCVI.

Reſponſoriæ, quibus JOHANNES GEORGIUS III. Sax. Elector COSMO III. Magno Etruriæ Duci, de auſpicato Filii primogeniti cum Principe Bavarica gratulatur connubio, 1688.

P. P.

P. P.

PErſane magno gaudii ſenſu affecti ſumus, cum literæ Dilectionis Veſtræ Florentiæ 31. Julii ſcriptæ certiores Nos redderent de felici matrimonii fœdere, quod nuper inter Sereniſſimam Bavariæ Principem, & Dilectionis Veſtræ filium natu majorem contractum eſt. Ita nimirum mutuæ illi inter Nos benevolentiæ convenire videtur, ut eorum, quæ proſpere Dilectioni Veſtræ eveniunt, expertes eſſe nequeamus: adeoque tantum abeſt, ut novam hanc utriusque Sereniſſimæ Domus conjunctionem Celſitudini Veſtræ invidere exiſtimandi ſimus, ut exortum potius ex tam felici nuntio in animo noſtro gaudium magis magisque accendi & majorem in modum augeri ſentiamus: ſerio voventes, ut auſpicatiſſimum hoc connubium in contrahentium utriusque partis felicitatem, Reiquepublicæ ſalutem cedat, ex eoque Dilectio Veſtra plurimos longa ſerie nepotes poſterosque videat, qui celeberrimæ Domus familiæque gloriam quam diutiſſime faciant perennare. Nos interea ad comprobanda benevolentis animi ſtudia nihil facturi reliquum, proſpera omnia feliciaque Dilectioni Veſtræ etiam atque etiam exoptamus. Dabantur Annæburgi die 24. Auguſti 1688.

DCCXCVII.

Literæ MAXIMILIANI EMANUELIS Electoris Bavariæ ad OSMANNUM Baſſam Aleppinum de flagitatis Tractatibus Pacis & liberi commeatus, Tabulis pro Ablegato Sulficar Efſendi transmiſſis agentes, 1688.

 Nos

Nos Maximilianus Emanuel, Oſmanno Baſſæ Aleppino Salutem.

ACcepimus eas,quas ad nos ex Campo ad Niſſam transmiſiſti literas; quibus nobis ſignificas, quod a tuo Imperatore ad nos una cum primario Interprete Ablegatus quidam, nomine Sulficar Effendi, ad caſtra noſtra venire in mandatis habeat, pro quo tu ſecurum a nobis commeatum deſideras. Nos equidem non aliis modo, quam bellicis expeditionibus intenti, adventum ejus vel omnino recuſare, vel rerum ſtatu ægre laturo differre poſſemus, cum propoſitiones tuas modernæ Intentioni Noſtræ parum conformes judicemus; Chriſtiana tamen pietate moti, acceſſum tibi huc ad caſtra noſtra concedimus, ea, quæ nobis Imperator tuus referenda injunxit, benigne audituri, quem in finem & Paſſaportum pro ſecuritate tua expediri, & ei qui literas tuas ad nos tulit, ad te revertenti illum tradi juſſimus, mandato inſuper Commentandi noſtro Simandriæ dato, ut te tuosque, modo eidem præſcripto ac ſufficienti milite ſecure ad caſtra Noſtra comitetur, cui tuto confidere poteris. Dabantur ex caſtris noſtris ante Belgradum poſitis 23. Auguſti 1688.

DCCXCIIX.

Breve INNOCENTII PAPÆ XI. ad Joſephum Clementem, Electorem Colonienſem, quo illi ad munera collata rite & ex voto obeunda Apoſtolicam benedictionem amanter impertitur, 1688.

Inno-

Innocentius Papa XI.

Dilecte Fili, nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum ex Documentis ad Urbem transmiſſis ſerio ac mature perpenſis aperte patuerit, Nobilitatem tuam, præviis omnibus requiſitis, in Archiepiſcopum Colonienſem electam fuiſſe, animo ſane perlibenti Electionem confirmavimus, quemadmodum ex alio brevi liquebit; præter merita enim, quæ in te derivantur ex præclaris domeſticæ gloriæ Titulis, iis etiam ipſe præditus es virtutibus dotibusque Eccleſiaſticum Principem præcipue decentibus, ut in magnum Eccleſiæ Colonienſis bonum ejusmodi Electionem ceſſuram plane Nobis polliceamur. Cætera de propenſa Noſtra erga tuam Nobilitatem voluntate, ac Dilecto Filio Abbate Scarlatto, qui Tuas hoc ſuper negotio literas reddidit, abunde cognoſces, Tibique interim Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die XVIII. Septembris MDCLXXXVIII. Pontificatus Noſtri anno XII.

Marius Spinola.

Et à tergo,

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joſepho Clementi ex Ducibus Bavariæ.

DCCXCIX.

Literæ LEOPOLDI Rom. Imperatoris, ad CAROLUM XI. Svecorum Regem, de inopinata Gallorum in S. R. Imperium irruptione, & auxili-

is nummisque ab ipſo quamprimum ſubmittendis agentes, 1688.

Leopoldus.

JAm Orbi patet univerſo, qua protervia Rex Chriſtianiſſimus, vicennalis armiſtitii lege turpiter violata, non modo Palatinatum, ſed omnes etiam Electores, Principes ac Urbes ſibi obvias, ſacroſancto Regis verbo in altæ tranquillitatis fiduciam omnino aſſopitas, indicta plane contra belligerantium morem cauſa, repentinis armis invaſerit, Moguntiam, Spiram, Wormatiam, Budorim vulgo Heidelbergam & alia loca occupaverit, ac Philippiburgum, quod itidem Regii verbi ſanctuario fiſum, ſibi minus providerat, obſidione cinxerit, & poſtquam quinque millia Gallorum occubuerint, & nongenti ſaucii receſſerunt, duobus tantum aſſultibus a milite Noſtro generoſiſſime licet exceptis, ad deditionem coëgerit; Franckenthalium & Manheimium, ut opinantur, aggreſſurus. Quanquam igitur nulli dubitamus, quin fœdum hoc rupti fœderis flagitium juſtas olim luitura ſit pœnas, ejus tamen id generis eſt, ut inde, niſi præveniatur, Franconicus ac Svevicus primum Circuli, ac integrum porro inundetur ac depopuletur Imperium, ſi non integre, ſaltem partim Gallico faſtui ſubjugandum. Nos quidem eo, quod ducentis minimum inde leucis, copias militares abeſſe, tamque ſubito in occurſum mitti non poſſe videamus, interea manifeſto Gallico reſponderi, cauſæque injuſtitiam ac præſentiſſimum libertatis Germanicæ diſcrimen Comitiis Imperialibus propo-

ni

ni demonſtrarique fecimus, nec quicquam intermiſſuri, quod vel Paternus in Imperium Amor ac ſollicitudo, vel coalitum inter Nos ſociatosque Noſtros fœderis vinculum a Nobis ulla ratione deſiderari poſſit. Verum ut id ipſum cæteri quoque proſequantur, neceſſe videtur. Unde quanquam certe Nobis perſuademus, Serenitatem Veſtram res ita jam tum diſpoſuiſſe, uti vel pacis, ſi ſervari poſſit, ratio, vel belli occaſio poſtulaverit, in id tamen a Serenitatis Veſtræ legatione Ratisbonæ una cum cæteris collaborandum exiſtimamus, ut totius Imperii nomine Regi Chriſtianisſimo cœptorum ſuorum injuſtitia probe demonſtretur, cumque eo non obſtante forte copias ſuas ex Imperii ditionibus revocare, læſisque damna debite reſarcire noluerit, nec Electores, Principes ac Status pacis tranquillitate frui ſiverit, ipſe communi omnium ſtatuum ſententia apertus Imperii hoſtis declaretur. Neque minus a Serenitate Veſtra peramice fraterneque contendimus, ut conventi Nos inter & Eandem fœderis vigore Regem Chriſtianiſſimum ab omnibus hoſtilitatis actibus, utpote a nullo Imperii Ordine hucusque cauſatis dehortari, utque læſis omnibus ſatisfiat, ſerio commonere, ac porro etiam in omnem ulterioris belli eventum copias ſuas militares hac adhuc hyeme, propius in ditiones ſuas Imperiales, unde promptius adſint, educere velit. Cumque non minoris nobis curæ ſit, unde tam ingentes belli quaqua verſum ſuſcipiendi ſumptus, poſt exhauſta Noſtra Provinciarum Noſtrarum æraria tandem colliga-

mus

mus, ea in Serenitatis Veſtræ liberalitatem vivimus fiducia, fore ut reſiduam ſuam Menſium Romanorum ab Imperii Statibus olim conceſſorum partem Nobis in tanta hac neceſſitate Noſtra exſolvi curet. Et nos, quod reliquum eſt, Serenitati Veſtræ proſperam valetudinem, omniaque ex animo cedere vovemus. Datæ in civitate noſtra Viennæ 5. Novembris, 1688.

Serenitatis Veſtræ

Bonus Conſanguineus & Frater,

Leopoldus.

Vt. Leopoldus Wilhelmus
Comes in Kœnigſek.

Bertram.

DCCC.

Reſponſoria CAROLI XI. Svecorum Regis, ad præinſertas LEOPOLDI, Rom. Imperatoris Literas, quibus ſimul Ducis Holſato-Gottorpienſis reſtitutionem in integrum inſtanter urget, 1688.

QUam plane ex improviſo Imperium Romano-Germanicum, infeſtis Galliæ Regis armis rurſus impeti cœperit, variis urbibus & munimentis vel deditione vel hoſtili vi atque impetu jam cœptis atque occupatis, quæque a Nobis in tanto rerum diſcrimine deſideret requiratque Majeſtas Veſtra, ex Ejusdem amiciſſimis literis Vienna die quinta hujus Menſis Novembris perſcriptis, Nobisque a Majeſtatis Veſtræ Miniſtro, Domino Comite a Noſtiz rite exhibitis abunde

bunde percepimus. Magnopere utique dolemus, iſtis Gallorum inceptis non modo Imperium univerſum, ſed prope rem omnem Chriſtianam in caſum dari, ac, quo tempore conveniebat chriſtianos Principes & populos omnes, auſpicatiſſima Majeſtatis Veſtræ arma ad debellandos ac penitus contundendos communes Chriſtiani Nominis hoſtes ſuppetiis ſuis firmare ac ſublevare, eſſe, qui progreſſibus eximiis divinitus hactenus conceſſis veluti obicem ponere, ac potius Chriſtianis ipſis pericula ac clades inferre ſatagunt. Quæ cum Imperio Romano præter omne meritum accidere videantur, nec exiſtimari aliter poſſit, quam ea omnia contra luculentas pacificationum ac conventionum ſolennium, quibus Imperii Romano-Germanici ſalus atque incolumitas præcipue nititur, ſanctiones ac leges fieri: Nemini eorum, qui quocunque vinculo Imperii Romano-Germanici compagi innexi ſunt, fas eſſe exiſtimamus, ad reſtinguendum commune incendium officio ſuo deeſſe eoque nos quoque memores, communem Nobis cum cæteris Imperii ſtatibus in hoc negotio ſortem eſſe, neque intermiſimus, neque intermittemus, Miniſtro atque Ablegato Noſtro in Imperii Comitiis commoranti ea mandata dare, ut tam cum Majeſtatis Veſtræ, quam aliorum Electorum, Principum ac Statuum Imperii de re communi recte ſentientium ibidem degentibus Miniſtris conſilia conferat, eaque omnia agat, quibus ſaluti ac defenſioni Imperii, omni meliori modo proſpici atque conſuli poſſit, ad præſtanda

da deinde ea haud ſegnes futuri, quæ communi Imperii conſenſu, pro aſſerenda ejusdem incolumitate poterunt decerni. Interea, prout Majeſtas Veſtra requirit, apud Galliarum Regem inſtantisſimis urgebimus officiis, ut ab omnibus hoſtilitatis actibus deſiſtere, nec contra tot Pactorum ſolennium fidem, quæ ſanctisſima & inviolabilis eſſe debeat, tranquillitatem publicam turbare velit. Neque præterea ſolummodo de præſtandis iis erimus ſolliciti, quæ in fœderis Nos inter & Majeſtatem Veſtram conventi Tractatibus deſiderari poterunt, ſed & ulterius ad rei communis tuendam utilitatem, reparandamque in univerſum publicam tranquillitatem, una cum iis, quibus idem eſt animus, qua poterimus ope incumbemus, ſociaturi de eo cum Majeſtate Veſtra ſerio atque optima fide conſilia Noſtra. Cujus Imperialis Providentia cum ad omnes Imperii partes æque reſpiciat, rerum momenta qualia ubique ſunt, pari utique amplectetur cura, adeoque pro ſumma ſua prudentia ultro dijudicabit, quantum communi rei objiciatur obſtaculi per Daniæ molimina, ſecuritatem ac quietem Circuli Inferioris Saxonici frequentisſime turbantia, quæ nunc quoque maxime in cauſa ſunt, quo minus ex locis iis laboranti patriæ ad terras remotiores idonea ſubmitti poſſint auxilia ab iis, qui ancipiti expoſiti periculo, dum aliis ſuccurrunt, ſua parum tuta a tergo relinquant. Nec vero melior rerum facies ſperari in dicto circulo poterit, aut communi rei inde quicquam firmi accedere roboris, quam diu Rex Daniæ ditiones

Ducis Schleſvico-Holſatici-Gottorpienſis detinendo vicinorum incubuerit cervicibus, non ſuo tantum inſigni cum emolumento, ſed & confœderatæ Galliæ, cui eadem opera, ad deſtinata ſua contra Germaniam exequenda, via redditur expeditior ac patentior. Quocirca cum negotium Holſaticum non parum momenti ad res Imperii afferat, idque quam celerrime ad optatum finem perduci communis rei magnopere interſit, de bono publico præclare merebitur Majeſtas Veſtra, ſi gravata non fuerit cum reliquis in iſta cauſa Mediatoribus, Dominis Electoribus Saxone & Brandenburgico eas inire rationes, quo ulteriore abſque mora Dux Holſatiæ priſtino ſtatui, tot pacificationibus ac ſolennibus conventionibus ipſi debito reſtituatur. Cui ſaluberimo ſcopo quantocyus obtinendo, Nos quoque una cum Dominis Ducibus Brunſvico-Luneburgicis operam ſimul impendemus indefeſſam, eo præcipue fine, ut poſtmodum remoto tam inſigni obſtaculo, liberiores Nobis illisque ſint manus, ad rem communem ex urgentisſimis periculis tanto efficacius alacriusque expediendam. Denique qua ratione Menſium Romanorum Majeſtati Veſtræ a Statibus Imperii conceſſorum a Provinciis Noſtris Germanicis debita pars exſolvenda ſit, per priorem Miniſtrum Noſtrum Comitem Gabrielem Oxenſterna detegi fecimus, cum is Nobis retulerit rem omni difficultate carere, illud unice ſupereſſe videtur, ut poſito utrinque calculo, & rationibus ad liquidum perductis, de ſummis reſiduis certi quid ſtatuatur, quod per-

agendum

agendum Plenipotentiario Noſtro in aula Veſtræ Majeſtatis Comiti de Dohna commiſimus. De cætero Majeſtati Veſtræ a Deo Opt. Max. incolumitatem diuturnam ac proſpera rerum incrementa ex animo apprecamur. Dabantur in Regia Holmenſi die 21. Novembr. 1688.

Carolus.

J. Polus.

DCCCI.

Litera LEOPOLDI, Roman. Imperatoris, ad JOANNEM III. Poloniæ Regem; cui bellum S. R. Imperio a Gallis illatum eſſe, & legatum ex aula Turcica proponendarum pacis conditionum cauſa acceſſiſſe nuntiat; utque aliquem ex ſuis confeſtim Viennam mittat, qui excipiendæ Turcici legati poſitioni interſit, ebnixe efflagitat, 1688.

NE vel quicquam ex eo, quod ad ſinceram veramque amicitiæ & fœderis obſervantiam ſpectare poſſit, a nobis deſiderari videretur, Serenitatem veſtram de Venturo primum Viennam Legato Turcico reddi certiorem, ac porro cum adventaſſet per miniſtrum illic noſtrum confidenter adventum ſignificare juſſimus, ipſumque tum de nunciandа Neo-Imperatoris ſui inauguratione, tum de pace tractanda, in mandatis habere. Ut nullatenus a ſacroſancta jurati fœderis tabula cupimus diſcedere, ita viciſſim hac ſuper re Serenitatis veſtræ mentem requiſivimus; verum nihil hucusque a Serenitate Veſtra vel a Miniſtro noſtro nobis intimatum; dum interea

Chriſtia-

Chriſtianiſsimus Galliarum Rex vicennalis armiſtitii lege turpiter fœdata, nonnullos Principes Imperii Statusque, ne inſinuata quidem contra Principum morem, cauſa, repentinis invaſit armis; ac urbes & emporia, Vormatiam, Spiram, Moguntiam, Heidelbergam, contra jus, fasque occupavit, nec non fortalitium Philipsburgum aliaque loca expugnavit. Nos, utpote quibus Imperatorii muneris gratia, ſacri imperii Status fœderatosque indefenſos relinquere turpe foret, exercitibus noſtris in diverſa diſtractis, ab hoc ſacro contra communem Chriſtiani nominis hoſtem bello remoraturus, unde quanquam firmus nobis animus ſit, niſi eæ fuerint pacis conditiones, quæ unanimi fœderatorum ſententia, omnibus placere poſsint, vires noſtras pro omni poſsibili in proſequendam belli aleam impendendi, attamen quam grave nobis quamque etiam confœderatis noſtris futurum ſit perniciosum, cum poſt exhauſtas ubique ærariorum facultates, tanta belli quaqua verſum ſuſcipiendi moles, debiliore brachio ſuſtinenda ſit, cum Serenitas Veſtra vel ipſamet dignoſcere poſſit, compertumque habeat, id Juris gentium etiam rationem inprimis poſtulare, ut Principum Legati audiantur, debiteque porro dimittantur, atque hoc inprimis Turcicus Legatus, jam urgeat, ac omni pacis ineundæ jureque jurando faciendæ facultate ſe inſtructum aſſerat, Serenitas Veſtra facile viderit, quam neceſſarium futurum ſit, ut cum ex nobis ſolis, nihil tale ſubeundum velimus, Miniſtrum quendam probe inſtructum, huc allegare non gravetur,

qui cum noſtris, ac fœderatæ Reipublicæ Venetæ Miniſtris Oratoris hujus Ottomannici propoſitiones auſcultet, quid Serenitati Veſtræ, ac Reipubl. Polonæ nomine eam in rem viſum fuerit, una reſpiciat. Dabantur Viennæ die 8. Novembr. Anno MDCLXXXIIX.

DCCCII.

Reſponſoria JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad præinſertas LEOPOLDI, Rom. Imperatoris literas, 1688.

NUllam in hunc usque diem, de Legatione Turcica a Majeſt. veſtra habuimus notitiam, oretenus tantum D. Schiemanski, Majeſtatis Veſtræ, Reſidens nobis innuerat, adventare Legatum, quod ipſum publica ferente fama cognoveramus. Jam vero recentibus Majeſtatis Veſtræ literis edocemur, non modo Viennam Legatum a Sultano advenisse, verum etiam inſtanter ſollicitare, ut propoſitiones, quas pro ineunda pace attulit, quantocius audiantur. Cum proinde Majeſtas Veſtra, veluti ſacris Colligationis tabulis congruum eſt, a nobis quempiam eo fine expediri deſideret, & ut una cum Majeſtatis Veſtræ ac colligatæ Reipubl. Venetæ Miniſtris, noſter quoque ad aulam Majeſtatis Veſtræ, hac inſtructus facultate pergat & audiat, quæ nos Remque hanc publicam maneat ſatisfactio, qui non modo absque ullo fructu tanti belli ſuſtinuimus onus, ſed etiam ampliſſimas Moſchis conceſſimus Provincias ſolo ineundæ nobiſcum, & cum confœderatis noſtris ſacræ colligationis pretio augendarumque virium Chriſtia-

Chriſtianorum intuitu. Porro veluti inter nos, magnosque Moschoviæ Duces, mutuo ſtetit juramento, ne pars una, absque altera aliquem pacis amplectatur tractatum. Jus fasque eſt, ut ipſos de hoc, quid jam agatur, certiores reddamus. Interea dum Respubl. pro Comitiis jamjam inſtantibus congregata fuerit, uberiores dabimus reſolutiones. Cæterum magno doloris ſenſu accipimus, valida Majeſtatis Veſtræ diſtrahi arma, exorto novo in Imperio & ditionibus ſuis belli incendio, quod ut faventes ſuperi, clementer ſopire dignentur, apprecamur. Dabantur in arce Zolkievienſi die 20. Novemb. An. MDCLXXXIIX.

DCCCIII.

Interceſſionales, pro mercatoribus Lipſienſibus in cauſa debiti Wunneburgici, ad JOHANNEM III. Poloniæ Regem, a JOH. GEORGIO III. Saxonum Electore exarata, 1688.

P. P.

SUbmiſſe Nobis expoſuerunt quidam ex ſubditis Noſtris & mercatoribus Civitatis Lipſienſis, tum aliqui etiam extranei, ſicut ex incluſis patet, Chriſtianum Wunneburgum Wratislavienſem amplas ſecum exercuiſſe negotiationes, & aliquot abhinc nundinis Lipſienſibus varias merces, multumque tam cambialis quam paratæ pecuniæ ab illis mutuo accepiſſe, atque hoc modo debitum plus quam duodecim millium Imperialium contraxiſſe: Cumque iſte nundinis autumnalibus ſuperioris anni, contra fidem, quam dederat, foro ceſſerit, bonis ac facultatibus ſuis in Polo-

niam translatis, ibique adhuc eum latitare, omniaque in fraudem creditorum ſuorum dilapidare ac profundere rumor ſit, interceſſionales haſce Noſtras pro recuperandis ſuis mercibus pecuniaque creditis humiliter a Nobis petierunt. Quamvis itaque nulli dubitemus, gravis, quod ex iſtius hominis abſentia & fuga Noſtri ſentiunt, detrimenti, rationem tantum apud Regiam Veſtram Majeſtatem valituram, ut præfatis ſubditis Noſtris in repetendis rebus creditis ſua ſponte juſtitiam omnimode ſit adminiſtratura: pro noſtra tamen in Noſtros benignitate tanto impenſius Regiam Veſtram Majeſtatem rogandam duximus, ut, quod ultro præſtitura videbatur, in Noſtri favorem eo libentius impertiri auxilium, ſupraque memoratos mercatores gratia & protectione ſua complecti velit, conceſſa iisdem poteſtate ac licentia prædictum debitorem ſuum Wunneburgum ejusque facultates & bona, ubicunque locorum, vel ſub quacunque Jurisdictione inferiore ea invenerint, arreſtandi tam diuque retinendi, donec ipſis de debito ſatisfiat. Agnoſcent illi debita veneratione adhibitum a Regia Veſtra Majeſtate pro jure ſuo conſequendo juſtitiæ ardorem, Nos ipſi autem Regiæ Veſtræ Majeſtati, quam divinæ protectioni ſerio commendamus, in ſimili aliisque humanitatis officiis promptitudinem Noſtram viciſſim ſumus declaraturi. Dabantur Annæburgi die 9. Novembr. 1688.

DCCCIV.

Literæ JOANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad NONNULLOS EUROPÆ REGES

ET

ET PROCERES de novo anno gratulatoriæ, 1688.

P. P.

Jucundiſſima illa mutui inter Nos amoris recordatio cultusque, quo Regiam Veſtram Majeſtatem proſequimur, jure quodam a Nobis poſtulare videntur, ut inter hæc recurrentis anni auſpicia, ex veteri conſuetudine vota denuo pro incolumitate Regiæ Veſtræ Majeſtatis faciamus, Eidemque proſpera omnia feliciaque in futurum apprecemur. Hoc igitur humanitatis officium, dum per præſentes ampliſſime exequimur, nihil ſupereſt, quod Regiam Veſtram Majeſtatem adhuc majorem in modum rogemus, quam ut illa ſerio ſibi perſuadere velit, nihil Nos quicquam vel hoc vel inſequentibus annis, quotiescunque ſe dederit occaſio, prætermiſſuros, ex quo & Noſtra in Regiam Veſtram Majeſtatem propenſiſſima voluntas, & ſingulare rebus illius inſerviendi ſtudium ullo modo poterit intelligi. Qui interea, ut Regia Veſtra Majeſtas non hunc modo annum, ſed plures etiam alios tranquillo Reipublicæ ſtatu, & inoffenſo rerum proſperrimarum curſu, quam feliciſſimos agat, etiam atque etiam exoptamus, Dabantur Dreſdæ Menſe Decembri Anno 1688.

DCCCV.

Recredentiales, quas GEORGIUS WILHELMUS, Dux Brunſvico-Luneburgenſis, Domino de Beurgeauville, Legato Chriſtianiſſimi Regis extraordinario, LUDOVICO XIV. Galliæ Regi tradendas commiſit, 1689.

O 3 Sere-

Sereniſſime,

QUi ad Majeſtatem Veſtram denuo redit, Ablegatus Ejus Extraordinarius Dominus de Bourgeauville, poſtquam literas duodecima die Septembris anni elapſi Verſaliæ datas, Nobis tradidiſſet, negotia ſibi commiſſa, ea expoſuit dexteritate, ea tractavit & urſit prudentia, ut muneris jam ante præclare obiti, & meritorum ſuorum in aula Noſtra ſpectatorum laudem, non renovaverit tantum, ſed & adauxerit. Atque Nobis quidem nihil gratius fuiſſet, quam ingredi pacta, in quæ Regia Majeſtas Veſtra Ipſo interprete tam benigne nos voluit invitare. Cum vero ſub ejus acceſſum ex improviſo alia ſit enata rerum facies, illatumque Imperatori & Imperio bellum, Majeſtas Veſtra æquo ſperabimus interpretabitur animo, & Noſtram etiam probabit fidem, quod a reliquo Germaniæ corpore ſeparari Nobis non ducamus integrum. Quod ipſum hoc parcius hic tangimus, quia ſupradictum ejus Ablegatum ſingula pleniſſime relaturum confidimus, Majeſtatem Veſtram ſolum obnixe rogantes, velit & impoſterum deſiderata ſua benevolentia conſtanter Nos dignari, qui cultum perennem, nec ullo finiendum minuendumve caſu ipſi pollicemur. Deus Opt. Max. Majeſtatem Veſtram in ſeros annos incolumem conſervet, eamque & reliquos Chriſtiani Orbis Principes ita diſponat, quo compreſſo belli motu, ſeculo pacato fruamur & tranquillo. Dabantur in Aula Noſtra Ducali d. 12. Jan. 1689.

Georgius Wilhelmus.

DCCCVI.

Breve INNOCENTII PAPÆ XI. ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quo ipſum paterne hortatur, velit pro cognito ſibi vivido paterni amoris affectu, meliora de ſe ſentire & primogenito Eccleſiæ filio digna agere, 1689.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Ludovico, Francor. Regi Chriſtianiſſimo.

Innocentius Papa XI.

QUam vivido paterni amoris affectu Majeſtatem tuam proſecuti ſumus & proſequimur, novit profecto ſcrutator cordium Deus. Ad ipſum enim enixas pro incolumitate Tua, proque ſecundis Regiæ Domus Tuæ ſucceſſibus preces effundere nunquam omittimus, nec omittemus. Ad id ſedulis votis expetendum, valido nobis incitamento fuit eritque, eximius ille, ac nullis unquam præconiis ſatis commendatus zelus, quo Catholicam Religionem propagare, ac ab Hæreticorum auſis ſtrenue tueri, illuſtrem tibi ſcopum poſuiſti, in quem ſcopum Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ubi opus fuerit, conſpirare parati ſumus. Quæ cum ita ſint, explicare plane nequimus moleſtiam, quam inceſſanter experimur, intelligentes, Te de propenſa noſtra mirum in modum erga Majeſtatem Tuam voluntate adverſa ſentire, ac propterea longe a nobis aberrantia conſilia meditari. Quamobrem omnes charitatis noſtræ partes expleturi, teſtatum Tibi hiſce facimus, nihil nos antiquius habere deſide-

deſiderio luculenter declarandi, quam arcto dilectionis inconcuſſæ vinculo Majeſtatem Tuam complectamur, & quam impenſe cupiamus Chriſtianæ Reip. ad incrementum mutuam utrinque animorum concordiam coaleſcere. Age itaque, Chariſſime Fili, excita in Te Spiritus Eccleſiæ primogenito dignos, Tuique in nobis amantiſſimum agnoſce. Sane eam de pietate, eam de æquitate Tua opinionem gerimus, ut dubitare minime poſſimus, quin ſignificationibus noſtris acquieſcas, & ſupra memorato amori, a quo illa proficiſcuntur, cumulate reſpondeas. Dilectus Filius noſter, Cardinalis d'Eſtrées, cui ſæpe ſæpius diſerte aperuimus ſenſus, quos his literis conſignavimus, quique Majeſtati Tuæ teſtis fidelis erit benevolentiæ noſtræ easdem Tibi literas mittet, dum nos Majeſtati Tuæ Apoſtolicam benedictionem amantiſſime impertimur. Datum Romæ die 15. Jan. 1689.

DCCCVII.

Literæ CAROLI XI. Svecorum Regis, ad LEOPOLDUM Rom. Imperatorem, quibus Declarationem Danorum, ad factam a Miniſtris mediatorum officio fungentibus propoſitionem exhibitam, Conventionibus autem arctois e diametro contrariam acerbe perſtringit, & niſi Duci Holſato-Gottorpienſi, ex æquo ſatisfieret, armorum vim minitatur, 1689.

P. P.

QUam ſpem conceperamus felicis ſucceſſus in componendis diſſidiis Dano-Gottorpicis ex Mediatione Majeſtatis Veſtræ una cum Dominis

minis Electoribus Saxonico & Brandenburgico, in eodem negotio ſuſcepta & hactenus continuata, eam ſi non plane irritam, certe valde dubiam nobis reddidit noviſſima propoſitio a Miniſtris eidem Mediationi adhibitis, præter opinionem facta, utpote in qua inter varios componendæ dictæ controverſiæ modos prima fronte collocatur tale medium, cui nulla ratione locum poſſe eſſe jam ab initio juſtisſimis ac ſolidis ex cauſis declaravit Dux Sleſwico-Holſatiæ Gotorpienſis, quodque cum pacificationibus ſeptentrionalibus, directa fronte pugnet, nec niſi cum omnimoda earundem ſubverſione admitti poteſt. Certe ea propoſitione nihil gratius atque optatius Daniæ accidere potuiſſet, quam etiam avidisſime arripuit, ac veluti ipſis Mediatorum Miniſtris viam ad id pandentibus, obviis ulnis amplexa eſt. Multum atique ſpirituum accesſiſſe Miniſtris Danicis, ſatis indicat Declaratio eorundem imperioſa ac pene dictatoria, poſtero ſtatim die ad eandem propoſitionem facta: qua poſtulatur, ut Dux Sleſvico-Holſatiæ Gottorpienſis omnibus Juribus, ex pacificationibus Aquilonaribus ipſi competentibus renunciet, priſtino Vaſallagii nexu ſe Daniæ obſtringat, plurimas Ditiones, quas per dictas pacificationes Arctoas obtinuit, gratis & ingratis relinquat, reliquas avitas terras, ac quas Domus Gottorpienſis ab ipſius pene primordio, liquidisſimo jure poſſedit, aliis æquivalentibus, hinc inde ſparſis ac ingenti hiatu ab invicem diſtantibus commutet, denique a nutu Daniæ nunquam non pendeat. Indigni-

tates atque injurias, quibus iſta declaratio tumet, fuſius deducere non attinet, cum per ſe pateant. Illud mirari convenit, quod declarationem tam abſurdam & memoratæ pacis tabulis aperte reluctantem, Mediantes Miniſtri non recipere modo, ſed & Duci Gottorpienſi offerre non dubitaverint, ſcilicet, ut injuſtisſime afflicto Principi afflictio adderetur gravior. Nihil hic ſecius ſuſpicamur de Majeſtatis Veſtræ voluntate, utpote quam novimus prorſus abhorrere ab atrocisſimis Daniæ cœptis, in conſanguineum Ducem patratis. Novimus ſincera eam mente ſollicitam eſſe de reparandis quantocyus fortunis innocentisſimi Ducis, tum vigore fœderis nobiscum initi, tum Intuitu Reſcriptorum Imperialium, quibus eundem Ducem exhortata eſt identidem Majeſtas Veſtra, ne quid ſorte ſua admitteret indignum, ne quid ex Juribus, quæ Imperii Principibus ſub auſpiciis Majeſtatis Veſtræ aſſerta ſunt, quicquam pateretur, delibari, aut obtrudi ſibi ſineret, quod vergeret in detrimentum Imperii; Nec vero niſi conſtitisſet Nobis de candore, deque generoſa ac ſincera Majeſtatis Veſtræ mente ac propenſione ad vindicias oppreſſi Ducis bona fide atque omni meliori modo maturanda, ad operis tam pii confectionem propiores ac promptiores haud defuiſſent viæ, niſi omnia prius experiri conſilio, quam armis ſtatuiſſemus. Obverſatur animo atque oculis noſtris funeſta Orbis Europæi facies, ac Chriſtiani ſanguinis ſummam eſſe debere parſimoniam agnoſcimus ægre utique deſcenſuri ad

extrema

extrema illa remedia, incendiis jam flagrantibus plus olei atque alimenti adjectura, ſed quam vix evitari ea demum poſſit, ſuggerit nobis ſupra indigitata tam declaratio quam propoſitio, quæ neceſſitatem quandam Nobis imponit, cogitandi de mediis divinitus nobis conceſſis, quibus pactorum publicorum religionem ac fidem tueri tenemur. Quis enim non videt nos per latus Ducis Gottorpienſis aperte peti & convulſis quibusdam Pacificationum Septentrionalium conditionibus ac legibus plane eſſentialibus easdem in univerſum aboleri atque tolli, adeoque ſublatis atque ſubductis pacis iſtius fulcris, recrudeſcere priſtina bella; ab eorum pactorum tenore, quæ tanto ſanguinis impendio ſteterunt, quæ ipſius faventis cœli miraculis perfecta ac ſancita ſunt, ne latum quidem unguem dimoveri fixum nobis penitus atque firmum eſt, nec fas arbitramur, ullas obtrudi Duci Gottorpienſi conditiones, vel ipſius ſorte indignas vel pacificationibus dictis contrarias admittere. Quid enim rationi, quid divino humanoque Juri minus congruum, quam ut quis poſſeſſionibus ſuis legitimis per vim dejiciatur & ad ſua alienis commutanda invitus adigatur. Quod prodi poterit exemplum pernicioſius ad fas nefasque omne miſcendum, & ut potentiores quævis ſibi licere in infirmiores credant? Id utique in Imperio ne fiat, vel præcipuum eſt Majeſtatis Veſtræ Cæſareum munus, quod cum Majeſtas Veſtra hactenus ſumma cum laude impleverit, gloriamque ſuam retundendis Imperii hoſtibus uberrime accumulet, confidimus utique

in

in protegendo Imperii Principe, cui præter omne meritum omnia pæne adempta ſunt, Eam partibus ſuis minime defuturam, adeoque Miniſtris ſuis Mediatorum munere fungentibus in Holſatico negotio injuncturam, ut omiſſis ejusmodi noxiis ac ſupervacaneis Reſpectibus, rem ſerio agant, potiusque parti læſæ ac ſua repetenti, quam aliena contra pacta publica iniquiſſime appetenti ſuffragentur ac faveant, id juſtitiæ ac æquitati conſonum eo magnopere pertinebit, ut majoris mali evitetur occaſio, nec res eo deducatur, ut quorum vires utiliſſime adhiberi poterant ad commune Germaniæ incendium reſtinguendum, proprio impliciti periculo ulterius detineantur, & ad deſtituendam rem communem conſtringantur. Quod ſi Majeſtas Veſtra pro ſumma ſua æquanimitate, dictis modis factu haud quaquam difficilibus præſtiterit, magnum inde ſaluti publicæ momentum, magnum gloriæ ſuæ adjiciet incrementum. De cætero eidem ſub divina tutela diuturnam incolumitatem & proſperos rerum ſucceſſus animitus apprecamur. Dabantur in Regia Noſtra Holmenſi, die 30. Menſis Jan. Anno Chriſtiano 1689.

Majeſtatis Veſtræ

Bonus Frater Conſanguineus & Amicus

CAROLUS.

T. Polus.

DCCCIIX.

Litera CAROLI XI. Svecorum Regis ad JOH. GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, ejusdem cum

cum præcedentibus argumenti & maximam partem tenoris, 1689.

P. P.

Quo magis perſuaſi ſumus de Serenitatis Veſtræ Electoralis ſincera ac ſeria mente in componendis una cum reliquis Dominis Mediatoribus diſſidiis Dano-Gottorpicis ad normam æqui & juſti, nec non ad Leges pacificationum ſolennium, quas integras ac inviolatas ſervari publicæ ſalutis ac tranquillitatis magnopere intereſt, eo minus exſpectata Nobis fuit noviſſima propoſitio, a Miniſtris ejuſdem Mediationis vices obeuntibus, præter opinionem, facta, utpote in qua inter varias dirimendæ dictæ controverſiæ modos prima fronte collocatur tale medium, cui nulla ratione locum eſſe poſſe, jam ab initio juſtiſſimis ac ſolidiſſimis ex cauſis declaravit Dux Schleſwico-Holſatiæ Gottorpienſis, quodque cum Pacificationibus ſeptentrionalibus directa fronte pugnat, nec niſi cum omnimoda earundem ſubverſione admitti poteſt. Certe ea propoſitione nihil gratius atque optatius Daniæ accidere potuiſſet, quam etiam avidiſſime arripuit, ac veluti ipſis mediatorum Miniſtris viam ad id pandentibus, obviis ulnis amplexa eſt. Multum utique Spirituum inde acceſſiſſe Danicis Miniſtris, ſatis indicat declaratio Eorundem, imperioſa & pene dictatoria poſtero ſtatim die ad eandem propoſitionem data, qua poſtulatur, ut Dux Schleſwico-Holſatiæ Gottorpienſis, omnibus juribus ſuis ex pacificationibus Aquilonaribus ipſi competenti-

petentibus renunciet, priſtino Vaſallagii nexu Daniæ ſe obſtringat, ſecuritati ſuæ nullis munimentis proſpiciat, fœdera nulla pangat, plurimas ditiones, quas per dictas pacificationes obtinuit, gratis & ingratis relinquat, reliquas avitas terras, ac quas Domus Gottorpienſis ab ipſius pene primordio liquidiſſimo jure poſſedit, aliis æquivalentibus hinc inde ſparſis ac ingenti hiatu ab invicem diſtantibus commutet, denique a nutu Daniæ nunquam non pendeat. Indignitates ac injurias, quibus iſta declaratio tumet, fuſius deducere non attinet, cum per ſe pateant. Illud mirari convenit, quod declarationem tam abſurdam, & memoratæ pacis tabulis aperte repugnantem, Mediantes Miniſtri non recipere modo, ſed & Duci Gottorp. offerre non dubitaverint, ſcilicet ut injuſtiſſime afflicto Principi afflictio redderetur gravior. Ea voluntate aut juſſu Serenitatis Veſtræ Electoralis geſta eſſe minime ſuſpicamur, quippe cui iniqua & peſſimo exemplo in Ducem Gottorpienſem patrata, probari nequaquam poſſunt. Nec vero ſi non conſtitiſſet Nobis de candore, deque generoſa Dominorum Mediatorum intentione, oppreſſi Ducis vindicias bona fide atque omni meliori modo maturandi ad operis tam pii confectionem propiores ac promptiores defuiſſent viæ, niſi omnia prius experiri conſilio quam armis ſtatuiſſemus. Obverſatur animo atque oculis noſtris funeſta orbis Europæi facies, & Chriſtiani ſanguinis ſummam eſſe debere parſimoniam agnoſcimus; ægre utique deſcenſuri ad extrema illa remedia, in-

cendiis

cendiis jam flagrantibus plus olei atque alimenti adjectura, ſed quam vix evitari ea demum poſſint, ſuggerit Nobis ſupra incigitata tam declaratio quam propoſitio, quæ neceſſitatem quandam nobis imponit cogitandi de mediis divinitus Nobis conceſſis, quibus pactorum publicorum religionem ac fidem tueri queamus. Quis enim non videt per latus GottorpienſisDucis nos aperte peti, & convulſis quibusdam pacificationum ſeptentrionalium conditionibus ac legibus plane eſſentialibus, easdem in univerſum aboleri ac tolli, adeoque ſublatis ac ſubductis pacis iſtius fulcris, recrudeſcere priſtina bella. Ab eorum pactorum tenore, quæ tanto ſanguinis impendio ſteterunt, quæque ipſius faventis cœli miraculis perfecta ac ſancita ſunt, ne latum quidem unguem dimoveri fixum Nobis penitus atque firmum eſt, nec fas arbitramur ullas obtrudi Duci Gottorpienſi conditiones, vel ipſius ſorte indignas vel pacificationibus dictis adverſantes. Quid enim rationi, quid divino humanoque juri minus congruum, quam ut quis poſſeſſionibus ſuis legitimis per vim dejiciatur & ad ſua alienis commutanda invitus adigatur? Quod prodi poteſt exemplum pernicioſius, ad fas nefasque omne miſcendum, & ut potentiores quævis ſibi licere in infirmiores credant? Quibus omnibus perpenſis confidimus, Serenitatem Veſtram Electoralem Miniſtris ſuis, quibus Mediationis munia in Holſatico negotio commiſſa ſunt, injuncturam, ut omiſſis ejusmodi noxiis & ſupervacaneis reſpectibus, rem ſerio agant, potiusque parti læſæ ac ſua repetenti,

ti,

ti, quam aliena contra pacta publica iniquiſſime appetenti ſuffragentur ac faveant. Id juſtitiæ ac æquitati conſonum, id eo pertinebit, ut majoris mali evitetur occaſio, nec res eo deducatur, ut quorum vires utiliſſime adhiberi poterant ad commune Germaniæ incendium reſtinguendum, propiori implicit periculo ulterius detineantur, & ad deſtituendam rem communem conſtringantur. Quod ſi Veſtra Serenitas Electoralis pro laudabili ſua æquanimitate præſtiterit, præclare de bono publico merebitur, ac firmandæ Nobiſcum amicitia non parum momenti adjiciet. Cui de cætero a Deo Ter Optimo Maximo proſpera quævis ex animo apprecamur. Dabantur in Regia Noſtra Holmenſi, die 30. Menſis Januarii, Anno Chriſtiano 1689.

DCCCIX.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis ad JOHANNEM GEORGIUM II. Principem Anhaltino-Deſſavienſem, quibus ſe Principis Radzivilii immaturam morten graviter ferre teſtatur, doloremque ipſius inde ortum convenienti lenire ſolatio ſatagit, 1689.

ACerba lex fatorum, quæ illuſtrisſimum Georgium Principem Radzwillium Magn. Duc. Lithuaniæ Pocillatorem, nepotem meum deſideratisſimum e vivis ſuſtulit, æquo vulnere noſtrum, ac Serenitatis Veſtræ cor, animumque ſauciavit, indeque ad conſolandam Serenitatem Veſtram lente feſtinavimus, quod contumax ſit in ſolatia recens dolor, & quod lachrymas Serenitatis Veſtræ cumulare noluerimus. Enimvero

vero veluti Serenitas Veſtra illuſtrisſimam Principem, Dilectam Filiam ſuam amantisſimo Conjuge, ſe vero exoptatisſimo Genero orbatum dolet; Ita nos Regiæ Domus noſtræ ornamentum, gentis proſapiæque ſuæ decus, magnam omnium expectationem, brevesque Patriæ amores tam præcociter, una includi tumba, luctuoſe ferimus. Divinæ tamen hoc in paſſu religioſe obtemperandum eſt voluntati, & pro Chriſtiana pietate imponendus lachrymis modus. Cæterum quod eandem viduatam Serenitatis Veſtræ filiam, noſtram vero chariſſimam Cognatam concernit, perſuaſum Serenitas Veſtra ſibi habeat, nihil nobis magis curæ, cordique futurum, quam ut propenſisſimam voluntatem, affectum, reſpectumque noſtrum ævo temporis ac occaſionum momento, abunde experiatur, noſtraque arctis in negotiis ſuis fruatur protectione. Quod ſupereſt, votiva ſolatiorum auctoramenta ex animo apprecamur. Dabantur die 10. Febr. Anno 1689.

DCCCX.

Literæ JACOBI II. Magnæ Britanniæ Regis, ad LEOPOLDUM, Rom. Imperatorem, quibus ſe a Principe Arauſicano, & ſubditis rebellibus Regnis avitis ejectum eſſe exponit, ac ab eo, ut ſibi Religionique Catholicæ, qua Magna Britanniæ Regnum ad exitium ruenti quamprimum ſuppetias iret, obnixe efflagitat, 1689.

Jacobus II. Dei Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex &c. Fidei Defenſor &c. Sereniſſimo Potentiſſimo & Invictiſſimo,

mo, Domino Leopoldo, divina favente Clementia Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Sclavoniæ, Dalmatiæ Regi, Archiduci Auſtriæ, Burgundiæ, Carinthiæ, Styriæ, Carniolæ & Sileſiæ Duci, Marchioni Moraviæ, Comiti Tyrolis &c. Fratri, Conſangvineo & Amico Noſtro Chariſſimo, ſalutem in Domino ſempiternam.

Sereniſſime, Potentiſſime & Invictiſſime Domine, Frater & Conſanguinee Chariſſime.

PErpetuum & inviolatæ Amicitiæ fœdus, quod inter Imperialem Veſtram Majeſtatem Nosque ſemper interceſſit, ejusque in nos propenſa multisque argumentis probata voluntas, tum maxime omnibus notum gentibus Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ pro religione catholica ſtudium, facile Nobis perſvadent, quæ ea in re Nos afficiunt, ea Vobis cordi fore, præcipue ubi negotium talis momenti agitur, qualis eſt Principis Arauſicani hoſtilis hæc Regnorum noſtrorum invaſio. Qui cum lapidem omnem fruſtra moverit, ut ab hæreditario jure Regisque Fratris Noſtri nos ſucceſſione ſecluderet, omni ope juvando autores violentæ illius perſecutionis, quæ regnante adhuc Fratre noſtro adverſus Catholicos commota eſt, cumque videret hæc fruſtra fieri, Nosque tandem cum ſumma Pace & tranquillitate avitum conſcendiſſe Thronum, hæreditatis expectandæ impatiens, quam jam Regiæ Familiæ Noſtræ matrimonio

trimonio intime conjunctus, ſpe devorabat,odio in Nos, religionemque Catholicam commotus, inimicos noſtros ſubditosque perduellionis reos intime fovit, eorumque nequitia & artibus uſus eſt, ut Nos, ImperiiqueNoſtriRegimen calumniis famoſisque libellis traduceret, quo faciliorem hinc ambitioni ſuæ ad ejus poſſeſſionem viam ſterneret. Quod in dilectiſſimi Filii Noſtri Cambrobritanniæ Principis ortu manifeſtius patuit, quo ſingulari in Nos omnipotentis Dei collato beneficio, cum omni ſpe legitimæ ſucceſſionis (ex parte ſcilicet Filiæ Noſtræ natu majoris, Ejusque Uxoris) excidiſſet, fraude & armorum vi ea voluit regna occupare, quæ nullo deinceps jure poterat expectare. Quod, ut ex voto effectum ſortiretur, primum quidem ſpecie conſervandæ Religionis Proteſtantium cum nonnullis ejusdem Religionis Principibus fœdus iniit, tum diabolica plane calumnia turpiſſimam nomini noſtro inurere notam conatus eſt. Namque cum ob felicem Filii Noſtri nativitatem Nobis prius publica legatione gratulatus eſſet, illum ſuppoſititium eſſe auſus eſt omnibus poſtea declarare. Hinc ditiones noſtras invaſit, falſo quidem nomine tum ſervandæ religionis proteſtantium, tum etiam ſtabiliendæ pacis tranquillitatisque nos inter & ſubditos Noſtros, quin promittebat, ut ipſi etiam Catholici optata etiam conſcientiæ libertate fruerentur. Quantum ejus verba ab intimo animi ſenſu diſcreparent, quamque avide Regnis Noſtris inhiaret, Religionis catholicæ extirpationem cordi haberet, nunc manifeſtiſſimum eſt.

 Siqui-

Siquidem modis omnibus incautos ſubditos noſtros fallere conatus eſt, adeo, ut ab exercitibus noſtris Rebellibus, imo & ab intimis & domeſticis fere omnibus derelicti, & tantum non in manus ejus traditi, omnium Regnorum noſtrorum defectionem paſſi ſimus. Cumque Comitem de Jeversham, legatum ad ipſum miſiſſemus, contra Jus gentium, fidemque publicam Princeps Arauſicanus eum in carcerem conjecit, noſque ſemoto Præſidio Noſtro, arcta militum ſuorum cuſtodia detinuit; quin & ſubito Ejus mandato Nos proprio ejecti Palatio, ut majora declinaremus pericula, quæ vitæ imminebant, præcipiti fuga ſaluti noſtræ conſulere, hicque præſidium ſubſidiumque quærere coacti ſumus. Quid mente agitaret Princeps Arauſicanus, & quomodo Ejus eſſet conſilium, cum Regna noſtra dolo & armis invaderet, nemini jam dubium eſſe poteſt. Leges enim Anglicanas populique libertatem, quas ſe ſervaturum incolumes ſpoſponderat, ſubvertit planeque ſuſtulit. Cumque liberum Catholicis ſuæ Religionis exercitium promiſiſſet, in eos ſupra id, quod credi poteſt, inhumanus barbara crudelitate, utraque legum ipſarum ſeveritatem, (quæ in terrorem ſcilicet olim ſancitæ, raro, ſi unquam, contra eos executioni mandatæ ſunt) eos pene dilaniavit. Proceres Paresque Regni æque ac plebeji in carcerem conjecti, magnifica eorum ædificia ſolo adæquata, bona omnia direpta, uxores liberique omnibus vitæ ſubſidiis ſpoliati, ea ab inimicis emendicare coacti ſunt, hicque non finis, ſed initium malorum; Innumera

mera enim., ejus mandato, commiſſa in Epiſcopos ſacerdotesque ſacrilegia, qui fuſtibus aliisque impiæ crudelitatis inſtrumentis excepti, rapti in carcerem, extremum ibi ſupplicium expectant, venerandi Chriſti cruci affixi effigies igni ſæpius commiſſa, ſacella diruta, ſacra eccleſiæ ornamenta profano populi ludibrio uſuique expoſita. Hæ aliæque afflicti Status noſtri circumſtantiæ Imperialis Majeſtatis Veſtræ opem & auxilium enixe ſollicitant. Res enim Cæſareæ Veſtræ Majeſtatis utrinque agitur, dum Regem conſtanti Amicitiæ fœdere Ei conjunctum, Regnis ſuis iniquiſſime ſpoliatum, & ut ſaluti ſuæ conſuleret in Regiones exteras ejectum, Nosque iſta omnia a confœderatis hæreticis, catholicæ Religionis cauſa duntaxat, pati manifeſte agnoſcit. Quæ quidem ſingula Imperiali Majeſtati Veſtræ facile ſvadebunt, non ſolum, ut nobis adſit, opemque ferat, qua tam legitimo & hæreditario jure debita Nobis Regna recuperemus, ſed etiam, ut religioni catholicæ, ut ſanctæ eccleſiæ in hac procella quodammodo periclitanti, auxilium ferat, eisque deinceps occurrat malis, quæ a conjunctis hæreticis Eccleſiæ Chriſti Sponſæ imminent. Nec dubia Nobis ſpes eſt, quin ubi Imperialis Majeſtas Veſtra ſingulari ſua prudentia iſta omnia rite perpenderit, conſideratoque conſtanti inter nos fœdere, nec unquam interrupto amicitiæ vinculo, eam Nobis opem eaque auxilia ſuppeditet, quæ ad recuperanda Regna noſtra maxime videbuntur neceſſaria, quæ quidem unica modo ſupereſt via, qua ditionum noſtrarum Catholici omnes ab immi-

 nenti

nenti præſentique ruina poſſint ſervari. De quibus cum mimime dubitemus, ita & Deum optimum maximum precamur, ut Sereniſſimam Majeſtatem Veſtram ſemper & ubique cuſtodiat. Dabantur Sancti Germani, ſexta Februarii, Anno Domini 1689.

Majeſtatis Veſtræ

frater amantiſſimus

Jacobus Rex.

Milfort.

DCCCXI.

Reſponſoria LEOPOLDI, Roman. Imperatoris, ad præinſertas Jacobi II. Magnæ Britanniæ Regis literas, 1689.

Leopoldus &c.

Literas Serenitatis Veſtræ 6. Februarii nuperi, ex arce S. Germani ad Nos datas, ab Ejusdem in aula noſtra ablegato Carlingfortio exhibitas recte accepimus, & ex iis, in quem ſtatum redacta ſit Serenitas Veſtra, qualiterque ab exercitibus ſuis, imo & ab intimis & domeſticis fere omnibus, poſt adventum Principis Arauſionenſis derelicta, præcipiti fuga ſaluti ſuæ conſulere, & itidem in Gallia præſidium ſubſidiumque quærere coacta ſit, denique a Nobis ad recuperanda Regna ſua auxilium expetat, pluribus intelleximus. Serenitati Veſtræ id certo confirmare poſſumus, quod ſimul atque peracerba hæc rerum viciſſitudo ad aures Noſtras pervenit, animum etiam Noſtrum non communi illo humanitatis, ſed pro ſincero No-

ſtro

ſtro in Eandem affectu, propiore & ſtrictiore ſenſu tetigerit, & intime indoluerimus, illud tandem eveniſſe, quod Nobis, quantumvis meliora ſperantibus, animus jam dudum anxie præſagivit. Quod ſi enim Serenitas Veſtra amiciſſimis Noſtris, per Ablegatum Noſtrum nuperum, Comitem a Kauniz, factis remonſtrationibus potius, quam fraudulentis Gallorum ſuggeſtionibus, quibus id unum agebant, ut perpetuas inter Serenitatem Veſtram & Ejusdem populum fovendo ſimultates, reliquæ Europæ Chriſtianæ tanto ſecurius inſultarent, fidem præbuiſſet, & continuis Eorum de pacifragiis & contraventionibus, quarum Vindiciæ pace Neomagenſi ad Eandem pertinebant, autoritate & potentia ſua modum ſerio ponere, eumque in finem communi Nobiſcum aut cum aliis recte ſentientibus conſilia inire placuiſſet, Nobis quidem nullum dubium eſt, quin Serenitas Veſtra animos populi ſui odio Religionis Noſtræ jam exulceratos, multum demulſiſſet, & etiamnum tam in Regno ſuo quam in Romano Imperio tranquillitas illibata ſtaret. Nunc autem quo loco res noſtræ ſint, ut auxilium Serenitati Veſtræ præſtari poſſit a Nobis, qui non Turcico tantum bello impliciti, ſed etiam novo inſuper crudeliſſimo & iniquiſſimo, a Gallis rerum ſuarum, ut putabant, in Anglia ſecuris, contra datam fidem impetiti ſumus, Ipſimet Serenitati Veſtræ judicandum relinquimus. Illud ſane Eandem non celandum duximus, quod Religioni etiam Noſtræ non ab aliis major injuria, quam ab ipſismet Gallis illata ſit, quippe qui non tantum

in noſtram & totius Orbis Chriſtiani perniciem fœdifraga arma cum juratis ſanctæ crucis Hoſtibus ſociare, & ſuſceptos a Nobis pro Dei Gloria conatus interrumpere, ſucceſſusque ab omnipotenti Ejusdem manu Nobis conceſſos, impedire fas ſibi ducunt; ſed etiam in Imperio perfidiam perfidia cumulando, urbes deditione occupatas, contra datam & ipſiusmet manu Delphini ſignatam fidem, immenſis Tributis exhaurire, exhauſtas diripere, direptas funditus exſcindere, aut flammis delere, Palatia Principum ab omni antiquitate, & inter ſæviſſima bellorum incendia intacta ſervata exurere, templa ſpoliare, dedititios in ſervitutem, more inter Barbaros uſitato, abducere: Denique paſſim, imprimis vero in Catholicorum ditionibus alia horrenda & ipſam Turcarum Tyrannidem ſuperantia immanitatis & ſævitiæ exempla edere, pro ludo habent. Quæ cum neceſſitatem Nobis ſummam imponant, non contra ipſos minus quam contra Turcas omni Nos & ſacrumRomanum Imperium meliori ratione tuendi, ab ipſiusmet Serenitatis Veſtræ æquanimitate certum Nobis aſſenſum promittimus, Nobis a nemine imputari poſſe, ſi, quam hactenus per multiplices tractatus aſſequi non potuimus ſecuritatem, juſtiſſimis armis aſſerere ſatagamus, eundemque in finem, cum iis, quorum intereſt, communes pro defenſione & ſecuritate Noſtra rationes inire cogamur. De cætero Deum rogamus, ut omnia ad gloriam ſuam dirigat, Veſtræque Serenitati in hoc graviſſimo infortunio ſuo vera ſolatia præſtet, qui Eandem tenerrimo frater-

fraterni animi affectu perpetuo complectimur, Viennæ 9. April. 1689.

Leopoldus

C. F. Consbruck.

DCCCXI.

Literæ GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad LEOPOLDUM Rom. Imperatorem, quibus ipſi, ſe cum Sereniſſima Conjuge ſua, ad auguſtum Magnæ Britanniæ ſolium evectum eſſe nuntiat, 1689.

Guilielmus Dei Gratia Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defenſor &c. Sereniſſimo, Potentiſſimo & Invictiſſimo Principi ac Domino, Domino Leopoldo, divina favente clementia Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Germaniæ &c. &c. Fratri, Conſanguineo & Amico Noſtro Chariſſimo, ſalutem perpetuamque felicitatem.

Sereniſſime & Invictiſſime Princeps, Frater, Conſanguinee & Amice Chariſſime.

QVum Deus Opt. Max. (qui regna juxta ac reliquas res humanas pro ſummo ſuo in Nos arbitrio mutat ac diſponit) Nos una cum Sereniſſima Conjuge, ad auguſtum Angliæ, Franciæ & Hiberniæ ſolium elevare dignatus ſit, nulli dubitamus, quin Principes fœderati Noſtri, Nobisque ac Regnis Noſtris arcta amicitia conjuncti, hunc Noſtrum ad Regium faſtigium aſcenſum læto & gratulabundo animo laturi ſint; Quapropter Cæſaream Veſtram Majeſtatem, quæ in eo numero jure meritoque præcipuum locum obtinet, quam

citisſime certiorem fieri volumus, dictorum Regnorum Coronam & dignitatem Regiam abdicatam prorſus ac deſertam, adeoque a ſummis totius Angliæ Ordinibus ultro oblatam, a Nobis acceptam eſſe. Quod ut in ſubditorum noſtrorum commodum & ad univerſam Pacem per Chriſtianum Orbem componendam ſtabiliendamque bene vertat, divino Numini humiliter ſupplicamus. De cætero Cæſaream Veſtram Majeſtatem perſuaſam eſſe cupimus, quum & ipſam & res ſuas omnes ſingulari affectu animo Noſtro penitus inſito diuque defixo proſequimur; Nos fœdera & interioris amicitiæ vincula, quæ a Prædeceſſoribus Noſtris in mutua ſubditorum utrinque emolumenta pacta atque inita fuere, non ſolum, quantum in Nobis eſt, ſancte obſervaturos, ſed & veterem illam neceſſitudinem, quæ inter Imperii Status & Regna Noſtra jam olim intercedit, nova ſollicitudine ac novis inſuper officiis adornare & augere ſedulo conaturos. Quod ſupereſt Cæſareæ Veſtræ Majeſtati fauſta omnia precantes, Ipſam ſupremi Numinis tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in PalatioNoſtro deWhitehal 1, die Martii Anno Domini 168$\frac{8}{9}$, Regnique Noſtri primo.

Cæſareæ Majeſtati Veſtræ

addictiſſimus Frater, Conſanguineus & amicus

Guilielmus Rex.

Comes de Nothingam.

Nota. Pari quoque ratione ad alios Europæ Proceres, mutatis ſaltem diebus & titulis, ſcriptum fuit.

DCCCXIII.

Digitized by Google

DCCCXIII.

Reſponſoriæ LEOPOLDI, Rom. Imperatoris, ad præinſertas GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis literas, quibus ipſi fauſtum fortunatumque Imperium gratulatus, Catholitos ditionis Britannicæ homines impenſe commendat, 1689.

Leopoldus &c. &c.

P. P.

QUod Nos Serenitas Veſtra de ſua & Sereniſſimæ Conjugis ſuæ ad Regium Magnæ Britanniæ Thronum elevatione per literas ſuas ſub initium nuperi menſis Martii ad nos exaratas, certiores reddere voluerit, nova & luculenta ſignificatio eſt non interruptæ illius neceſſitudinis & benevolentiæ, qua nos & res Auguſtæ Domus noſtræ hucusque inceſſanter perſecuta eſt: quam cum juxta ac Serenitatis Veſtræ perſonam & ſingularia in Rempublicam merita ſemper plurimum æſtimaverimus, nunc quoque, quæ a Divino Numine Eidem adjiciuntur, incrementa, ornamentaque tanto lætitiores ad animum Noſtrum admittimus, Veſtræque Serenitati gratulamur, quanto ex augeſcente ejusdem potentia plus communi cauſæ præſidii & auxilii acceſſurum eſſe compertum habemus. Itaque ut Serenitatis Veſtræ evectio tam ad ipſius gloriam, quam ad utriusque Regnorum & Provinciarum commodum & ad tranquillitatem per orbem Chriſtianum aſſerendam ſtabiliendamque bene vertat, ſincere exoptantes, Eidem pro Amica Notificatione eas, quas par eſt, gratias rependimus, Ve-

ſtram-

ſtramque Serenitatem de nobis ſic exiſtimare cupimus, ut qui nihil deliberatius in animo habeamus, quam veteris noſtræ erga Eandem amiciſſimæ voluntatis & benevolentiæ conſtantiam, novis identidem officiis declarare, & non tantum fœdera interiorisque amicitiæ vincula, quæ Nobis & ſacro Romano Imperio jam olim cum inclyto magnæ Britanniæ Regno intercedunt, obſervare & rata habere, ſed etiam quicquid ad publicam Imperii & Regnorum utriusque utilitatem facere poterit, id omne Noſtra ex parte promptiſſime diligentiſſimeque conferre, id quod eo ſanctius nos præſtituros recipimus, quo magis perſuaſi ſumus, Serenitatem Veſtram erga Catholicæ Religionis Noſtræ conſortes, quietos, fideles, dictoque audientes ea moderatione & benignitate uſuram eſſe, quam & ipſa tum ante hac ſemper in Provinciis fœderati Belgii, tum nuper ſub abitum ſuum in Angliam Nobis per literas teſtata eſt, & Nos Eidem tunc enixe commendavimus. Qua ſpe freti Serenitatem Veſtram tutelæ divinæ ad proſperos rerum ſucceſſus ex animo commendamus. Datum Viennæ 16. Junii 1689.

DCCCXIV.

Reſponſoria JOSEPHI, Hungariæ Regis, ad GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis praimpreſſas de ſua in Angliæ Thronum elevatione, nuncias, quibus ipſi auſpicatas Regiminis primitias gratulatus proſperrima quæque precatur, 1689.

Joſephus

Joſephus Rex Hungariæ &c. &c.

NOn minori nos gaudio affecerunt Literæ Majeſtatis Veſtræ, prima Martii, anni præſentis, elevationis Ejusdem Sereniſſimæque ſuæ Conjugis, ad Angliæ, Franciæ & Hiberniæ ſolium nunciæ, quam accepta Nobis fuit expresſio, de amicitia & fœderibus ab Ejusdem Prædeceſſoribus in mutua ſubditorum emolumenta initis deinceps pariter obſervandis, veterique neceſſitudine, quæ inter Regna noſtra ab antiquo jam intercedit, nova ſollicitudine & novis inſüper officiis excolenda augendaque: Cui declarationi pari ſinceritate, fide & religione ſemper a nobis correſponſum iri, non eſt, quod dubitet Majeſtas Veſtra, quam certam de fraterno optimoque animo Noſtro viciſſim reddimus, quibuslibet in occaſionibus actu teſtando, nihil magis in votis habentes, quam ut Deus ter optimus maximus Majeſtatem Veſtram pro cauſæ communis commodo ſubditorumque ſuorum incolumitate diu multumque felicem, ſoſpitemque conſervare dignetur; Cujus divinæ protectioni eandem commendantes, proſperrima quæque fraterne peroptamus. Viennæ 16. Junii 1689.

DCCCXV.

Reſponſoria JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad præcedentes GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis de obtenta Magnæ Britanniæ Corona ſignificatorias, quibus ipſi auſpicata aditi honoris primordia exoptatiſſimosque ſucceſſus gratulando precatur, 1689.

P. P.

P. P.

QUò tempore primum de oblata Majeſtati Veſtræ Sereniſſimæque Illius Conſorti dignitate Regiâ nuntius ad Nos huc pervenit, etſi ſtatim jucundiſſima voluptate perfundi cœpimus, multo tamen magis enatam hanc in animo noſtro lætitiam accendi, majoremque in modum augeri ſenſimus, poſtquam per amantiſſimas ipſius Regiæ Veſtræ Majeſtatis literas edocti ſumus, Eandem cum Sereniſſima conjuge ad auguſtum Angliæ ſolium fuiſſe elevatam dictorumque adeo Regnorum Coronam a ſummis Ordinibus ultro oblatam, a Majeſtatibus Veſtris conſtanti animo acceptam eſſe. Facere namque haud poſſumus præ antiqua ſanguinis neceſſitudine, quæ anno abhinc, quo nos per Belgium atque iſta per loca iter facientes utraque Regia Veſtra Majeſtas amantisſime excipiebat, ſuavisſimoque conſpectu ſuo complectebatur, fortiori quaſi inter Nos vinculo coaluit, quin partem hujus gaudii peculiari quodam jure Nobismet præ aliis vindicatum eamus; Adeoque Nos etiam tanto quidem nunc impenſius de amplisſimis ejusmodi argumentis, novæque dignitatis & gloriæ accesſione Regiis Veſtris Majeſtatibus præſentibus hiſce gratulamur, quanto certius non tam ſperamus quam confidimus Easdem Dei primum immortalis ope & beneficio, ſua deinde virtute ac moderatione animi, ita concredito ſibi gubernio præfuturas, ut omnium bonorum opinioni & Votis, publicæque imprimis tranquillitati plane ſatisfiat. Quod, ut ita eveniat Regis Veſtris Majeſtatibus honos

iſte

iſte ac in faſtigium Regium aſcenſus & ſempiternæ laudi & nulli unquam viciſſitudini obnoxiæ felicitati ſit, eſt, quod nos modis omnibus etiam atque etiam exoptamus. Quod ſupereſt Regiis Veſtris Majeſtatibus quicquid a nobis ſtudii honoriſque atque amicitiæ præſtari ullo modo poteſt, ſincero affectu perofficioſe addicimus & pollicemur. Quemadmodum de hac noſtra in Regias Veſtras Majeſtates ſincera animi propenſione cultuque, qui has literas offeret, Liber Baro de Frieſen pluribus verbis coram teſtabitur, quamprimum ad colloquium Regiarum Veſtrarum Majeſtatum benevole fuerit admiſſus. Dabantur in Thermis Töplicenſibus, die 12. April. 1689.

DCCCXVI.

Literæ LEOPOLDI I. Rom. Imperatoris, ad JOHANNEM III. Poloniæ Regem, quibus ipſi, Gallos fœdiſſima perfidia bellum atrox & cruentum S. R. Imperio, in ſublevationem juratorum Chriſtiani nominis hoſtium intuliſſe, ſeque ad pacem cum Turcis inhoneſtas ac tutas leges ineundam ſumma neceſſitate & vindicandi S. R. Imperium ab innumeris injuriis officio cogi, nunciat, ac ut quamprimum Plenipotentiarios ſuos Viennam mittat, amanter ſuadet, 1689.

Leopoldus. &c.&c.

QUam fœde nuper & injuſte, violatis Pacis Weſtphalicæ & Neomagenſis, nec non vicennalis armiſtitii paucis abhinc annis initi, legibus,

bus, Nos & Romanum Imperium, nihil minus opinantes, Corona Galliæ, quaſi ex inſidiis adorta ſit, nulli dubitamus, quin Serenitas Veſtra ex ſuperioribus noſtris Literis abunde perſpexerit. Excrevit vero in immenſum hujus facinoris magnitudo & enormitas, ex nefanda illa crudelitate & perfidia, quæ hucusque in occupata primo impetu loca, horrendum debacchatur ac furit, dum integras urbes & ditiones, quæ incolumitatem pactæ certis ſeſe conditionibus dederant, & tributa imperata exſolverant, contra datam & ipſiusmet Regis autDelphini ſubſcriptione roboratam fidem diripi, direptas aut deleri incendiis, aut mœniis ipſisque ædificiis ex imo fundamento dirutis, ſolo æquari, ſubditos, more inter barbaros uſitato, vinctos in ſervitutem trahi, & ad ſequendam in aliis oris Gallicam militiam cum interminatione laquei impelli, Principum Domos & Palatia, per ſecula, in cruentisſimis etiam bellis ſervata, exſcindi, nec ab ipſis templorum tectis impias manus abſtineri, pluraque alia tam horrenda irarum, invidiæ & immanitatis exempla pasſim patrari jubet, qualia raro a Turcis admiſſa, certe a Chriſtianis in Religionis ſuæ conſortes unquam exercita fuiſſe, vix in ulla plurium ſeculorum reperitur hiſtoria. Quæ uti merito totius Chriſtianæ gentis odium in Galliam excitat, imprimis autem Nobis, prout Serenitati Veſtræ nuper ſignificavimus, ſummam neceſſitudinem imponunt, commiſſi nobis Romani Imperii ſaluti proſpiciendi, illudque ab ejusmodi violentiis & inauditis oppreſſionibus

omni

Digitized by Google

omni ope liberandi; ita etiam omnes Imperii Electores, Principes & Status Ratisbonæ per Deputatos ſuos congregati unanimibus ſuffragiis à Nobis decenter contenderunt, ut, decreto juſto, adverſus Galliam, bello, pacem non modo quantocyus cum Turcis honeſtam conficiamus, ſed etiam amicos & confœderatos Reges & Reſpublicas in ſocietatem armorum, & continuationem fidæ cum Imperio vicinitatis & amicitiæ invitemus, tum vero etiam apud eosdem intenſas Gallorum aut hiſce adhærentium machinationes, quibus haud dubie contra nos & ſacrum Romanum Imperium, aut unum alterumve ejusdem Statum fœderatum aut ſocium, diverſionem ſive moleſtiam ſuſcitare ſatagent, tempeſtive amoliamur & reddamus irritas. Quocirca uti quantum ad pacem Turcicam, eandemque quantum fieri poteſt, æquis conditionibus promptiſſime ſanciendam attinet, Serenitati Veſtræ mentem noſtram præfatis literis confidenter aperuimus, Ejusdemque Legatum Plenipotentiarium propediem adfuturum, libenter intelleximus: ita nunc quoque haſce juxta memoratam S. R. Imperii Electorum, Principum ac Statuum inſtantiam ad Serenitatem Veſtram pro fraterna Noſtra in Eandem fiducia exarandas duximus, non quod in mentem nobis veniat, Serenitatem Veſtram ullo indigere hortatu ad præponendam porro Gallicis machinationibus amicitiam a tot ſeculis inter Nos, Imperium Romanum & Rempublicam Polonam integre & abſque corruptione continuatam, aut induci Eam poſſe, ut poſtquam contra

Chriſtiani Nominis hoſtes tam glorioſe decertavit, nunc eorundem inſtigatoribus, fautoribus & fœderatis (quidni enim tales appellemus, qui Turcis fœdus offenſivum etiamnum offerunt) Gallis videlicet ſuffragetur, aut eorum conatus directe vel indirecte adjuvet, deteſtandæquè eorum perfidiæ ſe conſortem faciat: id enim a Serenitatis Veſtræ pietate, integritate & prudentia, quippe moliminum Gallicorum paucos abhinc annos ſatis ſuperque edocta, alienisſimam eſſe perſuaſi ſumus; Sed ut eandem noſtro & totius Imperii nomine, prout facimus, amice fraterneque requiramus, ut ea porro inire velit conſilia idque cum univerſa Republica ſtatuere, quo unitis animis & viribus tam immanis perfidia liberius vindicari & ſecura demum ſtabilisque tranquillitas in Chriſtiano orbe ſperari queant. Quod ut Nobis a Serenitate Veſtra inclytoque Poloniæ Regno tanto firmius polliceamur, facit indubitata illa & inconteſtabilis veritas, publicam connexamque Noſtram ſeu Germaniæ & Poloniæ cauſam in eo verti, & ad inclyti ejusdem Regni injuriam ſpectare, quicquid contra nos & concreditum Nobis Imperium, durante imprimis contra Turcas fœdere offenſivo, in eorundem favorem & modo dicti fœderis detrimentum tam indigne patiatur a Gallis, iisque ſolis attribuendum eſſe, quod una Nobiſcum tam Serenitas Veſtra & Respublica Poloniæ, quam Illuſtriſſimum Dominium Venetum, pro honore Dei & incremento Chriſtianitatis ſperatis Sacri fœderis & victoriarum fruſtrentur ſucceſſibus.

Nulli

Nulli itaque dubitamus, quin Serenitas Veſtra eam Nobis Declarationem datura ſit, quam mutuo amicitiæ nexui, fidæque Vicinitatis Legibus, noſtræque non minus quam ſupradictorum Electorum, Principum ac Statuum Imperii expectationi reſpondeant. Quod ſicuti Serenitati Veſtræ & Reipublicæ Poloniæ non apud Nos tantum & Imperium Romanum, ſed univerſum Chriſtianum orbem recte ſentientem in veræ laudis encomium gratamque memoriam ceſſurum eſt: ita Nos & ſæpedictos Electores, Principes & Status Imperii ad paria ſibi Regnoque Poloniæ ſtudia & auxilia referenda in ſimiles occaſiones arctiſſime devinciet. Qui quod reliquum eſt, Serenitati Veſtræ proſperrimos rerum ſucceſſus animitus exoptamus. Viennæ 18. Martii Anno 1689.

DCCCXVII.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad COSMUM III. Magnum Etruriæ Ducem, quibus ipſi Domenicum Melanium ſtudioſe commendat, 1689.

P. P.

Exhibuit Nobis gratiſſimas Dilectionis Veſtræ Literas, Dilectiſſimæ Conjugis Noſtræ ædium Mareſchallus & Miniſter Noſter in Italia, Dominicus Melani, deque propenſiſſima Illius in Nos voluntate ac benevolentia perquam honorifice Nobiſcum locutus eſt. Cui Nos quidem viciſſim haud obſcuris oſtendimus argumentis Dilectionem Veſtram & amari a Nobis ſummopere & fieri ſane plurimi. Quapropter prædictum Mela-

nium tanto nunc quidem libentius a Nobis iterum dimittimus, quanto Illius reditum Dilectioni Veſtræ gratiorem fore ex allatis Ejus ad Nos Literis non obſcure conjicimus: adeoque abiturientem, etſi jam ante alias Dilectioni Veſtræ ſatis commendatum acceptumque, intuitu tamen ipſius egregiæ Virtutis præſtitorumque Nobis officiorum, præſentibus hiſce magis magisque commendamus, illud tantummodo adhuc enixe rogantes, ut quamprimum id ſine incommodo Dilectionis Veſtræ fieri poterit, revertendi iterum ad Nos licentia Melanio indulgeatur. Cui de cætero diligentisſime injunximus, ut de ſinceri animi Noſtri conſtantia ac inſerviendi ſtudio Ipſe coram pluribus Noſtris verbis Dilectionem Veſtram certiorem reddat. Quam proſpere perpetuo, feliciterque agere etiam atque etiam exoptamus. Dabantur in Thermis Töplicenſibus die 20. Aprilis 1689.

DCCCXIIX.

Litera MARCHIONIS DE CASTANOGA, ſupremi Regis Hiſpaniarum per Belgium Vicarii, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, cui Gallos Regi ſuo bellum futili & abſurdo quodam manifeſto indixiſſe nuntiat, 1689.

Sereniſſime Princeps, Elector, ac Domine.

QVandoquidem Regiæ Suæ Majeſtati Domino meo clementiſſimo Rex Chriſtianiſſimus bellum indixit, prout Serenitas Veſtra Electoralis ex adjuncto

adjuncto manifeſti Gallici, nulli prorſus validæ rationi nec juſtitiæ umbræ innixi Exemplari (contra quod reſponſionem quantocyus evulgari curabo) fuſius percipiet; Pro ſingulari mea in Serenitatem Electoralem Veſtram obſervantia ac fiducia intermittere non potui, quin Eandem ea de re abſque mora edocerem, ſimulque ſignificarem, inviolabilem illam, qua altiſſime memorata Majeſtas Sua, rejectis quibusvis propoſitionibus contrariis, ſacro Romano Imperio & confœderatis ſuis firmiter adhærere ſtatuit, conſtantiam, præfatæ reſolutioni Gallicæ unice anſam præbuiſſe. Et quemadmodum plane perſuaſum habeo, Serenitatem Veſtram Electoralem idem mecum ſentire; ita indubitata ſpe nitor, Eandem (prout & Egomet nomine Regio non deero) omnia quæ ad conſervationem incrementumque cauſæ communis, nec non ad deprimendam intolerabilem Gallicam ambitionem ullo modo facere poſſunt, lubentiſſime collaturam, quatenus tota Europa a ſervitutis vinculis, ſibi a Corona Galliæ jam dudum præparatis, præſervetur. Interea ſummopere deſidero, ut communes hæ rationes exoptatam mihi dent occaſionem, qua felici armorum conjunctione ſub glorioſo Serenitatis Veſtræ Electoralis ductu & Imperio, ad Ejusdem gloriam cooperari, & re ipſa comprobare valeam, me in Ipſius veneratione omnes antecellere. Cui de cætero diuturnam valetudinem proſperrimosque armorum pro boni publici commodo ſucceſſus a ſummo Numine enixe voveo. Bruxellis 24. Aprilis 1689.

DCCCXIX.

Literæ JOANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad MARIAM ANNAM, Philippi IV. Hiſpaniarum Regis viduam, quibus ipſam ob luctuoſam Sereniſſimæ nurus ſolatur mortem, 1689.

P. P.

NOn ſine ægritudine animi ex perſcriptis ad Nos Regiæ Majeſtatis Veſtræ Literis intelleximus Sereniſſimæ Hiſpaniarum Reginæ, Dominæ Mariæ Aloyſiæ, Filiæ ſuæ deſideratiſſimæ obitum inopinum: quem tamen tanto æquiore animo Majeſtatem Veſtram laturam confidimus, quanto feliciori ſorte beatæ memoriæ Princeps jam credenda eſt, omnibus, qui hanc mortalem vitam turbant, moleſtiis liberata. Nos interea facti per Majeſtatis Veſtræ literas doloris participes, Deum precamur, ut gravem hanc perculſæ Regiæ Domus jacturam lætioribus poſthac rerum incrementis compenſet. Ad cujus ornamenta provehenda comprobandaque dediti animi Noſtri ſtudia nihil facturi reliquum, Regiam Veſtram Majeſtatem divinæ protectioni benevole commendamus. Dabantur Lipſiæ die 1. Maji 1689.

DCCCXX.

Literæ PROCERUM SAC. Rom. Imperii, ad JOANNEM III. Poloniæ Regem, quibus ipſi fœdus offenſivum adverſus Galliæ Regem, pangendum modeſte offerunt, 1689.

Sere-

Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi, ac Domino, Domino Johanni Tertio, Regi Poloniæ, Magno Duci Lithuaniæ &c. &c. Domino noſtro clementiſſimo.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex, Domine Clementiſſime.

PErtulit haud dubie ad Regiam Veſtram Majeſtatem conſtans aliquot retroactorum annorum fama, quam continuis, ſub ſpecioſo, aſt vano ac rapaci Reunionum commento, a Noviomamagenſi Pace invaſionibus, Urbium ac Regionum occupationibus & devaſtationibus, infinitisque injuriis laceſſitum a Gallis Romanum Imperium tandem anno 1684. in duriſſimas non minus quam iniquiſſimas armiſtitii leges, cum ſupremi Juris in aliquot Provincias ad tempus facta renunciatione, deſcendere coactum fuerit. Imperabat tum temporis eandem ſubeundi neceſſitatem publicæ rei Turcico bello intentæ ſtatus, ut & tuendæ Chriſtianæ fidei ac patriæ ſtudium, nec defuit omnino proſper rerum ſucceſſus, & virebat maxime, etiam majora peragendi, Veſtræque Majeſtati & Poloniæ Regno quietem ac ſecuritatem procurandi grata firmaque ſpes, dum poſthabitis Weſtphalicæ ac Noviomagenſis pacis, ſanctisque vicennalis armiſtitii legibus, Chriſtianorum victoriis invidens, & (quod compertum eſt) Turcarum & Tartarorum commodis favens, horumque cladibus reparandis ſtudens Galliarum Rex, nulla denunciatione, nulla gravaminum aut querelarum ſaltem commemoratione prævia

ſacratisſimum Imperatorem & Imperium Romanum Turcico bello implicatos, ac nihil minus cogitantes, a tergo fœde & perfide, hoſtili impetu, aggreditur, nudata ſub pacis fiducia ſufficientibus præſidiis ad Rhenum præprimis ſita propugnacula, vel immani ferocia ac vi, vel diris minis ac comminationibus, aut fallacibus blanditiis capit; Confluentiam citra ullam occupandi ſpem, ob præſtitam Cæſari & Imperio ab Eminentisſimo Electore Trevirenſi fidelitatem, ſola nocendi rabie, globis pyreis ſimilibusque inventis exurit; provincias depopulatur, incautos & inſontes Imperii ſubditos undequaque opprimit, omnibus fortunis exuit; imprimis divino Miniſterio præpoſitos in captivitatem, barbaro more trahit; cæterisque alimenta vitæ ſuſtentandæ neceſſaria ſurripiendo, vel ea diſperdendo, alios fame, alios ferro necat. Horret animus meminiſſe ſolum, quam nefarie a Cæſaribus fundatam Electoralem & inter montana caſtra totius Europæ fere principem ſedem Heidelbergam, ſub immunitatis pactis, a Delphino confirmatis ac ſubſcriptis, ſpontanea deditione acceptam, perfida gens, juſſu regio, flammis funditus deleverit; Manhemium nitidiſſimnm illius diſtrictus Emporium ac fortalitium, poſt aliquot dierum oppugnationem proficuis conditionibus traditum, fracta turpiter fide data, non ſolo tantum æquaverit, ſed & privatas ſacrasque Ædes etiam Catholicæ Religionis exercitio deſervientes, ſubmiſſo fundamento pyreo pulvere penitus everterit, Archivum Palatinum abſtulerit; Acta ac documen-

documenta ſupremi Cameræ Imperialis Judicii in retrogeſtis bellis quibusvis, etiam hoſtibus curæ habita, diripiendo, cum multorum millium litigantium irreparabili damno, ſacræ juſtitiæ adminiſtrationem exſtirparit, & quicquid etiam ſævisſimi hoſtes, multis retro ſeculis delendis ad internecionem Regionibus ſcelerum & flagitiorum comminiſci potuere, illud in uberrrimo ſimul & pulcherrimo Germaniæ tractu ab improbiſſima ac nefaria hac gente exercitum eſſe, fœdata ruinis fidem faciat Provincia: adeo quidem, ut ſacratiſſimus Imperator & Romani Imperii Electores, Principes & Status tam perfidis vaſtationibus ac latrociniis (neque enim belli nomen merentur) provocati, ac toties iteratarum crudelitatum pertæſi, tam etiam commiſſæ ſibi a Deo Imperii & ſubditorum tutelæ, officiique ſui memores, bellum in Gallos declaraverint, & milite (magno Chriſtianorum damno) partim a turcica expeditione accito, partim aliunde adducto & conſcripto, iniquiſſimum hunc impetum primum ſiſtere, juſtiſſimæque cauſæ fiducia, nec non divino auxilio freti, reparandis tam atrocibus injuriis damnisque illatis, junctis indiſſolubili nexu conſiliis viribusque, arma in hoſticum provehere, perennemque ſecuritatem ac tranquillitatem Imperio procurare decreverint; prout Majeſtati Veſtræ uberius ex unanimi Statuum placito a Cæſarea Majeſtate clementiſſime approbato (cujus exemplum una cum translato hiſce addimus) conſtabit. Præterea non ignari, quam pudendis ſæpe regioque nomine indignis technis

ac fallaciis Galliæ Rex a Se provocatos, ſuæque defenſioni intentos, mutuis æmulationibus ac diſcordiis involvere conſueverit, prout ſub diverſo religionis mentito prætextu, id jam pridem infeliciter tentatum eſt, & etiamnum urgetur, primum quidem e re, quin imo neceſſarium fore duxere, omnia neutralitate, ut vocant, penitus eliminata, quicquid divina providentia Cæſari & Imperio virium largita eſt, id unanimiter conferre, tela forti & conſtanti animo in hoſtem vertere, nec ab hujus proſecutione ante tot acerbiſſimorum malorum ſufficientem (quam a Deo ſperamus) reparationem, ut & cautionem in futurum deſiſtere, quin etiam illum vel illos, aut quenquam eorum, etiam extra Imperii fines invaſionibus aut deprædationibus laceſſere, armave Imperii aut fœderatorum in favorem Galliæ diſtrahere tentaverint, hoſtes etiam Imperii declarare, nec non ſanctioris fidei coronas ac Reſpublicas, contra profligatæ fidei hoſtem, in auxilium & ſocietatem vocare. Cumque, Sereniſſime Rex, inveterata ac firma, quæ Cæſaribus & Imperio cum Poloniæ Regno interceſſit amicitia, quamque non ita pridem Viennam ſocia manu ab infidelium obſidione liberando (quod beneficium etiamnum grato animo agnoſcitur & a poſteritate in perpetuum agnoſcetur) Majeſtas Veſtra Regia cum Republica Poloniæ luculenter probavit, tum etiam nefando hoc Gallorum latrocinio, quod victricium in Servia & Boſnia copiarum magnam partem inde revocare jubet, confœderati Poloniæ Regni latus non leviter petatur, ejusque ſe-

curitas dubia reddatur; præcipue autem, quod Majeſtatem Veſtram atrociſſimam hanc irruptionem valde deteſtari, nullatenus dubitandum; hæc omnia ſpem fecere, fore, ut Majeſtas veſtra ad reprimendam adeo immanem & nocivam, ac cuivis pro lubitu inſultantem potentiam (quæ toti Europæ ſe bellum intuliſſe gloriatur, quemadmodum noviſſime catholico Regi, contra armiſtitii cum eo initi tabulas, in Imperialibus cum Gallo induciis, pro verbotenus inſertis habitas ac confirmatas publica declaratione ex cauſis frivolis bellum indixit) Cæſaris & Imperii, ſua Reipublicæque conſilia & arma jungat, ideo Majeſtatem Veſtram ſpeciali Dominorum Noſtrorum Mandato inſtructi, ut initum cum Auguſtiſſimo Cæſare fœdus contra novum hunc, omni fide deſtitutum, eoque magis periculoſum hoſtem extendere, vel alias ſeparatim convenire libeat, qua par eſt, ſubmiſſione rogamus, & quæ hanc in rem ab Invictiſſimo Imperatore Majeſtati Veſtræ expoſita eſſe novimus, huc repetendo, Eandem ad arctiorem confœderationem invitamus. Quod ſi tamen fervente adhuc cum Turcis bello, auxiliatricem manum a Majeſtate Veſtra & Republica Poloniæ præter ſpem obtinere nec dum liceat, certi ſaltem confidimus, omni cura easdem ac ſollicitudine proſpecturas, ne Gallicis inſtigationibus aliisve malignis artibus, coactis in unum militaribus turmis in Cæſareis & Statuum vel cujuscunque confœderati in vel extra Imperii fines, ſuis Provinciis terrisque prædæ agantur, horumque ſubditi quocunque loco

inva-

invaſionibus ac direptionibus vexentur, & ſin (quod Deus avertat) quid ſecius eveniat, in perſequendis & extirpandis iſtiusmodi invaſoribus arma ſua noſtris jungendo, prono animo concurſuras. Rogamus Deum Ter Optimum Maximum, ut Majeſtati Veſtræ digna Chriſtiano Principe conſilia inſpiret, quibus repreſſa hoſtium ſuperbia, Europæ perpetua pax & tranquillitas concilietur, cui quod reliquum eſt, felices rerum ſucceſſus ac proſperos eventus in Regimine, aliisque Chriſtiano orbi ſalutaribus cœptis, ex animo apprecamur. Ratisbonæ ex Comitiis 4. Maji 1689.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

humillimi

Sacri Romani Imperii Electorum, Principum ac Statuum Conſiliarii & Legati ibidem congregati.

DCCCXXI.

Litera COLLEGII CARDINALIUM, ad LEOPOLDUM Rom. Imperatorem, quibus ipſi Innocentium Papam XI. placide in Domino obdormiviſſe nuntiat, & pacatas Imperii res perpetuamque adverſus Turcas victoriarum ſeriem precatur, 1689.

Sereniſſimo Principi Leopoldo, Romanorum Regi, in Imperatorem electo ſemper Auguſto. Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, S. R. E. Cardinales.

Serenis-

Sereniſſime Cæſar, Salutem & ſinceram in Domino charitatem.

CUm ſuperioribus diebus Majeſtatis Veſtræ de communi hoſte victorias audiremus, tunc repletum eſt gaudio os Noſtrum & lingua Noſtra exultatione. Sed brevi temporis intervallo defecit gaudium cordis noſtri, cecidit corona capitis noſtri; ſiquidem ſummus Pontifex Innocentius XI. cum maxime vivere illum oportebat, heſterna die ceſſit e vita, cujus equidem Patris amantiſſimi interitus, ſi nos acriter non moveret, publicæ jacturæ ratio profecto tangeret efficeretque, ut quotidie cibaremus Nos pane lachrymarum, etenim omnia quæ his miſeris afflictisque temporibus a ſummo Pontifice deſiderari poterant pro Chriſtianæ Reipublicæ incolumitate & Catholicæ Religionis incremento, in eo cumulate adeſſe videbantur; omnes namque ſuas cogitationes, omnia conſilia, omnes opes, omnem denique autoritatem & potentiam ſuam ad ſalutem Dominici gregis contulit. Sed plura hujus generis de eo dicere ſupervacaneum eſt, præſertim apud Majeſtatem Veſtram, quæ hæc omnia & novit optime & feliciter experta eſt. Quare, quod hujus temporis eſt proprium, convertamur unanimiter ad Deum totius conſolationis, ut conſoletur Nos in tribulatione noſtra, & exaudiat preces in excelſo ſolio gloriæ. Et quidem nos peracto novendiali funere conclave ingrediemur, in quo primum Deum orabimus, ut nobis quam citiſſime largiatur Paſtorem alterum, qui & propter ſancti-

tatem

tatem apud Deum & propter autoritatem apud Eccleſiæ filios Chriſtianorum Principum disſidia non tantum e medio tollat, verum etiam ſacro fœdere eos conjungat, & ab illorum manibus excuſſa arma contra Turcas convertat, ita ut publicæ libertatis vindice a Majeſtate Veſtra Chriſtiani nominis perpetui hoſtes ad nihilum deveniant tanquam aqua decurrens, & ſicut deficit fumus, deficiant. Adſit interim nobis propitius Deus, ac duplici gaudio fidelem populum cumulet, viſibile ſcilicet Caput Eccleſiæ ſuæ tribuendo, Majeſtatique Veſtræ victoriarum incrementum. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & Congregatione noſtra generali, ſub ſigillo trium Noſtrum in ordine Priorum, die 13. Auguſti, 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXII.

Literæ COLLEGII CARDINALITII, ad JOSEPHUM, Hungariæ Regem, cui Innocentium Papam XI. vitam ſolviſſe refert, & virtutum Sereniſſimi ſui Parentis complexum, velut abſolutiſſimam vitæ cum laude vivendæ normam ſedulo commendat, 1689.

Sereniſſimo Principi, Joſepho Hungariæ Regi.

Miſeratione divina Epiſcopi Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales. Serenisſime Rex, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

Cum primum ad Majeſtatem Veſtram literas damus, ægre ferimus, quod cogamur triſtioris

tis nuncii eam participem facere, ſed quando ita Domino placuit, cujus judicia multa abyſſus, Innocentium XI. Pontificem Maximum heſterna die nobis eripere, ut laborum ſuorum præmia reciperet in perpetuas æternitates, non poſſumus hoc literarum officium prætermittere, præſertim cum eo Rege, in quo Auguſtisſimæ Domus pietas ac Religio, atque omnium Chriſtianarum virtutum ſemina in tam tenera ætate conſpiciuntur. Quare non dubitamus, quin Majeſtas Veſtra aliquó ſui cordis queſtu hanc communem jacturam una nobiscum ſit proſecutura. Regnum iſtud, olim Turcarum tyrannide oppreſſum, quod Deus Optimus Maximus Majeſtati Veſtræ diu fortunet, non tam bellica veſtrorum militum fortitudine, quam demortui Pontificis conſiliis, ejusque aſſiduis ad Deum precibus in libertatem aſſertum exiſtimamus. Itaque Cæſareæ invictæ Majeſtatis, Patris Veſtri greſſibus inhærens in timore Dei eruditus, illud a Dei pietate & a ſanctæ Romanæ Eucleſiæ cultu atque obſervantia auſpicari dignetur Majeſtas veſtra; Ita enim fore ſperamus, ut non minus Religione quam corporis viribus ſuccreſcens, tandem Majeſtas Veſtra diſſipet gentes, quæ bella volunt, & in Deo faciens virtutem, ad nihilum deducat Chriſtiani nominis hoſtes. Interim vero quo facilius viduitati Eccleſiæ conſulamus, in innocentia cordis ſui preces coram Domino effundere haud deſiſtat Majeſtas Veſtra; iis enim adjuti confidimus, quod in Apoſtolico conclavi, poſt novendialia incluſis, revelabit Deus per ſpiritum ſuum, qui digniſſimus ſit Petri locum &

Apoſto-

Apoſtolatum accipere. Nos enim inter multiplices curas hac præcipue ſollicitamur, ut ille ſuſcitetur Paſtor, qui Chriſtianam Rempublicam tot bellis diſtractam in unum congreget, & ad catholicæ Religionis fines propagandos, Auſtriacæ domus exemplo, Chriſtianorum Principum arma convertat. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & Congregatione Noſtra generali, ſub ſigillo trium noſtrum in ordine priorum, die 13. Auguſti, 1689, Apoſtolica Sede vacante.

DCCCXXIII.

Litera COLLEGII CARDINALITII, ad CAROLUM II. Hiſpaniarum Regem, quibus ipſi Innocentium Papam XI. placida morte vitam finiiſſe ſignificat, 1689.

Sereniſſimo Principi

CAROLO II.

Hiſpaniarum Regi Catholico.

Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales. Sereniſſime Rex ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

INnocentius XI. heſterna die acerbo Chriſtianæ Reipublicæ & bonis omnibus vulnere ſublatus, maximum nobis ſui deſiderium reliquit. Ipſo enim regnante omnia fauſta, omnia ubique felicia ad majorem Dei gloriam & fidei catholicæ incrementum fluere videbantur. Angimur itaque animo, cum alter

alter in ejus locum ſufficiendus eſt, qui & mœrorem ex hujus ſanctiſſimi Pontificis morte conceptum ſedare poſſit, & autoritate ac prudentia, longo maximarum rerum uſu collecta aptiſſimus ſit ad ea perficienda, quæ ob illius obitum adhuc imperfecta manſerunt. Hæc ſunt, Sereniſſime Rex, quæ hoc ſedis vacationis tempore ſacrum Noſtrum collegium aſſidue ſollicitant; Ex iis namque tranquillitas temporum & ſalus totius Chriſtianæ Reipublicæ pendet. Quamobrem dum graviſſimo hoc negotio ita urgemur, ut cum fiducia ad thronum gratiæ Nobis adeundum eſſe exiſtimemus, Majeſtatem Veſtram vehementer rogamus, ſua ſuorumque ſubditorum vota Altiſſimo reddat, ut per Spiritum ſuum ſuggerat Nobis, qui dignisſimus inter Nos ſit Petri locum & Apoſtolatum accipere. Ita enim adjuti in Comitiorum conclavi, quod propediem ingrediemur, pro certo credimus, quod cuncta Noſtra operatio a Deo incipiet, & per illum cœpta ad univerſalis Eccleſiæ bonum omnium noſtrum lætitia quam citisſime finietur. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & congregatione noſtra generali ſub ſigillo trium Noſtrum in Ordine Priorum, die 13. Auguſti, 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXIV.

Literæ COLLEGII CARDINALITII ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, cui Innocentium Papam XI. expleto mortalitatis ſtadio, ad beatiores cœlitum ſedes evectum eſſe nunciat, 1689.

Sereniſſimo Principi, LUDOVICO XIV. Francorum Regi Chriſtianisſimo.

Miſeratione divina, Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales: Sereniſſime Rex Chriſtianiſſime, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

UNiverſa Chriſtiana Reſpublica magno in luctu ac mœrore verſatur. Sanctisſimus enim Pontifex & Pater amantisſimus Innocentius XI. expleta mortalitate heſterna die nos orphanos reliquit. Hoc acerbisſimum nuncium, magis ex animo, quam ex veteri conſuetudine primogenito Eccleſiæ filio deferimus, ut matris ſuæ erga ſe benevolentiam exiſtimationemque cognoſcens, ſtudio pari ac pietate reſpondere dignetur. Dum enim omni tempore erga hanc ſanctam Romanam Eccleſiam plurima atque maxima Chriſtianisſimorum Regum officia extiterunt, non dubitamus, quin Majeſtas Veſtra, quæ tot refulget virtutum inſignibus, hoc ſedis vacationis tempore eadem amoris pietatisque plenisſima ſit præſtitura. Hac itaque ſpe excitati, Majeſtatem Veſtram enixe rogamus ſuis, gentiumque ſibi ſubjectarum piis precibus ac ſupplicationibus Deum exoret, ut illuminet vultum ſuum ſuper Nos, & prudentem conſtituat Dominus ſuper familiam ſuam. Nos vero novendiali funere peracto & Spiritus ſancti gratia ſolemni ritu invocata, una omnes in conclave ſecedemus, ut concordibus ſuffragiis ille inter Nos delegatur, in quo demortuorum Pontificum virtutes & laudes non tantum non de-

ſide-

ſiderentur, ſed ſingulæ in uno revixiſſe videantur. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico, & congregatione Noſtra generali ſub ſigillo trium Noſtrum in Ordine Priorum, die 13. Auguſti, Anno 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXV.

Litera COLLEGII CARDINALITII, ad JACOBUM II. Magnæ Britanniæ Regem, terris ſuis extorrem, quibus ipſi Innocentium Papam XI. vita pie functum eſſe ſignificat, & malum, quod ei obtigerit, extra remedium eſſe, ſe ægre ferre teſtatur, 1689.

Sereniſſimo Principi

JACOBO II.

Magnæ Britanniæ Regi.

Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales, Sereniſſime Rex ſalutem & ſinceram in Domno charitatem.

TAmetſi Sacro Noſtro Collegio nihil in votis fuit antiquius, quam ut Noſtri erga Majeſtatem Veſtram ſtudii declarandi aiqua ſeſe offerret occaſio, ſummo tamen dolore afficimur, nunc primum eam conſecutam eſſe, in qua Majeſtatem Veſtram certiorem facere debemus de obitu ſummi Pontificis Innocentii XI. qui heri poſt diuturnam corporis infirmitatem, invicta animi patientia perpeſſam, ad illam cæleſtem Hieruſalem pervenit, in qua juſtus & miſericors Dominus,

 qui

qui laborem & dolorem conſiderat, hujus vitæ curſum feliciter emenſis, æternam quietem & refugium præſtat. Ad tantam de militantis ſponſæ intempeſtiva viduitate mœſtitiam alter accedit graviſſimus animi noſtri mœror. Audita namque jam pridem factioſorum hominum a Majeſtate Veſtra defectione, tribulationes cordis Noſtri multiplicatæ ſunt, dum enim Catholicam Religionem, quam iſtis in Regnis reſtituere ferventiſſimo zelo Majeſtas Veſtra jam ceperat, in contemtum haberi, omniaque divina & humana miſceri & turbari intelleximus, maximo dolore affecti ſumus. Quare immolavimus Deo ſacrificium laudis, illum enixe rogando, ut ſalvum faciat Regem, & ad nihilum deducat inimicos Veſtros, & quia optimorum Regum corda & ſecuritas in manu Dei ſunt, ponat Majeſtas Veſtra in Domino Dio ſpem ſuam; Quoniam ſi Rex ſperat in Domino, in miſericordia Altiſſimi non commovebitur: Conjunctis quoque Nobiſcum votis patrem Luminum exorare nunc dignetur Majeſtas Veſtra, ut Nobis poſt peractum novendiale funus conclave ingreſſuris Paracletum de cœlis mittat, qui mentes Noſtras viſitet & ad Pontificem quamcitiſſime renunciandum corda Noſtra igne ſui amoris accendat. Ita enim fore ſperamus, ut ille ſuſcitetur Paſtor, qui ad dirigendos Chriſtianorum Principum pedes in viam pacis perpetuam ſolicitudinem habeat, univerſamque Chriſtianam Rempublicam tot tantiſque bellis diſtractam in priſtinam concordiam reducere poſſit & valeat. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico

ſtolico & congregatione Noſtra generali, ſub ſigillo trium noſtrum in ordine Priorum, die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXVI.

Litera COLLEGII CARDINALITII, ad PETRUM Portugalliæ Regem, cui Innocentium Papam XI. vita functum eſſe referunt, 1689.

Sereniſſimo Principi, Petro, Portugalliæ Regi.

Miſeratione divina, Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales. Sereniſſime Rex, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

QUanquam Nobis optandum eſſet, præterquam hoc caſu, quo graviſſime affligimur, aliquas ad Majeſtatem Veſtram literas dandi ſeſe offerri opportunitatem, nempe mutuæ charitatis vinculis ſumus in Domino adſtricti, licet tot locorum intervallo disjuncti; magna tamen in præſens, animorum noſtrorum acerbitate hoc officium literarum perſolvimus, quibus literis Majeſtati Veſtræ nunciandus eſt obitus ſanctiſſimi Pontificis Innocentii XI. qui heri expleta mortalitate tranſivit, (ut pie in Dominum ſperamus) in locum tabernaculi admirabilis uſque ad Domum Dei. Hunc itaque nuncium more inſtitutoque Majorum Majeſtati Veſtræ deferimus, ut cum amantiſſimo Eccleſiæ filio dolorem Noſtrum communicemus, ab ejuſque pietate & in Sanctam

Apoſtolicam Sedem obſervantia huic bonis omnibus inflicto vulneri remedia poſtulemus. Quamobrem Majeſtatis Veſtræ partes erunt, primum demortui Pontificis animæ æterna gaudia precari, deinde ſuis populorumque ſuorum conſociatis precibus adire ad thronum gratiæ, ibique votis omnibus a Deo expetere, ut det nobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ virtutem corroborare per Spiritum ejus, quo concordibus ſuffragiis digniſſimum inter nos deligamus, cui terreni ſimul & cœleſtis Imperii jura committamus. Nos enim peracto novendiali funere ad hoc maximum negotium conficiendum in conclave ſecedemus, veſtriſque orationibus adjuti non dubitamus, quin viduatæ Eccleſiæ viſibilem Sponſum & univerſo Chriſtiano gregi Paſtorem alterum quam citiſſime ſimus declaraturi. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & congregatione Noſtra generali ſub ſigillo trium Noſtrum in Ordine Priorum, die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica Sede vacante.

DCCCXXVII.

Literæ COLLEGII CARDINALITII, ad JOANNEM III. Poloniæ Regem, quibus ipſi Innocentium Papam XI. naturæ ſolviſſe debitum nuntiat, 1689.

Sereniſſimo Principi, JOANNI III. Poloniæ Regi.

Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales. Sereniſſime Rex, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

Summa

SUmma amoris ac pene incredibilis officiorum omnium cum Sanctæ memoriæ Innocentio XI. Majeſtatisque Veſtræ conjunctio abunde Nos admonet, quo intimo cordis affectu atque acerbo doloris ſenſu has Noſtras literas, quibus ſanctiſſimi Pontificis obitum nunciamus, Majeſtas Veſtra ſit acceptura; Humana enim imbecillitas, quæ carnis curam facit in deſideriis, non ſatis æquo animo judicia Dei interpretatur, quandoquidem illum amiſiſſe videmur, cum maxime in humanis eſſe oportebat, tot namque victorias contra immaniſſimos Chriſtiani nominis hoſtes, ab invicta Majeſtatis Veſtræ cæterorumque fœderatorum Principum fortitudine partas, demortui Pontificis conſiliis ejusque aſſiduis ad Deum precibus acceptas referebamus, talique rectore ad clavum ſedente, tutiſſime res noſtras fluere exiſtimabamus, verum haud ita pridem exorta procella venimus in altitudinem maris & pene tempeſtas demerſit Nos; Tamen quia ita Domino placuit, cujus judicia abyſſus multa, ideo in ejus ſane conquieſcere debemus voluntate, quod utique Majeſtatem Veſtram, pro ſua prudentia facturam non dubitamus, neque Nos cum Majeſtate Veſtra alio conſolationis genere uti poſſumus, cum tali tantoque Pontifice orbati magis ipſi aliorum conſolatione indigere, quam cuiquam noſtrum officium præſtare poſſe videamur. Itaque peractis ad exſpirationem illius ſanctiſſimæ animæ novendialibus exequiis, cum Vaticana Comitia ingredi debeamus de novo eligendo Pontifice decreturi, Majeſtatem Veſtram

tatem apud Deum & propter autoritatem apud Eccleſiæ filios Chriſtianorum Principum diſſidia non tantum e medio tollat, verum etiam ſacro fœdere eos conjungat, & ab illorum manibus excuſſa arma contra Turcas convertat, ita ut publicæ libertatis vindice a Majeſtate Veſtra Chriſtiani nominis perpetui hoſtes ad nihilum deveniant tanquam aqua decurrens, & ſicut deficit fumus, deficiant. Adſit interim nobis propitius Deus, ac duplici gaudio fidelem populum cumulet, viſibile ſcilicet Caput Eccleſiæ ſuæ tribuendo, Majeſtatique Veſtræ victoriarum incrementum. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & Congregatione noſtra generali, ſub ſigillo trium Noſtrum in ordine Priorum, die 13. Auguſti, 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXII.

Litera COLLEGII CARDINALITII, ad JOSEPHUM, Hungariæ Regem, cui Innocentium Papam XI. vitam ſolviſſe refert, & virtutum Sereniſſimi ſui Parentis complexum, velut abſolutiſſimam vitæ cum laude vivendæ normam ſedulo commendat, 1689.

Sereniſſimo Principi, Joſepho Hungariæ Regi.

Miſeratione divina Epiſcopi Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales. Sereniſſime Rex, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

CUm primum ad Majeſtatem Veſtram literas damus, ægre ferimus, quod cogamur triſtio-

ris

tis nuncii eam participem facere, ſed quando ita Domino placuit, cujus judicia multa abyſſus, Innocentium XI. Pontificem Maximum heſterna die nobis eripere, ut laborum ſuorum præmia reciperet in perpetuas æternitates, non poſſumus hoc literarum officium prætermittere, præſertim cum eo Rege, in quo Auguſtisſimæ Domus pietas ac Religio, atque omnium Chriſtianarum virtutum ſemina in tam tenera ætate conſpiciuntur. Quare non dubitamus, quin Majeſtas Veſtra aliquo ſui cordis queſtu hanc communem jacturam una nobiscum ſit proſecutura. Regnum iſtud, olim Turcarum tyrannide oppreſſum, quod Deus Optimus Maximus Majeſtati Veſtræ diu fortunet, non tam bellica veſtrorum militum fortitudine, quam demortui Pontificis conſiliis, ejusque aſſiduis ad Deum precibus in libertatem aſſertum exiſtimamus. Itaque Cæſareæ invictæ Majeſtatis, Patris Veſtri greſſibus inhærens in timore Dei eruditus, illud a Dei pietate & a ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cultu atque obſervantia auſpicari dignetur Majeſtas veſtra; Ita enim fore ſperamus, ut non minus Religione quam corporis viribus ſuccreſcens, tandem Majeſtas Veſtra diſſipet gentes, quæ bella volunt, & in Deo faciens virtutem, ad nihilum deducat Chriſtiani nominis hoſtes. Interim vero quo facilius viduitati Eccleſiæ conſulamus, in innocentia cordis ſui preces coram Domino effundere haud deſiſtat Majeſtas Veſtra; iis enim adjuti confidimus, quod in Apoſtolico conclavi, poſt novendialia incluſis, revelabit Deus per ſpiritum ſuum, qui digniſſimus ſit Petri locum &

alter in ejus locum ſufficiendus eſt, qui & mœrorem ex hujus ſanctiſſimi Pontificis morte conceptum ſedare poſſit, & autoritate ac prudentia, longo maximarum rerum uſu collecta aptiſſimus ſit ad ea perficienda, quæ ob illius obitum adhuc imperfecta manſerunt. Hæc ſunt, Sereniſſime Rex, quæ hoc ſedis vacationis tempore ſacrum Noſtrum collegium aſſidue ſollicitant; Ex iis namque tranquillitas temporum & ſalus totius Chriſtianæ Reipublicæ pendet. Quamobrem dum graviſſimo hoc negotio ita urgemur, ut cum fiducia ad thronum gratiæ Nobis adeundum eſſe exiſtimemus, Majeſtatem Veſtram vehementer rogamus, ſua ſuorumque ſubditorum vota Altiſſimo reddat, ut per Spiritum ſuum ſuggerat Nobis, qui dignisſimus inter Nos ſit Petri locum & Apoſtolatum accipere. Ita enim adjuti in Comitiorum conclavi, quod propediem ingrediemur, pro certo credimus, quod cuncta Noſtra operatio a Deo incipiet, & per illum cœpta ad univerſalis Eccleſiæ bonum omnium noſtrum lætitia quam citisſime finietur. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & congregatione noſtra generali ſub ſigillo trium Noſtrum in Ordine Priorum, die 13. Auguſti, 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXIV.

Literæ COLLEGII CARDINALITII ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, cui Innocentium Papam XI. expleto mortalitatis ſtadio, ad beatiores cœlitum ſedes evectum eſſe nunciat, 1689.

 Sere-

ſiderentur, ſed ſingulæ in uno revixiſſe videantur. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico, & congregatione Noſtra generali ſub ſigillo trium Noſtrum in Ordine Priorum, die 13. Auguſti, Anno 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXV.

Litera COLLEGII CARDINALITII, ad JACOBUM II. Magnæ Britanniæ Regem, terris ſuis extorrem, quibus ipſi Innocentium Papam XI. vita pie functum eſſe ſignificat, & malum, quod ei obtigerit, extra remedium eſſe, ſe ægre ferre teſtatur, 1689.

Sereniſſimo Principi

JACOBO II.

Magnæ Britanniæ Regi.

Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales, Sereniſſime Rex ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

TAmetſi Sacro Noſtro Collegio nihil in votis fuit antiquius, quam ut Noſtri erga Majeſtatem Veſtram ſtudii declarandi aliqua ſeſe offerret occaſio, ſummo tamen dolore afficimur, nunc primum eam conſecutam eſſe, in qua Majeſtatem Veſtram certiorem facere debemus de obitu ſummi Pontificis Innocentii XI. qui heri poſt diuturnam corporis infirmitatem, invicta animi patientia perpeſſam, ad illam cæleſtem Hieruſalem pervenit, in qua juſtus & miſericors Dominus,

qui laborem & dolorem conſiderat, hujus vitæ curſum feliciter emenſis, æternam quietem & refugium præſtat. Ad tantam de militantis ſponſæ intempeſtiva viduitate mœſtitiam alter accedit graviſſimus animi noſtri mœror. Audita namque jam pridem factioſorum hominum a Majeſtate Veſtra defectione, tribulationes cordis Noſtri multiplicatæ ſunt, dum enim Catholicam Religionem, quam iſtis in Regnis reſtituere ferventiſſimo zelo Majeſtas Veſtra jam ceperat, in contemtum haberi, omniaque divina & humana miſceri & turbari intelleximus, maximo dolore affecti ſumus. Quare immolavimus Deo ſacrificium laudis, illum enixe rogando, ut ſalvum faciat Regem, & ad nihilum deducat inimicos Veſtros, & quia optimorum Regum corda & ſecuritas in manu Dei ſunt, ponat Majeſtas Veſtra in Domino Dio ſpem ſuam; Quoniam ſi Rex ſperat in Domino, in miſericordia Altiſſimi non commovebitur: Conjunctis quoque Nobiſcum votis patrem Luminum exorare nunc dignetur Majeſtas Veſtra, ut Nobis poſt peractum novendiale funus conclave ingreſſuris Paracletum de cœlis mittat, qui mentes Noſtras viſitet & ad Pontificem quam citiſſime renunciandum corda Noſtra igne ſui amoris accendat. Ita enim fore ſperamus, ut ille ſuſcitetur Paſtor, qui ad dirigendos Chriſtianorum Principum pedes in viam pacis perpetuam ſollicitudinem habeat, univerſamque Chriſtianam Rempublicam tot tantiſque bellis diſtractam in priſtinam concordiam reducere poſſit & valeat. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico

ſtolico & congregatione Noſtra generali, ſub ſigillo trium noſtrum in ordine Priorum, die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXVI.

Litera COLLEGII CARDINALITII, ad PETRUM Portugalliæ Regem, cui Innocentium Papam XI. vita functum eſſe referunt, 1689.

Sereniſſimo Principi, Petro, Portugalliæ Regi.

Miſeratione divina, Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales. Sereniſſime Rex, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

QUanquam Nobis optandum eſſet, præterquam hoc caſu, quo graviſſime affligimur, aliquas ad Majeſtatem Veſtram literas dandi ſeſe offerri opportunitatem, nempe mutuæ charitatis vinculis ſumus in Domino adſtricti, licet tot locorum intervallo disjuncti; magna tamen in præſens, animorum noſtrorum acerbitate hoc officium literarum perſolvimus, quibus literis Majeſtati Veſtræ nunciandus eſt obitus ſanctiſſimi Pontificis Innocentii XI. qui heri expleta mortalitate tranſivit, (ut pie in Dominum ſperamus) in locum tabernaculi admirabilis uſque ad Domum Dei. Hunc itaque nuncium more inſtitutoque Majorum Majeſtati Veſtræ deferimus, ut cum amantiſſimo Eccleſiæ filio dolorem Noſtrum communicemus, ab ejusque pietate & in Sanctam

Apoſtolicam Sedem obſervantia huic bonis omnibus inflicto vulneri remedia poſtulemus. Quamobrem Majeſtatis Veſtræ partes erunt, primum demortui Pontificis animæ æterna gaudia precari, deinde ſuis populorumque ſuorum conſociatis precibus adire ad thronum gratiæ, ibique votis omnibus a Deo expetere, ut det nobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ virtutem corroborare per Spiritum ejus, quo concordibus ſuffragiis digniſſimum inter nos deligamus, cui terreni ſimul & cœleſtis Imperii jura committamus. Nos enim peracto novendiali funere ad hoc maximum negotium conficiendum in conclave ſecedemus, veſtriſque orationibus adjuti non dubitamus, quin viduatæ Eccleſiæ viſibilem Sponſum & univerſo Chriſtiano gregi Paſtorem alterum quam citiſſime ſimus declaraturi. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & congregatione Noſtra generali ſub ſigillo trium Noſtrum in Ordine Priorum, die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica Sede vacante.

DCCCXXVII.

Literæ COLLEGII CARDINALITII, ad JOANNEM III. Poloniæ Regem, quibus ipſi Innocentium Papam XI. naturæ ſolviſſe debitum nuntiat, 1689.

Sereniſſimo Principi, JOANNI III. Poloniæ Regi.

Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales. Sereniſſime Rex, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

Summa

SUmma amoris ac pene incredibilis officiorum omnium cum Sanctæ memoriæ Innocentio XI. Majeſtatisque Veſtræ conjunctio abunde Nos admonet, quo intimo cordis affectu atque acerbo doloris ſenſu has Noſtras literas, quibus ſanctiſſimi Pontificis obitum nunciamus, Majeſtas Veſtra ſit acceptura; Humana enim imbecillitas, quæ carnis curam facit in deſideriis, non ſatis æquo animo judicia Dei interpretatur, quandoquidem illum amiſiſſe videmur, cum maxime in humanis eſſe oportebat, tot namque victorias contra immaniſſimos Chriſtiani nominis hoſtes, ab invicta Majeſtatis Veſtræ cæterorumque fœderatorum Principum fortitudine partas, demortui Pontificis conſiliis ejusque aſſiduis ad Deum precibus acceptas referebamus, talique rectore ad clavum ſedente, tutiſſime res noſtras fluere exiſtimabamus, verum haud ita pridem exorta procella venimus in altitudinem maris & pene tempeſtas demerſit Nos; Tamen quia ita Domino placuit, cujus judicia abyſſus multa, ideo in ejus ſane conquieſcere debemus voluntate, quod utique Majeſtatem Veſtram, pro ſua prudentia facturam non dubitamus, neque Nos cum Majeſtate Veſtra alio conſolationis genere uti poſſumus, cum tali tantoque Pontifice orbati magis ipſi aliorum conſolatione indigere, quam cuiquam noſtrum officium præſtare poſſe videamur. Itaque peractis ad exſpirationem illius ſanctiſſimæ animæ novendialibus exequiis, cum Vaticana Comitia ingredi debeamus de novo eligendo Pontifice decreturi, Majeſtatem Veſtram

etiam atque etiam rogamus, piis veſtris orationibus, veſtrorumque ſubditorum precibus hoc Noſtrum propoſitum ſane graviſſimum ſublevare ſtudeat. Quamobrem fore ſperamus, ut quam citiſſime renunciemus Paſtorem alterum, qui cum mœrorem ex hujus Sanctiſſimi Pontificis morte conceptum delere, tum vitæ ſanctimonia, fidei propagandæ zelo, atque effuſa in omnes gentes charitate & beneficientia Chriſtianam jacentem Rempublicam erigere poſſit & valeat. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & congregatione Noſtra generali, ſub ſigillo trium Noſtrum in Ordine priorum, die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXIIX.

Literæ COLLEGII CARDINALITII, ad CARDINALES INTRA ITALIAM SUBSISTENTES, quibus ipſis, mutatis mutandis, Innocentium Papam XI. mortuum eſſe indicant, eosque, ut quantocyus ad urbem de eligendo Pontifice novo ſolliciti accedant, fraterne invitat, 1689.

Miſeratione divina &c. Reverendisſime in Chriſto Pater & Domine, collega & Frater Noſter Charisſime, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

DOmina gentium, ſancta ſcilicet eccleſia mater noſtra facta quaſi vidua magna in triſtitia ſedet; ſiquidem viſibilis ejus ſponſus & Pater Noſter ſanctiſſimus Innocentius XI. expleta mortalitate

talitate heri ad æterna præmia evolavit. In funere tam luctuoſo, quæ ſit ſacri noſtri Collegii ſollicitudo, quis animorum mœror, Dominatio Veſtra Reverendisſima facile intelliget, ſi præclara ipſius Pontificis opera in mentem revocare voluerit. Gregem Dominicum pavit ſemper in innocentia cordis ſui: Inexplebili religionis tuendæ ac propagandæ ſtudio, effuſa liberalitate, laboranti chriſtianæ Reipublicæ opportune ſuppetias attulit, ex qua animi magnitudine, illæ poſtmodum contra communem hoſtem victoriæ ſunt conſecutæ omnium gentium prædicatione celebrandæ. Poſtremo, ut ſe immaculatum præberet, atque publici ærarii ſubveniret inopiæ, raro virtutis exemplo ita deſpexit decorem domus ſuæ, ut non dives factus fuerit, nec multiplicata gloria domus ejus. Quapropter cum de ſucceſſore eligendo negotium ſingulari quadam miſerantis Dei ope indigere videatur, Dominationem Veſtram Reverendiſſimam in Domino hortamur, conjunctis precibus patrem luminum exoret, ut det Nobis ſedium ſuarum aſſiſtricem, ſapientiam, qua directi Chriſti in terris Vicarium breviſſimis Comitiis deſignare poſſimus. Ad hanc igitur orbis terrarum Principem Eccleſiam & matrem ſuam chariſſimam Dominatio Veſtra Reverendisſima, quam primum poterit, accedat; Suo enim conſilio, authoritate atque prudentia in hac re omnium graviſſima adjuti, confidimus, ſacrum hoc noſtrum Collegium concordibus ſuffragiis Pontificem maximum, in quo demortui virtutes & laudes non deſiderentur, quamprimum re-

nunciaturum. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & Congregatione generali, ſub ſigillo trium Noſtrum in ordine Priorum, die 13. Aug. 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXIX.

Litera Collegii Cardinalitii, ad CARDINALES IN ITALIA LEGATORUM MUNERE FUNGENTES, quibus ipſorum ſingulo, mutatis nominibus, Innocentium P. P. XI. ſupremum obiiſſe diem referunt, eosque, ut rebus ſuis rite conſtitutis, Romam confeſtim adeuntes Sacris comitiis, de eligendo novo Pontifice habendis interſint, amice hortantur, 1689.

Miſeratione divina &c. Reverendisſime in Chriſto Pater & Domine Collega, ut & frater noſter chariſſime, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

QUanta nos moleſtia affecerit ſanctisſimi Pontificis Innocentii XI. obitus, qui heri meritorum magis, quam dierum plenus, ad æternæ gaudia migravit, nobis etiam tacentibus profecto intelliget Dominatio Veſtra Reverendisſima. Quoniam vero alienisſimo Chriſtianæ Reipublicæ tempore & cum maxime illum in humanis eſſe oportebat, ceſſit e vita, exitus aquarum deduxerunt oculi Noſtri, ita ut omnino vix conſolabilis ſit dolor, quo graviſſime affligimur. Sanctisſimi enim hujus Pontificis ſapientiæ & liberalitati tribuendam putamus totius Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem & libertatem; Ipſe namquo ſuis

ſuis conſiliis, ſuis opibus fœdera ſancivit, arma contra immanisſimum hoſtem convertit, & ne vinea Domini in direptionem abiret, adivit cum fiducia ad Thronum gratiæ, & miſericordiam invenit in tempore opportuno. Quare cum ejusdem tam maxima, tam incredibilia ſint in Eccleſiam Catholicam merita, non poterit Dominatio Veſtra Reverendisſima, niſi nobiſcum æque dolere hunc a Nobis diſceſſum, ejusque ſanctisſimæ animæ requiem apud Deum precari paternam, ſicut per novendium nos ſumus facturi, quo expleto incruento miſſæ ſacrificio vota noſtra altisſimo reddemus, ut ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper Nos, quo certius in Comitiis conclavis videre posſimus, quem Paracletus conſtituit Dominum domus ſuæ & Principem omnis poſſesſionis ſuæ. Hæc omnia more inſtitutoque majorum Dominationi Veſtræ Reverendisſimæ ſignificamus, ut conſtitutis, quæ ad iſtius legationis quietem hoc ſedis vacationis tempore præcipue ſpectant, urbem adeat, Magnum enim pondus addet ad novum renunciandum Pontificem, judicium & conſilium Dominationis Veſtræ Reverendisſimæ. Interim ſuis precibus Deum propitiari nobis jugiter perſeveret, ut quæ eo auctore facienda cognovimus, Spiritus ſancti gratia operante quam citisſime impleamus. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico &c. die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXX.

Literæ ejusdem cum præinſertis argumenti, a COLLEGIO CARDINALITIO, ad CARDINALES

NALES EXTRA ITALIAM VIVENTES, mutatis ſaltem mutandis, exarata, 1689.

Miſeratione divina &c. Reverendiſſime in Chriſto Pater ac Domine Collega & frater noſter charisſime, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

DEfecit gaudium cordis noſtri, cecidit corona capitis Noſtri, Sanctisſimus ſcilicet Pontifex & Pater amantisſimus Innocentius XI. licet e vinculis ac tenebris corporis in lucem libertatemque productus æternæ vitæ hæreditatem, ut in Domino confidimus, heſterna die adeptus ſit, nihilominus, cum Nos orphanos reliquerit omnemque ſpem, quam de ejus propagandæ fidei zelo ac diſſipandarum gentium, quæ bella gerunt, præcipuo perpetuoque ardore concepimus, ob ejus a nobis diſceſſum amiſerimus, noſtro, ſeu potius publico incommodo detrimentoque dolemus, quod etiam Dominatio Veſtra Reverendisſima, pro ſua erga Nos benevolentia atque mutuæ charitatis vinculis facturam non dubitamus. Quia tamen bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus? Dominus enim dedit, Dominus abſtulit, divinæ non eſt reſiſtendum voluntati, quin imo ſacrificium laudis Patri totius conſolationis immolandum, quoniam magnificavit Dominus facere nobiſcum, dum nos ad ſummo proximum honoris gradum provexit, in quo conſtitutis declarandum atque decernendum reliquit, quisquis Petri Cathedram conſcendere ac Paſtores ipſos paſcere debeat. Ad hoc itaque maximum negotium

negotium conficiendum Dominationem Veſtram Reverendiſſimam adeſſe cupimus, ut una ſimul hoc nobis impoſitum negotium pro ea, quam gerit ſumma cum laude Cardinalis perſona, facilius ſuſtinere valeamus. Quod ſi longo itinerum intervallo, vel aliis graviſſimis negotiis implicitæ Dominationi Veſtræ Reverendiſſimæ ad nos accedere non licebit, ſaltem conjunctis precibus adeamus ad thronum gratiæ, ut auxilium inveniamus in tempore opportuno; Nos enim interim per novendium demortui Pontificis animæ juſta perſolvemus, mox in Conclavis anguſtiis includemur, ut Spiritus ſancti gratia adjuvante, Paſtorem alterum Dominico gregi ſtatuamus, qui tribulationes cordis noſtri præveniat in benedictionibus dulcedinis, ita ut in illa die, quam fecerit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Datum Romæ &c. die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXXI.

Literæ COLLEGII CARDINALITII, ad CARDINALES EXTRA ITALIAM IN AULIS IMPERATORIS ET REGUM VERSANTES, quibus ipſis obitum Innocentii Papæ XI. optione tamen, num ad Urbem eligendi novi Pontificis cauſa venire, aut in præſenti commorationis loco manere velint, relicta, ſignificat, 1689.

Miſeratione &c. Reverendiſſime in Chriſto Pater & Domine Collega & frater noſter chariſſime, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

Triſte

TRiſte quidem atque acerbum ſcribendi argumentum heſterna dies attulit, qua Sanctisſimus Dominus noſter Innocentius XI mortem obiit; quanto Noſtro cum mœrore & lachrymis, ex ſuo proprio doloris ſenſu Dominatio Veſtra Reverendisſima facile conjicere poterit, cum enim ipſa tanquam Patrem amantisſimum, a qua charisſimi Filii loco eſt habita & in noſtrum ſacrum collegium cooptata, ſemper illum obſervaverit ac coluerit, pari dolore affectam exiſtimamus tanquam paternis ſolatiis ſit deſtituta. Verum & ſi vos privatæ rationes tangunt, publicæ tamen jacturæ cauſa acrius nos angit, vel potius excruciat. Alienisſimo ſiquidem Chriſtianæ Reipublicæ tempore eo Principe privamur, cui profecto multi libertatem, plurimi vitam, omnes certe ſalutem & ſecuritatem acceptam referre debemus. Quod ſi Sanctisſimi Pontificis aſſiduis exoratus precibus Deus non effudiſſet iram ſuam in gentes, quæ eum non cognoverunt,& in Regna, quæ nomen ſuum non invocaverunt, nulla reliqua ſpes erat, perpetuum atque immanisſimum hoſtem a noſtris finibus arceri poſſe. Hujus itaque acerbisſimi caſus nuncias ad Cæſaream Majeſtatem literas damus, quarum exemplum hic habebit Dignitas Veſtra Reverendisſima, quam rogamus, ut Majeſtati ſuæ reddat eaque loquatur, quæ huic argumento magis convenire exiſtimabit. Quoniam vero difficillimum de eligendo ſummo Pontifice Negotium nobis incumbit, utique gratisſimum foret Dignitati Veſtræ, ſuoque Reverendisſimo coram complecti conſilio

ac

ac prudentia in hac re omnium graviſſima juvari, tamen cum pro comperto habeamus, Dignitatem Veſtram Reverendiſſimam in hac temporum difficultate ad communem cauſam tuendam, iſtuc maximo uſui eſſe poſſe, ejus prudentiæ ac pietati, quæ iſtarum rerum monumenta propius intuetur, decernendum relinquimus, an ad Nos accedere ſeu potius iſtic morari velit. Quodcunque enim conſilium capiet Dignitas Veſtra Reverendiſſima, id a Nobis maxime probabitur. Interim Nos peractis novendialibus exequiis Apoſtolicum conclave ingrediemur, ut Sac. Rom. Eccleſiæ viduitati conſulamus. Utinam quam citiſſime Nobis revelet Deus per Spiritum ſuum Sacerdotem illum magnum, qui bonitate velit, ſapientia ſciat, autoritate poſſit ſummum Apoſtolatus munus pro dignitate adminiſtrare. Quod ut feliciter eveniat, erit Dignitatis Veſtræ Reverendiſſimæ adire cum fiducia ad thronum miſericordiæ, ut gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & Congregatione Noſtra generali ſub ſigillo trium Noſtrum in ordine priorum, die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXXII.

Litera COLLEGII CARDINALITII, ad FRANCISCUM MAUROCENUM, Venetiarum Ducem, cui & univerſo Senatui, Innocentium Papam XI. fatis ceſſiſſe refert, 1689.

Sare-

Sereniſſimo Principi, Franciſco Mauroceno, Venetiarum Duci.

Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi Sac. Rom. Eccleſiæ Cardinales. Sereniſſime Princeps, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

QUem maximum heſterna die ex obitu Sanctiſſimi Pontificis Innocentii XI. mœrorem animo cepimus, aliqua ex parte Nobis exhauriri poſſe putamus, ſi amoris ac pietatis officia in Nos conferre Serenitas Veſtra non dedignabitur, quod ſane pro veteri ac conſtanti iſtius clariſſimi Senatus in Apoſtolicam ſedem obſervantia, Serenitatem Veſtram præſtituram non dubitamus, quam plurimæ & quidem graviſſimæ hujus Noſtri ſeu potius publici mœroris exſtant cauſæ, cum talem tantumque Pontificem amiſerimus, quem cum dextera excelſi ad Petri ſedem elevaſſet, jam tum futuræ integritatis & Apoſtolicæ charitatis indicia præbuit, qui poſt aurum non abiit, ſed pecuniæ theſauros ad tuendam & quoquo verſum propagandam Chriſtianam Religionem erogavit, qui ad domus ſuæ gloriam nihil, ad Dei gloriam omnia perpetuo retulit, adeo ut minime dubitandum eſſet, quin ex ſacro fœdere, quod, ipſo autore, ſancitum eſt, Vobis Chriſtianis Principibus adjutoribus, ea victoriarum incrementa fluerent, quibus Orientis Imperium & Dominici ſepulchri poſſeſſio ab infidelibus vindicaretur. Verum acerba hæc demortui

tui Pontificis in univerſam Chriſtianam Rempublicam meritorum recordatio potius nobis animum exulcerat, quam a moleſtia liberat. Quare factus eſt nobis Dominus in refugium & Deus in adjutorium ſpei Noſtræ. Poſuimus enim corda Noſtra in virtute ejus, a quo Paſtorem alterum, ſecundum cor ſuum, breviſſimis comitiis expectamus. Interim vero Serenitatem Veſtram non modo hortamur, verum & plurimum in Domino requirimus, ut ſuis ſenatusque Veſtri effuſis precibus ac populorum ſibi ſubjectorum piis ſupplicationibus propoſitum hoc noſtrum de Pontifice eligendo ſane graviſſimum, a quo omnium ſalus & ſecuritas pendet, pro virili adjuvare velit. Ita tandem fore confidimus, ut cui Dominus ſedem ſuam paraverit, quam citisſime Spiritus Sancti gratia adjuvante ſimus declaraturi. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & congregatione noſtra generali ſub ſigillo trium Noſtrum in ordine priorum, die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXXIII.

Litera COLLEGII CARDINALITII, ad VICTOREM AMADEUM II. Sabaudiæ Ducem, quibus ipſi Innocentium Papam XI. mortem cum vita commutaſſe nuntiat, 1689.

Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi S. Rom. Eccleſiæ Cardinales. Dilectiſſime Nobis in Chriſto, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

ETſi ex aliorum literis ſanctiſſimi Domini & Patris Noſtri Innocentii XI. qui heri in Domino obdormivit, & gravem morbum atque obitum Nobilitatem Veſtram intellexiſſe arbitramur, tamen quia non minus ex animo, quam ex conſuetudine, huic officii Noſtri rationi ſatisfacere cupimus, ad ipſam etiam hujus rei nuncium a Nobis duximus perferendum. Etenim ob Nobilitatis Veſtræ in demortuum Pontificem filialem obſervantiam noſtro in luctu, perinde ac in proprio affectum mœrentemque exiſtimamus, tanquam Nobilitas Veſtra, paternis etiam eſſet ſolatiis deſtituta. Quem itaque Patrem amantiſſimum, ſi, dum vixit, omni officiorum genere Nobilitas Veſtra eſt proſecuta, non dubitamus, quin extremo hoc tempore ejus ſanctiſſimæ animæ æternam in cœlis requiem ſit procuratura, quandoquidem per novendium ab exequiis præſcriptum nos idem præſtituri ſumus; quibus expletis Miſericordiarum Patrem votis omnibus exorabimus, ut Spiritum rectum innovet in viſceribus Noſtris, quo Duce, Pontificem alterum ſecundum cor ſuum, deligamus. Hanc igitur ſollicitudinem Noſtram non modo gentium ſibi ſubditarum, verum & propriis ſupplicationibus ſublevet Nobilitas Veſtra, ut Chriſtianus Populus, quem elegit Dominus in hæreditatem ſibi, Patre ſanctiſſimo ac ſummo Pontifice diutius non deſtituatur. Datum Romæ &c. die 13. Auguſti 1689. Sede Apoſtolica vacante.

Nota. Ejuſdem tenoris literæ ad Magnum quoque Florentiæ, Mantuæ, Mutinæ, Parmæ & Placentiæ Duces exaratæ fuere.

DCCCXXXIV.

Digitized by Google

DCCCXXXIV.

Litera COLLEGII CARDINALITII, ad COMITEM S. STEPHANI, Pro-Regem Neapolis, quibus ipſi Innocentium Papam XI. vitam finiviſſe refert, ac ut exules & perditos homines, durantibus intra Conclave Comitiis, ab Urbe coercere haud gravetur, amanter injungit, 1689.

Dilectiſſimo Nobis in Chriſto Nobili Viro, Comiti S. Stephani, Pro-Regi Neapolis.

Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi S. R. Eccleſiæ Cardinales. Dilectiſſime Nobis in Chriſto, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

ETſi Nobis gratiſſimum eſſet, Noſtræ erga Nobilitatem Veſtram voluntatis teſtificandæ aliquam ſeſe dari occaſionem, nihilominus tamen eam nunc ſe dediſſe maxime dolemus, in qua de obitu ſummi Pontificis Innocentii XI. qui heri, ut pie ſperamus, intravit in gaudia Domini ſui, Nobilitatem Veſtram more, inſtitutoque majorum certiorem facere debemus. Hoc itaque officium hiſce literis explemus, & quia Nobilitatis Veſtræ ſemper fuit in demortuum Pontificem ſingularis pietas & cultus, non dubitamus, quin dolorem Noſtrum ex ejusdem morte conceptum Nobilitas Veſtra nobiſcum æque doleat. Quoniam vero ita Domino placuit, qui dat Nobis auxilium in tribulatione, ideo effundimus coram illo corda noſtra, & ſupplices votis omnibus obteſtamur,

ut ovibus paſcuæ ſuæ adeſſe velit, ſuſcitans ſuper eas Paſtorem unum, qui paſcat eas in benedictionibus dulcedinis. Itaque novendialibus exequiis peractis, ad renunciandum Pontificem alterum, conclave ingrediemur; quo circa enixe petimus a Nobilitate Veſtra primum, ut hoc Noſtrum propoſitum apud Deum piis orationibus adjuvet, deinde ut exules & perditos homines, qui hoc maxime tempore iſthinc Romam petere & publicam quietem turbare audent, ne ab hac cura ſane graviſſima Nos diſtrahant, modis omnibus coërceat; gratius enim Nobis facere nihil poterit Nobilitas Veſtra, cui Noſtris officiis, quoties ſeſe offeret opportunitas, cumulate reſpondere curabimus. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & congregatione Noſtra generali, ſub ſigillo trium Noſtrum in Ordine Priorum, die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXXV.

Litera COLLEGII CARDINALITII, ad QVADRAGINTA VIROS CIVITATIS BONONIÆ, quibus ipſis Innocentium Papam XI. vita exceſſiſſe ſignificat, eosque, ut Patriæ ſuæ tranquillitati, durante ſedis vacatione, omni cura proſpiciant, hortatur 1689.

Dilectis Nobis in Chriſto, fidelibus Eccleſiæ filiis, Quadraginta Viris Civitatis Noſtræ Bononiæ.

Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi Sac. Rom. Eccl. Cardinales. Dilecti

lecti in Chriſto fideles Eccleſiæ Filii, ſalutem in Domino.

VErba Noſtra dolore ſunt plena, quia ſagittæ Domini in Nos ſunt: heſterna ſiquidem die felicis recordationis Innocentius XI. ſuo Nos interitu mœrentes deſolatosque reliquit, & quo tempore omnia præclara, omnia fauſta & felicia Chriſtianæ Reipublicæ ominabamur, firmiſſimo publicæ ſecuritatis præſidio ſpoliati in lachrymis luctuque jacere cogimur, & licet in bellica virtute ac incredibili Chriſtianorum Principum fortitudine multum præſidii ſitum fuerit; ejus tamen curæ in eo potiſſimum defixæ erant, ut in Deo faciens virtutem, ad nihilum deduceret inimicos Noſtros, hinc eius interitum non poſſumus non moleſte ferre, & quidem Vos amantiſſimos Eccleſiæ filios, pro Veſtra in hanc ſedem pietate ac cultu præſenti dolori Noſtro vim lachrymarum præbituros non dubitamus. Quoniam vero, ut de digniſſimo Succeſſore renunciando decernamus, poſt novendiales exequias conclave ingrediemur, & præter cætera hoc unum Nos maxime ſollicitat, ut ubique concordia & publica quies conſtituatur, & præſertim in iſta florentiſſima civitate, quam plurimum in Domino diligimus, ideo vobis mandamus, ut omni cura & vigilantia Patriæ Veſtræ tranquillitati conſulatis; quod facile conſequi poteritis, ſi ad Reverendiſſimi Collegæ & fratris Noſtri chariſſimi, Cardinalis Legati Veſtri mandata & monita præſto eritis: iis enim artibus cum Noſtram in vos benevolentiam &

 amorem,

Digitized by Google

amorem, tum futuri Pontificis gratiam promerebimini. Datum Romæ &c. die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXXVI.

Literæ COLLEGII CARDINALITII, ad NUNTIORUM APOSTOLICORUM SINGULOS in aulis Regum reſidentes, quibus ipſis Innocentium Papam XI. mortem obiiſſe refert, & ut præſenti ſedis vacationis tempore officiis ſuis rite fungantur, hortatur, 1689.

Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales. Venerabilis Frater ſalutem in Domino.

EX obitu ſanctiſſimi Pontificis Innocentii XI. qui heri diem ſuum clauſit extremum, magnam animo moleſtiam cepimus; omnem enim ſpem, quam in ejus Domus Dei tuendæ zelo & Catholicæ religionis propagandæ ſtudio Chriſtiana Reſpublica collocaverat, hoc cœleſtibus reſtituto, amiſimus. Cum itaque de hoc communi jactura more inſtitutoque majorum illos certiores facere debeamus, quos de ſancta Apoſtolica ſede ſemper optime meritos, pari moleſtia affectos & Noſtro dolore mœrentes exiſtimamus, adjunctas literas hujus Noſtri mœroris teſtes, quarum hic habes, Majeſtati Regis dedimus, cui quamprimum reddet fraternitas Tua, eaque afferet de ſuo, quæ pro argumenti dignitate magis expedire videbuntur. Interim vero tuum iſtud Nuncii Apoſtolici munus hoc ſedis vacationis tempore

Digitized by Google

tempore ea, qua ſoles diligentia ac gravitate ſuſtinere, autoritate Noſtra ne deſiſtas, quo & futuri Pontificis gratiam promerearis & Nobis, qui virtutem tuam plurimi facimus, ſis quam gratiſſimus. Datum Romæ in Palatio noſtro Apoſtolico & Congregatione Noſtra generali, ſub ſigillo trium noſtrum in ordine priorum, die 13. Auguſti, 1689. Apoſtolica Sede vacante.

DCCCXXXVII.

Litera COLLEGII CARDINALITII, *ad* INQUISITOREM MELITENSEM, *cui Innocentium Papam XI. extremum vitæ diem clauſiſſe nuntiat, ac preces pro auſpicata novi Pontificis electione inſtituendas ſedulo commendat, 1689.*

Miſeratione divina &c. Venerabilis Frater, ſalutem in Domino.

MAximum animo heſterna die dolorem cepimus, qua ſanctiſſimus Pontifex Innocentius XI. in Domino obdormivit; tali namque Paſtore amiſſo, univerſa Chriſtiana Reſpublica ſibi illam ſpem ereptam luget, quam in ejus ſanctimonia ac fidei zelo collocaverat: quandoquidem nihil aliud vigilantiſſimus Pontifex dies noctesque cogitabat, quam ut imminens cervicibus Chriſtianis miſerandæ ſervitutis jugum averteret & Catholicæ Religionis fines longe lateque propagaret. Quod cum ei ex voto obtigiſſet, ac majora ad Dei gloriam ſemper meditaretur, non poſſumus ob ejus a Nobis diſceſſum præcipuo quo-

dam dolore non angi. Quamobrem cum propediem peracto novendiali funere, ac Spiritus Sancti gratia invocata, Conclave ingreſſuri, Fraternitati Tuæ mandamus, ut Epiſcopos ac Clerum, populumque horteris admoneasque, piis precibus ac ſupplicationibus Patrem luminum exorent, ut Nobis oſtendat, quem elegerit, ſummum hunc Apoſtolatum & regale ſacerdotium accipere. Interim vero Fraternitas tua in iſto munere obeundo, quemadmodum Sanctæ ſedis Apoſtolicæ miniſtrum decet, pergat diligentiſſime. Nos enim apud futurum Pontificem tuis ſuffragantibus meritis in Te ornando nunquam deerimus. Datum Romæ &c. die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXXXVIII.

Literæ COLLEGII CARDINALITII, ad GUBERNATORES PROVINCIARUM ET VICE-LEGATOS, quibus ipſis, mutatis mutandis, ſignificat Innocentium Papam XI. e vita diſceſſiſſe; eosque, durante Sedis vacationis ſpatio, omnia in Provinciis ſibi demandatis bene adminiſtrare jubet, 1689.

Miſeratione divina &c. Reverende perquam frater, ſalutem in Domino.

CHriſtiana Reſpublica ſuo ſibi Patre amantiſſimo ac ſummo Pontifice Innocentio XI. heſterna die morte ſublato in ſqvalore luctuque verſatur ac gemitibus inenarrabilibus poſtulat a Nobis dari ſibi paſtorem animarum ſuarum. Cum igitur

igitur Spiritus Sancti gratia adjuvante Nobis declarandus ſit, qui Petri locum & Apoſtolatum accipere debeat, ne ab hoc maximo & graviſſimo negotio diſtrahamur, cuncta ubique quieta in ditione Noſtra Eccleſiaſtica eſſe cupimus. Quare licet hortatore non egeas (ipſe namque tua ſponte de hac Sancta Apoſtolica Sede optime mereri maxime exardes) tamen ut toto animo ac ſtudio omni in eam rationem, qua adhuc in ipſa provincia adminiſtranda uſus es, hoc ſedis vacationis tempore præcipue incumbas, has ad te literas dedimus. Itaque autoritate Noſtra munus tuum exerce quam diligentisſime, ut a Novo Pontifice, qui inter Nos eſt, bene navatæ operæ fructum ferre poſſis uberrimum. Datum Romæ &c. die 13. Auguſti Anno 1689. Apoſtolica Sede vacante.

DCCCXXXIX.

Literæ ejusdem cum præinſertis argumenti a COLLEGIO CARDINALITIO, ad GUBERNATORES CIVITATUM exaratæ, 1689.

Miſeratione divina &c. Reverende Nobis in Chriſto dilecte, ſalutem in Domino.

Ex obitu Sanctiſſimæ memoriæ Innocentii XI. qui heri plenus meritorum ad eum migravit, cujus vices ſumma cum gloria geſſit in terris, maxime commovemur, & vota Noſtra ad Deum totius conſolationis convertimus, ut conſoletur nos in omni tribulatione noſtra. Itaque cum

Digitized by Google

propediem conclave ingreſſuri ſimus, atque ſingulari quodam & extraordinario ſtudio in hac re nobis incumbendum ſit, nempe, ut cui tradendi ſint claves Regni cœlorum, quam citiſſime deligamus, tranquilla ubique & quieta inditione Eccleſiaſtica eſſe cupimus & præcipue in iſta Civitate, quam plurimum in Domino diligimus. Ideo tibi mandamus, ut omnem tuam mentem, curam & cogitationem adhibeas, ne iſtic publica quies hoc ſedis vacationis tempore interturbetur, ſed autoritate Noſtra munus iſtud tuum proſequendo ita te præbeas, ut hac opportunitate ſuſcepta de ſancta Apoſtolica ſede te plurimum promereri velle omnes intelligant. Datum Romæ &c. die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXL.

Literæ ejuſdem cum præcedentibus argumenti, a COLLEGIO CARDINALITIO, ad GUBERNATORES ALIOS in Patrimonio Petri, datæ, 1689.

Miſeratione divina &c. Dilecte Nobis in Chriſto ſalutem in Domino.

SAnctiſſimæ memoriæ Innocentio XI. acerbo Chriſtianæ Reipublicæ vulnere ſublato vacat Apoſtolica ſedes. Cum itaque Nobis incumbat, in ditione Eccleſiaſtica publicæ quieti ac ſecuritati conſulere, per præſentes tibi mandamus, autoritate Noſtra munus iſtic tibi demandatum exercere pergas, majori tamen cura ac vigilantia, quo & temporis hujus rationi & noſtræ de te

conceptæ

conceptæ expectationi ita ſatisfacias, ut noſtram & futuri Pontificis gratiam promerearis. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico, & congregatione Noſtra generali, ſub ſigillo trium Noſtrum in ordine Priorum, die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXLI.

Litera pari cum præimpreſſis tenore conſpicua, a COLLEGIO CARDINALIUM, ad CASTELLANOS ARCIUM ſcripta, 1689.

Miſeratione divina &c. Dilecte Nobis in Chriſto ſalutem.

Diligentia ſtudiumque tuum, quod in arce iſta cuſtodienda adhibere conſvevisti, licet Nobis abunde polliceatur, non tantum te tui ſimilem futurum in præſens, dum vacat apoſtolica ſedes, verum etiam hoc difficiliori tempore acriori cura & vigilantia te uſurum: Mandamus tamen per præſentes literas, ut officii tui munus autoritate noſtra proſequendo ita te præbeas, ſicut virtutis & fidei in Nos tuæ exſpectatio poſtulat, adeoque noſtrum & futuri Pontificis Patrocinium merearis. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico &c. die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXLII.

Litera COLLEGII CARDINALIUM, ad ALOYSIUM JACOBELLUM, quem jubent, ut literas his incluſas Venetiarum Duci rite exhibeat, 1689.

Miſera-

Miſeratione divina &c. Dilecte Nobis in Chriſto, ſalutem.

SAnctisſimæ memoriæ Innocentio XI. ad æterna præmia profecto vacat Apoſtolica ſedes. Hujus graviſſimi caſus, pro veteri Sacri Noſtri Collegii conſuetudine ad Sereniſſimum Ducem literas damus, quarum exemplum hic habes. Has itaque Senatui reddas & ea loqueris, quæ hujus argumenti magnitudini magis conveniunt. Interea ſi quid iſtic nobis opus erit, tua diligentia & dexteritate libentiſſime utemur, ut a Nobis & a futuro Pontifice, qui inter Nos eſt, bene navatæ operæ fructum percipere poſſis. Datum Romæ &c. die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

Inſcriptio.

Aloyſio Jacobello

Venetias.

DCCCXLIII.

Literæ COLLEGII CARDINALITII, ad REMPUBLICAM JANUENSEM, quibus Innocentium P.P. XI. ſupremum diem peregiſſe refert, 1689.

Miſeratione divina &c. Magnifici in Chriſto Nobis dilectiſſimi, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

ET vetus conſvetudo & ſummus Nobilitatum Veſtrarum in hanc ſedem cultus ac pietas plane poſtulant, ut vobiſcum mœrorem Noſtrum ex ſummi Pontificis Innocentii XI. morte conceptum

Digitized by Google

ceptum amantiſſime communicemus; neque enim dubitamus, quin ob ampliſſima demortui Pontificis in univerſam Chriſtianam Rempublicam & in vos merita Nobilitates Veſtræ hanc maximam jacturam nobiſcum æque doleant. Amiſimus enim heſterna die in hoc optimo ac præſtantiſſimo Principe, quicquid ſpei in ejus vitæ ſanctimonia ac zelo Domus Dei collocavimus, ut non tam privato quam publico vulnere commoveri videamur. Quoniam vero ſolet Deus juxta eſſe iis, qui tribulato ſunt corde, ideo precibus omnibus illum obteſtamur primum, ut animæ illius donet locum indulgentiæ, deinde nobiſcum ita agi permittat, ut quam citiſſime novum renunciemus Pontificem. Itaque Nobilitates Veſtras etiam atque etiam in Domino hortamur, ut privatis ac publicis ſupplicationibus Deum exorent, eam nobis mentem atque animum inſpiret, quo concordibus ſuffragiis illum deligamus Pontificem, qui ſit ſanctus, innocens, impollutus, ac hujusmodi, ut tandem efficiat, ne nimis ſæpe nimisque acriter demortuum deſiderare cogamur. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & congregatione Noſtra generali, ſub ſigillo trium Noſtrum in ordine Priorum die 13. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

Nota. Pari modo ſcriptum quoque ad Rempublicam Lucenſem fuit.

DCCCXLIV.

Literæ SACRI COLLEGII, ad LIVIUM ODESALCUM, Ceræ Ducem, quibus ipſi ſupremi totius

totius S. R. Eccleſ. militiæ Præfecti munus offerunt, 1689.

Dilectiſſimo Nobis in Chriſto, Nobili Viro, Livio Odiſalco, Ceræ Duci, totius militiæ Sac. Rom. Eccleſiæ Gubernatori Generali.

Miſeratione divina &c. Dilectiſſime Nobis in Chriſto, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

CUm in elapſis S. Sedis Apoſtolicæ vacationibus totius militiæ Sac. Rom. Eccl. Gubernator generalis a Noſtro ſacro Collegio ſemper fuerit confirmatus (hoc enim præcipue tempore enitendum eſt pro ſecuritate & tutela totius Eccleſiæ ſtatus & ſignanter hujus almæ urbis, in qua comitia conclavis habentur) cumque etiam in præſens præfatæ militiæ gubernator Generalis nullus exiſtat; quare volentes hoc Apoſtolicæ ſedis per obitum felicis recordationis Innocentii, PP. XI. vacationis tempore pro Noſtra debita cura & ſollicitudine ad hujusmodi electionem devenire, atque animo reputantes, quæ & quanta ſint in univerſam Chriſtianam Rempublicam demortui Pontificis merita, qui ad catholicæ Religionis incrementum, omnes ſuas opes & cogitationes convertit, ideoque ad domus ſuæ nihil, ad Dei gloriam omnia perpetuo retulit: Hinc eſt quod Nobis cupientibus etiam poſt illius obitum Noſtri in illum cultus aliquod extare monumentum, ſtatim nobilitas tua occurrit, qui ejusdem Pontifi-

cis

cis familiæ atque unicus ex fratre Nepos, & non tam ſanguine quam pietate eidem conjunctus exiſtit. Itaque maximo omnium Noſtrum conſenſu & approbatione Nobilitatem tuam in præfatum totius militiæ S. R. Eccleſiæ Gubernatorem Generalem in Dei nomine & ad ejus ſanctæ Eccleſiæ defenſionem deputavimus, cum omnibus & ſingulis autoritatibus, Jurisdictionibus, facultatibus, cæterisque honoribus & oneribus. Nobilitas Tua igitur omni ſtudio & contentione efficiat, ut judicio & expectationi de te Noſtræ reſpondeas, tuique muneris officium, ſicut præſentium temporum ratio expetit, quam diligentisſime & fidelisſime exſequaris, ut a nobis & a futuro Pontifice non ſolum commendari, ſed ornari posſis & debeas. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico &c. die 15 Auguſti, 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXLV.

Literæ COLLEGII CARDINALITII, ad LEOPOLDUM Rom. Imperatorem, quibus ipſi Marchionem Octavium Nigrellum impenſe commendat, 1689.

Sereniſſimo Principi Leopoldo, Romanorum Regi in Imperatorem Electo, ſemper Auguſto.

Miſeratione divina &c. Serenisſime Cæſar, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

AD Marchionis Octavii Negrelli in Nos & hanc Sanctam Sedem Apoſtolicam merita magnus profecto cumulus acceſſit, dum Majeſtati Veſtræ ob-

obtemperando, multo ſuo incommodo ſuperioribus menſibus Romam ſe contulit, ut ſi opus eſſet, pro hujus ſanctæ ſedis incolumitate vitam ipſam profundere non dubitaret, cujus in rei militaris peritia & in rebus agendis dexteritate felicis recordationis Innocentius Papa XI. plurimum conquieſcebat. Sed cum nuper ſanctiſſimus Pontifex ſit cœleſtibus reſtitutus, nobisque præcipue incumbat de hac ſancta Apoſtolica ſede, dum eadem vacat, omni, qua poſſumus ope, bene meritos fovere: Cumque ea ornamenta, quæ prædicti Marchionis virtutibus debentur, per nos præſtare non poſſimus, ad Majeſtatis Veſtræ munificentiam alacri animo confugimus, optima ſpe freti, ut ſicut illum plurimis maximisque muneribus adhuc honeſtavit, deinceps, nobis intercedentibus, novis ſemper honoribus cumulare non deſiſtat; quod quidem pro Majeſtatis Veſtræ in Nos benevolentia facturam non dubitamus: ſummopere enim cupimus, ut Marchio intelligat, iter ſuum ad Nos nihil erga ſe Majeſtatis Veſtræ gratiæ detraxiſſe, quinimo commendationem hanc Noſtram ſane accuratisſimam maximo ſibi apud Majeſtatem Veſtram uſui fuiſſe, nobisque tam gratum fecerit, ut Nos a Majeſtate in eo beneficium accepiſſe ſimus exiſtimaturi. Interim vero Majeſtati Veſtræ pro Catholicæ Religionis incremento omnia fauſta & felicia a Domino precamur. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & congregatione Noſtra generali, ſub ſigillo trium Noſtrum in Ordine Priorum, die 15. Auguſti, 1689. Apoſtolica Sede vacante.

DCCCXLVI.

DCCCXLVI.

Litera COLLEGII SACRI, ad COMITEM ANTONIUM CARAFFAM, ſupremum Sac. Caſ. Majeſtatis Commiſſarium, quibus ipſi, Octavium Nigrellum, Marchionem, invictiſſimo Imperatori impenſe commendandum, ſedulo commendat, 1689.

Dilectiſſimo nobis in Chriſto Viro, Nobili, Comiti Antonio Caraffæ Mareſciallo & ſupremo Generali Commiſſario apud Cæſaream Majeſtatem.

Miſeratione divina &c. Dilectiſſime Nobis in Chriſto, Nobilis Vir, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

ETſi propter ſingularem Marchionis Octavii Negrelli erga Nos & hanc ſanctam ſedem apoſtolicam obſervantiam & cultum, eum cuperemus diutius apud Nos verſari, præſertim hoc ſedis vacationis tempore; Illius enim fides, prudentia ac ſpectata in re militari peritia quam plurimæque aliæ virtutes, ubi opus eſſet, maximo Nobis uſui eſſe poſſent. Verum cum præfatus Marchio ad iter in Germaniam ſe paret, quo munus ſibi a Cæſarea Majeſtate demandatum omni ſedulitate præſens obire posſit, Nos præclarum ejus conſilium proſequi volentes, non uſitata quidem ſed ſingulari quadam, planeque accuratisſima commendatione Majeſtatem ſuam precati ſumus, ut omnia in illum ornamenta conferre velit

Digitized by Google

velit, neque patiatur, quod Marchionis abſentia (quandoquidem Cæſareo juſſui obtemperando, magno ſuo cum incommodo tam diu hic moratus eſt) aliquo ſibi impedimento ſit, quo minus Majeſtatem ſuam demereri posſit. Cumque facilius ab invictisſimo Cæſare id impetraturos ſperemus, ſi Noſtræ commendationi a Nobilitatis tuæ patrocinio pondus acceſſerit, hinc eſt, quod Nobilitati tuæ præſentes literas dedimus; optima ſpe freti, Te nullam occaſionem prætermiſſurum, nobis morem gerendi, & qua ſeſe opportunitas dederit, omnem operam ac diligentiam adhibiturum, ut facile a tam clementi & tam ab illo culto Imperatore, quæ præfatus Marchio optat, per ſe conſequi poſſit, neque irritam apud Nobilitatem tuam commendationem hanc Noſtram dubitamus. Cum enim hujus ampliſſimi Ordinis Noſtri dignitas non ſemel nobiliſſimæ familiæ tuæ præclarisſimos Viros ornaverit, & in præſens ornet, eadem profecto efficiet, ut Noſtro perſpecto deſiderio alacrior omnem curam, conſilium, animique ſui vires Nobilitas Tua intendat, ut Marchio intelligat, quidquid ſua ſponte Nobilitas Tua præſtitura eſſet, hortatu noſtro libentius præſtiturum; idque ſi fecerit, majorum tuorum & Nobilitatis Tuæ erga Nos propenſum & devinctum animum palam faciet, Nobisque ita gratum erit, ut non modo habendam, ſed quo feret occaſio, parem referendam gratiam eſſe exiſtimabimus. Datum Romæ &c. die 21. Auguſti 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCXLVII.

Digitized by Google

DCCCXLVII.

Litera COLLEGII CARDINALITII, *ad* MAGISTRATUM *&* CONCILIUM CIVITATIS FERRARIENSIS, *quibus ipſorum erga S. R. Sedem obedientiam & fidem eximiis mactat laudibus, 1689.*

Dilectis Nobis in Chriſto Magiſtratui & Concilio Civitatis Noſtræ Ferrarienſis.

Miſeratione divina &c. Dilecti Nobis in Chriſto, ſalutem in Domino.

QUanquam Veſtra in Nos & hanc ſanctam ſedem Apoſtolicam obſervantia & cultus multo ante Nobis perſpecta ſit & cognita, eæ tamen literæ, quas Rev. Nobis in Chriſto, Dilectus Carolus Montecatinus nuper reddidit, multo maxime gratæ & jucundæ acciderunt. In iis enim cum incredibilem in funere prædefuncti Pontificis Innocentii XI. mœrorem Veſtrum, tum nunquam interituram in Nos fidem & obedientiam agnovimus. Quapropter Vos ſcire volumus Veſtras ac totius de Sancta Apoſtolica ſede optime meritæ Civitatis res, maxime Nobis nunc curæ eſſe & ſemper fore. Cæterum quod præſentis temporis ratio poſtulat, hortamur Vos & in Domino mandamus, ut Deum conſolationis, qui conſolatur Nos in omni tribulatione Noſtra, aſſiduis exoretis precibus, quo facilius ſuper oves paſcuæ ſuæ alter ſuſcitetur Paſtor ſanctus, innocens, impollutus ac hujusmodi, ut demortuorum Pontificum virtutes & laudes in uno reviviſcere videantur. Ita enim & Veſtra in Nos merita cu-

mulabitis, & futuri Pontificis, qui inter nos eſt, gratiam & patrocinium vobis conciliabitis. Datum Romæ &c. die 27. Auguſti 1689. Apoſtolica Sede vacante.

DCCCXLIIX.

Litera COLLEGII CARDINALITII, ad FRANCISCUM TUCCIUM, Nuntiaturæ Germanicæ Auditorem, quem quantocyus Auguſtam Vindelicorum ire, ac ibidem ea, quæ e re S. R. Eccleſiæ ſint, diligenter obſervare curareque jubet, 1689.

Miſeratione divina &c. Dilecte Nobis in Chriſto, ſalutem in Domino.

ILlud eſt omnium Noſtrum conſtans de tua dexteritate, ac rerum gerendarum peritia judicium, ut ſacrum hoc noſtrum Collegium te præ cæteris delegerit, ut præſenti maximoque negotio præficiendus eſſe videreris. Scias itaque, nobis in Apoſtolico conclavi incluſis, ut rei omnium graviſſimæ incumbamus, quæ eſt de ſummo Pontifice eligendo, nihil magis cordi eſſe, quam ut hoc interregni tempore ſanctæ hujus Apoſtolicæ ſedis & Chriſtianæ Reipublicæ res nullum patiantur diſcrimen & immunitatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Imperiique Romani jura modis omnibus tueamur. Neque enim te fugere exiſtimamus, quod non unis literis, Reverendiſſimus Pater & D. Frater & Collega noſter chariſſimus, Franciſcus Cardinalis Bonviſius, ad Reverendiſſimum Patrem & Dominum Fratrem & Collegam noſtrum cariſſimum, Alderanum Cardinalem Cybo datis ſignificavit,

ficavit, in proximis Comitiis, quæ propediem Auguſtæ habenda ſunt, animadvertendum eſſe, ne contra catholicam Religionem immunitatemque Eccleſiaſticam hæreticorum artibus aliquid ſtatuatur: mandamus itaque, ut te illuc quamprimum conferas, & ſicut iſtius nunciaturæ Auditoris munus exerces, ita illud proſequendo, ſingulari tamen & extraordinaria vigilantia animadvertas, ne quid tale ibi decernatur, quod jura hujus S. Apoſtolicæ ſedis imminuere, ſeu convellere poſſit, & præcipue circa Epiſcopatus Oſnabrugenſem & Hildeſienſem, quos, ut ſibi vindicent Brunſvicenſes, tentaturos eſſe non dubitatur; Neque hoc Tibi difficile profecto erit: perſpecta enim tot Principum eccleſiaſticorum, qui cœtum illum conſtituunt, & præcipue Cæſareæ Majeſtatis pietas & in ſanctam Apoſtolicam ſedem atque ſacrum Ordinem noſtrum obſervantia nobis pollicentur, Cæſarem nullo pacto permiſſurum labefactari Catholicam Religionem Ipſiusque jura convelli, quam usque adeo totis viribus ac tam inſigni expeditione undequaque propagare contendit. Tuæ igitur partes erunt, cum iis præcipue agere, qui apud Majeſtatem ſuam plurimum pollent, & huic ſanctæ ſedi magis addicti ſunt: Omnia enim, quæ ad divinæ Majeſtatis gloriam & Sacræ Romanæ Eccleſiæ dignitatem pertinent, a piiſſimo Imperatore & ab Eccleſiæ Advocato & defenſore expectanda eſſe exiſtimamus. Volumus itaque, ut quantum in te erit, ſedulitate, labore, dexteritate ac ſtudio denique omni in hanc rem unice incumbas, ni-

hiſque quod ad tuenda Apoſtolicæ ſedis jura & dignitatem pertinet, intactum inexpertumque prætermittas. Fuſius autem ex adjuncto folio, quid Tibi agendum ſit, intelliges. Id, ſi conſeceris, & tibi ipſi honorem paries, & nos operam dabimus, ut tu labores ullos noſtra cauſa ſuſcepiſſe nunquam non gaudeas. Datum Romæ &c. die 3. Septembris 1689. Apoſtolica Sede vacante.

Inſcriptio.

Franciſco Tuccio, Auditori Nunciaturæ Germanicæ.

Viennam.

DCCCXLIX.

Literæ credentiales, quas SACRUM CARDINALIUM COLLEGIUM, Franciſco Tuccio, Nunciaturæ Germanicæ Auditori, ad LEOPOLDUM, Rom. Imperatorem tradidit, 1689.

Miſeratione divina &c. Sereniſſime Cæſar, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

IN Apoſtolico conclavi incluſi, ut quam citiſſime viduatæ Eccleſiæ viſibilem ſponſum & univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ caput conſtituamus, toto animo incumbimus; Nec dubitamus in Domino, qui benedictionibus replet fratres habitantes in unum, quin de vultu ejus judicium noſtrum prodeat; cum nobis propoſitum ſit, quærere non quæ noſtra ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti. Non tamen inter multiplices curas obliviſcimur,

quæ

Digitized by Google

quæ ad hujus Sanctæ ſedis dignitatem Sacrique Imperii Romani incolumitatem pertinent; & licet Nobis verendum non ſit, ne idem Majeſtas Veſtra, tanquam Sac. Rom. Eccleſ. Advocatus & defenſor ſit præſtitura: Id namque inſignis ſua non ſemel huic S. Sedi perſpecta Religio & pietas abunde pollicentur; tamen Majeſtati Veſtræ gratius futurum exiſtimamus, ſi omnium Noſtrum quoque ferventiſſimæ preces acceſſerint. Itaque cum propediem Auguſtæ Comitia habenda ſint; in iisque advertendum ſit, ne aliquid ab hac Sac. Rom. Eccleſia alienum ſtatuatur; Ideo mandavimus Dilecto Nobis in Chriſto, Franciſco Tuccio, iſtius Nuntiaturæ auditori, ut iſthuc ſe conferat, in eamque rem unice incumbat, quæ eſt, ne in iſtis Comitiis S. Sedis Imperique Romani jura ullum patiantur diſcrimen, ut fuſius ab ipſo intelliget, cui, ut fidem habeat, Majeſtatem Veſtram enixe rogamus. Nec pluribus apud Majeſtatem Veſtram agimus, cum nefas eſſet dubitare, quin Majeſtas Veſtra, quæ præcipua Auſtriacæ domus ornamenta optime novit, ab egregiis in catholicam religionem & in Apoſtolicam ſedem meritis profecta fuiſſe, & totis viribus, cum opus erit, Romanæ & Chriſtianæ Reipublicæ opitulatura ſit. Interim, quæ Noſtræ partes ſunt, Deum rogabimus, ut omnia ad omnipotentis gloriam ejusque ſanctæ Eccleſiæ incrementum Majeſtati Veſtræ ex ſententia fluant. Datum Romæ &c. die 10. Septembr. 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCL.

Litera COLLEGII CARDINALITII, ad ANSELMUM FRANCISCUM, Electorem Moguntinum, quibus eum amice hortatur, velit omni præcavere cura, ne in Comitiis Auguſtæ Vindelicorum proxime inſtituendis aliquid in præjudicium S. R. Eccleſiæ ſuſcipiatur aut permittatur, 1689.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri & Domino, Dn. Archiepiſcopo Moguntino Fratri Noſtro Chariſſimo, Sac. Rom. Imperii Principi Electori.

Miſeratione divina &c. Reverendiſſime Pater & Dn. Frater chariſſime, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

IN proximis Comitiis, quæ Auguſtæ habendæ ſunt, non ſine animorum Noſtrorum perturbatione intelleximus, verendum eſſe, ne qui divina & humana miſcere cupiunt, aliquid moliantur, quod Sac. Rom. Eccleſiæ Sacrique Romani Imperii jura & prærogativas imminuere poſſit. Nos vero, quibus hoc, præcipue vero interregni tempore, excubandum eſt, ne Eccleſia Dei, Jeſu Chriſti ſanguine acquiſita, quam futuro ſummo Pontifici, non habentem maculam aut rugam, ſed ſicut ſponſam ornatam viro ſuo tradere cupimus, aliquod detrimentum patiatur, aut quoquo modo labefactetur: Cupientes his imminentibus malis toto animo obviam ire, Domin. Veſtram Reverendiſſimam pro perſona, quam gerit, & dignitatem quam ſuſtinet, hortamur,

mur, ut omnem ſuam operam, ſtudium atque diligentiam conferre velit, quo S. R. E. ſacrique Romani Imperii jura illibata conſerventur. Fuſius hæc a Dilecto Nobis in Chriſto, Franciſco Tuccio, Nunciaturæ Auditore, Domin. Veſtra Reverendiſſima intelliget, qui has noſtras literas reddet, & cui noſtro nomine loquenti fidem habere poterit. Pluribus fortaſſe hæc ad Dom. Veſtram Reverendiſſimam ſcribimus; ſponte enim, pro ſua pietate ac zelo, domus Dei communem cauſam ſuſcepturam credimus; libentius tamen operam ſuam poſituram eſſe putavimus, ſi Nobis etiam in hoc negotio morem gerendi Dom. Veſtram Reverendiſſimam occaſionem ſibi arripuiſſe videretur. Cæterum rogabimus Deum, qui dives eſt in omnibus, qui invocant illum, ut eam, pro Eccleſiæ ſuæ tam inſigni beneficio, Dom. Veſtræ Reverendisſimæ mercedem conſtituat, quam repromiſit diligentibus ſe. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & congregatione Noſtra generali, ſub ſigillo trium Noſtrum in Ordine priorum, die 10. Septembr. 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCLI.

Litera COLLEGII CARDINALITII, ad JOHANNEM HUGONEM, Electorem Trevirenſem, cui Franciſcum Tuccium, Nuntiaturæ Germanicæ Auditorem commendando injungit, ut maximopere contendat, ne quid in Comitiis Auguſtanis in detrimentum S. Rom. concludatur Eccleſiæ, 1689.

Reverendisſimo in Chriſto Patri & Domino, Dn. Archiepiſcopo Trevirenſi, Fratri noſtro chariſſimo, Sac. Rom. Imperii Principi Electori.

Miſeratione divina &c. Reverendisſime Pater & Domine Frater Noſter chariſſime, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

ETſi Dominationem Veſtr. Reverendisſimam, pro perſona, quam gerit, & ſingulari in S. Rom. Eccleſiam pietate & cultu, ſponte ſua, quod a nobis petitur, toto animo obituram exiſtimamus; gratius tamen Dominationi Veſtræ Reverendisſimæ futurum putavimus, ſi etiam noſtrarum literarum officium acceſſerit. Sciet itaque, quod defuncto ſanctisſimo Pontifice & Patre noſtro amantisſimo Innocentio XI. quaſi Pupilli ſumus abſque Patre. Factus eſt tamen nobis Dominus in refugium & Deus in adjutorium ſpei noſtræ, Paſtorem alterum propediem Spiritus ſancti gratia expectantibus; Quod ut feliciter eveniat, in Apoſtolico conclavi incluſi jugiter elaboramus. Verum multiplicarentur tribulationes cordis noſtri, ſi Dei Eccleſia, quam non habentem maculam aut rugam novo ſponſo tradere cupimus, aliquid detrimenti hoc interregni tempore accipiet. Intelleximus ſiquidem in proximis Auguſtanis comitiis tentari poſſe ab aliquibus, qui nova ſemper concupiſcunt, hujus S. Sedis dignitati & Catholicæ Religionis incolumitati repu-

gnantia

gnantia. Quare iſtuc ablegavimus dilectum nobis in Chriſto, Franciſcum Tuccium, Nunciaturæ Auditorem, ut autoritate Dom. Veſtræ Reverendiſſimæ ſuffultus, omni, qua poteſt, contentione animadvertat, ne contra eccleſiaſticam immunitatem & Sac. Rom. Eccleſiæ, Sacrique Imperii Romani jura aliquid ſtatuatur. Nihil a nobis æquius, ac pietati Dominationis Veſtræ Reverendiſſimæ congruentius peti poſſe putamus. Quare cum Dominatione Veſtra Reverendiſſima pluribus non agemus; Illud tantum addimus, quod ſi negotium ex ſententia explicabitur, & ſibi Dom. Veſtra Reverendiſſima gloriam pariet ſempiternam, & Nos & ſummum futurum Pontificem ſibi maxime devinciet, gratiam, cum ſeſe occaſio dederit, promptiſſime relaturos. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico &c. die 10. Sept. 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCLII.

Litera COLLEGII CARDINALITII, ad JOSEPHUM CLEMENTEM, Electorem Colonienſem, idem quod præinſerta, argumentum continentes, 1689.

Reverendisſimo in Chriſto Patri & Domino Dn. Clementi, ex Ducibus Bavariæ electo Archiepiſcopo Colonienſi, Fratri Noſtro charisſimo, S. R. Imperii Principi Electori.

Miſeratione divina &c. Reverendisſime Pater & Domine Frater charisſime, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

Ea

EA eſt Dilectionis Veſtræ Reverendisſimæ in ſanctam Apoſtolicam Sedem & ſacrum Ordinem Noſtrum obſervantia & pietas, ut minime dubitandum ſit, quin præſenti maximoque negotio propenſæ ſuæ erga nos voluntatis argumenta proferre velit. In proximis Comitiis Auguſtæ habendis verendum eſt, ne ab iis, qui novis rebus ſemper inhiant, aliquid tentetur contra hujus ſanctæ ſedis jura, quod immunitatem Eccleſiaſticam & catholicam religionem imminuere poſſit. His malis toto animo obviam ire cupientes, mandavimus dilecto Nobis in Chriſto, Franciſco Tuccio, iſtius Nunciaturæ Auditori, qui has noſtras literas Dom. Veſt. Reverendisſimæ reddet & cui fidem habere poterit, ut Auguſtam petat, ibique modis omnibus animadvertat, ne quid tale ſtatuatur, quod hujus ſedis dignitatem ac S. Rom. Eccleſiæ & S. Rom. Imperii jura & prærogativas, Catholicamque Religionem labefactare poſſit. In muneris adeo religioſi partem Dom. Veſtr. Reverendisſimam vocamus, ut auctoritate, qua pollet, huic Noſtro deſiderio ſatisfacere velit. Cum enim Dominatio Veſtra Reverendisſima ab hac S. Apoſtolica Sede & a prædefuncto ſanctisſimo Pontifice Innocentio XI. paterni amoris non ſemel indicia habuerit, ſperamus pari pietate in hanc S. R. Eccleſiam, matrem ſuam chariſſimam Dom. Veſtr. Reverendisſimam ſuis officiis reſponſuram eſſe. Plurima hac de re ad Dom. Veſtram Reverendisſimam ſcribere fortaſſe res ipſa poſtulat; ſed dignitas, quam iſta ſuſtinet, ſed Dei ejusque S.

R. Eccl.

R. Eccl. cauſa, ac Catholicæ Religionis incolumitas, pro qua rogamus, ſed pietas Dom. Veſt. Reverendisſimæ plane non poſtulat. Itaque Deum interim orabimus, ut Domin. Veſtram Reverendisſimam diu incolumem ſervet ad majus Eccleſiæ ſuæ bonum atque incrementum. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & Congregatione noſtra generali ſub ſigillo trium noſtrum in Ordine priorum, die X. Septembr. 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCLIII.

Litera paris cum præimpresſis commatis a COLLEGIO CARDINALITIO ad MAXIMILIANUM EMANUELEM, Electorem Bavariæ ſcripta, 1689.

Dilectisſimo Nobis in Chriſto, Emanueli Mariæ utriusque Bavariæ Duci, S. Rom. Imperii Principi Electori.

Miſeratione divina, &c. Dilectisſime Nobis in Chriſto, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

NObilitas Veſtra (quæ militiæ labores a victoriis contra Chriſtiani nominis hoſtes auſpicata, & ut Dei cauſam tueretur ac Catholicam Religionem propagaret, abiit in longinquam regionem, accipere ſibi Regnum, non utique terrenum ſed cœleſtè, in quo ſcilicet accipiet coronam gloriæ, quam Deus exercituum repromiſit diligentibus ſe) non dubitamus, cum in præ-
ſens

ſens ſeſe offert occaſio de S. R. E. & de nobis omnibus bene merendi, quin eam libentisſime arripiat. Etenim cum in conclavi Apoſtolico degentibus nobis declarandus ſit univerſalis viduatæ Eccleſiæ viſibilis ſponſus, maximo Nos affectos beneficio exiſtimabimus, ſi Nobilitas Veſtra, auctoritate qua pollet, præſens negotium noſtrum ex ſententia confecerit. Cum itaque in comitiis Auguſtanis advertendum ſit, ne S. Apoſt. Sedes & S. R. Imperium ab iis, qui novis rebus ſemper inhiant, detrimentum accipiat, iſthuc ablegavimus dilectum nobis in Chriſto Franciſcum Tuccium, Nunciaturæ Auditorem, ut omni vigilantia animadvertat, quod S. Rom. Eccleſ. & Sac. Rom. Imperii jura ubique ſarta tecta & integra conſerventur, ut ab eo clarius intelliget, cui noſtro nomine loquenti fidem habere poterit Nobilitas Veſtra. Juventuti ergo ſuæ triumphis aſſvetæ Nobilitas Veſtra hanc quoque adjiciat laudem, ut nobis, qui multiplices virtutes veſtras admiramur, morem gerens, non minus propagatæ, quam ſervatæ catholicæ Religionis æternum ſibi trophæum paraſſe videatur. Interim vero Deum precabimur, ut quod per nos non licebit, ille qui laborem conſiderat, Nobilitati Veſtræ decupla menſura retribuat. Datum Romæ &c. die X. Septembris 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCLIV.

Litera COLLEGII CARDINALITII, *ad* PHILIPPUM GUILIELMUM, *Electorem Palatinum*

tinum, quibus ipſum impenſe rogant, ut omni ſedulitate & vigilantia animadvertat, ne Sac. Rom. Sedis jura aliquod in Comitiis Auguſtanis diſcrimen patiantur, 1689.

Dilectiſſimo Nobis in Chriſto filio, Philippo Guilielmo, Comiti Palatino Rheni, S. R. Imperii Principi Electori.

Miſeratione divina &c. Dilectisſime Nobis in Chriſto, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

VIduata univerſalis Eccleſia, Innocentio XI. nuper in perpetuas æternitates translato, dari ſibi ſponſum poſtulat a nobis gemitibus inenarrabilibus; nosque in Apoſtolico conclavi nihil magis elaboramus, quam ut ejus viduitati conſulturis incerta & occulta ſapientiæ ſuæ quam citisſime Deus manifeſtare dignetur. Non tamen huic negotio maxime intenti, ita Eccleſiæ ſuæ ſponſæ obliviſcimur, ut jugiter non diligamus decorem domus ſuæ, eamque modis omnibus tueamur. Quapropter nobis enitendum eſſe putamus, ne hoc ſanctæ Apoſtolicæ ſedis vacationis tempore Sanctæ Romanæ Eccleſiæ dignitas & Immunitas labefactetur. Id enim ab aliquibus, qui divina & humana miſcere contendunt, in proximis Comitiis Auguſtanis tentari poſſe intelleximus. Huic malo, quantum in nobis eſt, obviam ire volentes, mandavimus dilecto nobis in Chriſto Franciſco Tuccio, Nunciaturæ Auditori, iſtuc ſe conferat, ut veſtrorum catholicorum

rum Principum Patrocinio ſuffultus omni ſedulitate & vigilantia animadvertat, ne S. Apoſt. Sedis & Sac. Rom. Imperii jura aliquod ibi patiantur diſcrimen; Nobilitati vero Veſtræ imprimis duximus commendandum, ut cum has noſtras literas reddet, conſilio & auctoritate ſua illum in omnibus, ubi opus erit, juvare dignetur. Tanta eſt enim Nobilitatis Veſtræ filiorumque ſuorum in hanc ſanctam ſedem & in nos omnes obſervantia & pietas, & viciſſim tam ſingulare eſt omnium noſtrum erga nobilitatem veſtram totamque domum ſuam ſtudium atque amor, ut minime dubitemus, quin a piiſſimo Principe, quid pro hujus ſacræ Rom. Eccleſ. & Catholicæ Religionis incolumitate enixe petimus, feliciter conſequamur. Cæterum immolabimus Deo ſacrificium laudis, ut ad ſui gloriam ejusque Eccleſiæ incrementum nobilitatem Veſtram usque in ſenectam & ſenium incolumem perducere velit. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico & congregatione noſtra generali ſub ſigillo trium Noſtrum in Ordine Priorum, die X. Septembr. 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCLV.

Litera COLLEGII CARDINALITII, ad JOANNEM ERNESTUM, Archiepiſcopum Salisburgenſem, idem cum præinſertis Argumentum tractantes, 1689.

Epiſcopis Germaniæ in Comitiis Auguſtanis.

Miſera-

Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales, Venerabilis frater, ſalutem in Domino.

Cum omnium, quas hoc S. Apoſtolicæ ſedis vacationis tempore, pro eligendo Summo Pontifice curas gerimus, ea non poſtrema ſit, ut S.R. Eccl. Jura tueamur, ſummopere commoti ſumus, ubi intelleximus, in proximis Comitiis Auguſtanis ab iis, qui divina & humana miſcere cupiunt, verendum eſſe, ne aliquid tentetur, quod Eccleſiaſticam immunitatem & hujus ſanctæ Apoſtolicæ ſedis dignitatem imminuere poſſit, & licet non dubitemus in tot Principum Catholicorum, qui cœtum illum componunt, conſtantia atque æquitate, tamen, quo officiis Fraternitatis Veſtræ occaſio detur, ut toto animo ac ſtudio omni ea conferre velit, ab ipſa etiam atque etiam petimus. Hac de re uberius ſcripſimus ad dilectum Nobis in Chriſto, Franciſcum Tuccium, Nunciaturæ Auditorem, quem iſthuc ablegavimus, ut in hac re unice incumbat, cui Noſtro nomine loquendi fidem habere poterit. Nihil itaque fraternitatis Veſtræ pietate congruentius a nobis peti poſſe putamus. Agitur enim Dei cauſa ejusque Eccleſiæ, Jeſu Chriſti ſanguine acquiſitæ, ex qua ſanctæ Apoſtolicæ Sedis Sacrique Romani Imperii incolumitas pendet. Illud tantum addimus, quod ſi Fraternitas Veſtra huic rei omnem ſuam operam ſtudiumque navabit, & Nos omnes & ſummum futurum Pontificem, qui inter Nos eſt, ita devinciet, ut non tantum

gratiam habendam, ſed, cum ſeſe opportunitas dederit, etiam referendam eſſe ſimus exiſtimaturi. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico, & congregatione Noſtra generali ſub ſigillo trium Noſtrum in Ordine Priorum, die X. Sept.1689. Apoſtolica ſede vacante.

Nota. Pari etiam modo ad reliquos Germaniæ Epiſcopos ſcriptum fuit.

DCCCLVI.

Litera SACRI COLLEGII, intra conclave congregati, ad LEOPOLDUM, Rom. Imperatorem, quibus redditas ſibi ipſius eſſe literas iisque inſertam hortationem curæ cordique fore teſtatur, 1689.

Imperatori Electo.

Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales, Sereniſſime Cæſar, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

MAjeſtatis Veſtræ humaniſſime ſcriptæ litteræ, quas Nobilis Vir, Antonius de Lichtenſtein, Sacri Imperii Princeps, Nobis proxime reddidit, & quæ Majeſtatis Veſtræ nomine idem Ablegatus tam apte amantiſſimeque locutus eſt, ita nos recrearunt, ut mœrorem, qui ob ſanctiſſimi Pontificis Innocentii XI. mortem altius animis noſtris inſederat, pene deleverit. Quod vero Majeſtas Veſtra a nobis tam enixe petit, ut ſanctæ Matris Eccleſiæ viduitati quam citiſſime conſulamus, ſtimulos profecto currentibus addit. Nihil enim ardentius a Patre luminum quotidie flagitamus,

flagitamus, quam ut dirigat Nos in ſemitam rectam, in qua non ſecundum carnem ambulantes, ſed ſecundum Spiritum facilius aſſequi poſſimus, quem elegerit Dominus, ut conſtituat in caput gentium. Hæc ſunt, ſereniſſime Cæſar, quæ hoc ſedis vacationis tempore a nobis præſtanda ſunt; quapropter Majeſtatis Veſtræ ad Deum precibus adjuti non dubitamus, quin propediem dabitur nobis, quid loquamur; ad renunciandum enim Chriſti in terris Vicarium, Nos non loquimur, ſed Spiritus Patris eſt, qui loquitur in Nobis. Cæterum Majeſtati Veſtræ innumeras agimus gratias pro ſua tam propenſa erga nos voluntate ac benevolentia, Majeſtatique Veſtræ ad Catholicæ Religionis incrementum omnia fauſta ac felicia ab auctore Deo precamur. Dat. Romæ 1. Octobr. 1689. Apoſtolica ſede vacante.

DCCCLVII.

Literæ GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad FRIDERICUM III. Electorem Brandenburgicum, quibus ipſum in ſocium Ordinis, cui à periſcelide nomen, electum, & dicti jam Ordinis inſignia ei tranſmiſſa eſſe, nuntiat, 1690.

Guilielmus Tertius, Dei &c. Magiſter, Sereniſſimo Principi Domino Friderico &c. Amico noſtro chariſſimo ſalutem.

Sereniſſime Princeps, Frater, Cognate, Affinis & Amice Chariſſime,

Quomodo Celſitudo Veſtra non ita multo poſt in præfati Noſtri Ordinis Capitulo, ad hoc expreſſe convocato, fuerit electa, & commilito ejus

pronunciata, non vos latet; atque hoc, ut confidimus, Celſitudo Veſtra non ingratis audiet, tum propter ejusdem Ordinis claritatem, tum ob illius erga Vos affectus ſpecimen, quod in eo conferendo Noſtri putavimus dare; de quo ut certior fiat, & quam nobis ſit cordi curæque, ut quæ adhuc reſtant ad hoc tam gratum opus abſolvendum, quam cito perimpleantur, integrum amictum cum ſubligaculo, cæterisque Inſignibus Ordinis, prima data occaſione, ab Electione Veſtra, ad Vos curavimus transferenda tradendaque in manus dilectorum & fidelium noſtrorum; Nobilis ſcilicet Viri Domini Jacobi Johnſon Noſtri ad Veſtram Celſitudinem Ablegati Extraordinarii, & ſpectabilis item Viri, Domini Gregorii King, e Fecialibus noſtris Primariis unius, Oratorum, & ad hoc Commiſſiariorum Noſtrorum, a quibus, ut ea amanter accipiat, illis indui ſe ſinat, fidemque adhibeat præfatis noſtris Oratoribus, Legatis & Deputatis, in omnibus ad illud negotium ſpectantibus, amice rogamus. Dabantur in Palatio noſtro Albæ aulæ primo die Februarii $16\frac{90}{89}$.

Celſitudinis Veſtræ Electoralis

Bonus Frater & Conſanguineus,

Guilielmus Rex.

Ad mandatum ſupremi
Gi. Sarum. Cancel.

DCCCLIIX.

Reſponſoriæ FRIDERICI III. Electoris Brandenburgici, ad præinſertas GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis literas, 1690.

Sere-

Sereniſſime & Potentiſſime Rex, Domine Cognate ac Frater colendiſſime.

SIcuti Nos affectum amicitiamque Regiæ Veſtræ Majeſtatis ſemper & illo etiam tempore, antequam ſummus reum Arbiter Deus, Eandem in illud, quod nunc tenet, Angliæ ſolium collocaret, maximi fecimus; Ita facile conjiciet Regia Majeſtas Veſtra, quam grata quamque ſuavia Nobis ſint illa, quæ ab Eadem maximorum Europæ Regum nunc facile Principe, in præſentiarum in nos proficiſcuntur benevolentiæ ſuæ Documenta, inter quæ vix aliquid erit, quod aut Regiæ Veſtræ Majeſtati, aut temporum, in quibus vivimus, rationi, aut noſtro denique in Regiam Veſtram Majeſtatem ſtudio magis conveniat, quam illa, quam Regia Majeſtas Veſtra Nobis deferre voluit inclyti Georgiani Ordinis ſocietas. A Majeſtate enim Veſtra, quæ rerum bello armisque geſtarum gloria nunquam intermorituram ſibi famam peperit, inter commilitones prædicti Ordinis adſcribi, in illo quidem tempore, ubi & Regiæ Veſtræ Majeſtati & nobis, pro Eccleſiæ tutela Europæque ſalute contra communem hoſtem bellandum eſt, gratiſſimum nobis profecto eſſe debet, præprimis cum omnia, quotquot ſunt, vinculorum nexuumque genera, quæ quidem cum Regia Majeſtate Veſtra nobis intercedere poſſunt, alia aliis ſuperaddere maximopere & unice quaſi exoptemus. Eaque de cauſa nos nunc Regiæ Veſtræ Majeſtati de hoc exhibito Nobis honore debitas perſolvimus gratias, hoc unicum Eandem certum eſſe cupientes, nos inter omnes illos, quotquot unquam di-

gnitate hac a Regia Veſtra Majeſtate inſigniri contigerit, fide, ſtudio & obſervantia in Eandem conceſſuros nemini. Id quod nos Oratoribus, Legatis ac Deputatis, quos Regia Veſtra Majeſtas ad peragendam noſtram in præfatum Ordinem receptionem, ad Nos ablegare voluit, Nobili ſcilicet Viro, Domino Jacobo Johnſton, Regiæ Veſtræ Majeſtatis ad nos ablegato Extraordinario, & ſpectabili item Viro, Domino Gregorio King, e Fecialibus Regiæ Veſtræ Maj. primariis uni, qui hocce a Regia Veſtra Majeſtate iisdem demandato officio ſumma cum fide & decore perfuncti ſunt, oretenus uberius teſtati ſumus, iique ad Regiam Veſtram Majeſtatem redeuntes clarius relaturi ſunt, quam ſupremum longiſſime ſoſpitem ſervet ac incolumem Numen. Dabantur in Electorali noſtra, quæ eſt Coloniæ ad Svevum die $\frac{9}{19}$. Junii 1690.

Regiæ Veſtræ Majeſtatis

Cognatus & Frater ſtudioſiſſimus

Fridericus Elector.

DCCCLIX.

Literæ LEOPOLDI, *Roman. Imperatoris, ad* FRANCISCUM MARIAM, *Sac. Rom. Eccleſiæ Cardinalem de Medices, cui candide exponit, ſe animo valde excruciari de nominato a ſe ad Cardinalitiam dignitatem candidato a ſummo Pontifice, Bellowiſium Gallum, in opprobrium Nationis Germanicæ prælatum fuiſſe, modum vero explicat, quo adhibito, ſibi aliqua ſaltem ex parte ſatisfieri poſſit, 1690.*

Dilectio-

DIlectionis Veſtræ de nova Cardinalium promotione nuperrime ad nos datas literas recte accepimus, e quibus, ex noſtris aut ex Natione Germanica neminem, Belloviſium vero Gallum non obſtantibus prægnantiſſimis remonſtrationibus noſtris in ea comprehenſum eſſe, fuſius intelleximus. Quam ea res merito animum noſtrum graviter commoveat, Dilectio Veſtra in literis ſuis ſeſe præſentire non obſcure inſinuat. Et vero celare tandem non poſſumus, quod uti a Sanctitatis ſuæ prudentia omnino Nobis perſuaſeramus, præcipuam illius hoc tempore curam fore, ut communem Patrem & in utramque ſe partem æqualiter ſaltem propenſum oſtenderet, nihil Nobis inexpectatius & moleſtius accidere potuiſſe, tam partiali promotione, quæ ſive Galliarum Regis intuitu, ſive, ut ex ore ſanctitatis ſuæ ſcribit Dilectio Veſtra, ex particulari in Bellovisium propenſione, facta ſit, non poteſt non eſſe cum ſumma Dignitatis & perſonæ noſtræ injuria conjuncta. Si enim apud Sanctitatem ſuam tantum valuit Galliarum Regis reſpectus, ut Gallum ad Collegium Cardinalatium aſſumeret, poſtulabat non minus & antiquus in Eccleſia mos & juſti decor, ut par ſaltem noſtri ratio haberetur, neque qui dignitate & (abſit jactantia) meritis in Eccleſiam ſanctamque ſedem priores ſumus, tam indigne poſtponemur aliis. Si vero ea promotio particulari ſuæ ſanctitatis in Bellovisii perſonam affectui adſcribi debet, nonne nos merito acerbius pungit tam exiguo nos eſſe apud Sanctitatem ſuam in pretio, ut homi-

hominem non privatum tantum, ſed inimicum Domus noſtræ & Rebellium quondam noſtrorum fautorem incenſoremque, conſequenter Turcicæ invaſionis & Provinciarum noſtrarum deſolationis Miniſtrum, imo & ſacri fœderis, ſub auſpiciis ſanctiſſimi nuper defuncti Papæ, pro defenſione Chriſtianæ Reipublicæ initi & ipſius denique autoritatis Pontificiæ oppugnatorem acerrimum Nobis præhabeat, nemoque in imperio Romano-Germanico, aut Provinciis noſtris hereditariis reperiatur, qui æque ac ille Pontificia propenſione dignus ſit. Mirari licet, unde illa ſubita Sanctitatis ſuæ in Bellovifium, nunquam viſum, tam ſingularis propenſio orta ſit, ut poſtquam non multis ante menſibus Cardinalis quidam pie defuncto Pontifici, cum omnium applauſu autor fuerat, ne Beauvaiſium, tot nominibus in Apoſtolicam ſedem reum, Cardinalitia dignitate, tametſi tunc ad eam a Sereniſſimo Domino Poloniæ Rege nominatum, ornaret, nunc etſi ipſe Poloniæ Rex, referente Domino Cardinale Cantelmi, ejusdem commendationi non amplius inſtiterit, cum præteritione aliarum Nationum, & imprimis Germaniæ, Prælatorumque tota vita in Eccleſia optime meritorum, ceu omnibus eminentiorum aut certe amicorum, nulla noſtri habita ratione, ultro præferat; cauſam juſtam cum nemo divinare poſſit, ipſi Galli tandem effutiunt, quam, utpote Sanctitati ſuæ imprimis injurioſam & omnibus ſcandaloſam vix ſine horrore audire potuimus, adeoque nec credere volumus; interim tamen ſtupent boni & derident

rident mali hunc eſſe præcipue noſtri erga Sanctam ſedem ſtudii & obſervantiæ fructum, ut nobis pro lubitu quaſi & ſine ulla hæſitatione qualiscunque injuria irrogari, imo jam publica nominis & dignitatis noſtræ proſtitutione ambitioni hoſtium noſtrorum litari velit. Viderit Dilectio Veſtra ex adjuncta literarum Oratoris Gallici de Chaunes, ad Legatum Gallicum in Helvetia, Amelot, copia (quarum intercepta Autographa Ablegato noſtro, Principi Lichtenſteinio, transmiſimus) quam ſcenam ſe Romæ luſiſſe Galli jactent, quantopere ſummi Pontificis hac in promotione erga Regem ſuum partialitatem deprædicent glorienturque, quod nullum nobis aut Corona Hiſpanica æquivalens conceſſum ſit. Quæ cum nos acerbisſime mordeant, & æquo animo toleranda eſſe nemo juſtus rerum æſtimator concernere poſſit, Nobis quidem vitio verti nullo modo poſſet, ſi aliorum exemplo, quos juvat, levisſimas etiam offenſas acerrime proſequi, tam gravis immeritæque læſionis & injuriæ reparationem ſine mora & præſentibus repreſſaliis exigere luberet. Attamen cum pro innata noſtra erga ſedem Apoſtolicam obſervantia nos eandem ſvaviori prius via petere & exſpectare malimus, quam aſperioribus mediis extorquere, aut commercium omne cum ſua ſanctitate rumpere; viſum fuit, per Dilectionem Veſtram prius tentare, an absque ſtrepitu ſatisfactio quædam pro nobis impetrari poſſit, quæ quo facilior ſuæ Sanctitati ſit, in eo ſaltem conſiſtere cupimus, ut galerum Cardinalitium primo vacaturum pro ar-

bitrio noſtro, ſive ad noſtram commendationem ſine præjudicio futuræ nominationis, confeſtim concedendum promittat. Id ab eadem minus denegandum confidimus, quod ex ſupra allegatis Legati Gallici literis pateat, ipſosmet hoſtes noſtros, dum nullum nobis in nupera promotione æquivalens datum eſſe jactant, agnoſcere id nobis debitum fuiſſe, nec non, quod, ut cætera prætereamus, ad ipſius S. Sanctitatis autoritatem Reique publicæ Chriſtianæ utilitatem plurimum ſane interſit, non confirmari a S. Sanctitate nimiæ ſuæ erga Galliam ſtudioſitatis ſuſpicionem, neque eandem, ad componenda aliquando officiis ſuis Chriſtianorum Principum diſſidia, aditum ſibi ipſi omnino præcludere. Quare a Dilectione Veſtra amice poſtulamus, ut hæc omnia ſuæ Sanctitati in animum ſerio revocare, & adhibita omni diligentia efficaciaque nihil intentatum relinquere velit, ut ſi quæ apud eandem noſtri conſideratio ſupereſt, hæc ſatisfactio præſtitu facillima, & a ſolo ſuæ ſanctitatis dependens arbitrio, nobis ſine dilatione obveniat. Quod ſi enim præter ſpem contingat, Nos hac etiam fruſtrari, & alium, quisquis is ſit, ad vacaturam primo Cardinalitiam dignitatem deſtinari, tum vero id haud aliter quam in luculentiſſimum ſignum extremæ animi Pontificii a nobis alienationis & perſonalis contemtus interpretari poſſumus, nobisque neceſſitas imponetur publice teſtatum faciendi, curam nobis eſſe præeminentiæ & honoris noſtri obſervantiæque erga ſanctitatem ſuam noſtræ argumenta Pontificiæ benevolentiæ demonſtrationibus commenſurandi.

Quo

Quo circa quæ caſu inſperatæ denegationis, intentio noſtra ſit, præfatus Ablegatus noſter plenius edoctus eſt. Quod deinde conceſſionem ſubſidii & contributionis quingenti mille florenorum in cauſam belli Turcici ſuper bonis Eccleſiaſticis in ditionibus noſtris hæreditariis attinet, illam, quia publicum & totius Chriſtianitatis commodum ſpectat, cum hac noſtra particulari cauſa confundere nobis animus non eſt, adeoque quantumvis Clerus noſter ſe præcedentibus contributionibus plus ſatis gravatum queratur, tamen poſtquam a Sanctitate ſua ad Dilectionis Veſtræ ædes tranſmiſſa eſt, congrua gratiarum actione acceptandam potius quam recuſandam cenſemus, dummodo tamen illa in vicem ſatisfactionis noſtræ non reputetur. Quemadmodum enim non ita nati & conſtituti ſumus, ut ejusmodi ſenſibilem injuriam & publicum Noſtri vilipendium pretio ſeu pecunia æſtimemus, ita ſubſidium illud eo minus apud nos valere poteſt, quod etiam Regi Galliæ majores aut æquipollentes ſuper bonis Eccleſiaſticis & ipſamet Eccleſiarum ſacram ſupellectilem conceſſiones, quibus non contra Turcas, ſed in uſum cœpti contra Nos impie belli, utitur, impertitas & partim uſurpatas eſſe intelligimus, & abſque eo Clerus noſter juxta proportionem bonorum ſuorum inter Status Provinciales collectari & contribuere ſolet. Id quod Dilectioni Veſtræ ad literas ſuas ſolita fiducia reponere voluimus, cui de cætero pro ſuſcepta in ſe, in præfato tam promotionis quam contributionis negotio moleſtia & oſtenſo zelo gratias, quas par eſt, amice referimus, & Benevolentiæ Noſtræ Cæſareæ affe-

ctum propenſe confirmamus. Datum Viennæ 4. April. 1690.

DCCCLX.

Literæ LEOPOLDI, Rom. Imperatoris ad FRANCISCUM MARIAM, Cardinalem de Medices, quibus denuo inſtanter urget, velit omni cura efficere, ut ſibi de nupera præteritione fiat ſatis, & tum demum de nuntio Viennam mittendo tractetur, 1690.

P. P.

QUantum ex literis Dilectionis Veſtræ de nova Nuntii ad Aulam noſtram deſtinatione ad Conſiliarium Noſtrum intimum & Aulæ Cancellarium, Comitem de Stratmann, datis, colligimus, volupe eſt Aulæ Romanæ illatam Nobis injuriam novis injuriis cumulare; quo enim id alio inſtinctu fiat, quam ut illuſis prægnantiſſimis rationibus, a Dilectione Veſtra & Reverendiſſimo Cardinale de Goes, nec non Principe Antonio de Liechtenſtein luculenter demonſtratis, nullus in ea re ad autoritatem noſtram & voluntatem, nec ille quidem, qui erga alias Coronas & Principes, nobis inferiores, adhiberi quotidie ſolet, reſpectus ſervetur, non capimus. Sane priora exempla diligenter inveſtigantibus occurret diſſimulaſſe quidem aliquando Romanorum Imperatorem, ex ſuperabundanti quodam erga ſummum Pontificem obſervantiæ ſtudio aliave ratione ejusmodi nominationem Nuntii absque prævia approbatione publicatam, ſæpe tamen etiam eandem non admiſiſſe, & tametſi alia exempla deeſſent, ſufficeret quotidiana erga alias coronas

coronas & inferiores Principes praxis & evidentiſſima ratio, in exemplum videlicet abire non debere, ut vel invito, vel contradicente Imperatore magis, quam aliis coronis & Principibus minoribus non dicemus Legati, ſed Nuncii, juriſdictionem quandam exercentes, obtrudantur, nosque illis publico vilipendio poſtponamur. Quare, etſi jam Dilectio Veſtra ex literis memorati noſtri Cancellarii aulici intellexerit uti graviſſimam illam offenſam perſenſerimus, tamen ut animi noſtri hac ſuper re determinatam & penitus fixam conſtantiam ulterius agnoſcere poſſit, confirmare illa omnia per præſentes viſum fuit, atque Dilectionem Veſtram benevole hortari, ut pro prudentia ſua una cum Reverendiſſimo Cardinale de Goës & Ablegato noſtro, eo omnes officiorum ſuorum vires intendant, ut primo quidem nobis de nupera promotione fiat ſatis, deinde vero de Nuncio, quemadmodum decet tractetur. Fieri hoc quidem ſvaviter & præter ſtrepitum, ſi poteſt, optamus. Cæterum id ipſum fieri oportet omnino, ſi commercium nobiſcum Aula Romana integrum cupit. Interim Dilectionem Veſtram conſtanti benevolentiæ noſtræ Cæſareæ affectu inceſſanter complectimur. Vienna 28. April. 1690.

DCCCLXI.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad RAINUTIUM FARNESIUM, Parmæ Ducem, cui de exoptato Filii primogeniti matrimonio gratulatur, 1690.

Celſiſſi-

Celſiſſime Princeps, Domine & Amice chariſſime.

QUod inter Dilectionis Veſtræ Filium primogenitum & Sereniſſimam Principem Palatinam, Dorotheam Sophiam, haud ita pridem ſancitum eſt matrimonii fœdus, id maluiſſe Dilectionem Veſtram ſuis literis amantisſimis, quam vulgata fama nos intelligere, & ſummæ benevolentiæ, & maximi amoris argumentum eſſe ducimus. Hanc itaque auſpicatisſimam conjunctionem, quæ Celſisſimæ Domus Veſtræ fortunam non facile ſine ſucceſſoribus interire permittet, pro eo, quo vicisſim in Dilectionem Veſtram propendemus affectu, etiam atque etiam gratulamur, nihil magis in votis habentes, quam ut mutui inter ſe amoris ſuavitatem, non permanere ſolum, ſed in dies etiam augeſcere novi Nupti ſentiant, proſperaque ac fortunata omnia ex tam felici connubio Dilectioni Veſtræ, Celſiſſimæque illius familiæ oriantur. Quam felicioribus quotidie incrementis augeri, rebusque ſemper florentisſimis perfrui, modis omnibus exoptamus. Dabantur Dreſdæ die ſeptima Maji 1690.

DCCCLXII.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris ad CAROLUM II. Hiſpaniarum Regem, cui felix, fauſtum ac fœcundum cum Principe Palatina Maria Anna, gratatur conjugium, 1690.

P. P.

QUæ de peractis inter Regiam Veſtram Majeſtatem & Sereniſſimi Electoris Palatinis filiam

am dilectisſimam PrincipemMariam Annam nuptiarum ſolennibus deque felici ſponſæ Sereniſſimæ in Hiſpaniam adventu jam pridem per publicam famam ad nos perlata ſunt, ea cum ſint merito gratisſima, tum Regia Veſtra Majeſtas, quæ per literas ſuas amantisſimas imprimis hæc nos cognoſcere voluit, ut eſſent Nobis aliquanto gratiora atque jucundiora, ſingularis ſuæ in nos benevolentiæ expresſione effecit. Cum enim omnia, quæ Regiæ Veſtræ Majeſtati proſpere feliciterque eveniunt, permagno Nos plane gaudio ac voluptate afficiant; hæc certe auſpicatiſſima conjunctio uberiorem lætandi materiam Nobis attulit, quanto certiori fiducia in ſpem venimus, multo hoc matrimonium altero illo futurum eſſe fœcundius, ex eoque Regiæ Veſtræ Majeſtati naſcituros longa ſerie nepotes poſterosque, qui per tot ſecula florentisſimæ Domus fortunam gloriamque nunquam ſine ſucceſſore certo permittent interire. Hanc itaque Hiſpaniæ Regno novam felicitatis accesſionem, hoc ad tranquillitatem illius conſervandam contractum matrimonii fœdus etiam atque etiam gratulamur, idque ut Regiæ Veſtræ Majeſtati, & amplisſimæ Hiſpaniarum genti, ut toti denique rei Chriſtianæ bonum, fauſtum anſpicatumque ſit, (quod & bonis omnibus maxime in votis eſſe, quis ambigat) junctis precibus Deum oramus. Quod ſupereſt, Regiæ Veſtræ Majeſtati quicquid a Nobis officii, honorisque & amicitiæ præſtari ullo modo poteſt, ſincero affectu perofficioſe addicimus ac pollicemur. Dabantur Lipſiæ die 18 Maji 1690.

DCCCLXIII.

DCCCLXIII.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad VICTOREM AMADEUM II. Sabaudiæ Ducem, cujus generoſe cœptum pro libertate ſua tuenda & conſervanda conſilium eximiis mactat laudibus, ſibique res ejus ſemper curæ cordique fore, pollicetur, 1690.

P. P.

EX literis Regiæ Veſtræ Celſitudinis in caſtris prope Moncallitium die 4. Julii datis coortum illi cum vicino potentisſimo disſidium, tentatamque a Galliarum Rege Sabaudicæ libertatis oppreſſionem majore cum indignatione cognovimus, quanto æquiore animo Regiam Veſtram Celſitudinem illatas ſibi ab hoſte tam ſuperbo injurias hactenus pertuliſſe non ignoramus. Recto igitur conſilio, pro libertate ſua tuenda & conſervanda, Regiam Veſtram Celſitudinem arma ſumſiſſe, omnino arbitramur, ſpe certa confiſi, Deum juſtæ Ipſius cauſæ Defenſionique adfuturum auxilio, iniquisque tam potentis inimici conatibus finem tandem impoſiturum eſſe. Nos certe, qui cum Regia Veſtra Celſitudine non amicitiæ tantum mutuæ, ſed & cognati ſanguinis nexu tam arcte conjungimur, nihil quicquam intermittemus eorum, quæ ad conſervationem ſtatus ſui incrementumque cauſæ communis ullo modo facere videbuntur. Regiæ Veſtræ Celſitudini interea fauſta omnia feliciaque, aliasque ſuper aliis adverſus hoſtes ſuos victorias, etiam atque etiam exoptantes. Dabantur in Caſtris prope Lors die 5. Sept. 1690.

Digitized by Google

DCCCLXIV.

Literæ GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, quibus ipſi bellum ſibi in Hibernia ex voto ſuccedere nuntiat, 1690.

Guilielmus III. &c.

CUm Deo Optimo Maximo viſum fuerit, pro ſua benignitate Nos ab inſtantibus mortis periculis defendere, & in expeditione illa, quam in Hyberniam ſuſcepimus, magnos & inſperatos ſucceſſus Nobis largiri, adeo, ut non tantum Dublinum, totius Regni caput, noſtræ fidei ſeſe permiſerit, ſed & plurimi amplisſimique Inſulæ Comitatus partim armis ſubacti, partim (quod maximi facimus) officii ſui ratione moti, ad nos confugerint, ardentisſimis cum votis profitentes, ſe addictisſimos Nobis & ad omnia fidelitatis munera paratisſimos, nec levibus de cauſis ſperemus, cæteros omnes felicitate, qua ſub Imperio Noſtro illis frui liceat, allectos, aut turbarum & miſeriarum, quibus quotidie vexantur, injuriarumque, quas Galli ſpecie amicitiæ & auxilii ubivis illis inferunt, pertæſos, ad officium ſuum redituros: Noſtrarum eſſe partium duximus, proſperum hunc ſtatum noſtrarum in Hybernia rerum Celſitudini Veſtræ Electorali annuntiare, ut pro amicitia ea fœderisque nexu, quibus invicem conjungimur, particeps fiat hujus noſtræ lætitiæ, quæ eo major eſt, quod res noſtras hac ratione eo in loco futuras confidimus, ut fœderatis noſtris auxiliari melius valeamus. De cætero Celſitudinem Veſtram

Electoralem Dei Optimi Maximi tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio noſtro de Whitehall 18. die Septembr. Anno Domini 1690. Regnique Noſtri ſecundo.

Celſitudinis Veſtræ Electoralis

bonus Frater, & Conſanguineus

Guilielmus Rex.

Comes de Nottingham.

DCCCLXV.

Litera ANSELMI FRANCISCI, Electoris Moguntini, ad CAROLUM XI. Svecorum Regem, quibus ipſi tranſitum a militibus Svecicis per ditiones ſuas Ordine laudabili & diſciplina militari exacte obſervata factum eſſe, refert, 1690.

Sereniſſime &c.

Dum nuper Majeſtatis Veſt. Generalis Mellinius auxiliares Ejusdem copias per hanc regionem Heidelbergam verſus in ſtradam Montanam contra hoſtium inſultus defendendam conduceret, factum id eſt ordine adeo laudabiliter ſingulari, ac tam exacte obſervata ibidem diſciplinæ militaris ratio, ut Generalis præmemorati exinde vel maxime demonſtrata æquanimitas & prudentia quemlibet in ſummam traxerit admirationem votumque, ut & aliorum confœderatorum cohortes, quæ antecedenter ibi quoque ſubſtiterant, uſi fuiſſent circumſpectione non abſimili! Factum utique inde absque dubio foret, ut & reliquis in futurum eo adventantibus neceſſaria ad ſuſtentationem

nem media non deficerent, ob quam inopiam modo aditus iſtos hoſti pervios relinquere neceſſe eſt. Nunc ob eam, quam hic in terris meis a Majeſtatis Veſtræ militibus ſubditi mei ex prudenti directione dicti Majeſtatis Veſtræ ſagaciſſimi Generalis experti ſunt bonitatem, non poſſum, quin Majeſtati Veſtræ gratias eo majores referam, quod Ea, ſicut non modo ex ejusdem ſuperius experto erga me benigniſſimo affectu, certo concipio, ſed & ex ſæpe dicti Generalis conteſtatione percepi, ſpeciali Majeſtatis Veſtræ mandato principaliter mihi contigerit, & proinde luculentiſſimum Regiæ ejusdem erga me benevolentiæ pateat argumentum, pro qua denuo, uti obligatiſſimum me agnoſco, ita ſimul enixe obteſtor, quatenus Majeſtas Veſtra me meamque Archi-Diœceſin affectibus benignitatis ſuæ ulterioribus beare non ceſſet, ſimul occaſiones plures mihi ſuggerere Eidem placeat, in quibus devinctum animum meum debita ſervitiorum promptitudine ſæpius teſtari valeam, quod prout ad exhibenda reciprocæ intimæ amicitiæ officia ardenter deſidero; ita quod reliquum eſt Majeſtatem Veſtram totamque Ejus Domum Regiam ad proſpera quæcunque divinæ protectioni animitus commendo, & in æternum permaneo &c. Moguntiæ 6. Novembr. 1690.

DCCCLXVI.

Reſponſoria CAROLI XI. Sueciæ Regis, ad præinſertas ANSELMI FRANCISCI, Electoris Moguntini Literas, 1690.

Nos Carolus &c. &c.

PErlatæ ad Nos hiſce diebus literæ Dilectionis Veſtræ die 6. Novembris nuper elapſi Moguntiæ datæ, quæ præter ſat uberem ſinceri erga Nos affectus declarationem etiam eo nomine perquam gratæ fuerunt, quod Generalem Noſtrum Excubiarum præfectum, Georgium de Mellin, cujus ductui auxiliares copias Noſtras verſus Rhenum deſtinatas commiſimus, obſervatam in tranſitu Dilectionis Veſtræ ditionum exacti ordinis & diſciplinæ militaris rationem tam egregio teſtimonio decorandum cenſuerit. Etſi vero Nobis haud ita ſingulare quid prædictus Generalis Excubiarum præfectus præſtitiſſe videatur, cum & juſſui noſtro obtemperantem eſſe oportuerit, & quæ egiſſe perhibetur, recepto apud Nos caſtrenſi more (cui ut veteranus ille dudum aſſvevit) plane fuerint conſentanea: plurimi tamen facimus, quod applauſum Dilectionis Veſtræ ille, & quas ducendas habuit ſuppetiæ, mereri potuerint, cum duriora alicubi (licet haudquaquam reformidanda) judicia effugere nequiverint, adverſus quæ, cum ſatis Nobis præſidii in propoſiti Noſtri ſinceritate & recte factorum conſcientia ſit, non mediocriter etiam firmamur, dum Dilectionem Veſtram tam generoſe & præclare de his, quæ ad Nos pertinent, ſentire cernimus. Certe cum fide optima fœdera colere Nobis jam pridem in conſuetudinem ceſſerit, nihil majore ſollicitudine providendum exiſtimamus, quam ne quos auxiliatores ſociis Noſtris ſubmittere in animum induxi-

duximus, cujuſcunque generis incommodorum & moleſtiarum autores eſſent. Itaque ſevere præcepimus, ut quaqua verſus incederent, omnibus licentioſæ militiæ actibus abſtinerent, nec quicquam, quod juſtas excitare poſſet querelas committerent. Quo uti in univerſum nulli fœderatorum Noſtrorum graves eſſe voluimus, ita ne quid damni aut detrimenti Regionibus Dilectioni Veſtræ ſubditis inferretur, pariter cavimus, utpote cujus tam intuitu arctioris, qua invicem jungimur, amicitiæ, quam ejus, quo inter Proceres Imperii Romani Germanici Dilectio Veſtra eminet, loci imprimis habendam eſſe rationem duximus. Id ipſum cum Dilectioni Veſtræ placuerit honorifica interpretatione pro aliquo Noſtro in ſe merito accipere, pro ſolita ſua civilitate agit; nec poſſumus nos e diverſo, quæ ſæpe memoratus Generalis Noſter Excubiarum Præfectus, quique Ei attributi fuere Tribuni & Ordinum Ductores alii, omniumque eorum nomine, Mauritius Vellingkius ſummis laudibus evehunt, Dilectionis Veſtræ ipſis exhibita variæ humanitatis officia ſilentio hic tranſmittere, ſed eadem ut indubia pronæ voluntatis & ſingularis erga Nos ſtudii argumenta agnoſcere. Digna proinde æſtimatione illa ſemper metiemur, & omnes avide arripiemus occaſiones, quæ reciprocæ benevolentiæ Noſtræ, tam Dilectioni Veſtræ, quam Archidiœceſi ſuæ, teſtandæ ſuppeditari poſſunt. Divinæ eandem tutelæ interea cum fido omnigenæ felicitatis & optatæ inter has ſævientis Bellonæ minas tranquillitatis Voto commendantes. Dabantur

Digitized by Google

bantur in Regia Veſtra Holmenſi die $\frac{17}{27}$. Decembris 1690.

Carolus

F. Bergenhielm.

DCCCLXVII.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad LEOPOLDUM, Rom. Imperatorem, quibus ipſi, diem 25. Februarii, anni futuri, nuptiarum filii primogeniti ſolennibus dicatam eſſe indicat, ac ut eas ardentibus votis proſequatur, modeſte ab eo contendit, 1690.

P. P.

OPus hoc, quod Majeſtas Veſtra in ſacris connubialibus Sereniſſimi Principis Domini Jacobi, Primogeniti Noſtri Chariſſimi, cum Sereniſſima Electorali Principe Domina Neoburgica jungendis fœderibus efficax eſſe voluit, ſingularique interpoſitione plenum voto ſuo reddidit, ita demum apud Nos perfectum eſt, ut ſubſcriptis per Commiſſarios Noſtros concluſi tractatus tabulis, receptaque univerſali præſentis Senatus hac ſuper re congratulatione & applauſu ſolenni huic actui celebrando in Civitate Noſtra Regni Metropolitana Varſavienſi diem 25. Februarii anni proximi dixerimus, proque Sereniſſima Neo-Sponſa Neoburgo, omni, quo par eſt, decore ad locum & terminum proximum deducenda, nec non pro commutandis prædictis tabulis ac aliis rite exequendis Legatos Noſtros deſtinaverimus. De quibus omnibus dum Majeſtatem Veſtram certiorem

rem reddimus, nihil ſupereſſe videtur, niſi ut Majeſtas Veſtra benevolentiſſimo ſuo, erga nos Domumque Noſtram Sereniſſimam ulteriori affectu iisque perpetuo continuandis, junctarum ſacro nexu amicitiarum, inſiſtere velit terminis, qui ſine termino communia Majeſtati Veſtræ ac Nobis totique Chriſtianitati exhibeant ſolatia. Hæc dum plenis exopto votis, Majeſtati Veſtræ longævam ætatem, ac proſperrimos rerum ſucceſſus ex animo precor. Dabantur Zolkieviæ die 29. Menſis Novembris, Anno 1690.

DCCCLXIIX.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis ad ELEONORAM MAGDALENAM, Rom. Imperatricem, quibus ipſi diem 25. Februarii, anni proximi, ſolenni nuptiarum filii ſui primogeniti, actui ſacratam eſſe nuntiat, 1690.

P. P.

Concluſum volente ac juvante divina voluntate negotium contracti matrimonii Sereniſſimi Principis, Domini Jacobi, Primogeniti Noſtri Chariſſimi, cum Sereniſſima Electorali Principe Eliſabetha, Sorore Majeſtatis Veſtræ Germana, tam gratam Majeſtati Veſtræ de ſuo ſucceſſu debet recordationem, quam validis deſideriis ac ſingulari affectu in id ipſum incumbere dignata eſt; confidimus omnino, ulterioribus adhuc Noſtris Majeſtatem Veſtram aſtituram gratiis, tam in deducenda Sereniſſima Neo-Sponſa, pro qua decentem Noſtram expedivimus legationem, quam in actu ipſo ſolenniter die 25. menſis Februarii, anni pro-

ximi in civitate Noſtra metropolitana Varſavienſi celebrando; apparebit in eo potisſimum ſororius Majeſtatis Veſtræ affectus, ſi ita Serenisſimam Sororem ſuam ex penetralibus paternis dimiſſam velit, ut nunquam eandem intimis ſuis charitatibus avulſam patiatur. Hæc certo Nobis pollicentes Majeſtati Veſtræ optimam valetudinem ac proſperos rerum ſucceſſus ex animo precamur. Dabantur Zolkieviæ die 29. Novemb. Anno 1690.

DCCCLXIX.

Litera MARIÆ CASIMIRÆ LOUISÆ, Reginæ Poloniæ, ad ELEONORAM MAGDALENAM, Rom. Imperatricem, a qua amanter contendit, velit ſolennem nuptiarum Filii ſui primogeniti cum ſorore ejus germana actum, votiva congratulatione, & tenerrimi affectus plauſu haut gravatim proſequi, 1690.

P. P.

SOlatia hæc, quæ in Sereniſſimam Domum noſtram ex contracto recentisſime feliciterque concluſio Matrimonio Sereniſſimi Principis, Domini Jacobi, Primogeniti Chariſſimi, cum Sereniſſima Electorali Principe, Domina Eliſabetha, Sorore Majeſtatis Veſtræ Germana, promanatura auſpicamur, ad quem potius pertinere debent, quam ad Majeſtatem Veſtram, non ſolum quod Sororis affectu, uti confidimus, cupiat ea eſſe quam maxima, ſed etiam quod intima & præcipua ſua propenſione eadem omni experto felici eventu coronanda contenderit. Reſpondeat ſuperum favore benevolentisſimis Majeſtatis Ve-

ſtræ gratiis res ipſa , atque ita ſecundiſſimi negotii iſtius ſucceſſus expleant Majeſtatis Veſtræ deſideria , quo modo & Noſtræ maternæ, immenſæ erga Sereniſſimos Neo-ſponſos ſatisfacient expectationi. Quod reliquum eſt Majeſtas Veſtra ipſi ſolenni actui juxta deſignatum tempus celebrando, tam eximiis favoribus ſuis aſſiſtere dignabitur, quam ſolidos nobis ac univerſæ Domui Noſtræ nunquam interrumpendos cum eadem pollicemur nexus. Quibus Majeſtatem Veſtram diu ſoſpitem felicem ac longævam intereſſe ex animo precamur. Dabantur Zolkieviæ die 29. Novembr. Anno 1690.

DCCCLXX.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, cui 25. diem Februarii, anni futuri celebrandis filii ſui primogenti nuptiis dicatam eſſe refert, 1690.

GRaviſſimis permoti rationibus tum præcipuæ ſanctæ ſedis Apoſtolicæ impulſu nondum emortua ex animis Reipubl. memoria veteris nexus Sereniſſimorum Regum Poloniæ cum Sereniſſima Domo Neoburgica, aliisque tam domi, quam foris ac in uſum rei Chriſtianæ ſalutaribus de cauſis Sereniſſimum Principem Dn. Jacobum, Primogenitum Noſtrum Chariſſimum cum Sereniſſima Principe Electorali Neoburgica, Eliſabetha, connubiali jungendum fœdere, quædam fuit neceſſitas. Eoque nomine, poſtquam hic recentisſime ſignatas per Commiſſarios noſtros contracti Matrimonii, cum præfixione termini

actus celebrandi in civitate noſtra Metropolitana Varſaviæ, die 25. Februarii, anni proximi, tabulas univerſas, qui præſens adfuit Senatus pleno animorum plauſu congratularetur; Reſtat, ut Majeſtati Veſtræ ſolatia hæc Sereniſſimæ Domus noſtræ communicata reddamus. Confidimus enim, Majeſtatem Veſtram, ex uberiori animi ſenſu, complexuram concluſum hoc negotium, quo propiori agnationum vinculo eisdem ſe ingerat fœderibus, ac quo arctioribus cum Majeſtate Veſtra inſiſtere amicitiis, integra nobis ſemper cura, ac ſtudium fuit. Angebit proinde Majeſtas Veſtra gaudia noſtra, ſi tantum memorato actui præſtantiſſimi ſui affectus communicare velit, quantum & cognata jura & noſtræ intimæ erga eandem expoſcunt propenſiones, quas, dum Regio conſtanti retinemus animo Majeſtatem Veſtram ſemper felicem, proſperrimisque gaudentem ſucceſſibus diu valere cupimus. Dabantur Zolkieviæ, die 29. Novembr. Anno 1690.

DCCCLXXI.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad JOHANNEM WILHELMUM, Electorem Palatinum, cui terminum perficiendis filii ſui primogeniti cum ſorore ejus germana nuptiis conſtitutum, diem 25. Februarii, anno proximo venturi eſſe, refert, 1690.

JUnctarum olim Connubiali nexu cum Sereniſſima Domo Neoburgica, Sereniſſimorum Regum Poloniæ amicitiarum non ingratam revocamus memoriam, dum recentiſſimi contracti Matrimo-

trimonii Sereniſſimi Principis Dni Jacobi Primogeniti noſtri chariſſimi, cum Sereniſſima Electorali Principe Eliſabetha Sorore Germana Serenitatis Veſtræ conſignatas tabulas iisdem actui ſolenni terminum diem 25. Menſis Februarii anni proximi Varſaviæ deſignatum, univerſus, qui nobis adfuit, præſens Senatus tam profuſo animorum applauſu congratulatus eſt, quam ſincerum erga nomen, & Domum Serenitatis Veſtræ reddit affectum. Ut proinde pro termino præfixo Sereniſſimam NeoSponſam fauſtis ſub penetralibus noſtris tenerrimo quam primum conſalutare contingat animo, quantocius Legatis noſtris cum plena ad id poteſtate, ac ad permutandas mentionatas tabulas deſtinamus & expedimus. Reſtabit, ut Serenitas Veſtra e fraternis complexibus ita dimiſſam velit, quomodo junctus & perennis amor diſſitis quidem locis, animis, & charitatibus nunquam diſtet, nobisque ac Sereniſſimæ Domui noſtræ eo ipſo ſemper optatarum inferat benedictionum ſolatia. Quæ dum Paterno auſpicamur corde, Serenitati Veſtræ ſimiles, id eſt lætos, ac proſperos rerum cum optima valetudine precamur ſucceſſus. Dabantur Zolkieviæ die 29. Novembris, Anno 1690.

DCCCLXXII.

Litera JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad ELISABETHAM AMALIAM, Electricem Palatinam viduam, idem, quod præinſerta, argumentum exhibentes, 1690.

CONcluſum ac ſignatum per Commiſſarios noſtros contracti Matrimonii Sereniſſimi Principis

cipis Jacobi, Primogeniti noſtri Chariſſimi cum Sereniſſima Principe, Eliſabetha, filia Serenitatis Veſtræ negotium, dictusque actui ſolenni terminus dies 25. Februarii, anni proximi, Varſaviæ in civitate noſtra Metropolitana, nulli dubitamus, quin maternis Serenitatis Veſtræ votis ea adferant ſolatia, quæ paria ſint ejusdem excitandis, largiendisque uberrimis benedictionibus ad dimittendam pro memorato termino Sereniſſimam Neoſponſam. Pro qua, omni quo par eſt, honore, deducenda Legatos noſtros deſtinavimus; dimiſſam vero e maternis ulnis & complexibus eandem Sereniſſimam filiam ſuam confidat Serenitas Veſt. reperturam tantum mutuarum ac tenerrimarum caritatum, quantum ſufficiant in Patris & Matris vices. Bonis itaque ac fauſtis ominibus gratisſimam quantocyus expectantes hoſpitem, longævam Serenitati Veſtræ valetudinem, ac ſemper proſperrimos precamur ſucceſſus. Datæ Zolikieviæ die 29. Novembris, Anno 1690.

DCCCLXXIII.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, quibus ipſi diem 25. Februarii anni inſtantis, celebrandis Filii ſui primogeniti nuptiis conſecratam eſſe indicat, 1690.

P. P.

SAcrum matrimonialis conſortii fœdus inter Serenisſimum Principem Dominum Jacobum, Filium Noſtrum charisſimum natu majorem, & Sere-

Sereniſſimam Principem Eliſabetham, Sereniſſimi olim Principis Neoburgici Electoris Palatini filiam, Sereniſſimæ Imperatricis Sororem, accedente Cæſarearum Majeſtatum conſenſu, pactum pleneque concluſum eſſe, ad notitiam Serenitatis Veſtræ potiſſimum ſpectare arbitramur. Cui, veluti cum eadem Sereniſſima Domo Palatina, propinqua ſanguinis jura intercedere probe novimus; ita Nos cum regia Domo Noſtra in communionem tantæ cognationis venire apprime exhilaramur. Faxit ſupremum Numen, ut connubialis hic actus, nobis omnibusque propinquis ſit auſpicatiſſimus, rei vero Chriſtianæ ac præſertim ſacræ colligationi maxime proficutus. Porro cum celebrando connubiali actui diem vigeſimum quintum Februarii proxime imminentem in arce noſtra Warſavienſi edixerimus, minime ambigimus, quin ibidem Serenitati Veſtræ placeat plauſum lætis dare hymæneis. Quod veluti Nobis ab humanitate Serenitatis Veſtræ certo pollicemur, ita eidem fauſtiſſima quæque ex animo precamur. Datæ Zollikoviæ die 29. Menſis Novembris Anno Domini 1690. Regni vero Noſtri 17.

DCCCLXXIV.

Reſponſoria JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad præimpreſſas JOANNIS III. Poloniæ Regis literas, 1690.

P. P.

NOn ſine magna animi lætitia ex amantiſſimis Regiæ Veſtræ Majeſtatis Literis die 29. Novem-

Novembris ad Nos perſcriptis intelleximus, pactum haud ita pridem inter Regiæ Veſtræ Majeſtatis Sereniſſimum Filium primogenitum, & Sereniſſimam Principem Palatinam Eliſabetham pleneque concluſum matrimonii fœdus. Qui ſane nuntius cum ſit merito per ſe gratiſſimus, tum Regia Veſtra Majeſtas, ut multo Nobis eſſet adhuc gratior jucundiorque ſingularis ſuæ in Nos benevolentiæ humanitatisque expresſione effecit. Hoc itaque auſpicatiſſimum connubium, quod novo Nos neceſſitudinis vinculo cum Regia Veſtra Majeſtate conjungit pro ſincero Noſtro in Eandem amore cultuque etiam atque etiam gratulamur, nihil magis in votis habentes, quam ut ex hac feliciſſima conjunctione, proſpera fortunataque omnia novo nuptorum pari, Celſiſſimisque illorum, Familiis oriantur, quas felicioribus indies incrementis augeri, rebusque ſemper florentiſſimis perfrui modis omnibus exoptamus. Quod ſupereſt Regiæ Veſtræ Majeſtati quicquid a Nobis officii honoriſque præſtari ullo modo poteſt, ſincero affectu perofficioſe addicimus & pollicemur. Dabantur in Electorali Noſtra Dreſda die 19. Decembr. Anno 1690.

DCCCLXXV.

Literæ COSMI III. Magni Etruriæ Ducis, ad JOHANNEM GEORGIUM III. Saxoniæ Electorem, quibus pro fratribus Mezneriis, Vitrici iniquitate diu in foro vexatis, modeſte intercedit, 1690.

Sere-

Sereniſſime Princeps, Domine Amice chariſſime.

GErmani Fratres Johannes Jacobus ac Gottfridus Mezzener, quibus propitio fato contigit, ut in ampliſſima ac feliciſſima Dilectionis Veſtræ ditione naſcerentur, quorum etiam alter in catafractorum militum Noſtri corporis cuſtodum cohorte ſtipendia cum laude meret, cum gravisſima diſpendia diutius patiantur in lite civili, quam contra Staz Fridericum von Gullen ipſorum vitricum agere coacti ſunt atque ob auctoritatem, quam eidem inſignia, quæ exercet munia maximam conciliant, cauſæ longiori comperendinatione trahatur, Nobis apud Veſtram Dilectionem intercedentibus ſperat fore, ut eadem Veſtra Dilectio juſta erga eosdemmet fratres pietate moveatur, jubeatque Judices cauſam tandem prout de jure decidere, cum nihil ipſis fratribus magis in votis ſit, quam tot diſpendiis ac ſollicitudinibus, rei familiari animoque obnoxiis finem imponere. Hanc ſibi gratiam, rogantibus Nobis, ab integerrima ac ubique gentium celebrata Veſtræ Dilectionis Juſtitia augurantur. Hinc cum iteratis eorundem precibus noſtra officia, in re quæ juſtitiam attinet, negare niſi injuſte poſſumus, fratrum ſupplicationes deferimus, quos enixius etiam commendamus. Hac opportuna quoque occaſione arrepta, Noſtram erga Dilectionem Veſtram nec non Sereniſſimam Electoralem Domum, veram ac multis etiam titulis devinctam obſervantiam conteſtamur, proſperosque

que veſtræ Dilectioni eventus a bonorum omnium largitore Deo auguramur

Dilectioni Veſtræ,

deditisſimus

Dabantur Florentiæ 16. Decembris 1690.

Coſmus Magnus Dux Etruriæ.

DCCCLXXVI.

Literæ LEOPOLDI, Rom. Imperatoris, ad JOANNEM III. Poloniæ Regem, cui reſtare adhuc quædam, quibus ante diſceſſum Sereniſſimæ Sponſæ ſatisfieri cuperet Elector Palatinus, ſignificat, & amanter injungit, ut ea quamprimum expedire velit, 1690.

ACcurrit hiſce diebus ad Aulam noſtram, citatis equis, Jacobus ab Hamilſtron, Sereniſſimi Electoris Palatini ſupremus Camerarius a Sua Dilectione eum in finem, ad nos miſſus, ut exponeret certa quædam deſideria, quibus Dilectio ſua, a Regia Serenitate Veſtra, pro ſolita & innata ſua magnanimitate & benevolentia, ante ſatis cupit fieri, quam Regia legatio Neoburgum perveniat ad celebrandum ibidem matrimonium ratum, & Sereniſſima Neoſponſa deinde abducenda. Et ut brevis eorum tenor ex adjecta pagina ſuccincte patet, ita plane confidimus, Regiam Serenitatem veſtram quicquid curæ & ſolicitudinis Sereniſſimus Elector hac in re ſedulo præfert,

præfert, fraternæ in ſororem propenſioni, & filiali in prædefunctum Sereniſſimum Parentem, qui negotium iſtud matrimoniale, hunc in modum expediri ultimis in votis habuit, pientiſſimo obſequio facile condonaturam eſſe. Eſt proinde cur ad id enixisſime rogati Serenitatem Veſtram Regiam fraterne & officioſiſſime requirendam duximus. Dignetur communi domus ſolatio, quod ex iſto ſibi matrimonio pollicetur, uberrimum id unicum ſuperaddere, ut antequam ex amplexu fraterno diſcedat Neoſponſa, Sereniſſimus Elector & ſibi blandiri poſſit, ultimis paterni affectus deſideriis, qui dubio procul omne aliud vincit, ex aſſe ſatisfactum eſſe. Quæ cauſa eſt, cur minime nobis perſvadeamus, id quod pietas ſvaſit, a Regia Serenitate Veſtra in argumentum diffidentium in ejusdem generoſitatem animorum ſequius trahendum eſſe cuivis; Equidem Regiæ fidei, tuto prorſus acquieſcimus, niſi patris auxiliis orbata Neoſponſa, ob accedentem ætatis imbecillitatem plus fraternæ ſollicitudinis a nobis exigeret. Habet Regia Serenitas Veſtra primam præ manibus ſuis occaſionem Sereniſſimam Neo-Sponſam paterno ſuo affectu, e propinquo amplectendi, ſi quæ deſiderantur pactis declarationes & aſſecurationes, ſine mora curet expediri, easque legato ſuo citatis equis ſubmittere dignetur. Quem usque dum hoc fiat, Sereniſſimus Elector parumper ſubſiſtere literis monuit, quamvis credamus, eundem ſine mora itineris ſui, facile per curſorem deprehendi

hendi poſſe, ſi res, ut facilis & æqua videtur, pari facilitate acceleretur. Nos equidem id quod nobis incumbit, parati ſumus efficere, dum Cameræ noſtræ Sileſienſi, mandata noſtra jamjam injunximus, aſſignandi certos reditus ex aliquo Principatu ad penſiones 500000. florenorum, ſumma capitali, annuatim ſufficientes, & ſicut par eſt, juxta pacta, 5. pro centum computentur, ſimul & ordinavimus, ut Serenitatis Veſtræ officialis, pro libitu conſtituendus congruam annuam penſionem ex reditibus Principatus determinandi, ſine ambagibus, in caſum minimæ moræ, ipſemet exigere & percipere poſſit. Cæterum &c. Dabantur Viennæ 31. Decembris Anno 1690.

DCCCLXXVII.

Literæ JOHANNIS GEORGII III. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Hiſpaniarum Regem, de novo anno gratulatoriæ, 1690.

P. P.

VIdemur Nobis ex ratione prorſus officii Noſtri amicitiæque facturi, ſi inter nova hæc recurrentis anni auſpicia, nova etiam rerum feliciſſimorumque ſucceſſuum incrementa Regiæ Veſtræ Majeſtati ex veteri conſuetudine exoptemus. Cumque pace ac tranquillitate publica non major Regnis contingere poſſit felicitas, nihil

eſt

eſt, quod Nos quidem, inter hos, qui Chriſtianum orbem denuo concutiunt, belli motus, magis in votis habeamus, quam ut armis inter ſe concertantium Principum animi propediem iterum in mutuam concordiam amice conſpirent, Regiæque Veſtræ Majeſtatis in ſui ipſius, Reipublicæque adminiſtratione, proſpere omnia atque feliciter ex animo eveniant! Nos interea Regiæ Veſtræ Majeſtati ſtudia officiaque omnia, quæ ad illius honorem & ornamenta quicquam conferre poſſe videbuntur ſincero affectu peroſſficioſe addicimus & pollicemur. Dabantur Dreſdæ Menſe Decembri Anno 1690.

Nota. Ejusdem tenoris literæ ad Magnæ Britanniæ, Poloniæ, Daniæ, Sveciæque Reges etiam exaratæ fuere.

DCCCLXXIIX.

Literæ credentiales, quas JOHANNES GEORGIUS III. Saxoniæ Elector, Chriſtiano ab Haxthauſen, Ablegato ſuo extraordinario, ad GUILIELMUM III. Magnæ Britanniæ Regem tradidit, 1691.

P. P.

NOn dubitamus, quin Regia Veſtra Majeſtas ex literis Noſtris ad Eandem haud ita pridem officioſisſime perſcriptis, quanto Nos illam amore cultuque proſequamur, quove ſtudio pro

conſervanda rei communis utilitate cum Eadem ſolliciti ſimus, ſatis ſuperque perſpexerit, poſteaquam igitur intelleximus, Regiam Veſtram Majeſtatem tam ſalutari Conſilio Hagam Comitum propediem venturam, conventumque ibidem inſtitutum auguſta ſua præſentia illuſtraturam eſſe, omnino officii Noſtri eſſe duximus, præſentium exhibitorem Virum Nobilem, dilectum nobis ac fidelem noſtrum in re militari conſiliarium intimum, Chriſtianum Auguſtum ab Haxthauſen, tanquam Ablegatum Extraordinarium iſthuc loci amandare, qui & Regiæ Veſtræ Majeſtati de felici in iſtas Provincias adventu, ea, qua par eſt obſervantia, Noſtro nomine gratuletur, deque rebus commodum publicum concernentibus, aut aliquam inter Nos communicationem poſtulantibus, cum Regia Veſtra Majeſtate Ejusdemque Miniſtris convenienter agat. Majorem itaque in modum rogamus, ut Regia Veſtra Majeſtas prædictum Noſtrum Conſiliarium, quotiescunque res poſtulaverit, benigne admittere, plenamque in omnibus, quæ ipſi dedimus in mandatis, habere fidem; ac pro favore ſuo, quæ neceſſaria viſa fuerint, per eundem Nobis indicare velit. Credat autem Regia Veſtra Majeſtas Nos pro tam luculentis benevolentiæ indiciis haud parum ipſi obſtrictos fore, ſeduloque operam daturos, ne unquam vel ſuis vel communis rei commodis deeſſe videamur: ad quos Nos jam inde alias, tum neceſſitudinis inter nos mutuæ vinculum, tum ipſa publica ſalus, præſensque rerum

ſtatus

ſtatus non immerito obſtringunt. Quod ſupereſt Regiæ Veſtræ Majeſtati nova quotidie felicitatis incrementa proſperrimosque rerum ſucceſſus a Deo Optimo Maximo etiam atque etiam exoptamus. Dreſdæ die 19. Januarii 1691.

DCCCLXXIX.

Literæ UNIVERSORUM EVANGELICORUM Liberæ ac Regiæ Civitatis Poſonienſis, ad CHRISTOPHORUM Epiſcopum Neoſtadienſem de Conciliatione Religionum Pontificiæ & Evangelicæ agentes, 1691.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, Domine Nobis gratioſisſime.

Servitiorum Noſtrorum humillimorum demiſſam commendationem.

Literas ejusdem Dominationis Veſtræ Illuſtrisſimæ & Reverendisſimæ de Dato 16. currentis Menſis Junii, una cum incluſis benignisſimis Cæſareæ Regiæque Majeſtatis ſalvi conductus tabulis debita cum reverentia accepimus: quibus lectis & intellectis ſanctam ejusdem Dominationis Veſtræ Illuſtrisſimæ & Reverendisſimæ Intentionem circa Reunionem Religionis & Pacis Eccleſiaſticæ conciliationem ſincere ſuſcepimus, Deum intimis cordis ſuſpiriis orantes, ut hunc Dominationis Veſtræ Illuſtrisſimæ & Reverendisſimæ laborem clementer ſecundare & ad Nominis ſui gloriam Eccleſiæque ſuæ incrementum diri-

Digitized by Google

dirigere velit. Quantum porro ad certos e medio Noſtri ad diem 25. ſpecificati Menſis hujus Kiſmartonium Deputandos attinet, eatenus Nos libenter gratioſæ Illuſtrisſimæ & Reverendisſimæ Dominationis Veſtræ Intentioni accommodaſſemus. Quia vero hæc res alioquin perardua, magnique momenti, conferentiam cum aliis vicinarum Civitatum Evangelicis requirit, impoſſibile autem erat ſub hoc brevioris termini tempore hanc inſtituere Conferentiam, confidimus Illuſtriſſimam & Reverendiſſimam Dominationem Veſtram, hanc Noſtram rationabilem excuſationem gratioſe interpretaturam, non omiſſuri hanc piam ejusdem intentionem cum Prælatis vicinarum Civitatum Evangelicis quamprimum conferre, & ſic communibus votis noſmet deſuper reſolvere, manentes

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ

Sub Dato Poſonii 22. Junii 1691.

humillimi Servi

Univerſi Evangelici liberæ ac Regiæ Civitatis Poſonienſis.

(L.S.) (L.S.) (L.S.) (L.S.) (L.S.) (L.S.) (L.S.)

Inſcriptio.

Illuſtriſſimo ac Reverendisſimo Domino, Domino Chriſtophoro, Epiſcopo Neoſtadienſi &c. Domino Domino Nobis gratioſisſimo.

DCCCLXXX.

DCCCLXXX.

Literæ LEOPOLDI, Rom. Imperatoris, ad CONFOEDERATOS SUOS, quibus ipſis victoriam per ſuos, Ludovico, Marchione Badenſi Duce, è Turcis reportatam nuntiat, 1691.

Leopoldus &c. &c.

Amici & Confœderati Chariſſimi.

NOn poſſumus non vos utpote fœderatos Noſtros chariſſimos, reddere participes inſignis Victoriæ, quam fortiſſima Dei dextra exercitui Noſtro in Hungaria, Duce Sereniſſimo Marchione Ludovico Badenſi, contra Turcas decima nona præſentis Menſis elargita eſt, dum hi dictum exercitum Noſtrum, ob defectum aquæ pauliſper recedentem, inſecuti, imo antevertentes, caſtraque metati eadem in momento ita muniverant, ut non niſi ex una parte aditus pateret, quo alacriter, non obſtante acerrima reſiſtentia, impetito, poſt cruentum dubiumque aliquod horarum conflictum hoſtis in confuſionem actus & cæſus, terga tandem ingenti ſuorum clade turpiter vertere, ipſumque exercitum noſtrum præliando tranſire coactus eſt, duodecim circiter millies ſuorum in acie trucidatis, pluribusque ſauciis. Caſtra, tormenta & commeatus omnis Noſtris in prædam ceſſerunt, quibus tamen nec incruenta fuit victoriæ gloria, quippe ultra tria millia eorum pariter & inter hos non pauci offi-

ciales tum primi, tum ſecundi ordinis occubuere. Speramus fore, ut vos communem Nobiscum de hocce fortunato eventu ſentiatis lætitiam, & divinum Numen exoretis, ut pluribus ejusmodi Triumphis in depreſſionem Turcarum beare Nos continuet, dum viciſsim Vobis non minores contra hoſtem pariter communem Noſtrum progreſſus ex corde peroptamus. Datum in Civitate Noſtra Viennæ die 25. Auguſti 1691.

DCCCLXXXI.

Litera JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Hiſpaniarum Regem, cui Johannem Georgium III. Parentem ſuum deſideratiſſimum ad beatiores Cælitum ſedes translatum eſſe, nuntiat, 1691.

P. P.

QUo firmiorem de Regiæ Veſtræ Majeſtatis erga Nos affectu ſpem concepimus, eo prolixiore fiducia in ſinum illius jam effundimus dolorem, quo nos graviter affligimur ex inopino obitu Sereniſſimi Principis, Domini Johannis Georgii III. Ducis Saxoniæ tot. tit. Domini Parentis Noſtri honoratiſſimi die 12. hujus Menſis Tubingæ, quo paulo ante e caſtris curandæ Valetudinis cauſa conceſſerat, conſtanti in ſalvatorem ſuum fide exſpirantis. Qui quidem ex tam ſenſibili vulnere conceptus dolor tanto nobis acerbior accidiſſe credendus eſt, quanto Nos ipſi impen-

impenſius amavimus pie defunctum, quantoque publicæ rei magis intererat ipſum adhuc in vivis eſſe, hoc præſertim tempore, quo Sacri Romani Imperii libertas atque ſecuritas tam immani violentia oppugnatur: cujus fortiter defendendæ curam fortaſſis hactenus nemo majorem quam ſupra memoratus & ſemper memorandus honoratisſimus Dominus Parens Noſter habuit & exercuit. Verum enim vero, cum viſum fuerit ſupremo Numini, poſt tot, quæ certe in hac mortalitate Nemo evadit incommoda, in ea illum loca transferre, ubi vita ſine mortis metu, gaudium ſine mœroris mixtura eſt, non poſſumus ſane hanc pie defuncto beatitudinem invidere, tantumque adeo abeſt, ut dolendum amplius eſſe credamus, ut gratulemur potius ei, tanquam ad communia vota præeunti. Exiſtimavimus tamen interea Noſtro in Regiam Veſtram Majeſtatem amori cultuique convenire, hisce Eandem acceptæ hujus domeſticæ cladis participem reddere, quod bene novimus, ab illa pie defunctum æſtimatum ſemper fuiſſe affectu plane ſingulari. Quem ut Regia Veſtra Majeſtas tanto nunc cumulatius in Nos derivare, eademque, qua pie defuncto Noſtro Parenti præſtitit, benevolentia Nos quoque complecti velit, eſt quod modis illam omnibus non tam rogamus quam contendimus. Quod ſupereſt Deum optimum Maximum veneramur, ut ejusmodi infelices eventus triſtiaque omnia a Regia Veſtra Majeſtate totaque illius Auguſtisſima Domo quam

Digitized by Google

longiſſime avertat, Eamque ab omni lugendi occaſione incolumem ſemper præſtet ac perpetuo felicem. Dabantur Hailbron die 14. Septembris 1691.

Nota. Literæ ejusdem argumenti ſcriptæ quoque ad Imperatorem, Magnæ Britanniæ, Poloniæ, Daniæ Sveciæque Reges, nec non ad alios Europæ Proceres fuere.

DCCCLXXXII.

Reſponſoriæ CAROLI II. Hiſpaniarum Regis ad præinſertas JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris, de obitu Sereniſſimi Parentis ſui nuntiatorias, 1691.

Carolus &c. &c.

Literæ Dilectionis Veſtræ 14. Septembris datæ luctuoſum Sereniſſimi Principis Johannis Georgii, Dilectionis Veſtræ Parentis deſideratiſſimi obitum nuntiantes, eo, quem hiſce præſertim turbatis temporibus, tam gravis exigit jactura, mœrore Nos affecerunt: cui profecto leniendo nulla omnino par eſt conſolatio, niſi quod Dilectio Veſtra Paternarum imprimis Virtutum hæres, in Electorales ditiones, & immortalia majorum ſuorum decora ſucceſſerit. Ideo ſine mora delegimus Generalem Vigiliarum Præfectum Johannem Franciſcum Manrique, qui Dilectionem Veſtram adeat, conceptumque ex lugubri fato

ſato Principis Nobis & Auguſtæ Noſtræ Domui amicitia conjunctisſimi, acerbum dolorem nomine Noſtro aperiat: ſimul etiam ſublimem Electoralis muneris Dignitatem gratuletur: Denique viva voce teſtetur Dilectioni Veſtræ, nihil nobis accidere poſſe gratius, quam ut perpetuata cum Dilectione Veſtra, ea quæ nobis cum Ejusdem præclarisſimæ memoriæ Genitore intercesſit necesſitudo, majora adhuc indies capiat incrementa. Quod uti Dilectio etiam Veſtra gratum ſibi fore ſignificat, ita & Nos nullam prætermittemus occaſionem, eandem prorſus animorum quemadmodum & mutuarum rerum conjunctionem, propenſisſimæ in Dilectionem Veſtram Voluntatis argumentis arctius ſtringendi. Haud igitur dubitamus, quin Dilectio Veſtra Præfatum Johannem Franciſcum Manrique, pro innata humanitate, tanquam Miniſtrum Noſtrum, benevole admittat, atque omnimodam fidem habeat iis, quæ ex Nobis Dilectioni Veſtræ plurimis indicaverit. Sic Deus optimus Maximus Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Dabantur Madriti 14. Nov. 1691.

DCCCLXXXIII.

Litera JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris, ad GUILIELMUM III. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ab eo obnixe contendit, velit Johanni Friderico, Lib. Bar. ab Eck, ſi quid ſuo impoſterum proferret nomine, omnimodam adhibere fidem, 1691.

P.P.

P. P.

PArens noſter chariſſimus ac venerandus, nunc in Deo beatus, cujus obitum adhuc acerbe lugemus, ad Majeſtatem Veſtram miſit cubicularium ſuum Johannem Friedericum Baronem ab Eck, ut ſicuti Majeſtas Veſtra ablegatione Baronis a Frieſen Parentem noſtrum honoraverat, is rurſus tam inſigne ſtudium ac benevolæ voluntatis certisſimum teſtimonium quodammodo penſaret. Nos cum ejus veſtigiis inſiſtamus, & jam diu occaſionem quæſiverimus deditiſſimum Noſtrum ergaMajeſtatem Veſtram animum teſtificandi, hanc inter Principes firmandæ amicitiæ conſvetudinem ambabus manibus amplectimur & Baroni ab Eck apud Majeſtatem Veſtram delatum honorem continuamus, nulli dubitantes hoc Majeſtati Veſtræ gratum fore, ſperamusque ſimilem liberam admisſionem ac fidem apud Eandem habiturum. Quibus Majeſtatem Veſtram divinæ protectioni commendamus, & proſperrimos ubique ſucceſſus florentisſimis ejusdem rebus apprecamur. Datum Sweigeriæ die 15. Septembris 1691.

DCCCLXXXIV.

Literæ GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad JOHANNEM GEORGIUM IV. Saxoniæ Electorem, quibus ipſi Limericæ, urbis munitisſimæ, expugnatione Hiberniæ res in totum tranquillatas eſſe notificat, 1691.

Guili-

Guilielmus III. &c.

CUm voluntate ac nutu ſummi rerum omnium moderatoris Dei optimi maximi factum ſit, ut Limerica, Urbs iſta totius Regni Noſtri Hiberniæ munitisſima, ſituque loci ad magis ſtrenuam occupationem opportuna, tertia die Menſis jam labentis in poteſtatem Noſtram facilem per pactionem venerit; eaque ratione rebellatoribus Hibernicis omni præſidio ſpoliatis copiis eorum deletis undique & depreſſis Rebellio iſta quaſi capite truncata ſit, totumque Regnum ſub Imperio Noſtro jam ab armis conquieverit, pro ea, quæ nobis cum Celſitudine veſtra Electorali diu intercesſit necesſitudine, eoque quo nunc invicem fœderis nexu conjungimur, Ipſum ea de re certiorem eſſe faciendum imprimis duximus; certa ſpe freti proſperum hunc rerum noſtrarum ſtatum (quarum tamen ſuccesſibus non ita ſumus elati, quin hanc ſupremi Numinis in Nos benignitatem gratisſimis quantum poſſumus animis agnoſcamus) Celſitudini Veſtræ Electorali idem quod & Nobis gaudium eſſe allaturum. Licet enim fatendum ſit, gratisſimum nobis hunc fuiſſe nuntium; in nullo tamen magis lætamur, quam quod capta hac urbe, eo in loco res noſtræ collocantur, ut confœderatis Noſtris contra infeſtos Galliæ impetus (quibus tota undique Europa multis jam ab annis graviter ingemuit) majori eſſe adjumento atque uſui poſſumus. Quocirca (nihil enim nobis magis cordi eſt) ad omnem

occa-

occaſionem intenti, nonnulli, quæ ad nos adtinet, Deo juvante aderimus. Et Deus iſte Celſitudinem Veſtram Electoralem incolumem, noſtramque amicitiam firmisſimam communi orbis Chriſtiani bono quam diutisſime conſervet. Dabantur in Palatio Noſtro de Whitehall 28. die Octobris Anno Domini 1691. Regnique Noſtri tertio.

Celſitudinis Veſtræ Electoralis

Bonus Frater & Conſanguineus,

Guilielmus Rex.

Vice Comes Sydneus.

DCCCLXXXV.

Reſponſoria JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris, ad præimpreſſas GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis literas, quibus ipſi de Hibernia ſub poteſtatem ſuam in totum redacta amice gratulatur, 1691.

P. P.

GRatisſime Nobis fuerunt Literæ, quibus Regia Veſtra Majeſtas de redacta in poteſtatem ſuam totius propemodum Hiberniæ munitisſima urbe, Limerica, certiores Nos ac tam ingen-

ingentis gaudii participes reddere voluit. Tametſi enim omnia, quæ Regiæ Veſtræ Majeſtati proſpere feliciterque eveniunt, perquam libenter audiamus; nihil eſt tamen, quod in præſenti Nobis intellectu jucundius accidere potuiſſet, quam per felicem hunc armorum ſucceſſum fractis hoſtium viribus, omnique impoſterum præſidio ſpoliatis totam tandem Hiberniam ſub Regiæ Majeſtatis Veſtræ Imperium veniſſe. Quo magis Eidem nunc novam hanc ampliſſimi Regni acceſſionem, reportatamque de hoſtibus ſuis victoriam gratulamur: qua non ad Regiæ Majeſtatis tantummodo, verum etiam ad totius propemodum Europæ reſpirationem permagnum allatum eſſe momentum non fruſtra forte credimus: Spe certa confiſi Regiam Veſtram Majeſtatem, quod Literis ſuis ſincere promittit, confœderatæ ſibi Germaniæ contra communem hoſtem tanto majori impoſterum auxilio adfuturam. Qua tam laudabili in re nos certe Regiæ Veſtræ Majeſtatis exemplum ſtrenue ſequemur, nihil quicquam intermiſſuri, quod vel ad utilitatem publicam promovendam, vel ad firmandam inter nos magisque indies adaugendam amicitiam (cujus honorem perſane maximi facimus) conducere ullo modo poſſe videbitur. Qui interea Regiæ Majeſtati Veſtræ proſpera omnia feliciaque etiam atque etiam exoptamus. Dabantur Dreſdæ die 14. Nov. 1691.

DCCCLXXXVI.

DCCCLXXXVI.

Breve INNOCENTII PAPÆ XII. ad LEOPOLDUM Rom. Imperatorem, quem vehementer hortatur, velit ſedulo operam dare, ut priſtina quamprimum Europæ reſtituatur tranquillitas, 1691.

Innocentius Papa XII.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

DUm ex hac cœlo proxima ſtationis Apoſtolicæ ſpecula, in qua immerentes licet, collocati ſumus, demandatos late paſtorali curæ Noſtræ fideles populos vigili mente luſtramus, pro intimæ juſtitiæ ſenſu, ob immanes calamitates, in quibus feralibus undequaque ſævientibus bellis, eosdem fideles conſtitutos eſſe animadvertimus, pene deficimus. Ingentibus itaque ac quam maxime luctuoſis pereuntium clamoribus excitati, Majeſtati Tuæ, de cujus Religione, deque propenſa erga Chriſtianæ Reipublicæ commoda voluntate præclaram gerimus opinionem, illas admovere preces decrevimus, quas ad miſericordiæ patrem continenter effundimus, ut tot tantorumque exuberantium malorum tempeſtatem diſperdat, eamque vertat in auram exoptatæ tranquillitatis, firmam profecto in

in ſpem venientes, fore, ut attenta præfatæ juſtitiæ noſtræ magnitudine perpenſisque inopum miſeriis, & gemitibus interfectorum, paratum jam ad pacem amplectendam animum magis etiam in id inflammes atque confirmes. Equidem effrenem, ubi militum licentiam, ſacrorum conculcationem, totque animarum, ut verendum eſt jacturam, quarum rerum conſideratio, ſupra quam explicari queat, nos tangit, Tecum ipſe reputaveris, dubitare minime poſſumus, quin ingenitæ Tibi pietati indulgens, profligatarum gentium incolumitati, divini cultus reparationi, animarumque ſaluti proſpicere ſtatuas; æquiores ſane bonorum omnium largitori Deo pro beneficiis, quibus auguſtam Majeſtatis Tuæ perſonam abunde locupletavit, grati animi vices perſolvere nequaquam poteris, illius hæreditatis reſtitutione, quam rediturus in cœlum Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ teſtamento legavit. Age igitur, chariſſime fili, Chriſtianæ Reipublicæ ærumnas, quantum in te erit, levare contende, earumque Tibi aſſecutionem laudum propone, quas redundaturæ ex pace in ipſammet Rempublicam inexplicabilis felicitatis autoribus non interituris præconiis rependet reviviſcentium plauſus populorum. Quod ad Nos attinet, nullum accuratæ ſollicitudinis intentatum relinquemus experimentum, quo amplam Majeſtati Tuæ cæterisque Chriſtianis Principibus ad tam ſalutare opus conficiendum viam ſternamus. Tibique interim benevolentiæ, qua te impenſe proſequimur, pignus, Apoſtolicam benedictionem amantiſſime

tiſſime impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem ſub annulo Piſcatoris, die octava Decembris Anno 1691. Pontificatus Noſtri anno primo.

DCCCLXXXVII.

Reſponſoria LEOPOLDI, *Rom. Imperatoris, ad præinſertum* INNOCENTII PAPÆ *XII. breve, 1692.*

Beatiſſime Pater.

Quantopere excrucient animum Sanctitatis Veſtræ immanes bellorum undique ſævientium calamitates, quibus populus Chriſtianus premitur; & quanta ſollicitudine id agat, ut exulceratos Chriſtianorum Principum animos ad pacem concordiamque revocet, ex literis ejus die 8. elapſi proxime Menſis ad Nos datis prolixius percepimus. Et vero non minus Nos, quam paternum Sanctitatis Veſtræ pectus affligunt mala illa, quæ ex bello nuper non ſine ſummo ſcelere excogitato, Chriſtianæ Reipublicæ quotidie majora incumbunt; ſed id vero Nobis ſolatii eſt, quod Deo & conſcientia teſte, ab omnium eorum culpa immunes ſimus, quippe qui arma non niſi laceſſiti, pro Imperii Populique Nobis commiſſi neceſſaria defenſione ſuſcepimus. Et imprimis Sanctitati Veſtræ penitiores cordis Noſtri ſenſus longa olim conſvetudine ita perſpecti ſunt, ut ſancte intelligat, nihil Nobis gravius accidere, quam gratum Nobis pacis tranquillitatiſque publicæ ſtudium, novis ſemper impri-

mis

mis Galliæ, ſive ambitionis ſive invidiæ impulſibus irritari. Neque enim pactorum ulla & fidei publicæ religio apud Coronam hanc adeo hactenus valuit, ut non toties violata fuerint ac inita. Nam ut alia prætereamus, ingemiſcit profecto Chriſtianus orbis, & deteſtabitur Poſteritas, quod Chriſtianiſſimus Rex eo ſe abduci paſſus ſit, ut interrupto nuper pleno victoriarum noſtrarum contra infideles curſu, Nobis amicitiæ paulo ante cum ipſo renovatæ fiducia incautis, infeſta iterum prius arma intulerit, & cædibus, rapinis, incendiis omnia repleverit, quam ullam armorum cauſam aut offenſionem denunciarit. Conculcanda ſcilicet erant potius divina humanaque omnia quam aut occaſio Galliæ proferendorum ad Rhenum limitum omittenda, aut Nobis & Chriſtianitati belli contra Turcas feliciter conficiendi, firmandorumque finium facultas permittenda. Obligavit proinde Nos ſupremi muneris Noſtri ratio, conſpirantibus Chriſtianiſſimi Regis & Chriſtiani nominis hoſtium contra nos armis, ſocios nobis & fœderatos, pro noſtra populique noſtri defenſione, adverſus eundem adjungere, quorum fœderum ea præcipua lex eſt, ut nihil de tractatibus pacis niſi communicato cum ipſis conſilio, ſtatuere valeamus. Cum vero de eorum voluntate id polliceri poſſimus, illos non minus ac Nos eam ſemper votis ſuis pacem complecti, qua univerſus Chriſtianus Orbis, juxta Pyrenææ & Weſtphalicæ Pacificationis violatas a Gallia Leges, ad tranquillitatem priſtinam componatur, ita in hoc

præcipuus vertetur cardo, ut ſanctitas Veſtra eo imprimis apud Chriſtianiſſimum Galliæ Regem, utpote belli autorem, paterna ſua officia quam efficaciſſime convertat, ut ad utriusque hujus Pacificationis tractatus, quos ipſe rupit reſtaurandos commoveatur. Quod ſi ab ipſo Sanctitas Veſtra pro cauſæ juſtitia impetraverit, non deerimus ſane partibus noſtris, ut ſanctam Beatitudinis Veſtræ pro Chriſtianitatis bono, intentionem, Ejusdemque oblatam paternam operam & conciliationis officia, nobis certe gratiſſima etiam reliquis fœderatis noſtris accepta reddamus, nec effectu caritura. Quod Sanctitati Veſtræ pro noſtro erga eandem obſervantiæ ſtudio ad amantiſſimas ſuas Literas reponendum duximus, divinam bonitatem orantes, ut Sanctitatem Veſtram diutiſſime Eccleſiæ & nobis ſoſpitem præſtet. Viennæ die 20. Januarii 1692.

DCCCLXXXIIX.

Literæ, quibus JOHANNES GEORGIUS IV. Saxonum Elector GUILIELMO III. Magnæ Britanniæ Regi, cauſas exponit, cur copias ſuas ex ſtativis ad Rhenum habitis in terras reduxerit hæreditarias, ſimulque Eum rogat, ut ſibi in recuperando Ducatu Lauenburgenſi auxiliatrices præbeat manus, 1691.

P. P.

NOn poſſumus ſatis efferre laudibus curam ſollicitudinemque, quam Regia Veſtra Majeſtas ſe pro ſalute publica gerere, literis die 10.

Novem-

Novembris multo amantiſſime ad nos perſcriptis oſtendit, perquam amice a nobis contendens, ut in iis negotiis; quæ exercitus noſtri hyberna & ſubſidiarias pecunias ſpectant, conditionibus illis, quæ a Sereniſſimo Romanorum Imperatore oblatæ ſint, aſſenſum noſtrum præbere, commodaque noſtra bono publico poſthabere velimus; cum nihil hoc tempore Reipublicæ Chriſtianæ magis intereſſe videatur, quam ut Principes omnes præſenti bello contra communem hoſtem conjuncti, unanimi conſenſu conſilia viresque ſuas contra Gallicas inſidias copiasque conferant. Quem ſane Regiæ Veſtræ Majeſtatis pro conſervatione rei communis vere Regium ardorem, tanto nos quidem impenſius æſtimamus, quanto Ipſimet majori ſtudio contentioneque, jam inde ab initio hujus belli laboravimus, mala & pericula omnibus univerſim inde metuenda facili & matura præcautione avertere. Neque enim Regiæ Veſtræ Majeſtati incognitum eſſe poteſt, (præter operam indefeſſam, quam contra communem Chriſtianitatis hoſtem, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis ſedem Viennam ab obſidione, adducto celeriter exercitu Noſtro, liberare Budamque veterem Hungariæ Regiam ex Turcarum faucibus eripere juvando impendimus) nos ipſos fuiſſe primos inter Germaniæ Principes, qui ad ſiſtenda cruentiſſimi novi hoſtis arma communeque incendium reſtinguendum, prævio conventu Magdeburgenſi, quanta fieri potuit celeritate copias noſtras eduximus, cumque paucis Luneburgicis Haſſiacisque conjunctas,

communi oppoſuimus periculo, tam felici ſane eventu, ut primus hoſtium impetus haud parum hoc modo coërceretur, qui alias non Germaniæ tantum noſtræ, tunc ſane cum prima irruptio fieret, per bellum Hungaricum milite fere omni, præſertim ad ſuperioris & medii Rheni ripam, deſtitutæ; ſed ipſi etiam Angliæ Hiſpaniæque imminere, imprimis autem confœderatis Belgii Provinciis devaſtationem numeroſo exercitu videbantur minari. Nec ignorare Regiam Veſtram Majeſtatem arbitramur, quam & hoc & ſuperiore anno vel in obſidione Moguntina, vel in nuperrima cum Electore Bavariæ peracta denuo expeditione, nihil quicquam intermiſerimus eorum, quæ ad reprimendos tam potentis inimici conatus, ejusdemque vires infringendas ullo modo facere poſſe videbantur. Qua quidem ex re non vicinis tantum & confœderatis Noſtris, ſed exteris etiam regionibus, quæ periculo proximæ erant, multum utilitatis proveniſſe, ſatis pro ſua prudentia agnoſcere Regiam Veſtram Majeſtatem credimus. Tanto igitur majore doloris ſenſu nos affici credendum eſt, quod, dum ipſi contra hoſtem communem non ſine maximis impenſis cum exercitu Noſtro adhuc in caſtris verſamur, omniaque Noſtra publicæ ſalutis cauſa, parum tuta quaſi a tergo relinquimus, facta nobis conſequendorum Hybernorum certiſſima ſpe, quæ copiis noſtris locis opportunis aſſignari, ipſius publicæ rei fortaſſis intererat; hac tamen fruſtrari nos plane, militique noſtro non ut reficeretur, ſed ut perpetuas

quaſi

quaſi excubias ageret (quod ad irreparabile ejus damnum aut ad interitum, cum, quæ neceſſaria de præſenti requirebantur, non aderant, nec poſtmodum victus advehi poſſe poſſibile videbatur, omnino vergere debebat) loca prorſus remota, atque hoſtilibus incendiis, rapinis ac devaſtationibus jam dudum deſolata offerri videmus. Quæ ſane res tandem neceſſitatem, fatente ipſa Cæſarea Majeſtate nobis impoſuit, copias noſtras tredecim fere millia veteranorum militum explentes, quas alias idoneis locis, prohibendis per hanc hyemem novis inimici irruptionibus, ſubſiſtere juſſeramus, domum revocandi non ſine maximo noſtro & Regionum noſtrarum damno reique pecuniariæ detrimento. Neceſſitatem hujus facti noſtri fuſius deducere non attinet, cum per ſe pateat, atque ex adjunctis Literarum copiis, quas ad ordines fœderatarum Provinciarum in hac ipſa materia nuper admodum exaravimus, clarius adhuc poſſit intelligi. Facileque pro ſua prudentia Regiam Veſtram Majeſtatem credimus perſpecturam, niſi damna ac detrimenta ſuperioribus expeditionibus accepta quodammodo ſarciantur, Nos tot tædiis ſumptibusque exhauſtos, ad ulteriora auxilia ferenda habiles, onerique ſuſtinendo diutius pares eſſe vix poſſe. Qui tamen alias ſi neceſſariis adjuti fuerimus, quicquid ad bellum commune proferendum poteſt conducere, prompte & absque omni mora præſtabimus, maximaque contentione & diligentia, ad rei communis utilitatem tuendam, una cum iis quibus idem eſt ani-

ıe ulteriori mora priſtino ſtatui atque poſſeſſio-
ante omnia reſtituamur. Id æquitati natura-
id Imperii Noſtri conſtitutionibus, id divino
ntiumque juri congruum eſt, eoque pertine-
t, ut boni publici promovendi major impo-
rum etiam a nobis poſſit haberi ratio: cum
res aliter eveniret, metuendum forte fuerit,
plus inde detrimenti publica res, quam alio
ıovis modo capiat, præſertim cum de ſancitis
m jam cum Rege Sveciæ pro defendenda illa
juſta occupatione fœderibus, publica haud ita
ridem ad nos fama pervenerit. Quæ omnia ſi
ertere Regia Majeſtas Veſtram operam dederit,
ræclare de bono publico merebitur, Nosque
ıfinitis modis ſibi vicisſim obligatos habebit,
ui nihil quicquam prætermittemus, quod con-
rvando fortiusque obligando inter Regiam Ve-
ram Majeſtatem atque Nos mutuæ Intelligen-
æ & amicitiæ vinculo inſervire poſſe videbitur.
ui interea proſperrimos rerum eventus etiam
tque etiam exoptamus. Dabantur Dreſdæ die
ɔ Decembris 1691.

DCCCLXXXIX.

*itera JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Ele-
ctoris, ad CAROLUM II. Hiſpaniarum Regem,
cui auſpicatas cum omnigena felicitatis incre-
mento gratulatur inſtantis novi anni calendas,
1691.*

P. P.

Nhæremus Majorum noſtrorum veſtigiis inter-
que prima & Regiminis noſtri & novi hujus
anni

mus, incumbemus, ſociaturi de eo cum Regia Veſtra Majeſtate ſerio atque optima fide conſilia Noſtra. Quæ cum pro ſua ingenii ſagacitate omnia rerum momenta prudenter expendat, de facili etiam judicabit, quantum communi rei objiciatur obſtaculi, per illicitas illas oppreſſiones, quibus nos Duces Luneburgenſes in poſſeſſione noſtra Ducatus Lauenburgici vi armata turbare, loci opportunitate adjuti adeo non deſiſtunt, ut potius Nobis in nupera expeditione æſtiva, Reipublicæ cauſa abſentibus, rem novis denuo attentatis, exſtructioneque imprimis novorum fortalitiorum magis magisque vulneraverint: Cum tamen nos expeditionem illam nonniſi hac conditione fuerimus adgreſſi, ut mandatis Cæſareis Duces Luneburgenſes ad reſtitutionem omnium, in ſtatum, quo ante invaſionem fuerant, adigerentur. Quæ ſane res cum peſſimi omnino exempli eſſe, facileque alios ad ſimilia, in ſummam rei communis perniciem patranda, incitare poſſe videatur, eam omnino in Regiæ Veſtræ Majeſtatis prudentia & æquanimitate fiduciam ponimus, ut plane ſperemus Eandem, quæ hactenus in præjudicium legitimæ apprehenſæ poſſeſſionis Noſtræ patrata ſunt, tanquam inique facta minime probaturam; quin potius æquiſſima deſideria Noſtra ad recuperandam, quæ per vim dejecti ſumus dicti Ducatus poſſeſſionem, omni favore proſecuturam, curaturamque enixe, ut, cum negotium hoc ad normam legibus Imperii conformen quam celerrime finiri, communis rei magnopere interſit, Nos abs-

que

que ulteriori mora priſtino ſtatui atque poſſeſſioni ante omnia reſtituamur. Id æquitati naturali, id Imperii Noſtri conſtitutionibus, id divino gentiumque juri congruum eſt, eoque pertinebit, ut boni publici promovendi major impoſterum etiam a nobis poſſit haberi ratio: cum ſi res aliter eveniret, metuendum forte fuerit, ne plus inde detrimenti publica res, quam alio quovis modo capiat, præſertim cum de ſancitis jam jam cum Rege Sveciæ pro defendenda illa injuſta occupatione fœderibus, publica haud ita pridem ad nos fama pervenerit. Quæ omnia ſi avertere Regia Majeſtas Veſtram operam dederit, præclare de bono publico merebitur, Nosque infinitis modis ſibi vicisſim obligatos habebit, qui nihil quicquam prætermittemus, quod conſervando fortiusque obligando inter Regiam Veſtram Majeſtatem atque Nos mutuæ Intelligentiæ & amicitiæ vinculo inſervire poſſe videbitur. Cui interea proſperrimos rerum eventus etiam atque etiam exoptamus. Dabantur Dresdæ die 20 Decembris 1691.

DCCCLXXXIX.

Litera JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Hiſpaniarum Regem, cui auſpicatas cum omnigena felicitatis incremento gratulatur inſtantis novi anni calendas, 1691.

P. P.

INhæremus Majorum noſtrorum veſtigiis interque prima & Regiminis noſtri & novi hujus anni

anni auſpicia, votis pro incolumitate Regiæ Veſtræ Majeſtatis veteri more nuncupatis, hanc quaſi opportunam firmandæ inter nos amicitiæ ambabus manibus complectimur, ſpe certa confiſi, non ingrata fore hæc in Regiam Majeſtatem Veſtram dediti animi teſtimonia, quibus & officio noſtro omni ex parte ſatisfacere, clariſſimeque oſtendere cupimus, nihil nos fore in Regia Veſtra Majeſtate officioſiſſime colenda ſegniores, quam ipſa ad præſtanda nobis mutuæ viciſſim benevolentiæ officia proniorem benignioremque ſe exhibuit. Ut igitur non iſte tantum, quem proxime de novo inchoabimus, ſed plures etiam alii, qui impoſterum ſuccedent anni, florente Regni ſtatu, Regiæ Veſtræ Majeſtati quam feliciſſime decurrant, eſt quod nos etiam atque etiam exoptamus. Dabantur Dreſdæ Menſe Decembri, Anno 1691.

Nota. Ejusdem tenoris literæ ad alios etiam Europæ Proceres exaratæ hac vice fuerunt.

DCCCXC.

Litera JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris, ad JOHANNEM III. Poloniæ Regem, quibus pro filiabus Gieriſchianis, bonis teſtamentario jure ad eas devolutis quidem, ſed iisdem a Brauero, Cive Gedanenſi inique privatis, ſollicite intercedit, 1692.

P. P.

PErmagnas ad Nos querelas detulerunt Patientiæ Gieriſchiæ relictæ filiæ, de vi atque injuri-

injuriis ſibi illatis ab Henrico quodam Brauero, cive & Mercatore Gedanenſi, circa reſtitutionem hæreditatis ex Teſtamento Friderici Gieriſchii, ad ipſas poſt obitum Matris tanquam proximas & legitimas hæredes devolutæ. Cujus conſequendæ gratia cum tot hactenus fruſtra ſumptus atque impenſas fecerint, aliis ſuper alias ambagibus circumductæ, diuturnoque proceſſu tantum non defatigatæ, confiſæ tandem ſunt precibus Noſtris interpoſitis ſe effecturas, ut bona iſta hæreditaria a dicto Brauero hactenus detenta, vi Regii mandati ipſis, tanquam jure debita reſtituantur. Cum igitur hominis iſtius inique facta, vel non omnino, vel ſecus, quam res ſe habet ad veſtræ Majeſtatis notitiam perveniſſe exiſtimemus, viſum eſt Nobis, ipſas ſupplicantium querelas ad Regiam Veſtram Majeſtatem una transmittere, neutiquam dubitantes Regiam Veſtram Majeſtatem cum interceſſionalibus Noſtris, tum etiam ipſius juſtitiæ amori hoc daturam, ſuisque præcepturam, ut ab iniquis illis Noſtrarum vexationibns abſtineant, & per tot annos in foro jactatis, in re tam juſta & æquitati prorſus conveniente, per executionem Decreti Regii pleniſſime ſatisfaciant, bonaque jure teſtamentario debita prænominatis hæredibus Gieriſchianis tandem abſque mora reſtituant tradantque. Præſtitum hoc a Regia Veſtra Majeſtate inſigne beneficium gratiſſimo ſupplices agnoſcent animo; Nos vero illud oblata occaſione pari benevolentia, mutuisque officiis compenſare

ſare ſtudebimus. Dabantur Dresdæ die 21. Januarii 1692.

DCCCXCI.

Litera LEOPOLDI Romanorum Imperatoris ad JOHANNEM III. Poloniæ Regem, de expeditione contra Turcas ſimultaneo tempore ſuſcipienda agentes, 1692.

P. P.

Reddimur quotidie certiores, & quidem undique ita prævaluiſſe apud Turcas nequisſima quorundam officia conſiliaque, ut non modo conſtanter ab omni ſtudio pacis animos ſuos retorſerint, ſed freti ope audacisſima felicium omnino ſucceſſuum, ad fortisſimum & atrocisſimum bellum in Hungariam præcipue referendum anhelent, viresque univerſas intendant, ut Noſtras quascunque futuras & præoccupatas illorum celeritate maximo robore obrutas experturi denique ſimus. Licet autem nos juvet in Domino Deo exercituum, uti ſolemus, confidere; Nihil tamen quod attinet humanæ providentiæ partes vel omittere vel negligere volumus. Itaque Serenitatem Veſtram potisſimum & enixe requirimus, ut pro zelo, quo fertur in communem hanc atque publicam ſacri fœderis rem, ſi unquam alias, nunc certe in ſummum adducta diſcrimen, magnanimos exerat ſpiritus, quibus adeo pollet, feſtinetque obicem ponere juratis hoſtibus, præſertim Tartaris, quem validiſſi-

lidiſſimum queat, ne facile in unum evaleſcant, ſed prematur ſejunctim effrenis eorum immanitas. Coronabit profecto neceſſaria hujuſmodi ſedulitate ſtrenuitateque tum Serenitas Veſtra tum inclyta Polonica gens antiquam Nominum gloriam, & Patriæ ſecuritatem tuebuntur, qua manu arcuerint vel fregerint minacem illam in Nos virulentam barbariem. Porro conſultum æque ac gratiſſimum Nobis interea eſſet, ſi Serenitas Veſtra (quod amice expetimus) ſignificaret, quo numero, quo loco ac tempore Regios exercitus ſuos in campum educere cogitet; ſic enim utrinque opportunius expeditiones procederent, firmiore conſilio diſpoſitæ ad plenam ſpem debellandi. Et Nos quod reliquum eſt Serenitati Veſtræ a Deo optimo maximo incolumitatem diuturnam, ac res florentiſſimas ex animo apprecamur. Viennæ 20 Februarii 1692.

DCCCXCII.

Recredentiales, quas JOHANNES GEORGIUS IV. Saxoniæ Elector, Johanni Franciſco Manrique, legato Regis Catholici extraordinario, CAROLO II. Hiſpaniarum Regi exhibendas commiſit, 1692.

P. P.

Quod Regia Veſtra Majeſtas dolorem ſuum, quem ex obitu Sereniſſimi quondam Parentis Noſtri ſe percepiſſe affirmat, illuſtri miſſa ablegatione non tantum teſtatiorem reddere, verum

rum etiam de noſtro ad Electoralem Dignitatem adventu, novæque gloriæ acceſſione amanter adeo Nobis gratulari voluit; id ſane ad Noſtrum haud mediocre ſolatium laudemque ac ornamentum pertinere, quam maxime exiſtimamus. Ingrati itaque ſimus, niſi Regiæ Veſtræ Majeſtati pro eo, ac ipſa de Nobis merita eſt, gratias & ageremus & haberemus tanto quidem majores; quanto luculentioribus argumentis Regiæ Veſtræ Majeſtatis erga Nos benevolentiam ſtudiumque mutuo colendæ nobiſcum amicitiæ nobis aperuit illius ad nos Ablegatus Johannnes Franciſcus Manrique. Huic igitur commiſſis ſibi partibus laudabiliter apud nos perfuncto, non obſcuris viciſſim oſtendimus indiciis, eadem veteris amicitiæ, commercii atque neceſſitudinis, quæ inter Auguſtam Regiæ Veſtræ Majeſtatis & Noſtram Electoralem Domum per tot retro annos quaſi conſenuit, noviſſimoque illius matrimonio magis adhuc exaucta eſt, continuandæ & conſervandæ ſtudia, quæ in Regia Veſtra Majeſtate ſunt in nobis quoque experiri illasque nobis occaſiones ſemper fore gratiſſimas, quæ ad promovenda Regiæ Veſtræ Majeſtatis commoda ac ornamenta quam frequentiſſimæ nobis offerentur. De quibus omnibus ad Regiam Veſtram Majeſtatem prædictum Illius Miniſtrum eadem dexteritate relaturum confidimus, quam in explicandis negotiis ſibi commiſſis ſatis ſuperque nobis approbavit. Is ergo cum & Regiæ Veſtræ Majeſtatis nomine, quod jure apud Nos plurimi

rimi

rimi eſſe debet, tum ſuo etiam merito Nobis longe fuerit chariſſimus, non ſine laude egregiarum ſuarum virtutum ad Regiam Veſtram Majeſtatem a nobis jam dimittitur. Quibus interea nihil æque in votis eſt, quam ut Regiæ Veſtræ Majeſtati proſpera omnia feliciaque auguſto Illius Imperio digna contingant. Dabantur Dresdæ die 28. Februarii 1692.

DCCCXCIII.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad GUILIELMUM III. Magnæ Britanniæ Regem, cui coronam Magnæ Britanniæ nuper adeptam gratulatur, 1692.

Johannes Tertius Dei Gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenskiæ, Severiæ, Czernicoviæque, Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi, Domino Guilielmo III. eadem gratia, Angliæ, Franciæ & Hyberniæ Regi, fidei defenſori, Conſanguineo & Amico noſtro chariſſimo ſalutem.

Sereniſſime ac Potentiſſime Princeps, Frater, Conſanguinee & Amice Chariſſime.

Literas Majeſtatis Veſtræ, quibus ſe in ſolium Magnæ Britanniæ evectum nunciare Nobis

bis voluit, die 1. Martii 1689. exaratas, nunc primum die 18. Februarii 1692. accepimus, eo ſane animo, quem effuſum & lætum magnis & excelſis Dei operibus mirificandis adhibere conſuevimus. Quemadmodum ex hac Regia Capiti Majeſtatis Veſtræ impoſita inclyti Regni Corona adoramus nutum & benignitatem ejus, per quem Reges regnant, ita non poſſumus ex communicato nuncio exundantes in gaudia non ſumere ſenſus ac ominari, derivanda fore in univerſam Chriſtianitatem ſolatia: Et ſperamus enim, & unice optamus, ut coronatas Majeſtatis Veſtræ virtutis afflictisſimi Orbis Chriſtiani Pax, tranquillitas felicitasque ſequatur. Nos porro fœderum, Amicitiarumque juribus, quæ Prædeceſſores Noſtros inter & Magnæ Britanniæ Reges ſacra erant, nihil deeſſe ex parte noſtra patiemur, quin in uno nec eodem retinere modo, ſed augere avidi, nullam ſinemus elabi occaſionem, reciprocum erga Majeſtatem Veſtram ejusque Regna amorem validis comprobandi argumentis: quod reliquum eſt, Majeſtati Veſtræ proſperum ac felix cum bona valetudine regimen ex animo precamur. Dabantur in Ruſſia, Leopoli, die ſeptimo Menſis Martii, Anno 1692. Reg. noſtri 18.

Majeſtatis Veſtræ

Bonus Frater

Johannes.

DCCCXCIV.

Digitized by Google

CCCCXCIV.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad INNOCENTIUM PAPAM XII. quibus ab eo obnixe contendit, velit Henricum de la Grange, Marchionem d'Arquien, ſocerum ſuum quam primum cardinalitio redimire galero, 1692.

POſt oſcula pedum beatorum Sanctitatis Veſtræ & mei Regnorumque meorum humillimam commendationem. Ad eam, quam Sanctitas Veſtra in gratiam Regnorum & Coronarum brevi (ut non dubito) Deo volente, auſpicatura eſt, promotionem Cardinalium, non poſſum pro æqualitate ejusdem gratiæ & Juris Coronæ meæ digniorem exhibere perſonam, quam Illuſtriſſimum Henricum de la Grange, Marchionem d'Arquien, Sereniſſimæ Reginæ Dominæ Conſortis noſtræ chariſſimæ, Parentem digniſſimum, vetuſtiſſimis adhuc a Ludovico VI. Galliarum Rege, ſanguinis Regii affinitatibus & cognationibus clarum & inſignem, probitatis denique ac rectitudinis unicum Exemplar. Gratia quam illi Sanctitas Veſtra præſtabit, nulla mihi carior & precioſior eſſe poteſt, utpote quæ vota mea & deſideria immenſa pro tam amabili Socero & Parente meo coronabit. Quod ſi adhuc placuerit Sanctitati Veſtræ, quod humillime opto, non expectata prædicta Regiarum Coronarum promotione Illum purpurato Eccleſiæ Senatui quantocyus admovere, tum demum exprimet Sanctitas Veſtra præcipuam ac veram æſtimationem indignorum meorum pro Chriſtianitate ſuſceptorum meritorum, impo-

net vero ſuſcipiendorum vinculum tamdiu, donec vita ſuppetat. Nulla certe corona poterit inde invidiam ſumere, cum nulla poteſt Sanctitati Veſtræ præſentare Parentem ut Ego; Igitur profundisſima veneratione advolutus pedibus Sanctitatis Veſtræ hanc expecto gratiam, quæ & mihi grande Solatium & Sanctitati Veſtræ non poſtremam gloriæ relictura eſt portionem; Cui de reliquo proſperum ac diuturnum cum optimo valetudinis uſu Rerum Chriſtianorum moderamen ex animo precamur. Dabantur in Ruſſia Javeroviæ Anno 1692.

DCCCXCV.

Literæ, quibus JOHANNES GEORGIUS IV. Saxoniæ Elector, GUILIELMO III. Magnæ Britanniæ Regi de felici in Hollandiam gratulatur adventu, proſperrimosque ſuſceptæ expeditionis precatur ſucceſſus, 1692.

P. P.

FElicem Regiæ Veſtræ Majeſtatis in Hollandiam adventum tanto majori cum lætitia ex amantisſimis Regiæ Majeſtatis Veſtræ die 19. hujus menſis ad Nos ſcriptis intelligimus, quanto & publicæ utilitati efficaciora emolumenta, & hoſtibus incommoda haud exigua eandem eſſe allaturam ſperamus. Nos certe, quem Regia Veſtra Majeſtas nova hac expeditione ſua oſtendit ardorem, procurationi amplificationique publicæ ſalutis, quam cupiat non deeſſe, non poſſumus non ſane gratisſimum habere, occaſionibus certe omnibus intenti, ſi quas Deus obtulerit, quibus ipſimet etiam

lam

iam cauſæ communi eſſe adjumento aliquo atque uſui poſſumus. Id quod Regia Majeſtas Veſtra perſuadere ſibi poterit,quemadmodum & de ſingulari Noſtro erga ſe ſtudio atque affectu, quo proſperos rerum omnium ſucceſſus Regiæ Veſtræ Majeſtati apprecamur, & ut ipſius incœpta omnia atque conatus, quibus tot oppreſſarum bello Provinciarum vindicandæ libertati tam laudabiliter ſtudet, felicem exitum ſortiantur, etiam atque etiam exoptamus. Dabantur Dresdæ die 19. Martii 1692.

DCCCXCVI.

Literæ, quibus JOHANNES GEORGIUS IV. Elector Saxonum, JOHANNI III. Poloniarum Regi, cauſam Fritſchianorum hæredum ſtudioſe commendat, 1692.

P. P

OStenderunt Nobis per libellum ſupplicem ſubditus Noſter Johannes Georgius Schloſſer & Sybilla nata Schloſſeria, Valentini Wagneri Secretarii Noſtri Uxor, defunctum eſſe haud ita pridem Regiomontii ſine conjuge atq; liberis,ſororis ſuæ Catharinæ Buxbaumiæ, quem ex priore conjugio unicum illa habuit filium, Petrum Paulum Fritſchium, Warſaviæ hactenus in Aula Regiæ Veſtræ Majeſtatis aurifabrorum numero habitum. Cujus hæreditatem ad ſe tanquam proximos & legitimos hæredes ſucceſſionis jure pertinentem tanto feliciori eventu ſe conſecuturos ſperant, ſi Noſtra hac in parte commendatio apud Regiam Ve-

ſtram Majeſtatem ipſis venerit auxilio. Etiamſi itaque neutiquam dubitemus, quin Regia Veſtra Majeſtas æquitate ac juſtitia cauſæ potius, quam Noſtro rogatu adducta, honeſto ſupplicantium deſiderio facilem ſe præbitura ſit, confidimus tamen, illam noſtris etiam precibus aliquid hac in re eſſe daturam, ſuisque mandaturam, ut prædictos ſubditos Noſtros hæreditatis illius Fritſchianæ, ſucceſſionis jure ad ipſos devolutæ, ſine mora faciant participes. Pro ea namque Regiæ Veſtræ Majeſtati ſe devotiſſime Noſtri agnoſcent obſtrictos: Nos vero has Noſtras apud Regiam Veſtram Majeſtatem haud parum illis profuiſſe, magnopere gaudebimus. Cui fauſta omnia feliciaque a Deo optimo maximo etiam atque etiam exoptamus. Dabantur Dresdæ die 8. Apr. 1692.

DCCCXCVII.

Litera JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Hiſpaniarum Regem, quibus ipſi contractum nuper ſe inter & Marchioniſſam Brandenburgicam matrimonium ſignificat, 1692.

Conſummato his proxime diebus feliciter matrimonio, quod nuper admodum cum sereniſſima Principe, Domina Eleonora Erdmuth Louyſia, Marchioniſſa Brandenburgiæ, nata Duce Saxoniæ &c. divinis auſpiciis contraximus, rituque nuptiarum ſeptima decima die hujus Menſis Lipſiæ peracto, nullam amplius interponendam eſſe moram ſtatuimus, quin Regiam Veſtram Majeſtatem ea de re primo quoque tempore certiorem fa-

faceremus. Videmur namque Nobis ex ratione amicitiæ Noſtræ facturi, ſi quod ex tam felici conjunctione Nobis accidit voluptatis, ad lætitiam mutuam communicemus, Regiamque Majeſtatem Veſtram in conſortium gaudii Noſtri quaſi aſſumamus, de cujus in Nos benevolentia ſingulari tot ſumus clariſſimis indiciis perſuaſi, ut plane ſperemus, Regiam Veſtram Majeſtatem eandem omnino Nobiscum pro felicitate fœcunditateque novi hujus Noſtri conjugii ad Deum eſſe votum facturam. De Nobis ſane Regia Veſtra Majeſtas certo ſibi perſuadere poterit, Nos, quotiescunque vel ſibimetipſi vel florentiſſimæ illius familiæ proſpere aliquid feliciterque evenerit, id non minore lætitia eſſe intellecturos, & ad reddenda ejusmodi mutua officia gratulationesque ſemper fore promptiſſimos. Qui novas perſæpe lætandi ſibi occaſiones rerumque proſperrimarum affluentiam Regiæ Veſtræ Majeſtati etiam atque etiam ex animo exoptamus. Dabantur Torgaviæ 24. Aprilis 1692.

DCCCXCVIII.

Literæ JOHANNIS GEORGII IV. Saxonum Electoris, ad GUILIELMUM III. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ipſum de abducto in captivitatem ab armata militum Cæſareanorum manu Generali Schœningio reddit certiorem, & ut ſua interpoſitione liberationem dicti Generalis in Aula Cæſarea procurare haud gravetur, amice rogat, 1692.

P. P.

NOn poſſum non Regiam Veſtram Majeſtatem præſentibus hiſce certiorem reddere, me hoc ipſo propemodum temporis articulo nuncium accepiſſe, Generalem univerſæ meæ militiæ Præfectum de Schœning in thermis Töplicenſibus, quo haud ita pridem ille curandæ valetudinis cauſa conceſſerat, ab armata militum Cæſareanorum manu nocte oppreſſum, captivumque Pragam deductum fuiſſe. Quam graviter iſta præter meritum mihi illata injuria animum meum affligat, ſatis pro ſua prudentia agnoſcere Regiam Majeſtatem Veſtram credo. Hoc enim tam violento modo cum miniſtris meis agi, hoc præſertim tam turbulento jam inde alias Europæ ſtatu, tanto minus videtur convenire, quanto clarioribus Ego indiciis jam inde ab initio mei Regiminis, per Miniſtros meos in Aula Cæſarea, non magis devotiſſimum meum Imperatori animum, quam indefeſſum pro bono publico ardorem declaratum feci, acquieſcens propemodum conditionibus omnibus, prout illæ hactenus mihi præſcriptæ fuerunt, quemadmodum ex adjuncta ſcheda pluribus videri poteſt. Quo quidem altius dolorem hunc in animum meum penetraſſe credendum eſt. Neque enim ſperare ullo modo poteram, pro tot meritis atque officiis, quæ ab honoratiſſimo quondam parente meo Sacræ Cæſareæ Majeſtati atque Imperio cum Ipſo etiam vitæ periculo præſtita ſunt (cujus Ego veſtigiis conſtanter hactenus fortiterque inhæſi) tale me præmium eſſe reportaturum. In hoc ergo rerum articulo conſtitutus Regiam Veſtram Majeſtatem,

pro

pro jure mutuæ Illius inter Nos amicitiæ, rogatum venio, ut pro ſua, qua valet auctoritate atque prudentia, penes ſacram Cæſaream Majeſtatem eo rem dirigere velit, quo ante omnia ſupramemorato Generali militiæ meæ Præfecto in libertatem reſtituto, ſine mora ad me redeundi licentia detur. Qui ſane, ſi quid in Sacram Cæſaream Majeſtatem deliquiſſe ſufficientibus argumentis aut indiciis convictus fuerit, dignas coram me, Domino ſuo, pœnas luet. Dabit hoc Regia Veſtra Majeſtas precibus meis; dabit hoc conſervationi dignitatis Electoralis Principumque Imperii ac eorum Miniſtrorum ſecuritati; dabit denique utilitati publicæ, quam modis omnibus promovere etiam atque etiam allaborabo, ſiquidem novo hoc quaſi objecto obice non fuero impeditus. Quod ſupereſt Regiæ Veſtræ Majeſtati proſpera omnia feliciaque ex animo exopto. Dabantur Dresdæ die 24. Junii 1692.

DCCCXCIX.

Litera LEGATORUM PRINCIPUM S. ROM. IMPERII ECCLESIASTICORUM, ad NUNCIUM APOSTOLICUM, in Aula Cæſarea commorantem, de nono Electoratu Duci Brunſuicenſi conferendo agentes, 1692.

Reverendiſſime & Illuſtriſſime Domine.

REverendiſſimam & Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram in eo, quo ex mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri, pro ſalute & incolumitate Ec-

cleſiæ, munere vigilat, credimus non ignorare, quam periculoſumOrdiniEccleſiaſtico& rei catholicæ pergrave in Germania Noſtra nuper innotuerit deſiderium Sereniſſimi Principis, Domini Erneſti Auguſti, Brunſvigæ & Luneburgi Ducis, quo ad dignitatem Sacri Romani Imperii Electorum Principum præmature & intempeſtive aſpirare ſuæque cauſæ tot jam dum & tanti nominis Patronos & adſtipulatores habere creditur, ut in ſumma ſacræ Cæſareæ Majeſtatis æquanimitas (uti confidimus) & illa ipſimet Sereniſſimo Duci, de forma Reipublicæ, non innovanda, non minus, quam aliis omnibus incumbens obligatio dimoveant a propoſito, ſuam Serenitatem Ordinis & honoris Electoris inveſtituram citius adipiſci poſſe non immerito vereamur, magno ſane tranquillitatis Germaniæ, boni publici & ipſiuſmet orthodoxæ fidei diſpendio. Plerique Sacri Romani Imperii Principes futurorum anxii non prætermittunt equidem omnem movere lapidem, ut præpoſtera hæc petitio effectu careat, timendarumque exinde novationum procella tempeſtive diſſipetur; ideoque illorum juſſu ſacratiſſimæ Majeſtati Cæſareæ devotiſſime in illum finem ſcriptis& ore ſupplicavimus,&ex Eccleſiaſticorum Principum Dominorum Noſtrorum clementiſſimorum voluntate ſingulis Imperii Principibus & Electoribus Catholicis maximum illud,quod catholicæ Religioni intereſt momentum, per ſeparatas literas, humiliſſime propoſuimus; ſed quoniam non leve juſtitiæ Noſtræ pondus adjici poſſe credimus, ſi illa inſuper decenti Reverendiſſimæ & Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ recom-

men-

mendatione & adminiculo locis congruis promoverentur; hinc eſt, quod eidem dictas literas, quas in his adjectis communicare, illamque ea, qua par eſt fiducia inſtanter implorare audeamus, quatenus noſtrum, quod ſupradicto deſiderio Brunſvicenſi in diſcrimen adducitur intereſſe Religionis, imo non tam noſtrum, quam ſimul & principaliter Eccleſiæ matris noſtræ amplecti & tam efficaciter urgere dignetur, ne quid Respulica Catholica & Eccleſiaſtica detrimenti pateretur, ſi alte memoratus Serenisſimus Brunſvigæ & Luneburgi Dux confesſioni, quam vocant, Auguſtanæ addictus in numerum Electorum, alias a primæva ſua inſtitutione inter Principes Eccleſiaſticos & ſeculares, omnes Catholicos æqualiter diſtributum & lege fundamentali Imperii in Aurea bulla roboratum, juxtaque ſanctiones illas pragmaticas nunquam augendum, ſine ulla necesſitate publica, adſciſceretur. De reliquo Reverendisſimam & Illuſtrisſimam Dominationem Veſtram, & nos ejusdem favoribus obnixe commendamus. Dabantur Ratisbonæ die — Auguſti Anno 1692.

Reverendisſimæ & Illuſtrisſimæ Dominationis Veſtræ

ad quævis officia paratisſimi

Plerorumque Eccleſiaſticorum S. Rom. Imperii Principum ad Comitia univerſalia Conſiliarii & Legati.

DCCCC.

Intercesſionales iteratæ a JOH. GEORGIO IV. Saxoniæ Electore, in cauſa Gieriſchianæ hæreditatis,

tis, ad JOHANNEM III. Poloniæ Regem exaratæ, 1692.

P. P.

QUod Regia Veſtra Majeſtas Literis Noſtris, quas 21. Januarii anni currentis pro hæredibus Gieriſchianis, in cauſa hæreditatis Friderici Gieriſchii ad ipſos devolutæ, interpoſuimus, tam facilem ſe præbere voluit, id grato Nos equidem imprimis animo agnoſcimus. Verum enim vero cum prædicti hæredes non immerito ſubvereantur, ne per interventum inopinæ mortis Mandatarii ſui, Johannis Benedicti Gormanni, res iſta hæreditaria, quam propemodum ad executionem jam perductam eſſe memorant, novis denuo difficultatibus implicetur, viſum eſt ipſis; qui præſentes perfert, Sigismundum Ferberum, Juriſperitum in defuncti locum ſufficere, negotiique iſtius conficiendi gratia ſufficienti mandato inſtructum ad Senatum Gedanenſem ablegare. Humillime igitur Regiam Veſtram Majeſtatem per Nos implorant, ut eodem ipſis, quo hactenus auxilio circa prædictam hæreditatis reſtitutionem, contra adverſarium ſuum, Henricum Brauerum, porro ſubvenire, eoque rem Autoritate Regia apud Senatum Gedanenſem dirigere velit, quo, quæ jure ad ipſos pertinet hæreditas, per tot jam annos in foro jactatis, ſine ulteriori tandem mora reſtituatur, juſtitiæque variis artibus tam diu protractæ hoc demum modo ſatisfiat. Pro tam inſigni beneficio Regiæ Veſtræ Majeſtati ſupplices ſe devotiſſime obligatos agnoſcent. Nos vero Eandem proſpere feliciterque valere etiam atque etiam exoptamus. Dabantur Dresdæ die 28. Sept. 1692.

DCCCCI.

DCCCCI.

Litera STATUUM PER S. R. IMPERIUM CATHOLICORUM, *ad* INNOCENTIUM PP. XII. *a quo ſubmiſſe efflagitant, velit ſumma, qua valeret autoritate impedire, quo minus Domus Luneburgica, in præjudicium Romanæ Eccleſiæ, electorali mactaretur honore*, 1692.

Beatiſſime Pater.

Conſtans illa & univerſalis ſollicitudo, qua Sanctitas Veſtra Romanæ Eccleſiæ emolumento & incremento indefeſſe intenta malis præſentibus paterne mederi, & futura provide amoliri ſolet, nos ſervos Ejusdem devotisſimos ac obedientisſimos eo usque animat, ut ad Sanctitatis Veſtræ pedes provoluti periculoſum rei Chriſtianæ in Germanico Imperio ſtatum & impendens S. R. Eccleſiæ detrimentum non leve humiliter exponere audeamus. Aſpirat Serenisſimus Princeps Erneſtus Auguſtus, Brunſvigæ & Luneburgi Dux, Confesſioni, ut vocant, Auguſtanæ addictus, non modo ad dignitatem Imperii Electorum Principum, ſed & hoc ſuum deſiderium eo jam promovit, ut in aula Cæſarea de proxime obtinenda deſuper inveſtitura ſeu infeudatione habeat, quod ſperet, Imperii vero Principes, quod metuant & vereantur, niſi bonæ cauſæ optimum Sanctitatis Veſtræ in tempore impetrent patrocinium; Stat equidem pro Principibus jam ultra tria ſecula firma Regula ac Lex Imperii pragmatica, a Carolo felicisſimæ memoriæ IV. cum omnium Sac. Rom. Imperii Ordinum conſenſu & placito ſancita, qua juxta aureæ ejusdem Bullæ pro-

prooemium Electorum numerus Septenarius in unitate ſeptiformis Spiritus myſticus, inſtitutus conſtanter viguit, donec ſumma Imperii tricenale fere bellum finiendi neceſsitas anno 1647. omnium itidem Statuum libero ſuffragio & conſenſu, ut conſtat, octavum adjunxit, deficiente tamen linea Guilhelmina Bavarica Maſculina iterum prorſus expungendum. Verum ſumma Ter optimi maximi Dei bonitas ac providentia Catholicam hanc Lineam non ſolum hucusque propagavit, & ulterius, quod orandum propagabit, ſed etiam exſpiratæ ſeptem ab hinc annis Electorali Heterodoxæ Palatinæ ſtirpi devotisſimam Neoburgicam, majori Catholicæ Religionis incremento ſubſtituit; adeo ut inter octo Electores Principes modo, velut candelabra in vera eccleſia, Paſtorali Sanctitatis Veſtræ ſub cura effulgeant. Quis itaque e gremio matris Eccleſiæ non magis acceſsionem reliquorum duorum ad eandem omnibus votis exoptet, quam illos loco nec vacante, nec publica Patriæ ſalute id exigente, minus ulla neceſſitate urgente, novo augmento corroborare, eo ipſo vere cæteros infirmare cogitet? nedum ſtudeat ac laboret? Quis e Germana Republica ſtatus non magis omnium vires & animos ſalubri legum nexu convinctos ſuſpiciat, quam earum exitioſa infractione diſſolvendos velit. At verſamur, proh dolor! in hac periculoſisſima periodo, prout illam Sanctitatis Veſtræ ad Sacram Cæſaream Majeſtatem Nuncio jam ante bimeſtre juxta accluſum Apographum decenter ſignificavimus, resque eo devenit, ut Archi-Præſul & Elector Moguntinus,

nus, qua in Imperii Comitiis Ratisbonenſibus Director per Legatum ſuum hic exiſtentem decima tertia præteriti Octobris in ſolo Electorali Collegio, poſthabita ratione antiquiſſimi & a ſeculis receptiſſimi uſus ſeu formæ, imo & multo conatu in caſſum venientibus Trevirenſi, Colonienſi & Palatino Electoribus, aliisque Sacri Romani Imperii Principibus de præfato Sereniſſimo Duce in Electorum numerum cooptando non tam ſolemnem propoſitionem facere, quam aliis tribus in affirmativam euntibus Electoribus, Bavaro nempe, Saxone & Brandenburgo, voto ſuo ſuffragari, ſicq; accedendo ad has partes Duci jam addictas, pendentibus alias in æquilibrio ſex Electorum votis, pari numero contrariis, bilancem, contra illa tria mere catholicorum vota, in favorem Acatholici Ducis inclinare, & exinde concluſum adjacentis tranſlati tenoris per majora ex omni parte illegale & vitioſum juſſerit, publicare. Prævidebit facile Sanctitas Veſtra imminentia mala, dum poſt hunc, & quem timemus ſubſecuturum eventum, animorum armorumque diſſidia ac motuum inteſtinorum murmura jamjam audiuntur, verum Eadem perpendet penetranti judicio, quam ſit graviſſimi ſane momenti & maximæ conſcientiæ, nec communia tantum Principum Imperii jura ſiccine infringere legesque fundamentales ſubvertere, ſed & præfatam velle Dei providentiam ſpontanea aſſumptione novi Electoris Acatholici quaſi iterum deſtruere, ipſam etiam veram Eccleſiam tanto exponere diſcrimini, ut in Collegio Electorali, deficientibus Bavarica ac Palatino-Neoburgica Lineis, quod Deus

DCCCCII.

Breve INNOCENTII PAPAE XII. ad MICHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, de Cauſa P. Caroli Mauritii Vota, e Societate Jeſu, agentes, 1692.

Innocentius Papa. XII.

Dilecte fili noſter. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Quamvis in cauſa de juribus Patronatus, quam ſedulo promovere contendit Religioſus vir Pater Carolus Mauritius Vota, e Societate Jeſu, graviſſima ſeſe opponant impedimenta, quo minus votis Regiis annuamus. Quia tamen effuſo quodam Paternæ charitatis affectu Regem ipſum, ob eximia ejusdem in Chriſtianitatem promerita proſequimur, in mandatis dedimus Venerabili Fratri Andreæ Archiepiſcopo Seleucenſi, ut controverſiam componere ſtudeat. De hujusmodi autem deliberatione, certiorem te reddimus, quo operam quoque tuam in eo impendas, minime dubitantes, quin pro conſilio, quo præſtas, & autoritate qua polles, viam nobis aperias ad ſupremum tanto negotio manum ingenti cum animi noſtri gaudio imponendam. Tibi vero interim, Dilecte Fili noſter, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 25. Novembris, MDCXCII.

DCCCCIII.

Litera CAROLI II. Hiſpaniarum Regis, ad JOHANNEM GVILIELMUM, Electorem Palatinum, quibus ſibi conſtans hærere propoſitum aſſerit,

rit, nullas unquam admittendi pacis propoſitiones a Rege Chriſtianiſſimo factas, e quibus vel leviſſimum dignitati ſuæ poſſit oriri præjudicium, 1693.

Carolus, Dei gratia, Hiſpaniarum Rex.

Sereniſſime Princeps, Domine JOHANNES GUILHELME, Comes Palatine, Sacri Romani Imperii Archithesaurarie, Princeps, Elector, Frater & Conſangvinee noſter chariſſime.

FRanciſcus Bernardus a Quiros, Extraordinarius noſter, ad Generales Fœderatarum in Belgio Provinciarum Ordines ablegatus, miſit ad nos ſimul cum nuperrimis Literis 1. hujus menſis datis, exemplar Pacis Generalis a Rege Chriſtianisſimo, Sveciæ ac Daniæ Regibus, ad eandem jam inductis propoſitæ, & Literarum, quas idem Rex Chriſtianisſimus ad Legatum ſuum Hafniæ degentem, dedit, tum etiam Libelli, quem ablegatus Regis Daniæ Lente 21. Decembr. in hunc finem præfatis Ordinibus Generalibus exhibuit. Accepimus quoque ab Ablegato Noſtro Extraordinario *Liſabonæ* commorante, aliam Galliæ Declarationem Nuntio Pontificio in Luſitania degenti factam; & inſuper nobis allata eſt ſumma Epiſtolæ ab adminiſtro Ordinum Generalium in Aula Sveciæ Reſidente Holmiæ 2. Decembris exaratæ, quorum omnium documentorum Pacis negotium ſpectantium tranſumta hiſce annecti juſſimus. Et licet huic propoſitioni nec aures dederimus nec nunquam abs-

que

que mutuo fœderatorum Conſilio daturi ſimus, tum ut pactam omnibus & ſingulis fidem, ut par eſt, ſancte ſervemus, tum quod dilucide pateat, præſenti rerum Gallicarum ſtatui, nihil inde aliud evenire poſſe, niſi ut ſegregatis viribus noſtris, facilius omnes fœderatorum ditiones ad iniquam redigantur ſervitutem; præſertim tamen, cum in apertum jam producatur ambitioſisſima mens Regis Galliæ, hujus Monarchiæ vel partium hæreditati intemperanter inhiantis, & ſi profecto reliquæ iniquisſimæ conditiones deeſſent, ſolummodo propter hanc æque probroſam ac execrandam nunquam certe ullas admitteremus, nec admittemus propoſitiones, quæ de hac re vel leviſſimam mentionem inducant, etiamſi omnes fœderati noſtri ſimul, vel ſejunctim pacem inirent, & nobis omni ſociali auxilio deſtitutis tota belli moles eſſet incubitura. Nam ingenti fiducia etiamnum a divina benignitate expectamus, nos ſubditosque Noſtros tandem Regia ex Nobis Prole tot votis expetita beandos. Viſum igitur Nobis fuit Dilectionem Veſtram, ut unum ex Fœderatis Noſtris certiorem reddere, omnino Nobis eſſe decretum, nullatenus tam temerariæ atque inſidioſæ conditioni aſſentiri, imo longe magis congruum atque laudabile ducere, ut bellum ulterius protrahatur. Licet enim Galliarum Rex fauſtos hactenus armorum ſucceſſus nactus fuerit, haud levi ſpe nitimur, fore, ut ſi maxime omnium conatu adhuc impoſterum res agatur, quemadmodum & Nos ad proximæ expeditionis apparatus, qua poſſumus aura atque opera incumbimus, communis cauſa meliori prorſus ſe loco

habeat. Denique Dilectioni Veſtræ notum teſtatumque eſſe cupimus, ratum Nobis firmiterque ſtatutum, tametſi cæteri omnes (quod Deus avertat) paciſcerentur, Noſq; omnino deſererent, ad extremam usque omnium ditionum Noſtrarum jacturam conſtanter bellum ſuſtinere; quod ſane & nunc Regiæ Dignitatis Decori & Nomini apud poſteros glorioſe commendando magis fore conſentaneum cenſemus, quam ad ignominioſam adeo conditionem accedere. Cæterum Deus optimus maximus Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Dabantur 23. Januarii 1693.

DCCCCIV.

Litera LEGATORUM AC DEPUTATORUM CIRCULI SVEVICI, *ad* GVILIELMUM III. *Magnæ Britanniæ Regem, a quo ſubmiſſe contendunt, velit haud gravatim apud Cæſaream Majeſtatem & Electorem Bavariæ intercedere, ut Circulus ſuus tot belli atrociſſimi calamitatibus vexatus & proprii militis ſuſtentatione exhauſtus, a ſtativis & hybernis alieni liberetur militis, 1693.*

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex, Domine Clementiſſime.

INſignis illa ſollicitudo, ac vere Regia cura, quam Sacra Regia Majeſtas Veſtra in juſtiſſimo hoc, contra hoſtem bello, pro ſuſtinenda cauſa publica, juvandisque fœderatorum rebus non ſine immortali nominis ſui gloria & conſilio & opere tam luculenter hactenus demonſtravit, & quotidie adhuc dum paſſim oſtendit, eam in animis Noſtris excitavit fiduciam, ut & nos, quibus neceſſitatibus

bus circuli Svevici Principes ac Status, Domini ac ſuperiores Noſtri, eorumque ditiones præſentisſime urgeantur, quidve futura æſtate amplius, vel metuendum vel ſperandum habeant, Regiæ Veſtræ Majeſtati decenter exponere, ejusdemque certisſimum auxilium humillime implorare fuerimus auſi: Et initio quidem Regiam Majeſtatem Veſtram non latebit, quam ingentia & prorſus irreparabilia ſint damna iſta, quæ exorto, priusquam denuntiabatur, bello iſthoc funeſtiſſimo, Circuli hujus Status non minus ac cæteri vicini Rheni accolæ innoxii æque, ac inopinantes acceperunt, de quibus tot per incendia ſæviſſima, & plus quam barbaras devaſtationes proſtrati Principatus, nobiliſſimæ Urbes ſolo æquatæ, lateque patentes Regiones, direptionibus ac reliqua militum libidine ad incitas fere redactæ luculenter ſatis poſſunt teſtari. Non defuerunt tamen altememorati Principes ac Status hujus Circuli ſuo officio, nec in bello publice decreto quieſcere propriis quoque Circuli ſumptibus, per aliquot annos cogitarunt, ſed potius, pro omni reliquarum virium ſuarum extremitate, defenſionem Patriæ adjuvare ſuſ[illegible]erunt, veterano ſuo milite, poſtquam ex Hungari[illegible] ubi inter auxilia Cæſarea adverſus Turcas militabat, rediit, per novarum Legionum acceſſiones, annuaque ſupplementa ita exaucto, ut ad numerum 12000. hominum denique ſurrexerit, quem uti propriis ſuis ſumptibus, citra ulla aliunde accepta ſubſidia, hactenus aluerunt, eduxeruntque adverſus hoſtem, ita deinceps quoque conſervare audebunt, ſi modo per grandia iſta onera, qualia ex alienis ſtativis non mi-

nus ac hybernis, regionibus hiſce hactenus obveniunt, prætereaque propter ſitus infelicitatem, & cæteram laxioris militaris diſciplinæ incommoditatem, ulterius licuerit; eo enim perventum eſt, ut quicquid copiarum fœderatarum pro ſecuritate, non huic tantum Svevico Circulo, ſed vicinis quoque adjacentibus Ditionibus, per hyemem in finibus Noſtris diſponi ratio militaris jubet, a ſolius fere Circuli hujus Statibus eorumque ſubditis ſuſtentationem ſuam poſtulet, quale quid cum proprii militis ſuſtentatione diutius conſiſtere non poteſt; & ſane niſi onera bellica, inter omnes communis Reipublicæ unius totiusque Imperii conſortes majori æquabilitate & proportione juſte deinceps diſpertiantur, remotioresq; Principes ac Status illis, qui magis expoſiti vim hoſtis proxime ſuſtinere coguntur, non milite tantum, ſed pecunia quoque in tempore ſuccurrant, metuendum eſt, ne virium defectu hi proximi concidant, ac illi, quibus præter Ordinis beneficium parum ſupereſt, non ſine graviſſimo omnium fœderatorum detrimento, paulatim ſubſequantur. Quemadmodum vero curavimus, ut Sacræ Cæſareæ Majeſtati, Domino Noſtro Clementiſſimo, per ablegatum expreſſum iſthæc omnia Circuli hujus nomine exponerentur, remediumque huic malo promptiſſimum quæreretur; ita Sac. Regiæ Majeſtati Veſtræ, præſentibus hiſce literis, uti apud Sereniſſimum Electorem Bavariæ quoque fecimus, eandem rem humillime recommendare voluimus, ut pro ea, quæ cum Sacra Cæſarea Majeſtate eidem intercedit, Conſiliorum neceſſitudine, proque autoritate, qua in-

inter fœderatos pollet ſumma, ubi de rationibus futurarum expeditionum contra hoſtem communem feliciter ſuſcipiendis conſultabitur, ſuam quoque operam haud gravate eo impendere velit,quo obſervata deinceps juſtiore onerum bellicorum diſtributione, tales ac tantæ copiæ cum commeatu ſuo & reliquo apparatu neceſſario, in tempore ad ſuperiorem Rheni tractum in auxilium ſubmittantur, quibus hoſtiles impetus ſufficienter repelli, gravisſimæque minæ iſtæ, earumque executiones, quæ regionibus hiſce nimirum nunc intentantur, feliciter præverti posſint. Pertinebit id ad augendam Regiæ Majeſtatis Veſtræ gloriam, ut & ad publica non minus fœderatorum commoda, quam finium horum ulteriorem cuſtodiam, proque gratia iſthac Principes & Status hujus Circuli ſe obligatisſimos ſemper agnoſcent. Interea ſupremum Numen devotisſime imploramus, ut Regiam Majeſtatem Veſtram omni felicitate cumulare, eidemque proſperrimos rerum ſucceſſus largiri velit. Ulmæ d. 23. Januarii 1693.

Sacræ Reg. Majeſtatis Veſtræ

Humillimi

Principum ac Statuum Circuli Svevici Conſiliarii, Legati ac Deputati, in conventu generali congregati.

Inſcriptio.

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi ac Domino, Domino Guilielmo III. Angliæ,Scotiæ, Franciæ atque Hyberniæ Regi, Fidei Defenſori &c. Domino Noſtro clementisſimo.

DCCCCV.

Reſponſoria GUILIELMI III. *Magnæ Britanniæ Regis, ad præinſertas* LEGATORUM & DEPUTATORUM CIRCULI SVEVICI, *literas*, 1693.

Guilielmus III. Dei gratia Angliæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, Fidei Defenſor &c. Ampliſſimis, Nobilibus ac Magnificis Viris, Principum ac Statuum Circuli Svevici Conſiliariis, Legatis ac Deputatis in Conventu generali congregatis, Amicis Noſtris chariſſimis ſalutem.

Ampliſſimi, Nobiles ac Magnifici Viri, Amici Noſtri chariſſimi.

CUm ante acceptas Literas Veſtras $\frac{1}{2}\frac{1}{3}$. die Menſis jam currentis datas, tum ex iiſdem attente perlectis, quanta mole belli circulus iſte Svevicus prematur, quemadmodum decuit, pro rei gravitate affecti intelleximus, ac ut exorto bello, Vos tot calamitatibus inopino perculſos & afflictos fuiſſe, dolenter tulimus. Ita pro repellendis injuriis & amoliendo bello ab occiſis & exhauſtis Provinciis tam ſtrenuas partes edi & usque proferri, non ſine ſumma tantæ virtutis conſtantiæque commendatione accepimus. Quibus quidem laboribus & conſiliis in juſtisſima cauſa ac pro ſalute publica ſuſceptis divinam opem non defuturam ſperamus, nec dubitamus, quin juſtisſima poſtulata Veſtra apud ſuam Cæſaream Majeſtatem & Sereniſſimum Bavariæ Electorem vim ſuam habitura ſint, in quibus etiam, quantum in Nobis eſt, adjuvandis operam Noſtram omnimodo libenter impen-

pendi voluimus, vosque maxime perſuaſos eſſe, quod nihil Nobis magis in votis ſit, quam ut hoſtiles impetus totis viribus refrænare, tum amicorum fœderatorumque & præſertim circuli Svevici commoda aut allevamenta omni officiorum & conatuum genere promovere valeamus. De cætero Vos omnes ſupremo Numini ex animo commendamus. Dabantur in Aula Noſtra de Witehal, 31. die Januarii Anno 1693. Regni Noſtri IV.

Veſter bonus Amicus

Guilielmus Rex.

Inſcriptio.

Amplisſimis, Nobilibus ac Magnificis Viris Principum ac Statuum Circuli Svevici Conſiliariis, Legatis ac Deputatis in Conventu Generali congregatis, amicis Noſtris charisſimis.

DCCCCVI.

Literæ, quibus JOHANNES GEORGIUS III. Saxoniæ Elector, GUILIELMO III. Magnæ Britanniæ Regi, gratias agit, quod ſe in ſocietatem Ordinis a periſcelide nuncupati receperit, fidemque Lib. Bar. a Friſen, in iis, quæ ſuo nomine relaturus ſit, plenam haberi petit, 1693.

P. P.

NOn poterat Regia Veſtra Majeſtas cum Sereniſsima Regia ſua Conſorte clarioribus indiciis amorem ſuum erga Nos oſtendere, quam recipiendo Nos illuſtris capituli ſuffragio, in ſocietatem Nobilisſimam Ordinis Gartierii, cujus jam inde ab origine ſua tot magni per orbem Reges ac

Principes ſocii ſodaleſque extitere. Pro quo oblato Nobis inſigni ornamento cum Regiæ Veſtræ Majeſtati plurimum Nos debere merito profiteamur, Noſtrarum omnino partium eſſe duximus, teſtandæ viciſſim gratitudinis Noſtræ cauſa, aliquem ex præcipuis Noſtris, virum videlicet generoſum, dilectum Nobis ac fidelem generalem Militiæ Noſtræ Vigiliarum Præfectum, Dominum Henricum, Liberum Baronem a Frieſen, ad Regiam Veſtram Majeſtatem ablegare, qui haud tantum de ſingulari Noſtra in Regiam Majeſtatem Veſtram obſervantia atque animo virtutibus ſuis vehementer dedito, verum etiam de rebus ſalutem publicam concernentibus, aut aliquam inter Nos poſtulantibus communicationem, cum Regia Veſtra Majeſtate ejusdemque Miniſtris, convenientibus modis agat. Huic ergo benevole admiſſo, ut Regia Veſtra Majeſtas plenam in omnibus, quæ commiſſa ſibi a Nobis & mandata eſſe, oſtendet, habere fidem velit, eſt, quod Nos etiam atque etiam præſentibus hiſce rogamus. Regiæ Veſtræ Majeſtati de cætero proſpera omnia, feliciaque ex animo exoptantes. Dabantur Dresdæ die 22. Martii 1693.

DCCCCVII.

Reſponſoria GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad præinſertas JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris literas, 1693.

Guilielmus III. Dei gratia Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex.

ILluſtriſſimus Vir Dominus Henricus Comes a Frieſen Generalis Militiæ Veſtræ Vigiliarum præfectus

fectus, quem ad Nos Celſitudo Veſtra Electoralis ablegavit, gratum Ipſius animum pro delato Gartierio luculenter expoſuit, ſimulque de iis omnibus, quæ in ſalutis publicæ rationes potisſimum cadunt, fideliter & pro more ſuo perſpectisſime cum Nobis egit: Et cum ſenſus Noſtri de negotio ei commiſſo & omni fere, qui accidere poteſt, eventu certior factus ad Celſitudinem Veſtram Electoralem jam regrediatur, Ipſam adeo rogatam volumus, ut fidem, quam a Nobis facile impetravit, in referendis omnibus, quæ bonum commune ſpectant, ei integram viciſſim concedat, & præcipue in iis, quæ de ſincero Noſtro erga Ipſam affectu & ad Amicitiam inter Nos magis magisque colendam fervida propenſione teſtabitur. Cæterum Dei optimi maximi tutelæ Celſitudinem Veſtram Electoralem ex animo commendatam habemus. Dabantur in Aula Noſtra apud Loo die 30. April. 10. Martii Anno Domini 1693. Regnique Noſtri quinto.

Celſitudinis Veſtræ Electoralis

bonus frater & Cognatus

GUILIELMUS REX.

G. Blathwayt.

DCCCCVIII.

Literæ, quibus GUILIELMUS III. Magnæ Britanniæ Rex, JOHANNI GEORGIO IV. Saxoniæ Electori, ſuum in Hollandiam reditum notificat, 1693.

Digitized by Google

GUILIELMUS III. Dei gratia Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex &c. &c.

CUm in Hollandiam Deo Auſpice feliciter reduces ſimus, atque hoſtem communem pro re nata oppugnaturi, id hiſce Celſitudini Veſtræ Electorali notum facere propediem voluimus. Ipſamque ſimul adhortamur, ut uno quaſi & opportuno Impetu vires ſuas quantocyus pro bono publico identidem intendat, nulli dubitantes, quin divino favore & armorum fœderatorum concordia & perſeverantia ad eum denique ſtatum res facile redeant, ut priſtina & diuturna quiete fruatur orbis Chriſtianus. Quod non ſolum ex animo exoptamus, ſed etiam quantum in Nobis eſt, omni meliori modo promovere conabimur. De cætero Celſitudinem Veſtram Electoralem ſupremi Numinis tutelæ valde commendamus. Quæ dabantur Hagæ Comitis die $\frac{5}{15}$. Aprilis Anno 1693. Regnique Noſtri quinto.

DCCCCIX.

Reſponſoria JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris, ad præinſertas GUILIELMI III. Angliæ Regis literas, 1693.

P. P.

DE Felici Regiæ Veſtræ Majeſtatis in Hollandiam reditu, cujus Nos amantiſſimæ Illius literæ die $\frac{5}{15}$. Aprilis certiores reddidere, non poſſumus, quin & Regiæ Veſtræ Majeſtati & omnibus pro cauſa communi confœderatis etiam atque etiam gratulemur: ſpe certa confiſi, præſentiam fortitudinemque Regiæ Veſtræ Majeſtatis haud parum

rebus gerendis ponderis addituram, magnoque ſaluti publicæ futuram emolumento. Cujus fortiter defendendæ curam ſollicitudinemque cumNos quoque non minorem habeamus, certo Regia Veſtra Majeſtas ſibi perſuadere poterit, nihil nos quicquam omiſſuros, quod vel ulterioribus hoſtium progresſibus impediendis, vel ab alio quovis modo infringendis eorum viribus opportunum atque utile eſſe poſſe videbitur. De quo quidem ſingulari Noſtro bonum publicum promovendi deſiderio Generalem Militiæ Noſtræ Vigiliarum Præfectum L. B. de Friſen plurima apud Regiam VeſtramMajeſtatem jam Noſtro nomine verba feciſſe, ſicuti non dubitamus; ita plane confidimus, ipſum Regiæ Veſtræ Majeſtatis jam in Aula Noſtra commorantem Ablegatum Extraordinarium de Colt eadem fide teſtaturum, paratas jam ingrediendo itineri, caſtrisque verſus Rhenum movendis copias Noſtras eſſe, modo ne de innoxio Ipſarum tranſitu intempeſtivæ nunc demum a Circulo Franconico moveventur lites; quibus, uti ſperamus, propediem ad normam æqui finitis, nullam amplius in Nobis moram fore promittimus, conveniente loco ac tempore impigre exequendi ea, quæ publicæ utilitati conducere videbuntur, Regiæ Veſtræ Majeſtati interea felices rerum ſucceſſus armaque in hoſtes victricia ex animo exoptantes. Dabantur Dresdæ die 18. Aprilis 1693.

DCCCCX.

Litera JOHANNIS GEORGII IV. *Saxoniæ Electoris, ad* COSMUM III. *Magnum*

Etru-

Etruriæ Ducem mutui amoris & mentis ipſi addictisſimæ candidi teſtes, 1693.

P. P.

NOn ſine Noſtris ad Dilectionem Veſtram dimittendum duximus è Cameræ Noſtræ Nobilibus Antonium Bruni Italum. Nullam quippe temere occaſionem prætermittendam eſſe exiſtimamus, quam oſtendendæ Noſtræ in Dilectionem Veſtram propenſisſimæ voluntati firmandæque illi mutuo inter Nos Florentiæ paucis ab hinc annis contractæ necesſitudini aptam invenimus. Cujus honorem cum Nos ſane plurimi fecerimus, certo ſibi perſuadere Dilectio Veſtra poterit, omnes Nobis quotiescunque uſus venerit, commodis ſuis inſerviendi rationes in medium allatas, identidem fore acceptiſſimas, ſpe certa confiſis, Dilectionem Veſtram iisdem mutuo officiis Nobiſcum peramanter certaturam. Cui Nos interea, ut proſpere omnia, quæ publico bono gerit & adminiſtrat, feliciterque eveniant, etiam atque etiam exoptamus. Dabantur Dresdæ Menſe Aprili 1693.

DCCCCXI.

Litera JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris, ad COSMUM III. Magnum Etruriæ Ducem, quibus ipſi Dominicum Melanium ſtudioſe commendat, 1693.

P. P.

SIngulari Italiam iterum videndi deſiderio flagrat, qui has Noſtras ad Dilectionem Veſtram perfert literas, honoratiſſimæ Dominæ Matris Noſtræ

ſtræ Aedium Mareſchalcus & Reſidens Noſter Florentiæ Dominicus de Melani. Quem cum Nos propter eximias ſuas virtutes, veteremque Domui Noſtræ Electorali præſtitam fidelitatem multo certe chariſſimum habeamus, non ſine commendatione exhibitorum Nobis officiorum ægre tandem ad Dilectionem Veſtram dimittimus. Sed etiam tamen in ſpem venientes, fore ut Dilectio Veſtra, ſi quando illius opera Nobis iterum neceſſaria fuerit ad Nos redeundi Licentiam dicto Melanio haud gravatim indulgeat. Interea Dilectioni Veſtræ non injucundum fore ſperamus, ex Ipſius relatione pluribus intelligere, quanto in pretio & honore Dilectionis Veſtræ apud Nos memoria habeatur, quantaque Nos cupiditate ac deſiderio ardeamus aliis ſuper aliis officiis indies magis exaugendæ inter Nos amicitiæ, neutiquam dubitantes, eadem benevolentis animi ſtudia, quæ paucis abhinc annis, cum apud Illam Florentiæ ageremus, haud obſcuris indiciis erga Nos oſtendit, conſtanter in Dilectione Veſtra viciſſim eſſe perſeveratura. Cui proſperos rerum ſucceſſus, feliciaque omnia ex animo vovemus. Dabantur Dresdæ die 1. Maji 1693.

DCCCCXII.

Litera recredentiales, quas JOHANNES GEORGIUS IV. Saxoniæ Elector, Dultoni Colt, Ablegato Anglicano extraordinario, ad GUILIELMUM III. Magnæ Britanniæ Regem perferendas tradidit, 1693.

P. P.

Digitized by Google

P. P.

Quam prono Nos ſimus ad ea animo, quæ vel ad contrahendam arctiorem inter Nos amicitiam, vel ad ſalutem publicam promovendam conducere aliquid poſſe videntur, ſatis Regiam Veſtram Majeſtatem, cum ex Literis Noſtris, tum ex relatione Generalis militiæ Noſtræ Vigiliarum Præfecti Liberi Baronis de Frieſen intellexiſſe confidimus. Dedimusque inſuper conſtantis hujus deſiderii Noſtri haud obſcura indicia Regiæ Veſtræ Majeſtatis Ablegato Extraordinario Guilielmo Dultoni Colt. Quem legatione ſua apud Nos egregie perfunctum non ſine debita laude ad Regiam Veſtram Majeſtatem jam iterum dimittimus, ſpe certa confiſi, non injucundum fore Regiæ Veſtræ Majeſtati ex ipſius ore pluribus audire, quanto in honore virtutem Illius memoriamque habeamus, quantoque Nos ſtudio cum Eadem cupimus allaborare, ut cuncta, quæ ad ſalutem publicam pertinent, proſpere ubique ſuccedant. Quod ut propediem victricibus Regiæ Veſtræ Majeſtatis & confœderatorum omnium armis feliciter efficiatur, etiam atque etiam vovemus. Dabantur Lipſiæ die 11. Maji 1693.

DCCCCXIII.

Literæ credentiales a JOHANNE GEORGIO IV. *Saxoniæ Electore, Henrico Comiti de Reus, Ablegato ſuo extraordinario, ad* GUILIELMUM III. *Magnæ Britanniæ Regem traditæ, 1693.*

P. P.

P. P.

ET præſens rerum ſtatus & mutuæ inter Nos amicitiæ ratio omnino exigere videntur, ut ad Regiam Veſtram Majeſtatem denuo aliquem ex Miniſtris Noſtris ablegemus. Cumque has partes Generali Militiæ Noſtræ locum tenenti, Domino Henrico Comiti de Reus committere viſum fuerit, Regiam Veſtram Majeſtatem præſentibus hiſce majorem in modum rogamus, ut haud tantum prædictum Comitem benevole audire, inque omnibus iis, quæ Ipſi dedimus in mandatis, plenam habere fidem: verum quicquid etiam de rebus per hanc expeditionem æſtivam a ſe geſtis vel gerendis, vel aliis ad ſtatum publicum in hac cauſa communi pertinentibus ad notitiam Noſtram pervenire neceſſarium fuerit, per eundem Nobis communicare, certiſſimeque ſibi perſuadere velit, nihil Nos quicquam viciſſim ex parte Noſtra prætermiſſuros eſſe, quod hoſtium viribus infringendis aptum atque utile a Nobis Noſtroque quem contra hoſtem communem ducimus, exercitu expectari poterit. Interea Regiæ Veſtræ Majeſtati felicem armorum curſum, proſperrimosque ſucceſſus ex animo apprecamur. Dabantur Lipſiæ die 13. Maji 1693.

DCCCCXIV.

Reſponſoria GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad præinſertas JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris credentiales, quibus ipſi ſimul Studium communis cauſæ fortiter continuandum ſedulo commendat, 1693.

P. P.

P. P.

PRæter literas illas creditivas, quas Generalis Militiæ Veſtræ Locumtenens de Reuß Nobis obtulit, alias etiam a Celſitudine Veſtra Electorali quindecimo die Menſis præteriti datas ſimul accepimus, quibus facile, ut Celſitudinis Veſtræ Electoralis erga cauſam communem propenſiſſimum affectum, ſic etiam præſentem in partibus illis Germaniæ Rerum publicarum ſtatum cognovimus. Neque Nos latet, quanta incommoda conjunctæ Delphini & Mareſchalli a Lorge & tam numeroſa potentia utrinque afferre poterunt, & quam opportune fortis militum ab Exercitu Noſtro ſubducta cohors, ſi fieri poterit, Celſitudini Veſtræ, Landgravio Haſſiæ vel Marchioni de Baaden miſſa adveniret. Sed cum Ipſa Nos hic quaſi in hoſtium ſtare præſentia perpenderit, haud gravatim feret, ut Copiæ Brandenburgicæ nunc ſolummodo aliæque, quibus præeſt Mareſchallus de Flemming cum cohortibus palatinis Delphini Exercitum obſervarent, & verſus Rhenum properarent, jam Nos autores eſſe. Cæterum id maxime dolemus, in aula Cæſaris nondum Vobis de Imperii Exercitu ſatisfactum eſſe, cum pro ratione temporis & rerum & ſubita hoſtium appropinquatione nihil magis intempeſtivum, nihil quidem publicæ ſaluti, quam controverſiæ iſtæ damnoſius eſſe poterit, quas tamen pro inſtante periculo & cognita Celſitudinis Veſtræ Electoralis prudentia, & innato Patriæ amore, quodammodo amovendas non dubitavimus, neque in cauſa fore, cur exercituum conjunctio, ubi e re eſſe videbitur, ſine dilatione & publicæ utili-

utilitatis detrimento non fiat. De reliquo promptitudinem iſtam, quam teſtata eſt Celſitudo Veſtra Electoralis in conferendis conſiliis, & in Noſtro affectu & benevolentia fiduciam, valde acceptas habemus, atque itidem Ablegato Noſtro Extraordinario Guilielmo Colt, ut ad Celſitudinem Veſtram Electoralem properet, & ipſi pro occaſione adſit, in mandatis dedimus. Adeoque Celſitudini Veſtræ Electorali perpetuam incolumitatem & de hoſtibus triumphum exoptantes, Ipſam Dei Optimi Maximi tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in caſtris Noſtris prope Lovanium 3tio die Menſis Julii Anno 1693. Regnique Noſtri quinto.

DCCCCXV.

Litera LUDOVICI XIV. Galliarum Regis, ad ARCHIEPISCOPUM PARISIENSEM, cui Roſam Urbem in Hiſpania munitiſſimam a copiis ſuis occupatam eſſe nuntiat, & ut in primario Urbis Pariſienſis templo, Hymnum eucharistiſticum cantare jubeat, injungit; 1693.

Conſanguinee Chariſſime,

INgens hoſtium meorum, gloriæque meæ invidorum numerus me quidem obligat, ad dividendum hinc inde exercitum; aſt ſimul novas anſas & occaſiones ſuppeditat ubicunque eum ablego, fines Regni mei ampliandi; Heydelbergam victricibus armis meis in Germania debellatam, ſubſequitur felix expugnatio Roſæ in finibus Hiſpaniæ; Conſanguineus meus Mareſcallus Dux Noallius terra & Comes d'Eſtreus Vice-Talaſſus meus ma-

ri eam obſedit, urbsque in poteſtatem meam ceſſit, poſt octiduum a formali obſidione; Roſa igitur Mihi Hiſpanica hoc tempore verno e paludibus inundatis per curſorem miſſa eſt, quam tamen omnium florum faſculis præfero: In initio Regni mei jam Caput Regium Roſa iſta occupata coronabam, ſed mox libens reddidi eam Hiſpanorum Regi ad facilitandos Pacis Pyreneæ Tractatus; Idem, quo flagro deſiderium, populo meo pacem & quietem reſtaurandi, ſuaſit, ut Roſam jam reciperem, videns hoſtes meos ad Pacem ineundam non poſſe induci, quam crebris Urbium amiſſionibus & cladibus, quæ non aliam ob cauſam, quam intuitu Pacis reſtituendæ, animum meum mirum in modum exhilarant; Cum vero me gratum eſſe deceat erga Illum, cui ſoli victorias meas adſcribo, volo, ut TE Deum, Deo O.M. in Eccleſia Principe Pariſienſi denuo canatur, jamque ſupremo Ceremoniarum præfecto mandavi, ut Senatum ſummum, aliasque Curias illuc convocaret. Vale & ſalve a Rege Tui amantiſſimo

Datæ Rocrors, 16. Jun. 1693.

Ludovico M.

DCCCCXVI.

Literæ DEPUTATORUM SENATUS LIPSIENSIS *ad* JUDICIUM MERCATORIUM, *ad* FRANCISCUM MOROSINI, *Venetiarum Ducem, quibus ab eo ſubmiſſe contendunt, velit Tomaſium Tomadellum jubere, ut librum mercatorium in foro ſuo ad recognoſcendum, ſtato die exhibeat, 1693.*

Sere-

Sereniſſime Dux, Domine Clementiſſ.

SErenitati Veſtræ, quam poſſumus maximo cultu debitas agimus gratias, quod ad preces noſtras in cauſa coram nobis litigantium Tomaſii Tomadelli, Actoris, mercatoris Veneti & Judæi Jacobi Bærii Rei, Domino Livio Janudo & aliis mandaverit, ut diem conſtituerent dicto Tomaſio Tomadello, in quo librum ſuum mercatorium, (ad quem in actione ſua provocaverat) jure jurando firmaret: Quoniam vero ex uſu & forma fori noſtri id non ſufficit, ſed præterea neceſſarium eſt, ut actor librum, ex quo jus ſuum probare nititur, reo inſpiciundum in Judicio proponat, quo is videre poſſit, recte ne ſe habeat ille Liber, nec ne, & an quid ſit, quod fidem ejus ſuſpectam facere poſſit, id quod ex formula judiciorum noſtratium *Recognoſcere* vocamus, & quem jam diximus, Reus a nobis petiit, ut huic negotio conficiundo dies dicatur, maximis adeo precibus a Serenitate Veſtra contendimus, ut Dominus Livius Janudus aliive, quibus id facere moris eſt, jubeantur certum diem Litigantibus dicere, in quibus uterque in jure compareat, actorque librum ſuum ipſi inſpiciendum & recognoſcendum proponat; quo vero hic dies reo ſignificari poſſit, rogamus, ut ii, quibus hoc negotii mandatum fuerit, nos in tempore de eo certiores faciant; Hanc Serenitatis Veſtræ gratiam perpetuo venerabimur cultu, noſque ſemper erimus

Serenitatis Veſtræ

Dat. Lipſiae d. 10. Aug. 1693.

obedientiſſimi

Senatus Lipſienſis Deputati ad Judicium mercatorium.

Inſcriptio.

Sereniſſimo Duci ac Domino, Domino Franciſco Moroſini, Duci Venetiarum, Domino Noſtro Clementiſſimo.

DCCCCXVII.

Litera Fiduciaria, quas GUILIELMUS III. *Magnæ Britanniæ Rex, Ablegato Suo Georgio de Stepney, ad* JOH. GEORGIUM IV. *Saxoniæ Electorem dedit*, 1693.

P. P.

Guilielmus III. Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex &c. Cum dilectus Nobis ac Fidelis Guilielmus Colt, Eques auratus & nuper ad Celſitudinem Veſtram Electoralem Ablegatus Extraordinarius in Caſtris Veſtris morbo extinctus ſit, quod non ſine maximo dolore ob demortui probitatem & merita intelleximus, alium extemplo virum, qui Ipſius vices apud Celſitudinem Veſtram Electoralem ſuppleat, & qui negotiis, quæ reliquit imperfecta, ulteriorem manum adhibeat, magisque propter vicinitatem expeditum deſignare haud potuimus, quam dilectum ac fidelem Nobis Georgium Stepney, Armigerum, res Noſtras in Aula Cæſarea agentem, utpote qui non ſolummodo Rationum Germanicarum haud ignarus ſit, ſed, propter arctius cum defuncto commercium, earum etiam, quæ inter Nos & Celſitudinem Veſtram Electoralem intercedunt, non mediocriter peritus exiſtit. Eundem igitur tanquam Commiſſarium & Deputatum ad Celſitudinem Veſtram Electoralem mittendum duximus,

mus, ut ipſi quædam, quæ ad commune bonum in præſenti rerum ſtatu multum conducere poterint, coram proponat, & quæ ipſa ibidem propoſitura ſit, in acta, quantum in illo eſt, redigat. Adeoque Celſitudinem Veſtram Electoralem rogatam volumus, dicto Commiſſario Noſtro & Deputato, integram in iis omnibus fidem habere velit, quæ nomine Noſtro Ipſi expoſiturus aut facturus ſit, & præſertim ubi ſincerum Noſtrum ergà Celſitudinem Veſtram affectum & propenſiſſimum animum teſtabitur. Cujus quidem meliora quævis exhibere ſpecimina parati ſemper erimus. Cæterum fauſta omnia Celſitudini Veſtræ Electorali voventes, Ipſam Dei Optimi Maximi tutelæ animitus commendatam cupimus. Quæ dabantur in Aula Noſtra apud Loo 22. die Menſis Septembris ſt. v. anno 1693. Regnique Noſtri quinto.

DCCCCXIIX.

Litera JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris, ad GUILIELMUM III. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ab eo amice efflagitat, velit omnia ſua interponendo officia gnavam dare operam, ut in poſſeſſionem Ducatus Saxo-Lauenburgici, qua per violentas Ducum Brunſvico-Luneburgenſium machinationes illegitime detruſus eſſet, quam primum reſtituatur, 1693.

P. P.

NOndum excidiſſe Regiæ Majeſtatis Veſtræ memoria exiſtimamus, quæ inter Nos Domum-

que nunc Electoralem ac Ducalem, Luneburgenſem circa poſſesſionem Ducatus Saxo-Lauenburgici ſecundum Leges Imperii a Nobis rite apprehenſam, jam ante quadriennium non aliam ob cauſam obortæ ſunt Lites, quam quod prædicta Domus, opportunam ex vicinitate occaſionem arripiens, Sereniſſimi Parentis Noſtri Conſiliarios, Officiales atque præſidiarios, qui ipſi jurejurando adſtricti, tam Ratzeburgi, quam per cæteras Ducatus Regiones, Illius nomine, Regimen adminiſtrabant, vi armata expulerat, eo ipſo tempore, quo ille cum exercitu ſuo poſt obſidionem Moguntinam feliciter finitam, cum Sereniſſimo Electore Bavariæ adverſus communem Imperii hoſtem in caſtris prope Heilbron verſabatur, prout hæc omnia Sereniſſimus Parens Noſter per peculiarem ablegationem ſui in re militari Conſiliarii intimi ab Haxthauſen explicare fuſius Regiæ Veſtræ Majeſtati non ceſſavit. Ac licet ſtatim ab honoratisſimo Parente Noſtro, nec ita multo poſt a Nobismet ipſis, ut hac in parte Nobis ſatisfieret, Regiæ Veſtræ Majeſtatis imploratum fuerit auxilium, ea tamen negotii hujus in hunc uſque diem fuit quaſi fatalis conditio, ut amicabili illa, cujus Nobis ſubinde quidem ſpes facta eſt, compoſitione, vel alio modo rationibus Noſtris ſatis conveniente, finiri hactenus neutiquam potuerit. Quanta autem moderatione animi jam inde ab initio Noſtri Regiminis, Nos ipſi negotium hoc tractaverimus, quamque plurimas commodo Noſtro hac in parte peropportunas occaſiones, ſolius boni publici amore, conſulto quaſi, neglexerimus, ſatis

ſuper-

ſuperque cognitum eſſe Regiæ Veſtræ Majeſtati exiſtimamus. Quo graviore quidem doloris ſenſu Nos affici credendum eſt, quod per illicitas quotidie uſurpationes adverſæ partis in tam juſta Noſtra poſſeſſione Ducatus Lauenburgici, Nos quaſi de novo turbatos videre cogimur. Poſtquam nimirum fama ad Nos perlatum eſt, haud ita pridem circa demolitionem fortalitionum Ratzeburgenſium exortas inter Coronam Daniæ illamque Domum contentiones, mediatorio Regiæ Veſtræ Majeſtatis Dominorumque Ordinum Generalium Belgii Officio per peculiarem transactionem tandem conſopitas eſſe: nulla prorſus reſtitutionis Noſtræ (de qua Ipſa tamen Sacra Cæſarea Majeſtas peculiari decreto Nobis jam dudum proſpicere, æquum judicavit) habita ratione, etiamſi Nos maturo ſatis tempore & re adhuc integra Regiæ Veſtræ Majeſtatis Miniſtros per Reſidentem Noſtrum Hamburgi (cum Noſmetipſi eodem tempore, non ſecus quam ante triennium Parens Noſter honoratisſimus in Caſtris ad Heilbronn tam longe disſitis verſaremur) de juris Noſtri ſtatu legitimæque poſſesſionis ratione pleniſſime informaverimus, ac ne quid in præjudicium Noſtrum hac in parte circa concluſionem dictæ transactionis admitteretur, majorem in modum rogaverimus. Sed quoniam tamen Regiæ Veſtræ Majeſtati Jus Noſtrum, quod in prædictum Ducatum Lauenburgicum non tam prætendimus, quam inviolatum retinere laboramus, plus ſatis cognitum eſt, eam omnino in Regiæ Veſtræ Majeſtatis prudentia & æquanimitate fiduciam poni-

 mus,

mus, ut plane ſperemus, Eandem, quæ hactenus in præjudicium legitimæ apprehenſæ poſſeſſionis Noſtræ a dictis Ducibus Luneburgicis patrata ſunt, neutiquam probaturam, nec, quæ in prædicto Tractatu ſub nomine poſſeſſionis continentur, pro confirmanda adverſæ partis illicita uſurpatione, aut violenta detentione interpretaturam, multo minus Garantiam ſuam ad ejusmodi ſimilia, in præjudicium manifeſti Juris Noſtri applicari & extendi paſſuram, quin potius ſufficiente declaratione Juri utilitatique Domus Noſtræ Electoralis pro eo, quo Nos complectitur affectu benigne proſpecturam, æquiſſimaque deſideria Noſtra ad recuperandam, qua per vim hactenus dejecti ſumus, dicti Ducatus poſſeſſionem, omni favore proſecuturam, curaturamque enixe, ut cum negotium hoc quam celerrime finiri, communis commodi magnopere interſit, Nos absque ulteriore mora priſtino ſtatui atque poſſeſſioni ante omnia reſtituamur, cum leges Imperii non permittant, ut de eadem vi dejectus prius reſpondere in judicio petitorio teneatur, quam ipſi in poſſeſſorio pleniſſime fuerit ſatisfactum. Quod ſi Regia Veſtra Majeſtas pro laudabili ſua æquanimitate præſtiterit, præclare ſane de Nobis merebitur, Nosque viciſſim omnes avide arripiemus occaſiones, quæ reciprocæ benevolentiæ Noſtræ oſtendendæ convenientes Nobis offerentur. Qui de cætero Regiam Veſtram Majeſtatem feliciſſime, uſque valere ex animo precamur, atque iis florere ſucceſſibus, quibus publico

bono

bono frui ac gloriari longum poſſit. Dabantur Dreſdæ Anno 1693.

DCCCCXIX.

Litera JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Hiſpaniarum Regem de novo anno gratulatoria, 1693.

P. P.

Videtur omnino officii Noſtri cultusque quo Regiam Veſtram Majeſtatem proſequimur ratio poſtulare, ut inter hæc recurrentis anni auſpicia felices rerum eventus proſperaque omnia Regiæ Veſtræ Majeſtati ex conſuetudine apprecemur. Hoc igitur dum per præſentes cumulatiſſime facimus, nihil eſt, quod ad declarandam Noſtram obſervantiam Regiam Veſtram Majeſtatem amplius rogare poſſumus, quam ut illa certo ſibi perſuadere velit, nullam Nos ullo tempore omiſſuros occaſionem, qua propenſiſſimam Noſtram erga Eandem voluntatem vel ſingulare tranquillitatis publicæ recuperandæ ſtudium clariſſimis indiciis valeamus oſtendere. Cui interea ut non iſte modo annus, quem propediem inchoabimus, ſed complures etiam inſequentes alii per quam feliciter decurrant, etiam atque etiam exoptamus. Dabantur Dreſdæ Die 13. Decembris Anno 1693.

Nota :

Ejusdem tenoris literæ etiam ad alios quosdam Europæ Proceres ſcriptæ fuere.

DCCCCXX.

Reſponſoria GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad præimpreſſas JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris, de nova anno gratulatorias, 169¾.

Guilielmus III. Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex.

QUum Literæ Veſtræ decimo tertio Die Decembris datæ, ſerius Nobis & non niſi intra paucisſimos dies redditæ fuere, non potuimus citius ad eaſdem reſponſorias dare. Aegre enim aliter vel tantillum moræ interponi pateremur, quin gratiſſima officia, quibus Nos coli ſentimus, pari Nos affectu remuneremus. Conſuetæ votorum ſolennitates, mutuæ quidem benevolentiæ indicia præ ſe ferunt, ſed quam non fucata ſunt ex ſtudiorum conjunctione & in idem conſentiente maxime voluntate elucefcit. Quum itaque Celſitudo Veſtra Electoralis eandem nobiſcum Libertatis cauſam tuendam ſuſcepit, in eaque non minus utilem quam gnavam operam intendit, oportet prorſus, ut alter de alterius felicitate revera ſollicitiſimus, Nobisque invicem exoptemus, ut res utrinque ex deſtinato publicæ tranquillitatis reducendæ propoſito ſuccedant, & ita volvantur anni, ut proximi ſemper ſuperioribus auſpicatius procedant. Adeoque Celſitudinem Veſtram Electoralem SupremiNuminis tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in aula Noſtra de Whitehall die 20. Februarii Anno 169¾. Regnique Noſtri ſexto.

DCCCCXXI.

DCCCCXXI.

Litera JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris, ad COSMUM III. Magnum Etruriæ Ducem, quibus Antonio Bruni, in omnibus, quæ ſuo nomine relaturus ſit, fidem haberi ſummam, amice rogat, 1694.

P. P.

INter alias cauſas, propter quas Melanii obitum ægro adhuc animo ferimus, Nos hanc vel præcipuo numerare Dilectio Veſtra certo ſibi perſuadere poterit, quod poſt illius mortem quodammodo interruptam hactenus occaſionem fuiſſe vidimus, oſtendendæ Noſtræ in Dilectionem Veſtram benevolæ voluntatis, cujus tam fidum ſemper penes Dilectionem Veſtram interpretem fuiſſe Melanium cognovimus, quotiescunque ille vel ex hac Noſtra ad Dilectionis Veſtræ aulam abeundi, vel inde viciſſim ad Nos revertendi veniam impetravit. Nos igitur defuncto Melanio idoneum ſucceſſorem quærentes, qui in illius vicem negotia Noſtra in Italia procuret, præcipue Antonium iſtum Bruni ab Ipſo quondam Melanio Nobis commendatum delegimus, Dilectionem Veſtram majorem in modum rogantes, ut pari Eundem protectione ac gratia ſua complecti, ſerioque ſibi perſuadere velit, Nos facili ſemper ac prono ad omnia illa animo futuros, quæ ad conſervandam magisque indies exaugendam mutuo inter Nos amicitiam, ullo modo conducere aliquid poſſe videbuntur. Quam proſpere ſemper atque ex voto valere etiam atque etiam exoptamus. Dabantur Dresdæ Menſe Jan. 1694.

DCCCCXXII.

DCCCCXXII.

Literæ JOHANNIS GEORGII IV. Saxoniæ Electoris, ad GUILIELMUM III. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ipſi & diſplicuiſſe ſibi ſuſpectas Regis Chriſtianisſimi pacis conditiones, & conſtans hærere propoſitum Germaniæ libertatem ulterius ſtrenue propugnandi declarat, 1694.

P. P.

HOnoratiſſimas Regiæ Veſtræ Majeſtatis Literas 23. Januarii ad Nos perſcriptas, una cum adjunctis exemplis Pacis Generalis a Rege Chriſtianiſſimo, Sveciæ, Daniæque Regibus compoſitæ, nonnullisque aliis idem pacis negotium ſpectantibus documentis, eo, quo par eſt, honoris cultu accepimus eoque animi perlegimus affectu, quem res illic propoſitæ non temere merebantur. Nec poſſumus ſane ſat dignis efferre laudibus, magnitudinem animi, quam Regia Veſtra Majeſtas vere Regiam oſtendit, in recipiendis illis pacis conditionibus; quas inſidioſæ cujusdam ambitionis, occultique artificii adeo ſuſpectas habet, ut ſe ad ſervandam, quam ſemel pro urgendo adverſus coronam Galliæ bello, fœderatis ſuis dedit fidem, de novo quaſi obliget, ſolaque potius, etiamſi ab omni ſociali auxilio deſtituatur, vel cum extremo ditionum ſuarum jacturæ periculo, molem belli ſuſtinere, quam ignominioſam adeo nomini ſuo pacem inire, certo ſibi propoſuerit. Quam ſane Regiæ Veſtræ Majeſtatis digniſſimam laude conſtantiam ardoremque invicti animi confœderatis omnibus exemplo

pio futurum confidimus, ut & Ipſi continuando ulterius bello, de novis quotidie modis inveniendis cum Regia Veſtra Majeſtate cogitent, quibus infringi porro tanti hoſtis vires, immenſaque illius cupiditas quaſi injecto freno tandem compeſci posſit. Non equidem diffiteri poſſumus certas quoque Pacis Gallicæ propoſitiones, per Regem Daniæ Nobis haud ita pridem fuiſſe communicatas, ſed cum ejusdem illæ propemodum fuerint argumenti, rem arbitrio Noſtro majorem parumque ſecuram eſſe judicavimus, proindeque Eidem Regi reſpondimus, in cauſa tanti ponderis atque momenti, & totum non modo ſacrum Romanum Imperium, verum exteros etiam Reges ac Principes, omnesque in univerſum fœderatos concernente ex parte Noſtra, ſine conſenſu cæterorum, certi aliquid ſtatuere, aut de pangenda pace particulari ſeorſim rationes atque conſilia agitare nunquam Nos in animum inducturos. Ex quibus omnibus Regia Veſtra Majeſtas Eandem Nobis cum Ipſa ſententiam eſſe haud difficile exiſtimare, certoque ſibi perſuadere poterit, cum ea Ipſi præ cæteris placeant conſilia, quæ ad propugnandam libertatem Germaniæ, utilitatemque publicam promovendam imprimis facere videntur, Nos quoque eadem amplecti cum alacritate paratos eſſe, pronoque ſemper ad omnia animo futuros, quæ vel ad exaugendam mutuo inter Nos amicitiam, vel ad illius commoda atque incrementa indies ampliora reddenda quicquam conducere ullo modo poſſunt. Cujus Regia Domus, ut certo tandem atque tot votis hactenus expedito ſucceſſore atq; hærede per fœcundita-

tem

tem Sereniſſimæ Conjugis exhilaretur, eſt quod cum Regia Veſtra Majeſtate Nos vel præcipue Detum contendimus. Quam proſpere usque valere, feliciſſimisque ſemper florere ſuccesſibus, etiam atque etiam exoptamus. Dabantur Dresdæ Menſe Februario, Anno 1694.

DCCCCXXIII.

Litera MICHAELIS RADZIEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad CONSTANTINUM CASIMIRUM BRZOSTOVIUM, Epiſcopum Vilnenſem, quibus ſe ægerrima mente ferre teſtatur, quod Palatinum Vilnenſem, neglectis quæ adhiberi debuiſſent, moderatioribus & ſanioribus conſiliis, intempeſtive excommunicaverit, 1694.

Nitebar huc usq; certa ſpe Illuſtriſſimam Excell. Veſtram forte non condemnaturam rationes & reflexiones meas literaliter & oretenus toties repetitas, & mitiora cogitaturam erga Illuſtriſſimum Dominum Palatinum Vilnenſem, præcipue cum ſtatus rerum plurimæque circumſtantiæ, id non tantum modo ſubjecerunt trutinæ, verum etiam facilitas Illuſtriſſimi Domini Palatini declaratæ mediationis ab utraque parte acceptæ, conditionesque ſufficientes ad honeſtam concordiam in rem Excell. Veſtræ conceſſæ potuiſſent mitigare pasſionem. Aſt cum percipio, quod Excellentia Veſtra jam ejecerit fulmen, obſtupui ſuper inconſiderata iſta reſolutione. Quicunque talia Excellentiæ Veſtræ conſuluit, ignarus rerum ſit oportet, quæ per prudentiam tractari ſolent, neque intelligere vide-

videtur rerum Excell. Veſtræ intereſſe. Neque enim Excell. Veſtra in prætenſionibus ſuis quicquam lucrata eſt, ſed & majora odia & inimicitias ſibi cauſavit, & quod publicum attinet, addidit calamitatem patriæ, ex quo Exercitus Mag. Duc. Lithuaniæ, quem Illuſtriſſimus Dominus Palatinus modis particularibus, deficientibus hucusque publicis contributionibus, ſublevavit, ignominia Ducis ſui hæc publicæ rationis cauſa perferentis, offenſus, in campum educi recuſabit; cum tamen ad præſens valde ſit neceſſarius, ex quo adventus Hani cum omnibus Tartaris ſævam minatur procellam. Quid quod de futuris Comitiis, de quolibet in publicum conſilio exacerbationem iſtam totaliter deſperandum erit. Hucusque res erant medicabiles, amicorum intetpoſitione terminari poterant, intercesſiſſet & Autoritas Majeſtatis, cum tali moderamine, ut Excellentia Veſtra & ſatisfactionem & gloriam pro zelo obtinuiſſet. Jam vero quis tanto vulneri manum apponere poſſit non video, oſtendenda non emittenda erant jacula, ſecundum ſenſum meum, ipſa urbs licet ſupremam habeat poteſtatem, nunquam tamen in ejusmodi Excommunicationibus præcipitanter procedit, quæ ſtatus evertere poſſint, conſiderat quippe & perpendit, ne Medicina ſit pejor ipſo morbo. Extant Hiſtoriæ variorum temporum, quod ſummi Pontifices, cum hoc fulmine non adeo prompti fuerint, diſſimulando, mollificando & ſpatium pœnitendi concedendo, nec prius fulminabant, niſi cum omnis ſpes correctionis evanuiſſet Excellentia Veſtra non ſecuta eſt modeſtiam &

pati-

patientiam Eccleſiæ, quæ ab initio ſanguine crevit non æmulatione, obſtinatamque & potentem humili precatione & patientia ad dulce Chriſti jugum perduxit: Zelus forte Excell. Veſtram in ea induxit, ſed neque omni Spiritui credendum, neque Excellentia Veſtra potuit ſine conferentia cum toto Collegio Epiſcopali hunc zelum effectuare. Excommunicare enim Supremum Exercitus Ducem aliud eſt, quam excommunicare qualemcunque Diœceſanum, & quidem ob publicas rationes; ubi alia cognitio & auctoritas, quam Excell. Veſtræ requirebatur. Quicquid itaque Excell. Veſtra inconſulto toto Collegio attentavit, totum Statum Eccleſiaſticum involvit, & Deus ſcit, in quales conſequentias. Proinde non poſſum non tantummodo Excell. Veſtram laudare, quin potius dolore tractus ſum ſuper inconſiderata Excell. Veſtræ præcipitantia & rejectione conſiderationum mearum, ſi enim nobis principia & arcana politica non eſſent nota, ad minimum tamen latere nos non deberet, quod Magnanimitas inter fructus Spiritus ſit collocata. Et cui bono patientia, quam Excell. Veſtra toties gloriata eſt, quando in mediis adverſitatibus, & tum cum fructus & ſolatia ex illa colligere debebat, ceſſavit. Ego interea, cui in hac ſtatione propiori pignore ſolicitudo publicæ rei incumbit, prout omnem impendi operam, quatenus ſimultates illæ moderarentur, ab utraque parte neque Rempublicam involverent, ita & poſt hoc attentatum non poſſum deſerere publicum, ſed adhibere Autoritatem ad avertendas damno-

ſas

ſas conſequentias, hoc eſt, ex quo Illuſtrisſimus Dominus Palatinus ab iſta Excommunicatione ad me interpoſuit interpellationem, ut tanquam Primas, legatus Natus & Metropolitanus juſſi ex Cancellaria mea remedia debita extradere, ne ſæpe memoratus Illuſtrisſimus Dominus Palatinus aut totaliter contribuletur, aut quod Deus avertat repulſa Juſtitiæ ſcandaliſetur, in quo etiam varios effectus ſalutares præterea conſidero. De quo Excellentiam Veſtram adductis ſupra ac citatis remonſtrationibus advertendam eſſe duxi. Permanens &c. &c. Dabantur Skernievizii, die 26. Aprilis, Anno 1694.

DCCCCXXIV.

Literæ MICHAELIS RADZIEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad LEONEM CASIMIRUM SAPIEHAM, Palatinum Vilnenſem, quem amanter rogat, ut brutum excommunicationis fulmen moderatiori animo excipere velit, quam Epiſcopus Vilnenſis evibraverit, 1694.

SI quando opinio mea me fefellit, certe nunc cum de æquanimitate & prudentia Domini Epiſopi Vilnenſis: meliora cogitando, quod ſcilicet ad hæc extrema non properaret, ſummo cum dolore percipio, quod eadem præcipitarit, ejiciendo cum ſtrepitu magis quam gloria hoc fulmen, quod characteri noſtro non ita late concreditum, ut in obvios ac ſanabiles caſus dirigatur. Nemo certe illi dabit applauſum, neque hæc inconſulta actio Excellentiæ Veſtræ confuſionem pariet, ne proinde animi perturbet quietem. Ego prout

ſemper tam violenti conſilio obſtiti, ita & nunc non moror in extradendis ex cancellaria mea remediis, quæ Excell. Veſtræ celeri paſſu transmitto. Scribo etiam ad Dominum Epiſcopum pro gradu & veritate, qui ſe recolliget amaritudine fumi ex incendio iſto guſtata: Non extendo dolorem meum, quem ex hoc caſu Excell. Veſtræ ſentio, hoc tantummodo obteſtor, ut Excellent. Veſtra hanc quam Dominus Epiſcopus exuit, induat moderationem, dolorem vero ſuum dividat inter hos, qui & compati & mederi potuerunt, de me autem perſvaſa ſit, quod ut in proſperis, ſic etiam in adverſis ero &c. &c. Dabantur Skernivizii, die 26. Aprilis, Anno 1694.

DCCCCXXV.

Literæ FRIDERICI AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Hiſpaniarum Regem, quibus ipſi, Johannem Georgium IV. fratrem ſuum ſupremum obiiſſe diem nuntiat, 1694.

NOn dubitamus, Regiam Veſtram Majeſtatem ſat validis argumentis edoctam eſſe, quam conſtans fuerit & firma a multis retro ſeculis inter Regiæ Veſtræ Majeſtatis & Noſtram Electoralem Domum Saxonicam amicitia. Quæ cum in adverſis maxime elucere ſoleat, intermittere ſane non poſſumus, quin Regiæ Veſtræ Majeſtati exponamus, in quem gravisſimum luctum Nos hiſce proxime diebus inciderimus, dum Sereniſſimum Principem, Dominum Johannem Georgium IV. Saxoniæ Electorem &c. &c. Fratrem Noſtrum chariſſimum morte heu nimis prætmatura amiſimus

(ad

(ad Angliæ vero Regem hoc modo : Quæ cum in adverſis maxime elucere ſoleat, non poſſumus ſane non pro mutua illa inter utramque Domum Noſtram amicitia Regiæ Veſtræ Majeſtati exponere graviſſimum dolorem, in quem his proxime diebus incidimus, per obitum heu nimis præmaturum Sereniſſimi Principis, Domini Johannis Georgii IV. tot. tit. Fratris Noſtri chariſſimi) Cujus Dilectio viceſima ſeptima Die hujus Menſis in Chriſto ſalvatore ſuo adeo placide obdormivit, ut plane non ſit dubitandum, illam in æternæ quietis ac beatitudinis ſocietatem a Deo Optimo Maximo jam receptam eſſe. Nos vero quanto jam verſemur in luctu, de facili judicaturam Regiam Veſtram Majeſtatem exiſtimamus. De qua cum omnino perſvaſum habeamus, eam pro ſua in Nos Fratremque Noſtrum pie defunctum propenſione non parum hoc triſti nuntio affectum iri ; Regiam Veſtram Majeſtatem etiam atque etiam præſentibus hiſce rogatam cupimus, ut mutuam illam inter Utramq; Domum Noſtram conjunctionem deinceps etiam conſervare & antiquam Prædeceſſorum Noſtrorum benevolentiam eadem voluntate parique ſtudio in Nos quoque derivare, nec intermittat. De Nobis ſane Regia Veſtra Majeſtas certo ſibi perſvadere poterit, Nos adeo illam officiis Noſtris proſecuturos, ut intelligi poſſit, Nos non ſolum Majorum Noſtrorum veſtigiis ſtrenue inſiſtere, ſed eorum quoque obſervantiam & ſtudium erga Regiam Veſtram Majeſtatem nova acceſſione adaugere paratos eſſe. Cui perpetuam valetudinis integritatem, & rerum omnium ſucceſſus lætiſſimos ex ani-

mo precamur. Dabantur Dresdæ die 28. Aprilis 1694.

Nota. Pari ratione etiam ad Magnæ Britanniæ, Daniæ, Sveciæ & Poloniæ Reges, nec non ad Sabaudiæ, Magnum Etruriæ aliosque intra Europam Duces ſcriptum fuit.

DCCCCXXVI.

Reſponſoria GVILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis. ad præinſertas FRIDERICI AUGUSTI, Electoris Saxoniæ, de morte Sereniſſimi fratris ſui nuntiatorias, 1694.

Gvilielmus III. Dei gratia Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex &c. &c.

NOn ſine maximo dolore per literas Celſitudinis Veſtræ Electoralis 28. die præteriti Menſis datas de obitu boni Fratris Noſtri, Domini Johannis Georgii, Anteceſſoris Chariſſimique Fratris Veſtri certiores jam facti ſumus, quippe cujus propter luculentum pro cauſa communi zelum & florentiſſimum animi & corporis vigorem non ſolum patria, ſed & Reſpublica difficillimis hiſce temporibus opus habuit. Inſigne quidem pietatis ſpecimen, ſe tam placide & patienter Deo Optimo Maximo reſignaſſe. In tanto autem luctu majorem in modum Nobis ſolamini eſt, Celſitudinem Veſtram Electoralem ejuſdem dignitatis ſucceſſione frui, ſummum Veſtrum ardorem contra hoſtem communem ſatis jam expertis, ſicut haud dubitamus, quin Celſitudo Veſtra Electoralis veſtigia & virtutes Prædeceſſorum ſecutura, eosque etiam longo inter-

intervallo antevertere contendat, præſertim, ubi ſacrum Romanum Imperium & publica Libertas in tam aperto, ut nunc, verſabitur diſcrimine. De cætero Celſitudinem Veſtram Electoralem hiſce perſvaſam cupimus, Nos in omni eventu ſive adverſo ſive proſpero, qui perſonam Veſtram vel Domum Electoralem attingat, in maximam triſtitiæ vel gaudii partem pro ea, quæ Nobis cum Celſitudine Veſtra Electorali intercedit, & magis auctam ſperamus, amicitia, ſemper venire, ut ſane nihil magis cordi habeamus, quam ut ipſi omnia deinceps, cum diuturna vita ex voto ſuccedant. Quam itidem Divini Numinis tutamini ſerio commendatam volumus. Dabantur in aula Noſtra apud Loo 14 die Maji Anno Domini 1694. Regnique Noſtri ſexto.

DCCCCXXVII.

Breve INNOCENTII PAPAE XII. ad CONSTANTINUM CASIMIRUM BRZOSTOVIUM, Epiſcopum Vilnenſem, cujus in tuendis Eccleſiæ juribus præpoſterum zelum, velut rem laude dignam, elogio mactat, 1694.

Innocentius Papa XII.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Triſtati plane majorem in modum ſumus, intelligentes ex Literis Fraternitatis Tuæ anguſtias, in quibus una cum demandata tibi Vilnenſi Eccleſia conſtitutus eras; nos enim ipſos feriunt vulnera, quæ Eccleſiarum juribus inferuntur. Commendamus autem meritisque laudibus efferimus zelum, quem de iis omni ſtudio tuendis

propugnandiſque geris. Noſtræque erga te hoc nomine benevolentiæ teſtem, Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ pe amanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die 1. Maji An. MDCXCIV. Pontificatus noſtri Anno I.

Marius Spinola.

DCCCCXXIIX.

Literæ credentiales, quas GUILIELMUS III. Magnæ Britanniæ Rex, ad FRIDERICUM AUGUSTUM, Electorem Saxoniæ, Georgio Stepneyo dedit, 1694.

Gvilielmus III. Dei gratia Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defenſor &c. Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi, Domino Friderico Auguſto, Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, Sacri Romani Imperii Mareſcallo & Principi Electori &c. &c. Fratri, Conſanguineo & Amico Noſtro chariſſimo ſalutem.

Sereniſſime Princeps, Frater, Conſanguinee & Amice chariſſime.

Cum Deo Ter Optimo maximo chariſſimum Fratrem Veſtrum & Sereniſſimum Anteceſſorem e vivis tollere, ac Celſitudinem Veſtram Electoralem pro bono publico in ipſius locum ſufficere viſum ſit, aliquem, qui apud Vos agat, quantocyus deſignare e re putavimus, cumque dilectus Nobis & Fidelis Georgius Stepney Armiger, Interioris Cubiculi Noſtri Aulicus jam negotia Noſtra Dresdæ per aliquod tempus approbe curaverit, nullum

nullum adeo huic operi magis idoneum exiſtimantes, Eundem itaque tanquam Commiſſarium Noſtrum & Deputatum deſignandum duximus, qui Celſitudini Veſtræ Electorali quicquid ad commune bonum in præſenti rerum ſtatu conducere poterit, coram proponat, & pro facultate a Nobis data tranſigat. Quare Celſitudinem Veſtram Electoralem hiſce rogatam cupimus, ut dicto Commiſſario Noſtro & Deputato integram in iis omnibus fidem habere velit, quæ nomine Noſtro ipſi expoſiturus ſit, & præſertim cum antiquæ amicitiæ & neceſſitudinis Noſtræ, quæ cum Sereniſſima Domo Veſtra hactenus interceſſit, nexum ſtrictiorem reddere, & propenſiſſimi Noſtri, pro data occaſione erga ipſum ſtudii & affectus argumenta omni meliori modo teſtari conabitur. Quam fauſtiſſimis ſemper rerum ſucceſſibus beare divinam Majeſtatem animitus flagitantes, Ejusdem auſpicatiſſimo tutamini commendatam ſerio volumus. Dabantur in Aula Noſtra Bredæ 24to die Menſis Maji Anno Domini 1694. Regnique Noſtri ſexto.

Celſitudinis Veſtræ Electoralis
bonus Frater & Conſanguineus
GUILIELMUS REX.
G. Blathwayt.

DCCCCXXIX.

Literæ credentiales, a FRIDERICO AUGUSTO, Saxoniæ Electore Lib. Baroni a Friſen, ablegato ſuo, ad GUILIELMUM III. Magnæ Britanniæ Regem traditæ, 1694.

P. P.

Cum inter initium Electoralis Noſtri Regiminis nihil magis curæ Nobis cordique ſit, quam omnes avide amplecti occaſiones, quas vel declarandæ Noſtræ in Regiam Veſtram Majeſtatem propenſiſſimæ voluntati, vel reſtaurandæ ſaluti publicæ aptas utilesque deprehendimus, Noſtrarum omnino partium eſſe exiſtimavimus, ea de cauſa aliquem ex Noſtris, Generalem videlicet Militiæ Noſtræ Vigiliarum Præfectum, Liberum Baronem a Friſen ad Regiam Veſtram Majeſtatem ablegare. Præſentibus hiſce Eandem etiam atq; etiam rogantes, ut modo dictum Lib. Baronem haud tantum benevole audire, plenamque in omnibus, quæ ipſi a Nobis commiſſa ſunt, habere fidem, verum etiam, quæcunque durantibus adhuc communis belli motibus, aliquam inter Nos communicationem poſtulabunt, per Eundem Nobis communicare, certoque ſibi perſvadere velit, facili Nos ſemper pronoque ad omnia animo futuros, quæ & promerendo publico bono & exaugendæ magis magisque mutuæ inter Nos amicitiæ conducere quicquam poſſe videbuntur. Regiæ Veſtræ Majeſtati interea arma ſemper & ubique victricia proſperrimosque ſucceſſus ex animo exoptantes. Dabantur Dresdæ Menſe Junio 1694.

DCCCCXXX.

Literæ FRIDERICI AUGUSTI Saxoniæ Electoris, ad GUILIELMUM III. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ipſi nuntiat, Lib. Bar. a Friſen, Inſignia Ordinis a periſcelide nominati olim Johanni Georgio IV. transmiſſa eum in finem tradita eſſe, ut illa

illa ex more recepto Ordinis capitulo reſtitueret, 1694.

INter tot ornamenta amoris atque amicitiæ, quibus Regia Veſtra Majeſtas, Sereniſſimum quondam Principem, Dominum Johannem Georgium IVtum fratrem Noſtrum charisſimum honoravit, vel præcipuo loco numerandum eſſe exiſtimamus, oblatum ipſi a Regiâ Veſtra Majeſtate Nobilisſimi Ordinis Gartierii decus. Cujus quidem inſignia a Fratre Noſtro pie defuncto magno ſemper in pretio atque honore habita, ex more jam & conſvetudine, poſtquam nimirum ille haud ita pridem fatis concesſit, Regiæ Majeſtati Veſtræ per præſentium exhibitorem, Generalem militiæ Noſtræ Vigiliarum præfectum, Lib. Baronem a Friſen, ea, qua par eſt, obſervantia iterum remittere, Noſtrarum omnino partium eſſe duximus. Spe certa confiſi, modo nominatum Lib. Baronem a Friſen pluribus Noſtris verbis Regiæ Veſtræ Majeſtati clarisſime explicaturum, quanti Nos amicitiæ benevolentiæque illius Regiæ honorem faciamus, quantopereque cupiamus arctiorem illam, quæ Regiam Veſtram Majeſtatem inter Fratremque ac honoratisſimum olim Parentem Noſtrum viguit, neceſſitudinem, ex parte etiam Noſtra non tam redintegrare, quam novis etiam incrementis magis magisque exaugere. Qua quidem in re, ut Regia Veſtra Majeſtas plenam ipſi fidem habeat, eſt quod Nos Eandem præſentibus hiſce majorem in modum rogamus. Quam proſpere ſemper valere feliciſſimisque ſemper perfrui ſucceſſibus, etiam atque etiam exoptamus. Dabantur Dresdæ die 27. Junii 1694.

DCCCCXXXI.

Breve INNOCENTII PAPAE XII. ad JOANNEM III. Poloniæ Regem, quem paterne hortatur, ut nihil intentatum relinquat, quo Chriſtianæ Reipublicæ ſalus cum ſummo immaniſſimi Chriſtianitatis hoſtis detrimento promoveri poſſit, 1694.

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro, Joanni, Poloniæ Regi illuſtri.

IMmanes calamitates, quibus demandata nobis licet immeritis a Pontifice ſempiterno Chriſtiana Reſpublica undequaque premitur, quieſcere nos in apoſtolica ſtatione non ſinunt. Paſtorali autem ſollicitudini noſtræ omni ex parte, in quantum poſſumus, reſponſuri intentatum profecto nihil relinquimus, quo gravisſimis ejusdem Reipublicæ malis conſulamus. Quia vero a Chriſtianorum Principum inter ſe dimicantium concordia tam ſalutaris rei aſſecutio unice pendet, ad ipſam conciliandam Majeſtatem tuam in conſortium ſtudiorum noſtrorum advocamus, firmam in ſpem venientes, fore ut pro zelo quo flagras, & ſapientia qua præſtas, amplam votis noſtris viam ſternas. Propenſam jam erga te, ob inſignia in præfatam Rempublicam merita tua, voluntatem noſtram, magis tibi magisque hoc præclaro facto devincies, Chariſſime in Chriſto Fili, cujus interim Majeſtati proſpera cuncta a Deo impenſe precamur ac Apoſtolicam benedictionem amantisſime impertimur. Datum Romæ die 24. Junii 1694.

DCCCCXXXII.

Breve INNOCENTII PAPAE XII. ad MICHAELEM

LEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, quo ipſi, ſe Palatino Vilnenſi tantum indulſiſſe, quantum potuerit, refert, ejusdem cauſæ ulteriorem curam commendat, 1694.

Dilecto Filio Noſtro Michaeli S. Rom. Eccleſiæ Cardinali Radzieiowski nuncupato.

Innocentius Papa XII.

Dilecte fili Noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ingenti cum intimæ triſtitiæ ſenſu intelleximus ea, quæ adverſus immunitatem eccleſiaſticam, a Magno Generali Lituaniæ perpetrata ſunt: Quia vero idem Generalis filiali cum fiducia ad Nos confugit, habita etiam peculiari ratione officiorum tuorum, indulgere ipſi in quantum potuimus non omiſimus, quemadmodum a venerabili fratre Andrea Archiepiſcopo Seleucenſi cognoſces. Cæterum firmam in ſpem venimus, te pro zelo quo flagras, & dignitate qua fulges, tota animi contentione curaturum, ut præfatus Generalis illata ſupra memoratæ immunitati præjudicia de medio tollat, ejusdemque jura in priſtinum reſtituat, tibique interim, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ 7. Auguſti 1694.

DCCCCXXXIII.

Breve INNOCENTII PAPAE XII. ad CONSTANTINUM CASIMIRUM BRZOSTOVIUM, Epiſcopum Vilnenſem, quo ſibi Eccleſiarum immunitates curæ cordique eſſe exponit, quoad reliqua vero ſe ad Archiepiſcopi Seleucenſis relationem refert, 1694.

Vene-

Venerabili Fratri Conſtantino Caſimiro Brzoſtowski, Epiſcopo Vilnenſi.

Innocentius Papa XII.

VEnerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cum muneris Noſtri ſit, Eccleſiaſticam immunitatem ſartam tectam ſervare, inque ejusdem reparationem omni ope ſtudioque incumbere pro explorato habere poteris, non omiſſuros Nos præſto tibi eſſe in eis, quæ demandatæ Paſtorali curæ tuæ Eccleſiæ Vilnenſi contingunt. Quid vero ſentiamus de cenſuris & interdicto, quod edidiſti, mentem Noſtram, à Venerabili Fratre Andrea Archiepiſcopo Seleucenſi cognoſces Venerabilis frater. Cui interim Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem ſub annulo Piſcatoris 7. Auguſti, 1694.

DCCCCXXXIV.

Breve INNOCENTII PAPAE XII. ad BENEDICTUM, Comitem Sapieham, ſupremum Magni Ducatus Lithuaniæ Theſaurarium, quo ei nuntiat, ſe Archiepiſcopo Seleucenſi in commiſſis dediſſe, ut fratrem ipſius Germanum a cenſura eccleſiaſtica ad certum temporis abſolvat ſpatium, 1694.

Dilecto Filio Nobili Viro, Benedicto Comiti Sapiehæ, Theſaurario ſupremo Magni Ducatus Lithuaniæ.

Innocentius Papa XII.

DIlecte Fili Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Attentis meritis, quæ apud Chri-

Chriſtianam Rempublicam abunde ſibi comparavit ſupremus Exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ Præfectus, Germanus frater Nobilitatis tuæ, ob præclara invictæ fortitudinis documenta, quibus præfatam Rempublicam adverſus immaniſſimum ejusdem hoſtem tutatus eſt, admiſimus appellationem ad hanc ſacram ſedem ab ipſo interpoſitam; mandantes Venerabili Fratri Andreæ Archiepiſcopo Seleucenſi, Nuntio Noſtro, ut ſuſpendat cenſuras pro toto decurrentis anni tempore, quo magni iſtius Ducatus exercitibus imperaturus, vitæ diſcrimen ſubire debet, minime dubitantes, quin acriores hinc ſtimulos capiat ad illuſtria geſta patranda, animumque convertat non tantum ad reparanda damna, quæ Eccleſiaſticis in prædicto Magno Ducatu exiſtentibus illata ſunt, ſed ad ſedulam etiam operam impendendam, ne ullum in poſterum detrimentum patiantur, quemadmodum ad idem præſtandum, Dilectum quoque filium noſtrum, Michaelem Radziejowski vehementer incitavimus. Reliquum eſt, ut ſtudiis in hunc ſcopum tuis accurate incumbas, perſuaſumque habeas non defutura tibi, ubi id agas, præcipua benevolentiæ Noſtræ teſtimonia, Nobilitati vero interim tuæ Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ 7. Aug. 1694.

DCCCCXXXV.

Literæ MICHAELIS RADZIEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad INNOCENTIUM PAPAM XII. quibus ipſi controverſiam Epiſcopum & Palatinum Vilnenſes inter ferventem ferme extra remedium poſitam eſſe nuntiat, cum cauſa Palatini maxima Rei-

Reipublicæ pars patrocinetur, Epiſcopus autem valde contentioſus ſuæque ſententiæ tenacisſimus ſit, 1654.

EX diſſidiis inter Reverendiſſimum Epiſcopum Vilnenſem & Magnum Generalem Lithuaniæ continuatis, duplex me tenet anguſtia, una quod Paternum Sanctitatis Veſtræ pectus ſuper injuria immunitatis Eccleſiaſticæ gravatur, altera, quod ſtudia & conatus mei, quos meque ipſum huic negotio evacuando, & tot motibus exinde exortis leniendis, prope trimeſtri ſpatio Varſaviæ moratus, impendi, ſine fructu deceſſerunt. Puto quod Sanctitati vel ex literis & relationibus Illuſtriſſimi Domini Nuntii innotuit, quam arduum hoc negotium ad tractandum, in quo ſcilicet non tantum res Eccleſiaſtica, ſed etiam rationes ſtatus Politici concurrunt. Utroque autem tangi delicatum eſt. Exindeque eſt, quod præterita comitia per turbas, differentias & animoſitates evanuerunt, diſceſſumque eſt magis acerbatis animis, nullo pro publicis neceſſitatibus maxime de ſtipendiis militaribus tam diu retentis exſolvendis, & periculis belli avertendis conſilio, imo nec effectu quidem. Ita ejecti ſumus diſcretioni fatorum, quicquid tandem eveniat Nobis. Suſpendimur expectatione, nec vanæ erant apprehenſiones meæ, quas in exordio horum diſſidiorum, Eminentisſimis P. P. Cardinalibus Sanctitatis Veſtræ in Urbe Miniſtris annotavi. Ex ingenio enim libertatis & gentis (quæ nec regnat, nec regitur) conſequentias, quas jam videmus, prævidi; Quod autem Sanctitas Veſtra dignatur me exhortari, ut nihilominus inſiſtam operi Pacifica-

tio-

tionis,quoadusque negotium hoc, cum Eccleſiaſticæ immunitatis reparatione abſolvatur. Fateor & confiteor etiamSanctitatiVeſtræ non tam parvi momenti eſſe,deſolatam inRegno hocRempubl.ut non totus anxius ſollicitusq; ſim de redintegratione ſtatus,quem cauſa hæc confudit & alliſit. Totis itaq; viribus & curis incumbo, moderandæ & evacuandæ illi, quantum ſcilicet ex me eſt, non enim a dignitate vel exiſtimatione mea quantacunque fuerit, ut eventus rerum, hujus loci totaliter & principaliter, ſed ſaltem mediate dependeat. Hoc tamen in tractatu hujus negotii comperi, quod Generalis Lituaniæ, maxime in puncto honoris ſenſibilis & difficilis ſit. Credit enim ſe vacare a culpa violatæ immunitatis, in vigore legum regni de ſtativis militaribus latarum, tota quoque Nobilitas Lituanica ac etiam plurimi ex Provincia Polona Proceres & Nobiles Generalem defendentes, non illius, ſed ſuam & Reipubl. eſſe arbitrantur. Ita ut res in his circumſtantiis poſitas remedia aliqua non facile ſopire poſſent. Mediis potius inſtandum eſt, quod ego ulterius improbo etiam labore arguendo & obſervando facere non ceſſabo. Sed ſupplico humillime Sanctitati Veſtræ, dignetur Sanctitas Veſtra Epiſcopum quoque Vilnenſem Paterna & Apoſtolica autoritate admonere, ut & ipſe amaritudines, qua publice qua privatim demonſtratas in ſanitatem commutet, & animum ad concordias ſincere inclinatum exhibeat, independenter a quovis fomento. Fruſtra enim de mediis, priusquam partes ad ea diſpoſitæ erunt. Hoc autem fiet, dum ab exacerbationibus utrinque ceſſabitur, & honeſte

animis

animis deſignabuntur. In ea ſollicitudinis meæ intenſione quem divinam & Paternam Sanctitatis Veſtræ benedictionem ac protectionem humillime implorans, beatisſimos pedes reverenter exoſculor. Dabantur, Anno 1694.

DCCCCXXXIV.

Litera SUPREMORUM PER POLONIAM ET LITHUANIAM BELLI DUCUM, *ad* INNOCENTIUM PAPAM XII. *a quo ſubmiſſe contendunt, velit pro ſummo in Poloniam amore efficere, ut Palatinus Vilnenſis Roma Eccleſiam experiatur matrem, quam hucusque Vilna ſenſiſſet novercam, 1694.*

Sanctisſime Pater.

AD oſcula Beatisſimorum pedum advolvimur, ut vel in pedibus benevolas aures in cauſa Illuſtrisſimi Palatini Vilnenſis circa cenſuram, a qua magis. eum ſua abſolvit conſcientia, offendamus. Compatitur infelicitanti Senatoris Ducisque fato univerſa Respubl. ſed nemo magis, quam noſter Triumviratus, quem ei Collegam ducalis honor voluit. Occaſionem latæ cenſuræ dedit violata (ut prætenditur) bonorum Eccleſiaſticorum immunitas, quando nimirum Palatinus in bonis Eccleſiæ duas cohortes locavit. Atqui id factum autoritate univerſorum Reipubl. Ordinum; quæ id juris Exercituum Ducibus ſancito Comitiorum decreto eſſe, voluit etiam Infulato non reclamante Senatu. Quod ſi ultra jusque fasque militaris ſibi permiſit licentia; id contra mentem Ducis factum evin-

evincit plusquam Manlianus rigor: quia ad primam requiſitionem ſontes datis cervicibus, noxam ſanguine eluerunt, damna vero ex aſſe refuſa, ſed proh fatum! dum Palatinus pro juſtitia vindicativa gratias exſpectat, gladius ſpiritualis in illum ſtringitur, & quidem ad altius ſubſellium Metropolitanæ, imo Vaticanæ ſedis provocantem. Svadebant equidem Sapiehanæ Domus ſemper in Eccleſiaſticos beneficæ, imo & Palatini merita (qui dum ſingulis annis in gratiam ſacri fœderis Exercitum Litvaniæ per ducenta facile milliaria in hoſticum educit, fortunas utique ſuas & ſanguinem Eccleſiæ litat) ut in tam gravi negotio laneis ſaltem pedibus procederetur; ſi plumbeis utendum manibus zelus (utinam ſecundum ſcientiam) imperabat. Sed prævaluerunt violenta conſilia, ne turbatus paſſione animus ea videret incommoda, quæ jam ſentire incipit Polonia. Quis enim in dicendis proxime Comitiis bene ominetur, ſtante hoc infelici litigio? & tamen a Comitiorum decurſu felices ſeu pacis ſeu armorum progreſſus Chriſtiana præſtolatur Reſpubl. Quis ſatis explicet, quantum exinde Eccleſiaſtico Ordini conflatum ſit odium? quam numeroſæ Patrimonio Chriſti immineant Harpyiæ? quas in turbido piſcari geſtientes nulla rationum momenta coercere valeant. Sed hæc ſatis innuiſſe eſto: quia prece, non rationibus agimus apud Paternum pectus Sanctitatis Veſtræ. Atvero ſi factis majus, quam verbis pondus ineſſe creditur; inveniet (ut ſperamus) gratiæ locum apud communem Chriſtianitatis Parentem de hæreditario Chriſtianæ Reipubl. hoſte inſignis nuperrime relata victoria; cu-

jus non minima pars debetur Palatino Lithuaniſque Copiis. Auſpice namque Deo & ſanctis indigetibus ſexta præſentis, altero vero a Cameneco milliari, ſuperato Tyra, non modo Sultanum Sabas Gerei, Hani regnantis filium pluribus Scytharum Turcarumque millibus nobis infeſtum campo victum ad integram Leucam vindice ferro inſecuti ſumus, ad internecionem utique delendum; niſi nox prælium dirimens fugæ ſpatium conceſſiſſet; Verum etiam continuata ſequente die victoria, cartaginem Caminecum inducendam, quæ facile quatuor millia curruum, annona & mercibus gravium cenſebat, ita noſtri juris fecimus; ut ſuperſtes hoſtes cladi, nihil niſi vulnera dedecusque domum reportarit. Quantum vero per hanc Scytharum diverſionem clademque ſacro fœderi acceſſerit incrementi, quantum deſperationis Camenecenſibus tam pingui offæ inhiantibus, tempus docebit. Interim Victor exercitus pro coronide cœlitus ſibi indulti ſolatii unicum paterni affectus autoramentum a Sanctitate Veſtra expectat: Ut nempe Palatinus Vilnenſis Romæ Eccleſiam experiatur matrem, quam Vilnæ hactenus ſenſit novercam; Liceat pro Eccleſia una nobiſcum propitio bella Domini prælietur. Ita e voto Poloni Lithuanique Exercitus ſupplicamus. Ex Caſtris ad Tyram fluvium 10. Octobris Anno 1694.

Sanctitatis Veſtræ

humillimi ſervi

Staniſlaus Johannes Jablonowsky,
Caſtellanus Cracovienſis, ſupremus
Exercituum Regni Dux.

Feli-

Felicianus Caſimirus Potoki, Palatinus Cracovienſis, Campi-Dux Exercituum Regni.

Joſephus Boguslaus Sluszka, Caſtellanus Vilnenſis, Campi-Dux Exercituum M. D. L.

DCCCCXXXVII.

Literæ JOHANNIS III. Poloniæ Regis, ad FRIDERICUM III. Electorem Brandenburgicum, quibus ipſi ingentes pro honorifica filiæ ſuæ, Electricis Bavariæ, exceptione grates perſolvit, mutuaque conjunctiſſimi imo devinctiſſimi animi officia, quavis data occaſione exhibenda, pollicetur, 1694.

Serenisſime Princeps Elector, Frater & Cognate chariſſime.

EXpreſſit in transmiſſis ſuis ad Nos Brandenburgo literis Sereniſſima Princeps Electrix Bavariæ filia noſtra charisſima, & præſtiti ſibi ſtudii & demonſtratæ humanitatis per Serenitatem Veſtram luculentisſima documenta, quæ a ſincero & optimo ejusdem affectu erga Nos Domumque Noſtram procesſiſſe nulli dubitamus. Adeoque gratiſſimo animi noſtri ſenſu recolentes, exhibitam Serenitatis Veſtræ propenſionem, dum non modo obvio cultu, cum Sereniſſimis Principibus Electrice conſorte filia, & germanis fratribus ſuis totaque Electorali domo adventatem exceperit hoſpitem, ſed etiam per totum Ditionum ſuarum tractum omnem facilitatem commodumque itineranti tranſitum pollicita

ſit, obligamur ex mutuo paria benevolentiæ ſpecimina Sanctitati Veſtræ, quavis occaſione rependere, tantumque in Sereniſſimam Domum Electoralem intimæ Voluntatis Noſtræ conteſtari, quantum maniſeſtiſſimo indicio licuit nobis noſtroque ſanguini apud Serenitatem Veſtram omnes gratæ vicinitatis ac optimæ correſpondentiæ experiri demonſtrationes. In reliquo proſperos rerum Succeſſus cum diuturna incolumitate Serenitati Veſtræ ex animo precamur. Dabantur die 24. Octobris Anno 1694.

DCCCCXXXIIX.

Literæ, quibus LEGATI AC DEPUTATI PRINCIPUM PER SACRUM ROM. IMPERIUM CATHOLICORUM, Ratisbonæ in Comitiis congregati, INNOCENTIUM PAPAM XII. ſubmiſſe rogant, velit omni, quo valeret animi conatu & commiſſæ poteſtatis autoritate impedire, quo minus Dux Hannoveranus, Auguſtanæ Confeſſioni addictiſſimus, noni Electoratus honore, in ſummum Eccleſiæ Romanæ præjudicium, ornetur, 1694.

Sanctiſſime Pater,

AD Sanctitatis Veſtræ Pedes, quos oſculo humillime veneramur, eo majori fiducia ſupplices iterum confugimus, quo certius paternis Ejuſdem curis & fere ante biennium interpoſitis apud Auguſtiſſimum Imperatorem Noſtrum officiis impeditum eſſe comperimus, quod Sereniſſimus Dux Hannoveranus, inconſultis plane Principibus & Statibus Imperii non ſine ſummo Religionis Catho-

licæ

licæ diſcrimine in Collegium Electorale hucusque non irruperit. Inſigni vero huic & vere paſtorali Sanctitatis Veſtræ zelo quantum debeatur, Principes ac Domini Noſtri præ aliis devotiſſime agnoſcunt, eaque de cauſa literis hiſce Noſtris immortales Sanctitati Veſtræ gratias humillime agere ſimulque teſtari voluerunt, ſoli Eidem tribuendum eſſe, quod religioſisſimus Cæſar agnito catholicæ rei periculo juſtisſimas Principum querelas petitioni Hannoveranæ poſthabere voluerit, quibus dum etiam Imperii Principibus ſcripto clementisſime declarari mandarit, arduum hoc prætenſi novi Electoratus negotium in publicas totius Imperii deliberationes deductum & nonniſi cum Statuum omnium ſatisfactione finitum iri; cui quidem æquisſimæ Cæſaris declarationi acquieſcere, & ut in perquirendo hoc negotio fundamentales Imperii conſtitutiones obſervarentur, expectare poterant Catholici Principes, ſi quieſcere etiam interea Hannoverani & ceſſare ab injuſto labore voluiſſent. At poſtquam indefesſis eorum machinationibus continuo urgeri Cæſarem, & poſthabita ſupradicta declaratione Imperatoria, introductionem in Electorale collegium, quam ſibi promiſſam ajunt, non modo importune flagitari, verum etiam de componendo hoc negotio periculoſa conſilia denuo agitari manifeſto conſtat: hinc Sanctitati Veſtræ tanquam vigilantisſimo Eccleſiæ Capiti, qua par eſt animi devotione accuratius exponendum eſſe duxerunt, quam in ancipiti fluctuet Catholicorum ſecuritas, non dubitantes Eandem haſce ardentisſimas preces benigne ſuſcipere, & pericli-

tanti fere in Germania Orthodoxæ Religioni paterna ſollicitudine mature ſubvenire non dedignaturam. Et primum quidem quod variis diverſorum ſtudiis animisque ſuggeſtam amicabilem compoſitionem attinet, Scrutatorem cordium Deum conteſtamur, Nos a conſiliis pacificis nunquam abhorruiſſe, ſi modo in medium afferri queant, quæ ſine Religionis Catholicæ diſcrimine, Reipublicæ & fundamentalium ab antiquo legum everſione ac depreſſione Principum admitti poſſe, boni publici ratio & æquitas ſuadent. At quam male his omnibus proſpiciant, qui per propoſitam ſolam admiſſionem Regis Bohemiæ ad Ordinarias Collegii deliberationes, Religioni & reipublicæ ſatis conſultum putant, Sanctitas Veſtra, pro ea, qua pollet prudentia, facile agnoſcet. Quanquam enim Auguſtisſimo Cæſari, Bohemiæ Regi, hanc autoritatis & ſuffragii accesſionem Catholicorum nemo invideat, æquipollere tamen illum novi Electoratui acatholici Principis, ſincere nullus dixerit, niſi qui Germaniæ Principibus, præſertim Catholicis, illudere in animo habeat. Pleno enim jure coeligendi ſummum Imperii Caput (cui ardentisſime Acatholici una cum Hannoverano inhiare videntur) Bohemiæ Rex jam ab ipſis Aureæ Bullæ temporibus ſine ullius contradictione gaudet, cui adjici in Ordinariis Electorum deliberationibus ſuffragium quantillum eſt, ſi ad prætenſum nonum Electoratum reſpiciatur? Quo vero animo hoc imaginarium æquivalens obtrudatur Catholicis, literæ a ſæpe memorato Duce Hannoverano ad Saxoniæ Electorem exaratæ, quarum exemplar in latinum verſum

ſum hiſce Literis Noſtris propterea adjungitur, teſtatum faciunt, quibus circumveniri hac ratione Catholicos & imponi illis poſſe non obſcure profitetur. Eadem ſinceritate ab ipſis prætenſionis ſuæ incunabulis, quinque ab hinc annis erga Electores Auguſtæ Vindelicorum, eligendi Romanorum Regis cauſa tunc congregatos uſus eſt, cum per Legatum ſuum extraordinarium, Comitem a Platen, de tribuendo Catholicis vero & ſatis pingui æquivalente magnifice præfatus, alternativum Jus ſuum in Epiſcopatum Oſnabrugenſem, retento tantum ad vitam uſufructu Catholicis pleniſſime ceſſurum eſſe, ſcripto publice declaravit, At inanes has fuiſſe illecebras illis facile ſuboluit, qui paucis abhinc annis a ſæpe dicto Duce in conventu Noviomagenſi memorati Epiſcopatus Oſnabrugenſis extenſionem ſummo ardore flagitatam eſſe recordabuntur. Cæterum quam exiguum Catholicis æquivalens erga prætenſum novum & nonum Electoratum conceſſuri ſint Proteſtantes, ex eo vel maxime elucet, quod ne huic quidem admiſſione Bohemiæ Regis & Electoris ad Ordinarias deliberationes Electoralis Collegii Electorum acatholicorum alter, niſi extortis per nuperam conventionem ab auguſtisſimo Cæſare ſat duris conditionibus aſſentiri voluerit, alter adhuc ardentisſime contradicat, neq; aſſenſum daturus ſit, niſi forſan novum inde lytrum & conditiones Imperio Catholicisque graves reportet. Altiorem rerum catholicarum curam habere illi videntur, qui fluxam mortalitatis ſeriem ſoliicite expendentes familiam & Electoratum eadem fatorum invidia ad

Svecorum Regem devolvi poſſe non abs re extimeſcunt, impendenti tam gravi periculo per publicam Imperii conſtitutionem, qua ſtabiliatur in utrúmque caſum novum Electoratum Catholicum inſtituendum eſſe, occurrendum exiſtimant. Quorum quidem prudentisſima ſollicitudo quamvis laudem non exiguam mereatur, imparem tamen eſſe tanto malo Sanctitas Veſtra facile deprehendet, ubi Principum acatholicorum animos viresque & res a ſeculo geſtas accuratius inſpicere dignata fuerit. Primo enim aſſenſum ad dictos Electoratus catholicos de novo inſtituendos ſperare quis auſit ab illis, qui modo Regem Bohemiæ Electorem ad ordinarias deliberationes Collegii Electoralis admitti neutiquam debere tam fervide clamant? Deinde nimium ſibi de Svecorum Rege, Saxonico ac Brandenburgico Electoribus ac Duce Hannoverano polliceri videntur, qui ſuppoſita etiam modo dicta conſtitutione, & evenientibus ſupradictis caſibus novi Electoratus catholici erectionem, eosdem quiete ſpectaturos eſſe arbitrantur, quam pluralitate imprimis votorum in Electorali Collegio & ſuſcitatis ſtudio litigiis, mox conjuncto armorum robore, & reliquorum Acatholicorum pertractatis ad ſe viribus facile amoliri, aut fatali ſaltem & catholicis exitiali forte bello Germaniam involvere poſſent. At ponamus, conceſſuros hanc Electorum conſtitutionem acatholicos, & quod ſperare vix licet, eveniente caſu, potentiam atque arma ſua intra Jus & pactorum fidem cohibituros; duo tamen ſunt, Beatiſſime Pater, quæ remedium

hoc

hoc inutile & malo, quod ab inſtitutione noni Electoratus Catholicæ Religioni imminet, plane inadæquatum eſſe demonſtrant. Vix enim habebit Germania inter ſeculares catholicos Principes, qui tantæ dignitati & ſplendori ſuſtinendo pares ſint, maximis quibusque & validiſſimis principatibus vel Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ Patrimonio innexis vel hæreditati Electoralium familiarum adhærentibus, ex quibus Electores noviter inſtituendos adſciſcere e re Germanorum eſſe neutiquam videtur, cum ipſemet adeo Dux Hannoveranus in literis ſuis ſupradictis ſignanter aſſerat, duos Electoratus non in una familia & minus in una eademque perſona ſubſiſtere poſſe. Deinde valde diſparia ſunt, novum Electoratum acatholicum de præſenti inſtituere & caſibus Catholicorum deficientium, quos divina clementia facile evertere poteſt, in futurum proſpicere. Manet enim ſemper antiquus Catholicorum numerus, & creſcit numerus acatholicorum, quorum augmento quod catholicis æquivalere poſſit, nihil in omnibus his compoſitionis conſiliis reperitur. Quamobrem indignum eſſe clementiſſimi Principes ac Domini Noſtri exiſtimant, tam inſignem & præcipuam Catholicæ Religionis prærogativam, absque ulla neceſſitate prodigere, & cum divina providentia catholicos Electores ſex, acatholicos autem duos tantum eſſe voluerit, poſteriorem numerum adjecto ſereniſſimo Hannoverano in eam potentiam evehere, cui ſi deficiente, quod Deus avertat, Palatino, Svecorum Rex accedat precariam quaſi fore Catholicorum autoritatem libertatemque facile

perſpicient, qui res a ſeſquiſeculo in Germania geſtas memoria revolvere voluerint. Illud denique in Sanctitatis Veſtræ paterna ſollicitudine expendi humillime rogamus, ſi vergere in illum caſum Rempublicam fata voluerint, quid Catholicis a ſupradictis quatuor Principibus, præſertim in electione Regis Romanorum expectandum vel timendum ſit, quorum vaſtiſſimæ ditiſſimæque Provinciæ oceano, marique vicinæ, fluviis Europæ maximis munitæ, ſibi invicem concatenatæ, Regum vicinorum fœderibus, connubiis, auxilio roboratæ, tres fertiliſſimos Imperii circulos, & quicquid fere inter Mare Balticum Rhenumque terrarum eſt, complectuntur, & qui accedentibus Regum vicinorum ac reliquorum Acatholicorum in Germania viribus, illos dejicere facile atq; opprimere poſſunt, priusquam modo exhauſtis quatuor Rheni Electoribus & reliquis pene in faucibus Proteſtantium ſitisPrincipatibus a tam longe diſſitisAuſtriacorum & Bavarorum ditionibus ſuppetiæ ferri posſint. Quid vero auſuri ſint, habitæ ſuperiore anno in urbe Dresda inter Daniæ Oratorem & Commiſſarios Electorales Saxonicos conferentiæ Protocollum, cujus exemplar latinis verbis adjungimus, ut & ultima Ducis Hannoverani cum Wilhelmo Angliæ Rege & Uniti Belgii Ordinibus de Epiſcopatu Osnabrugenſi extinguendo pacta, in latinum itidem quoad paſſum concernentem verſa & copialiter hic adjuncta fœdera ſat demonſtrant. Quæ omnia ſi cum deperditis tot olim Archi-Epiſcopatibus & Abbatiis conferantur, nihil aliud

quam

quam ultimum catholicæ Religionis excidium & acatholicorum in Germania Imperium ſpirare videntur. Inter hæc undique imminentia mala una eſt paterna & nunquam ſatis laudanda Sanctitatis Veſtræ vigilantia, quæ Principum ac Dominorum Noſtrorum ſollicitos animos in illam ſpem erexit, non commiſſum iri, ut ſub felici Ejusdem & auſpicatiſſimo Eccleſiæ Regimine per infauſtam hanc & ominoſam Ducis Hannoverani ambitionem Catholica Religio in Germania tot caſibus & periculis absque ulla neceſſitate objiciatur, quibus tandem aliquando ad ultimam perniciem deduci poſſet. Quamobrem Sanctitatem Veſtram ſæpedicti Principes ac Domini Noſtri humillime implorant, ut periclitantem in Germania commiſſum ſibi gregem paternis oculis mature reſpicere & potentiſſimis penes Imperatoriam Majeſtatem officiis ſeriisque apud alios Electores & Principes tam Eccleſiaſticos quam ſeculares admonitionibus eo dirigere rem dignetur, ut huic negotio tam exitiali ſeſe, qua par eſt animi conſtantia, opponant. Sacra vero Cæſarea Majeſtas ponderatis, pro rei gravitate ingentibus malis, quibus Germaniam nonus ille Electoratus inundaturus eſſet, immodicam & intempeſtivam Ducis Hannoverani prætenſionem quieſcere in perpetuum jubeat; aſſerta vero Ejusdem merita ad temporum meliorum deliberationem rejiciat, quibus affirmari ex aſſe queant, an nulla alia quam Electorali laurea recompenſari Dux idem poſſit, quod Imperio eique vicino Hungariæ Regno, non niſi in extrema neceſſitate conſtitutis, auxilia duriſſimis ac vix ferendis con-

conditionibus pene vendiderit, & cum dicta tertia factione conſilium exequi & bello inteſtino in Patriæ viſcera graſſari noluerit. Quæ ſi tantis præmiis ornare fas eſſe videbitur, multis certe laureis Electoralibus coronari Principes Catholicos oportebit, qui ſuas ſubditorumque opes, militem, arma, annonam, pecuniamque pro Cæſare & Imperio majori fidelitate & zelo non venali profuderunt. At vero ſi religione promoveri Cæſaris animus ad abjiciendas de novo Electoratu Cogitationes nullo modo poſſit, aut inevitabilis quædam Reipublicæ neceſſitas, quæ tamen nullatenus apparet, Electorum multiplicationem exigere videatur, ut Sanctitas Veſtra Paternas ſuas curas illuc intendere velit, humillime precamur, ut primum in compenſatione ſecularis octavi, Nonus Eccleſiaſticus Eadem, qua ille lege deciſus, cum Hannoverano ſeculari decimo ſimul & eodem actu undecimus creetur eccleſiaſticus, amboque pariter in collegium Electorale introducantur, & firmæ interim conditiones ſtabiliantur a Reverendiſſimis & reſpective ſereniſſimis Electoribus catholicis propoſita, de duobus Electoribus Catholicis in ſupradictos caſus extinctionis aut devolutionis ſubſtituendis. Cedat etiam, ut obtulit, alternativo ſuo jure in Epiſcopatum Osnabrugenſem Sereniſſimus Dux Hannoveranus, ſimulque Rex Bohemiæ ad Ordinarias Electorum deliberationes admittatur. Non permittit inſignis & Orbi univerſo notus Sanctitatis Veſtræ zelus, ut juſtiſſimas has & humillimas Principum ac Dominorum Noſtrorum preces, quas ad Ejusdem ſacratos pedes

pedes ex ſpeciali Illorum juſſu filiali fiducia deponimus, exaudiendas eſſe dubitemus, aut ſub Ejusdem laudatiſſimo Pontificatu Eccleſiam Dei tam ingens detrimentum pati poſſe credamus, quin potius omnino confidimus, quod Sanctitas Veſtra periculoſum hoc noni Electoratus negotium a Germania aut plane avertat, aut ſupradictas ſaltem æquiſſimas, & religioni orthodoxæ conſervandæ neceſſarias conditiones paterna autoritate & ſollicitudine ſua ad effectum deducat. Qua inſignem ſibi apud Deum gratiam & Pontificatui ſuo immortalem in Eccleſia omnique poſteritate laudem conciliabit. Principes vero Noſtri interea pro Spiritus ſancti aſſiſtentia & proſpero rerum ſucceſſu largiendo precibus ardentisſimis Deum Ter Optimum maximum interpellare non deſiſtent. Cui Sanctitatem Veſtram pro diuturno & felici univerſalis Eccleſiæ regimine, Nos vero paternæ ejusdem benedictioni quam devotisſime commendamus. Ratisbonæ in Comitiis 4. Nov. 1694.

DCCCCXXXIX.

Litera FRIDERICI AUGUSTI, Electoris Saxoniæ, ad JOHANNEM III. Poloniæ Regem, quibus fratrem Chriſtiani Ulrici de Harſtall per biennium injuſte incarceratum dimitti liberum rogat, 1694.

P. P

Expoſuit Nobis per libellum ſupplicem Regiæ Majeſtatis Daniæ ſtabuli Magiſter Chriſtianus Ulricus de Harſtall Fratrem ſuum Regiæ Maj. Veſtræ ob militarem peritiam operamque in diverſis præ-

prælijs præſertim in Moldavia ſtrenue navatam, fortaſſe non incognitum, a quibusdam inimicis ſuis diverſorum criminum accuſatum quidem, ſed neutiquam convictum, per ſupremum Regni Polonici Campi Mareſcallum, primo vitæ & capitis damnatum, poſtea vero, apparente aliquantiſper illius innocentia, in carcerem & vincula conjectum fuiſſe, ibidemque diris in hunc diem haberi modis. Ab hac igitur captivitate Fratrem ſuum liberare, cum toties hactenus fruſtra laboraverit, confiſus eſt tandem precibus Noſtris, pro ipſo apud Regiam Veſtram Majeſtatem interpoſitis ſe effecturum, ut per biennium jam incarceratò exoptata iterum indulgeatur libertas. Quandoquidem igitur quæ modo dicto ab Harſtall pro recuperanda libertate fratris ſui ſpes reſtat, eam in ſola Regiæ Veſtræ Majeſtatis æquanimitate & clementia repoſitam eſſe videamus, ea ne deſit homini peregrino atque inimicorum ſuorum fortaſſe odio & invidia magis quam ſua culpa infortunato etiam atque etiam Regiam Veſtram Majeſtatem præſentibus hisce rogamus. Quod ipſum tandem ſi impetraverimus, ab inſita Regiæ Veſtræ Majeſtati manſuetudine potius, quam interceſſionalibus Noſtris profluxiſſe exiſtimabimus. Quam proſpere ſemper atque ex animo valere votis omnibus exoptamus. Dabantur Dresdæ die 9. Nov. 1694.

DCCCCXL.

Litera ANDREÆ CHRYSOSTOMI ZALUSKII, Epiſcopi Plocenſis, ad GEORGIUM WILHELMUM, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem, quibus

bus tutum pro Electrice Bavariæ, ejusque Aulico famulitio per ditiones ejus expoſcit tranſitum, 1694.

Sereniſſime Princeps.

SI Rex Dominus meus ſciviſſet, quod iter abſolventi Serenisſimæ Principi Electrici Bavariæ Regiæ Principi Filiæ ſuæ ad ſerenisſimum Principem Dominum Electorem Bavariæ, Maritum ſuum contingeret oras & ditiones Serenitatis Veſtræ prætergredi, compellaſſet certe eandem liberum per terras ſuas amice requirendo paſſum. Sed cum necesſitas hujus officii prævideri non potuit, utor ea libertate ego, Legatum Majeſtatis ſuæ agens, precorque Nomine Regio, ut cum omni ſuo comitatu Aula & famulitio, tum inſimul quam poſt ſubſequenti plena ſecuritate ac inoffenſo pede tranſire valeat. Quidquid vero in terris Serenitatis Veſtræ benevolentiæ ac officiorum experta fuerit, ſuam Majeſtatem vicisſim omni occaſione relaturam ſibi Serenitas Veſtra certo ſciat & confidat. Cui pro particulari meo devotisſima mea defero obſequia, & ex Mandato SerenisſimæElectricis unum ex præcipua Nobilitate Polona Aulam ſuam ſubſequente Magnificum & Generoſum Lubienski ad id officii præſtandum mitto maneoque

Serenitatis Veſtræ

ad omnia obſequia paratisſimus

Epiſcopus Plocenſis.

DCCCCXLI.

Reſponſoria GEORGII WILHELMI, Ducis Brunſuico-Luneburgenſis, ad præinſertas ANDREAE CHRY-

CHRYSOSTOMI ZALUSKII, Epiſcopi Plocenſis, literas, 1694.

Reverendiſſime & Illuſtrisſime Domine.

Quas a Reverendisſima Dignitate Veſtra, ad aulæ Noſtræ ordinariam ſedem, Generoſus Dominus Lubinsky detulit literas, eas abſentes hic in arce provinciali accepimus, atque ex iis perſpeximus, quid de Serenisſimæ Electricis Bavariæ, Conſanguineæ Noſtræ honoratisſimæ Dilectionis per has oras tranſitu, Nobis ſignificare voluerit. Sicuti vero alte memoratæ Dilectioni Ejus, de itinere e Regno patrio hucusque feliciter peracto animitus gratulamur, ita pro ſingulari Noſtro erga Regiam Majeſtatem Poloniæ & Ipſius Serenisſimæ Electricis Dilectionem cultu & affectu, nihil nobis gratius foret, quam Eam in ditionibus Noſtris decenti humanitate excipere, atque eidem cum Illuſtri Comitatu, tum præcipue Reverendisſimæ Dignitati Veſtræ lauta honoris exhibere officia. Quando autem Dilectionem Ejus ad limites Noſtros non deventuram, hactenus conſtanter Nobis nunciatum eſt, dolemus ſane imparatos eſſe officiales Noſtros Ipſi, qua iter per Ducatum Noſtrum erit, dignis modis miniſtrare, nec deſperantes tamen, acceptum & gratum fore quicquid per temporis brevitatem poterit præſtari. Interim Camerarium Noſtrum Wernerum de Luneburg, in occurſum & ſalutationem ad eam ablegavimus, gaudium de felici adventu, vota Noſtra, & propenſæ voluntatis officia prolixe teſtatum; qui eodem inter-

terprete benevolentiam Noſtram Reverendisſimæ Dignitati Veſtræ deferimus. Dabantur in Arce Noſtra Harburgi 3. Dec. 1694.

Georgius Wilhelmus.

DCCCXLII.

Literæ ORATORUM STATUUM PER S. R. IMP. CATHOLICORUM, in Comitiis Ratisbonenſibus congregatorum, ad INNOCENTIUM PAPAM XII. quibus ipſum ſubmiſſe precantur, velit omni diligentia & poſſibili conatu impedire, quominus præſulatus Paſſavienſis in Archiepiſcopatum cum probroſa & exitiali totius Ordinis hierarchici convulſione erigatur, 1694.

Beatisſime Pater.

SAnctitatis Veſtræ ſacris pedibus advoluti humillimi oratores ad Comitia Ratisbonenſia Ablegati nomine clementisſimorum Dominorum Noſtrorum Principalium Germanicæ Nationis Epiſcoporum & Principum, ſupplici prece repræſentamus, qualiter tam ex parte Domini Archiepiſcopi Salisburgenſis, quam ex parte Domini Epiſcopi Paſſavienſis noſtris Dominis Principalibus ſignificatum fuerit, quod Sacra Cæſarea Majeſtas Epiſcopatum Paſſavienſem in Archiepiſcopatum erigi deſideret, & in hunc finem Conſiliarium Aulico-Imperialem Tuccium, olim Viennenſis Nunciaturæ auditorem, jamdum Romam ablegaverit. Et quamvis præfatus Dominus Epiſcopus Paſſavienſis, memoratis Noſtris Dominis Principalibus conſtanter polliceatur, neque Auguſtiſſimum, neque ſe per

 hanc

hanc erectionem, ullum Statibus Imperii in ſuis juribus aut præcedentia illaturum præjudicium, nihilominus rem penitius intuentibus variæ ac inevitabiles ſe objiciunt difficultates, quas ſæpe memorati Domini Noſtri Principales, vi muneris & debiti, quo Sedi Apoſtolicæ, Auguſtiſſimo Cæſari, ſuæque Eccleſiæ & dignitati ſe obſtrictos profitentur, ad avertendam hujusmodi novitatem Veſtræ Beatitudini humillime proponere compelluntur, ſolenniſſime tamen proteſtantes, nolle ſe ullatenus ſupremæ Pontificiæ Autoritati, quam velut filii obſequioſiſſimi profundisſime venerantur, modum ponere, quin potius ſuo filiali zelo, quo erga Beatitudinem Veſtram, ejusque ſedem ſacram feruntur, bene de eadem ulterius promereri ſperant, ſi Sanctitati Veſtræ fideliter detegant, quam magna, & Ordini Hierarchico periculoſa ex Paſſavienſis Eccleſiæ exaltatione, ſeu colorata Laureacenſis Archiepiſcopatus reſuſcitatione, inconvenientia, relicto juſtitiæ curſu, poſſent enaſci. Et quidem cum notorium ſit, litem in puncto juris Metropolitici, a multis retro annis inter Celſiſſimos ac Reverendiſſimos Dominum Archiepiſcopum Salisburgenſem & Dominum Epiſcopum Paſſavienſem, in S. Rota, velut in competenti judicio, non ſolum verti, ſed in favorem Salisburgenſis Eccleſiæ duas deciſiones, uti & ſententiam emanaſſe, quæ Dominum Epiſcopum Paſſavienſem ſimul in expenſas condemnavit, & per hoc ejus cauſam temerariæ litis nota laborare oſtendit; hinc juſtitia ipſa ſupremum Romanum Tribunal convitiis proſcindere ac velut deluſorium reclamare videtur,

ne

ne pars, cui hucusque adſtitit, absque ullo demerito, id per viam gratiæ amittat, quod ipſa juſtitia favente ipſi tributum fuerat. Ex eo enim, quod ſancta ſedes, contra proprium ſuum judicatum definitum, converſo more, partem victam in ipſas adeo litis expenſas in via juſtitiæ condemnatam, per viam gratiæ, quæ tamen ſemper juſtitiæ inniti debet, exaltare & eximere vellet, facile ſiniſtra hominibus imprimeretur opinio, quaſi vero, Romæ pars majoribus rationum ponderibus munita, cauſam ac ſumptuoſas expenſas perdere, quæ autem his prærogativis deſtituitur, vincere ac triumphare poſſet, adeo multi alias bonam cauſam habentes, metu perdendi id, quod jure ſibi debetur, perculſi, ſupremum Tribunal declinare & juri ſuo ſtatim renunciare mallent, de cujus jactura etiam poſt immenſos ſumptus exhauſtos periclitarentur. Et quid tandem ſiniſtri judicii & conſequentiarum, præſertim apud heterodoxos, odioſiſſimum vilipendium, quas deſpectuoſas gloſſas, contemtus, quas ignominioſas ſcripturas & peculiares infames Tractatus & traductiones cauſatura, porro, quæ inde oritura ſcandala, averſiones, abominationes, quæ impedimenta in via converſionis exiſtentibus, indeque maxima damna univerſæ Eccleſiæ Catholicæ, cum tot animarum diſpendio, quæ heterodoxis ex tali eventu ſubminiſtrarentur argumenta optatisſima, venenum mente prælibatum, adverſus ſummæ ſedis autoritatem & Sanctitatem fidei, hiantibus faucibus, ſub irrefragabili veritatis ſpecie longe lateque ſeminandi, & tantis quidem zizaniis, ut vix ſecula evellen-

dis ſuffectura eſſent, maxime, ſi Domini Noſtri Principales cum rationibus ſubſequentibus, pro prærogativis, præeminentiis, & tot ſeculis poſſeſſis Principum juribus, ſimul reclamare obligarentur, exemplo plane ſine exemplo, ſimul per ſe reluctaturis infallibiliter Principibus Proteſtantibus, & nunquam in æternum conceſſuris, ut tot ſeculis ſuffragio ſuo poſterior Epiſcopus Paſſavienſis, reliquos Epiſcopos præcedentia pollentes, per Archiepiſcopatum tranſcenderet, ſecutura colliſione evidenti totius compagis Status Romani Imperii. Hæc omnia & ſingula tam juſtæ, quam pientiſſimæ ac paternæ Sanctitatis Veſtræ conſiderationi, humillima ſubmisſione ſubſternimus. Pesſimam ſane talis erectio cauſaret convulſionem toti Ordini hierarchico, in cujus tamen antiquo Syſtemate & concordi harmonia potisſimum ſtat Res & Religio catholica, ideo quod univerſo Imperio, totique hierarchiæ Eccleſiaſticæ ignota ſemper fuerit prætenſa identitas Eccleſiæ Paſſavienſis cum Laureacenſi, prout & habitualis a Domino Epiſcopo Paſſavienſi nominata Archiepiſcopalis in ea dignitas, neque ullum ejus in actis comitialibus aut Receſſibus reperibile veſtigium, quod prædeceſſores Epiſcopi hanc ſibi dignitatem arrogaverint, quin potius, citra ullam proteſtationem, infra alios Epiſcopos in Comitiis & aliis, tam publicis, quam privatis conventibus ſederint, contra vero exploratum ſit, quod Salisburgenſis Eccleſia eodem fere tempore ſub Carolo magno, una cum naſcente Imperio Romano-Germanico, in metropolium erecta fuerit, ac continua pos-

poſſeſſione dignitatis ſuæ adoleverit, & inſuper ex prælatione Status præ aliis, ad exemplum ſcamni Principum ſecularium, etiam in Eccleſiaſtico inevitabiles naſcerentur altercationes ſuper ſeſſiones, quarum veſtigia in Receſſibus Imperii adhuc ſuperſunt, & ſingulis fere comitiis novarum litium clamoribus atria & ſubſellia perſonant, propter quas diſpares inter ſtatus oriuntur affectus, vota in conſiliis minuuntur, comitia protrahuntur, expeditiones publicarum rerum impediuntur, ac nonniſi differentiæ & animorum averſiones inter ſtatus catholicos, non absque notabili Religionis detrimento exſurgunt. Et quamvis Dominus Epiſcopus Paſſavienſis religioſe ſpondeat, ſe, in propriam demiſsionem, aliis Dominis Epiſcopis Imperii Principibus, prout hactenus, impoſterum loco ceſſurum; Hæc tamen renunciatio velut univerſali hierarchico Ordini probroſa, juſtum etiam Dominis Noſtris Principalibus excuti metum, ordinem hucusque in Eccleſiaſtico ſcamno tam ſancte ſervatum, periculoſa novitate quandoque immutari poſſe. Eſto enim, ſæpe memoratus Dominus modernus Epiſcopus Paſſavienſis dignitati novæ in ſeſſionibus comitialibus derogare non poſſet & vellet, nollet tamen id præſtare in locis & congreſſionibus aliis, imo prudenter exiſtimandum, quod Succeſſores Paſſavienſes eo modo, quo modernus Dominus Epiſcopus Archiepiſcopatum impetrare ſatagit, in occupandis, data opportunitate, primis ſubſelliis ſibi invigilaturi eſſent. His tam ſummæ ſedi, Beatiſſi-

tiſſime pater, quam univerſo nationis Germanicæ Ordini Eccleſiaſtico pertimeſcendis probris ac præjudiciis, nulla præponderant aut neceſſitatis, aut evidentis utilitatis motiva, quæ tum in dismembrandis, tum metropoliticis Provinciis, tum Epiſcopalibus Diœceſibus, Sancta Sedes religioſe ſemper obſervavit. Et quidem quod nulla neceſſitas hujus dismembrationis adſit, patet ex eo, quod Paſſavienſis Eccleſia hucusque per nullam novam Evangelii prorogationem fines ſuos adeo extenderit, ut in novos Epiſcopatus neceſſario diſcerpi debeat, neque etiam ab acatholicis ita coanguſtatur, ut iis retundendis, ſuisque oviculis conſervandis, novorum Paſtorum ope indigeat, neque ejus vaſtitas poſt erectas Viennenſem & Neoſtadienſem Epiſcopatus impedit, quo minus gregem ſuum commode paſcere valeat, aut ſi huic paſcendo impar foret, fortasſis Dominus Archiepiſcopus Salisburgenſis in reverentiam ſuæ Cæſareæ Majeſtatis animum induceret, ut tantus his duabus Salisburgenſibus anguſtis diœceſibus adderetur diſtrictus ex diœceſi Paſſavienſi, qui & Dominum Epiſcopum Paſſavienſem nimio ſublevaret onere, illius autem Archidiœceſin ampliori condecoraret jurisdictione; Neque apparet, quod Metropolitana Salisburgenſis Poteſtas ullum Provinciæ Auſtriacæ poſſit gravamen inferre, cum ſit pure ſpiritualis, nonniſi in ſalutem animarum inſtituta, eo fere modo, quo hucusque illa in Provincias Styriæ, Carinthiæ & Tyrolis, ubi ſine contradictione exercetur, nullum damnum

inve-

invexit, imo nec ipſi Auſtriæ, in quam partem ſuæ Ordinariæ jurisdictionis, (quæ magis ſtatum afficit) exerit, gravis unquam fuiſſe deprehenditur, idque ex ea potisſimum ratione, quod illius Eccleſiæ Præſules Principes ſint Imperii, Auguſtisſimæ domui addictisſimi, & communiter ex hæreditariis Provinciis electi. Quin & ipſe Galliarum Rex flagrantibus bellis exercitium hujusmodi jurisdictionis Domino Electori Trevirenſi in proprio Regno non interdixit, timendum vero, ne per talem novitatem exemplum arriperet ſubtrahendi prædicto Domino Electori ejusque Metropoli venerantes Epiſcopos. Ex quibus porro convincitur, nullam eſſe quoque utilitatem, qualem S. Bernhardus de Conſid. Libr. III. Cap. 4. ſuadet, communem videlicet, non propriam; nam ſi propria in hac dismembratione ſufficeret, plures in Imperio, tum amplitudine diœceſis ac ſtatus, tum meritis conſpicuos, & quidem ordine priores inveniri; qui ſuam diœceſin in Archiepiſcopatum exaltari potiori jure prætendere posſent, niſi eos amor pacis & optata Patriæ Principum harmonia contineret. Cæterum laudabilis eſt Sacræ Cæſareæ Majeſtatis intentio, eo collimans, ut lis inter duos Dominos Præſules tollatur, difficile vero perceptu alio, quam ſuavi juſtitiæ collo ad optatam metam curri poſſe, ſiquidem hæc ſine ſtrepitu aut juſta indignatione ſuum cuique tribuit, gratia vero læſi animum exulcerat, ac in ſpem erigit, quandoque reddendi, quod non ſubduxit. Unde non tam finis, quam proli-

xitas litis, animorumque diſſenſio pullulat, nec dubitandum, quod hæc controverſia per judicialem ſententiam jam tum finem ſortita fuiſſet, ſi Dominus Epiſcopus Paſſavienſis ac Dominus Archiepiſcopus Salisburgenſis ad finem hunc promovendum aſsiſtentiam Auguſtisſimi imploraſſent. Quandoquidem igitur, Beatisſime Pater, hujusmodi erectio, velut nova, maxima poſt ſe trahat inconvenientia, ipſam Sanctam ſedem æque ac hierarchiam Germanicam offendat, harmoniam ordinis eccleſiaſtici convellat, diſcordiet, & animorum exacerbationes pariat, nulla vero urgeat neceſsitas, aut evidens utilitas, ob quarum, ut & conſenſus Metropolitani defectum, magnus ille felicisſimæ recordationis Innocentius III. Pragenſem Eccleſiam in Archiepiſcopalem evehere renuit; hinc Domini Noſtri Principales ſibi promittunt, Sanctitatem Veſtram ad imitationem tanti Pontificis, cujus glorioſum nomen ſimul cum meritis Chriſtiano orbi reſtituit, pro paterna ſua in Germanicam Eccleſiam ſollicitudine & pacis amore, in hoc perturbato Chriſtianæ Reipublicæ ſtatu eo collimaturam, ne termini, quos poſuerunt Patres, innoventur, neve ſæpe fatis Noſtris Dominis Principalibus, quos novitas hæc non leviter tangit & affligit, inauditis in tam arduo negotio procedatur. Hoc modo Sanctitas Veſtra amatam Deo juſtitiam proteget, Germanicam hierarchiam in optata harmonia conſervabit, exuberantem ſuum zelum Orbi univerſo magis commendabit, noſtros Dominos Principales fortiori obli-

obligationis nexu ſibi ſediq; Apoſtolicæ, pro cujus gloria proprium ſanguinem ſacrificare parati ſunt, æternum devinciet. Quam Deo Ter Optimo Maximo, pro felici & diuturno univerſalis Eccleſiæ Regimine, Noſmet ipſos vero ſanctæ & paternæ Beatitudini, cum humillimo beatisſimorum pedum oſculo, devotisſime commendamus. Dabantur Ratisbonæ, Anno 1694.

DCCCCXLIII.

Litera GVILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad PRÆCIPUOS CANTONUM HELVETIÆ EVANGELICORUM ORDINES, quibus ipſis, Mariam conjugem ſuam deſideratisſimam ſibi præmatura morte ereptam eſſe mæſte refert, 1694.

Wilhelmus III. Dei gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, fidei Defenſor &c. Illuſtribus atque amplisſimis Dominis Conſulibus, Sculteтis, Landamannis & Senatoribus Cantonum Helvetiæ Evangelicorum Tiguri, Bernæ, Glaronæ, Baſileæ, Schafhuſi, Abbaticellæ & St. Galli, Amicis Noſtris charisſimis ſalutem!

Illuſtres atque amplisſimi Domini, Amici charisſimi.

IN medio mœrore, quo Sereniſſimæ Principis Dominæ Mariæ, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Reginæ, fidei Defenſoris &c. Charisſimæ Conjugis Noſtræ præpropera & inopina morte pene obruimur, a gravisſimis luctibus tantiſper vacationem petimus, dum ad Vos (utpote malis Noſtris non immotos) triſtisſimum Nuntium per

feramus, Ipſosque ex amicitiæ officio edoceamus, quod pulcherrimum omnium, quæ Principem fœminam ornant Virtutum exemplar, productiſſimæ vitæ digniſſimum, in florente ætate variolorum morbo, eorumque inſidioſisſimo genere correptum (humana ope contra irrevocabilia Supremi Numinis Decreta nihil valitura) intra octiduum viceſimo octavo ſcilicet die menſis currentis, puriſſimam animam cœlo reddidit, nobisque tantum mœſtiſſimam quidem ſuam, ſed & animo noſtro nunquam delendam imaginem reliquit. Divinæ Voluntati Noſtram in omnibus accommodari par eſt, eique etiam (caducæ mortalium conditionis memores) Nos Noſtraque venerabunde committimus, Deum optimum Maximum enixiſſime obteſtantes, ut quoniam Nos (quod minime optabamus) ſuperſtites eſſe voluit, tanto caſu perculſos ſuſtinere & ſublevare dignetur, tum ut ab amicis Noſtris, nobisque benevolentibus, præſertim a Vobis (quibus omnia felicia ac proſpera ex animo vovemus) eadem & minora quæque infortunia pro ſua ſumma clementia avertat & longisſime amoveat, Dabantur in Palatio noſtro de Kenſington, 30. die Menſis Decembris, Anno Domini 1694. Regnique Noſtri ſexto.

Nota Pari quoque ratione ad nonnullos alios Europæ Proceres ſcriptæ fuerunt literæ.

DCCCCXLIV.

Reſponſoria a PRAECIPUIS CANTONUM HELVETIAE EVANGELICORUM ORDINIBUS, ad

ad [illegible]aimpreſſas GVILIELMI III. de morte lectiſſimæ Conjugis ſuæ nuntiatorias, 1694.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex, Domine clementiſſime.

QUanto Nos mœrore adfecerint Majeſtatis Veſtræ ſub 30. Menſis Decembris, anni proxime elapſi ad Nos exaratæ gratioſiſſimæ Literæ, quibus triſtis obitus Sereniſſimæ Reginæ Mariæ, lectiſſimæque Conjugis certiores Nos facere dignata eſt (ob quod demiſſas gratias agimus) verbis haud facile exprimi poterit. Fatemur enim cum omnibus bonis & ſolidæ virtutis æſtimatoribus, quos ſaltem aliqua publicæ ſalutis cura tangit, perdidiſſe in hac incomparabili Regina Majeſt. Veſtram prudentiſſimam Regiminis ſociam, Eccleſiam firmum columen, populum Britannicum ſuas Delicias & ſeculum Noſtrum admirationis objectum ipſa immortalitate dignum. Verum, quum ita divinæ providentiæ decreta, quorum neceſſitatem morari in humanis conſiliis non eſt, tulerint, ferenda patienter ſunt, quæ Deus inflixit vulnera. Noſtrum interea erit Majeſtati Veſtræ hiſce conteſtari, quas in publico hujuſce mali ſenſu & Nos partes ſumamus, & quam deſiderio tantæ Heroinæ una cum Majeſtate Veſtra ingemiſcamus. Deum optimum Maximum proin ſuppliciter venerantes, ut vulnus, quod Majeſtati Veſtræ inflixit, balſamo cœleſtis ſolaminis permulcere ac ſanare, orbitatemque ſuam novis proſperæ fortunæ auſpiciis victoriisque exhilarare clementiſſime velit. Majeſtatis interea Veſtræ erit (ſiquidem & hæc Nobis rogantibus dicendi liberta

bertas fuerit) juſto quidem dolori non adeo indulgere, ut exinde Majeſtatis Veſtræ valetudo, quam ſeros in annos integram ſervari & libertatis publicæ, & Magnæ Britanniæ, cujus regnandi onus in Ipſam ſolum jam devolutum eſt, quam plurimum intereſt, quid detrimenti capiat. Tandem ardentiſſimis ad cœlum pro Majeſtatis Veſtræ ſuorumque Regnorum perenni incolumitate votis haſce finimus, ac Nos Noſtramq; ſanctæ reformatæ Eccleſiæ addictam Rempublicam Regiæ Majeſtatis Veſtræ erga Nos benevolentiæ porro ea, qua par eſt, devotione recommendamus, dum ei Noſtra omnia paratiſſima officia demiſſi offerimus. Datæ & communi Noſtrum Nomine Sigillo fœderatæ Nobis Civitatis Tigurinæ munitæ die 9. Febr. 1695.

Majeſtatis Veſtræ

Obſervantiſſimi & ad omnia officia paratiſſimi

Conſules, Sculteti, Landammanni & Senatores Cantonum Helvetiæ Evangelicorum, Tiguri, Bernæ &c.

DCCCCXLV.

Reſponſoria FRIDERICI AUGUSTI, *Saxoniæ Electoris, ad præinſertas* GUILIELMI III. *Magnæ Britanniæ Regis, de præmatura Sereniſſimæ conjugis ſuæ notificatorias, 1695.*

P. P.

NOn ſine ſenſu doloris ex Regiæ Veſtræ Majeſtatis literis 30. Decembris, quem haud ita pridem

pridem finivimus anni, ad Nos perſcriptis intelleximus Sereniſſimæ Principis, Dominæ Mariæ, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Reginæ &c. &c. Chariſſimæ ſuæ Conjugis obitum inopinum: qui tanto Nobis acerbior extitit, quanto Nos Ipſi impenſius amavimus pie defunctam, omnibus quæ ſummam fortunam ornant, virtutibus eminentiſſimam. Multo igitur altius jacturam hanc in animum Regiæ Veſtræ Majeſtatis penetraſſe, facile, ut credamus, inducimur. Confidimus tamen, Regiam Veſtram Majeſtatem eo æquiore animo domeſticam hanc cladem eſſe laturam, quo feliciori ſorte beatæ memoriæ Princeps jam fungi credenda eſt omnibus, quæ hanc mortalem vitam turbant, moleſtiis liberata, particepsque jam facta æternæ illius ac ineffandæ felicitatis, quam nos illi cum invidere neutiquam debeamus, nihil ſupereſt, quod præſentibus hiſce majorem in modum Deum optimum maximum oremus, quam ut triſtes ejusmodi lugendi occaſiones impoſterum a Regia Veſtra Majeſtate quam longisſime avertat, auguſtisſimamque Illius perſonam incolumem ſemper præſtet ac perpetuo felicem. Dabantur Dresdæ die 1. Februarii 1695.

DCCCCXLVI.

Reſponſoria PRINCIPIS CUJUSDAM SAC. ROM. IMP. *ad præcedentes* GVILIELMI III. *Magnæ Britanniæ Regis literas, 1695.*

Sere-

Serenisſime & Potentisſime Rex, Domine Cognate obſervandisſime.

GRavisſimus animi dolor atque luctus, quem quidem nos cum iis pariter omnibus, quibus publicæ rei ſalus proſperitasque curæ eſt; ex Sereniſſimæ Principis, Dominæ Mariæ, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Reginæ, Fidei Defenſoris, Majeſtatis Veſtræ charisſimæ Conjugis flebili & præmaturo exceſſu, poſteaquam ille publica fama innotuit, hauſimus, lectis Majeſtatis Veſtræ literis, planctu undique & mœrore repletis recruduit plane atque majorem in modum adauctus eſt. Iis qui dignoſcere norunt Excellentiam Dotium, quibus Deus unum præ altero, in hoc mortalium cœtu pro divinæ ſuæ ſapientiæ modo exornavit, abunde conſtat, quod, quemadmodum perfectisſima bona omnium maxime expleant animum atque exhilarent; ſic æque inopinata & præmatura iſtorum jactura gravisſime quoque affligat eundem & contriſtetur. Quibus excellentisſimis animi juxta corporisque dotibus beatisſima Princeps præ aliis, non ſui tantum ſexus, ſed & mortalibus fere quibuſcumque inſtructa fuerit, norunt omnes ſane & agnoſcunt, neque hoſtibus id ipſis diſſitentibus. Enimvero quo fortunatior adeo Majeſtatis Veſtræ in conjugali incomparabilis hujus Conjugis ſuæ poſſeſſione intimaque ejus conſuetudine extitit; hoc magis etiam eidem fuerit ignoſcendum, quod, dum derepente & præter expectationem hæc felicitas, quæ quidem in hominem poteſt cadere ſumma, ablata eſt, Ipſa Majeſtas Veſtra

Veſtra conceptum inde acerbisſimum dolorem ſuum undique teſtetur, ſed & hoc magis pariter in gravisſimi hujus luctus ſocietatem trahuntur, quicunque gaudent honore Majeſtati Veſtræ cognationis & amicitiæ ſtudiis addici, quique præterea glorioſa officia, quæ Deus hactenus per eandem Reipublicæ præſtitit, grata recordatione venerantur. Et quandoquidem jam pridem inter hos Nomen quoque Noſtrum profesſi ſumus, Veſtra etiam Majeſtas, quod gaudemus ſane, nos inde amore ſuo & favore dignos judicavit, conteſtamur hoc ipſo adeo intimum mœrorem, quem ex iſta a Deo immiſſa quaſi publica clade cepimus. Quoniam juxta tamen illius bonitas Majeſtatem Veſtram in hac calamitate ſumma non omnino oppreſſam, in certum publicæ rei Chriſtianæ ſolatium ſervavit, amor etiam & affectus Veſter in hanc talis eſt, ut, quæ inde profecta ſunt auxilia & officia Eidem, quatenus Deo ſic viſum, perlibenter diuturna & conſtantia eſſe velit. Hinc officiosisſime rogamus Majeſtatem Veſtram, id indicium infucati Noſtri affectus interpretari dignetur, quando ex ſincero amore, quo in ipſum juxta & publicum commodum ferimur, ab eo petimus, ut triſtitiam ſuam ex obitu Serenisſimæ Reginæ conceptam ſic moderari annitatur, ne inæſtimabilem voluntatem ſuam ita debilitet, ſed, quod eſt in votis omnium bonorum, Majeſtas Veſtra in ſolamen & tutelam communis Chriſtianæ patriæ ſarta tecta quam diutisſime ſervetur. Quantum in Nobis eſt, oramus Deum, ut in ſummo hoc luctu Majeſtati Veſtræ ad levandum afflictisſimum animum & ſuperandum intenſisſimum dolo-

dolorem cœleſti favore ſuo adſiſtat. Gratias juxta agimus pro teſtata ſua in Nos benigna voluntate & fiducia, quam ex ipſo luctuoſo nuntio, literis nempe Veſtris exuberanter cognovimus hiſce Majeſtati Veſtræ & Regio faſtigio cognatos cum Ejusdem regnis & provinciis triſtisſimo hoc caſu undiquaque perculſis tutelæ divinæ ad omnigenam proſperitatem, Nosque ipſos, ut ea, qua cœpit gratia & deinceps complectatur, etiam atque etiam rogamus. Et cum de cætero hanc Sympathiam Noſtram & vota præcipua pro incolumitate Majeſtatis Veſtræ Nomine Noſtro luculentius exponenda N. N. commiſerimus, quippe quem ea de cauſa ad eandem ablegavimus, petimus identidem, dignetur Majeſtas Veſtra eum benigne admittere, eique fidem adhibere, & præterea firmiter ſibi habere perſuaſum, nos ad quæcunque officia Ipſi perſeveraturos, prout debemus, promptisſimos atque paratisſimos. Dabantur Bruxellis, Anno 1695.

Majeſtatis Veſtræ

Cognatus ſervusque deditisſimus.

N. Dux N.

DCCCCXLVII.

Litera FRIDERICI AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad JOANNEM III. Poloniæ Regem, quibus pro mercatoribus Lipſienſibus in cauſa debiti Turneriani intercedit, 1695.

P. P.

P. P.

EXpoſuerunt Nobis Literis ſupplicibus quidam ſubditi Noſtri ac mercatores Lipſienſes, in adjuncta ſcheda nominati, Johannem Turnerum, mercatorem Polonum civitatis Przemisle pro venditis ſibi creditisq; mercibus 15000. Imperialium apud illos debitum contraxiſſe. Pro cujus ſolutione a mortui jam debitoris hæredibus partim merces, partim nomina a defuncto relicta ipſis ceſſa ac tantum non obtruſa fuiſſent. Quum igitur Nominum iſtorum debitores ſub Regiæ Veſtræ Majeſtatis Regno diverſis in locis domicilia ſua habeant, nec niſi cum ingenti jactura temporis atque ſumtuum coram Magiſtratu quisque ſuo conveniri poſſit, ſubmiſſe per has Noſtras interceſſionales Regiam Veſtram Majeſtatem implorant Noſtri, ut generali Decreto vel Reſcripto Regio ad omnes, quorum Jurisdictioni dicti Turneri debitores ſubjecti ſunt, Magiſtratus, directo, pro faciliore adminiſtratione juſtitiæ ipſis ſubveniatur. Quamvis itaque Regiam Veſtram Majeſtatem ad diſpenſandam omnibus ex æquo juſtitiam natura ſua proclivem eſſe non ignoremus, pro eo tamen, quo Noſtrorum commoda promovere contendimus, ſtudio, tanto impenſius Regiam Veſtram Majeſtatem rogandam duximus, ut præfatorum ſubditorum Noſtrorum cauſam, juſtam ſane & æquitati convenientem, favore regio complecti atque provehere, ſuisq; juri reddendo Præfectis ſerio injungere velit, debitores dictorum Nominum mercatoribus Noſtris ceſſorum ad ſolutionem mandatariis ſuis has Noſtras præferentibus, Roberto ni-

mirum & Arturo Forbeſen ſine mora præſtandam adigant & compellant, quo intelligere poſſint Noſtri, has apud Regiam Veſtram Majeſtatem pro ipſis interpoſitas preces Noſtras haud parum ſibi profuiſſe. Quod ſane a Regia Veſtra Majeſtate præſtitum prædictis mercatoribus auxilium, non tantum promovendis mutuo commerciis magnam utilitatem afferet, Noſtroſque impoſterum ad res ſubditis ſuis amplius credendas magis magiſque excitabit, verum Nos ipſi etiam viciſſim Regiæ Veſtræ Majeſtatis Civibus atque ſubjectis parem vicem, oblata occaſione, rependemus. Dabantur Dresdæ die 15. Febr. 1695.

DCCCCXLVIII.

Breve INNOCENTII PAPAE XII. ad JOANNEM III. Poloniæ Regem, quo eum hortatur, ut litem Epiſcopum & Palatinum Vilnenſes inter ferventem juxta æquitatis normam componat, 1695.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Joanni, Poloniæ Regi Illuſtri

Innocentius Papa XII.

CHariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Excedit omnem diſertam quamvis explicationem moleſtia, quam in Nobis excitarunt exorta inter EpiſcopumVilnenſem & magnum Generalem Lithuaniæ diſſidia, quæ hactenus non fuerunt ſopita. Lenimus tamen non parum amaritudinem animi noſtri, perpendentes operam, qua eadem componere ſedulo curat

rat Majeſtas tua; Adeo præclaram enim de zelo, quo Eccleſiæ jura Regia autoritate hactenus ſuſtinuiſti, gerimus opinionem, ut firmam in ſpem veniamus, in hoc negotio, Tui ſimilem te futurum, nihilque prætermiſſurum, quod expectationem Noſtram omni ex parte impleat, uberes interim Tibi, hujusmodi de cauſa, laudes tribuimus, ac Majeſtati Tuæ cuncta fauſtaque a Deo precantes, Apoſtolicam benedictionem amantisſime impertimur. Datum Romæ 23. Aprilis. Anno 1695.

DCCCCXLIX.

Breve INNOCENTII PAPAE XII. ad MICHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, idem, quod præinſertum, argumentum exhibens, 1695.

Dilecto filio Noſtro Michaeli tit. S. Mariæ de Pace S. R. E. Presbytero Cardinali Radziejowski.

Innocentius Papa XII.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Quo magis ſoliciti eſſe debemus de Eccleſiaſticæ immunitatis indemnitate, eo magis dolemus videntes exoptatum nondum eventum ſortita fuiſſe ſtudia, quæ ad componenda diſſidia inter Epiſcopum Vilnenſem & Magnum Generalem Lituaniæ exorta hactenus impenſa ſunt. Quamobrem pro dignitate, qua inſigniris, ac pro exiſtimatione, quam apud prædictum Generalem obtines, animadvertes, quæ officia inire debeas,

quoad usque negotium, de quo agitur, omnimoda cum Eccleſiaſticæ immunitatis reparatione abſolvatur, Nobisque adimas neceſſitatem adhibendi ea remedia, quæ a Paſtorali providentia Noſtra rei gravitas repoſceret. Hac ſpe freti Tibi, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam benedictionem impertimur. Dat. Romæ 23. April, Anno 1695.

DCCCCL.

Litera MARIAE CASIMIRAE, Reginæ Poloniæ, ad INNOCENTIUM PAPAM XII. quibus ipſi, quam difficile reconciliationis inter Epiſcopum & Palatinum Vilnenſes negotium, propter obſtinatam Cleri pertinaciam & ſuperbam imprimis dicti Epiſcopi moroſitatem procedat, animo perturbato recenſet, 1695.

POſt oſcula Sanctiſſimorum pedum, meique Domusque meæ humillimam recommendationem. Innotuit jam Sanctitati Veſtræ, quomodo ex parvis initiis (quibus aliter occurri potuit, niſi violentiora conſilia majorem forſan injuria vindictam ſibi propoſuiſſent) perturbata nimium ſit, & vix non ſuis mota cardinibus Reſpublica. Ingemiſcit optimus quisque & boni publici amantior ſuper afflictisſimam (ut nunquam) ſortem noſtram, nullus dolorem hunc delicatius ſentit præ Serenisſimo Rege Marito meo deſideratisſimo, meque, cum ad nos bona juxta ac mala imprimis pertinere videantur. Quid ultimis Generalibus Comitiis geſtum ſit, non major dolor, quam pudor eſt memorare, idcirco prævidendo, ne quid ſimile in proxime

me indicendis ex publici boni, & ſacri belli rationibus fiat, Rex meus operæ pretium duxit, ante omnia convocare partes inter ſe differentes Varſaviam, & Senatum tam Eccleſiaſticum, quam ſecularem, qui per mediationem (felicem alias in ſimilibus) impellente in tranquillitatem publicam voto, in ſpem rei proſpere tranſigendæ a me acceptam, vocata in conſortium laboris ſecunda a thronis purpura Illuſtriſſimo Cardinali Primate Regni, tanti momenti negotium componeret, atque ita futura Comitia Generalia facilitaret. Conatu ergo maximo, quamvis fructu minimo, per duas amplius ſeptimanas ſudatum eſt; Prima autem nobis omnibus, & potiſſima fuit immunitatis Eccleſiaſticæ cura, ut ſi eam non liceret ſartam tectamque in integro conſervare, prout eſſe debet; ſaltem ita manu tenere, ne veſtigium aliquod extaret violatæ; ventus quando directus non eſt, captatur obliquus; admittendaque mala minora, ut propellantur majora. Adinveniebantur poſſibilia ſatisfactionis pro præterito & ſecuritatis in poſterum media proponebantur; ut ſi exercituum Dux ex Privilegio Miniſterii, neceſſitate ſacri belli, ex ratione ſtatus & honoris ſui hic & nunc ex toto Bona Spiritualia milite non poſſet evacuare; hoc amore pio interim Patriæ Reverendus in Chriſto Pater Epiſcopus benevole vellet, titulo ſubſidii charitativi offerre, quod alias per rationem ſtatus evincere, vindicareque non poterat; Appromittebat coram Rege meo, me, Senatuque Palatinus Vilnenſis non ſe unquam aggravaturum bona Eccleſiaſtica, ſtatimque majorem militiæ partem ex Bonis menſæ Epiſcopa-

lis & Capituli educebat. In reliquo poſtquam concordia coaleſceret, ſpondebat ingenue omnem facilitatem in favorem bonorum ſpiritualium, dum non coactive & extorſive cum illo ageretur. Ad hæc pollicebatur notabilem per triennium, aut quadriennium hybernalis contributionis diminutionem, quem Epiſcopi in Polonia pendunt, quotannis. Condicta inſuper in ſatisfactionem Epiſcopo quadraginta ex nunc, ſeptuaginta altero, poſt finita feliciter Comitia, die florenorum millia, quibus contentus videbatur. Ex altera parte læſionem honoris Domus Sapiehanæ, & per Excommunicationem vix unquam uſitato modo fulminatam, objectionemque criminis læſæ Majeſtatis & perduellionis cum ſumma in poſteritatem nominis tanti ignominia ita accommodare ſtuduimus, ut primam cum toto effectu ad Sanctitatem Veſtram vocatam in Paterno ejus ſinu relinqueremus, de ſecundaria vero quietatio ſolennis a parte actorea more Patrio daretur. Reſtabat mutua partium reconciliatio, ſalvo utriusque honore, & poſt hæc publica tranquillitas, & lætior Reipublicæ facilius ſibi conſulturæ facies, ſtipendia militi providenda, bellique ſacri proſequendi rationes ineundæ. In ſumma; nihil prorſus intermiſſum, tentata omnia, ut pacatam videre liceret Rempublicam, ſed infeliciter æque magno Reipubl. periculo ac damno jacta alea, & portu fracta navis in ſuo eſt; Tantus in aſſerenda concordia, ſopiendis in perniciem Patriæ ituris odiis incaſſum abiit labor, opusque nobile ſors iniquior pene in manibus deſtruxit. Quis ſit in cauſa, Deus ipſe novit, nec expedit exaggerare; ſatis

eſt

eſt quod ſecularis poteſtas exemplo modeſtiæ, & omnis facilitatis præluxerit, nihilque negaverit, quidquid, ſalvo honore, rationibus ſtatus, & prærogativa Miniſterii concedi potuit. Quin etiam Palatinus Vilnenſis (cum id, quod ex omnium conſenſu tranſigi debet, neceſſe ſit in unum convenire omnes) efficacem in proximis Comitiis operam ſuam pollicebatur, ut ad normam Cleri Poloni, titulo ſubſidii charitativi, conſiſtentias, aut ſtativa apud ſe militaria Lithuaniæ Clerus poſſet redimere, quod infallibiliter concluſum fuiſſet, cum id per ſe ſuosque evicturum ſolenniter in facie regis mei, & Procerum Regni appromiſſurum declaraverit. Dum igitur ſpes non dubia felicis eventus affulgeret, & pene res tota in manibus eſſet; interim tamen dilationibus laborari adverteret Palatinus, imo præcautus eſſet, negotium non fore determinandum, in alteram Viſtulæ partem transfretavit. Secutæ ſunt eum poſtliminio flagrantisſimæ meæ literæ, rediret adhuc, quandoquidem ultra mutuum amplexum cum Epiſcopo, nihil amplius deſiderari videbatur. Detulit libenter & reverenter deſiderio Bonorum, & redire ſe paratum promiſit. Sed adventare interim Epiſcopum Samogitiæ nuntiatum eſt, propter quem præfatæ concordiæ differri prætendebatur concluſio. Advertens ergo toties ſe eluſum, cum negotium Epiſcopi Samogitiæ non fuerit in propoſitione & libello concordiæ Vilnenſis (quamvis id præter bonum ex integra cauſa certo certius, poſita in Eccleſia Vilnenſi Concordia, pari zelo meo, Collegiique Epiſcopalis cura compoſitum fuiſſet) reditum

Gg 4 ſuum

ſuum Varſaviam civilisſime excuſavit, iterque in Lithuaniam proſequitur, relicto bonis omnibus imperfecti operis dolore, & ſpe remota reaſſumendi ulterioris tractatus; cum quidvis citius diſſolvi posſit, quam rurſus refici. Has non ſimplices curas, reique geſtæ ſeriem, procul omni affectu, non minore fidelitate, quam animi angore Sanctitati Veſtræ defero. Cui, ut principia cauſæ, motiva modi agendi, nec ipſi, qui fecere, ſine laude & quid demum ſit hæc oppresſio, non quid vocetur, vellem ex fundamento compendiaria, eaq; vera nec affectata cognitione innoteſcant, pateantque. Indolebit non dubito Beatitudo Veſtra ex Paterno eoque in Regnum hoc particulari, & inveterato affectu miſerrimæ ejusdem ſorti, cum verendum ſit, ne propter unam (cujus defenſores ne inconſtantes videantur, nimio pertinaces ſunt) omnes Eccleſiæ patiantur. Vix jam (cum plus futurum ſemper ſit, quod obſtet, quam quod ſuccedat) integrum aut posſibile Comitia Regni celebrare, quæ ſi celebrarentur in tanta contra Eccleſiaſticos animorum Civilium exacerbatione, vel grande præjudicium Eccleſiæ Polonæ adferre, vel nullatenus bene concludi poſſent; verendumque, ne Dn. Epiſcopus, cum plura ſint, quæ terrent, quam quæ premunt, Sacra, paulo tardius convincatur ratione. Eſt via, quæ videtur homini bona, & novisſima illius ducunt ad perditionem; Miles enim absque ſtipendiis & eorum ſpe relictus, non tantum ſacrum bellum non proſequetur, ſed etiam, quod Deus optimus avertat, excutiet debitam Regi Ducibusque obedientiam, & ritu licentioſorum Bona ſpiritualia occupabit,

bit, gemetque ſimiliter ab armis Eccleſiæ in Polonia univerſa, prout gemuit præſenti tempore Sanctitatis Veſtræ ſub confœderato milite, & tamen ad ſimilia fulmina, quamvis non deerat in Eccleſia Dei zelus, deventum non eſt. Poſt ſimplex idque fidele veritati teſtimonium perhibitum iterum pedes Sanctitatis Veſtræ ſimiliter & reverenter exoſculor. Dabantur Varſaviæ Anno 1695.

DCCCCLI.

Breve INNOCENTII PAPAE XII, quo ad præinſertas MARIAE CASIMIRAE, Poloniæ Reginæ literas reſpondet, 1696.

Chariſſimæ in Chriſto filiæ Noſtræ, Mariæ Caſimiræ, Poloniæ Reginæ Illuſtri.

Innocentius Papa XII.

CHariſſima in Chriſto filia noſtra. Cum ex literis Majeſtatis Tuæ abunde cognoverimus, quantum operæ ac ſtudii impenderis pro componenda controverſia, inter Epiſcopum & Palatinum Vilnenſem pendente, uberrimas Tibi de eo laudes tribuimus, firmam in ſpem venientes fore, ut quamvis exoptatum exitum aſſecuta non fueris, acriores nihilominus hinc ſtimulos capias ad conſtanter perſiſtendum in exoptata concordia promovenda, inque Eccleſiaſtica immunitate, quæ magnopere nobis cordi & curæ eſt, & eſſe debet, in tuto ponenda. Incredibili enim dolore afficimur, perpendentes præjudicia, quæ in regno de Catholica religione optime merito, quodq; Nos majorem in modum diligimus, prædictæ immunitati inferun-

tur, ſolicitudini autem Noſtræ Majeſtatem Tuam apprime reponſuram pro explorato habentes, effuſam Pontificiæ benevolentiæ retributionem tibi, chariſſima in Chriſto filia, pollicemur, atque interim amplificam benedictionem amantiſſime impertimur. Datum Romæ 21. Jan. 1696.

DCCCCLII.

Recredentiales a FRIDERICO AUGUSTO, *Saxoniæ Electore, Georgio Stepney, ad* GUILIELMUM III. *Magnæ Britanniæ Regem tradita, 1695.*

P. P.

Reddidit Nobis Regiæ Veſtræ Majeſtatis Commiſſarius & Deputatus Georgius Stepney &c. concreditas ſibi literas 24. die Menſis Maji anni ſuperioris ad Nos perſcriptas, multisque amantisſimis ſimul verbis explicuit tum Regiæ Veſtræ Majeſtatis propenſiorem in Nos affectum, tum generoſam Illius ac vere Regiam mentem, de rebus pro præſenti quidem ſtatu ad incolumitatem publicam ſpectantibus. Quam cum Nos etiam ex parte Noſtra modis omnibus promovere jam inde ab initio Regiminis Noſtri animum induxerimus, id ſane ſedulo dabimus operam, ne unquam vel publicæ rei, vel imprimis Regiæ Veſtræ Majeſtatis commodis deeſſe velle videamur, ad quod Nos tam mutuæ necesſitudinis vinculum, quam magni Illius fœderis nexus non immerito obſtringunt. De quo conſtanti Noſtro promovendi boni publici ardore, præfatum Regiæ Veſtræ Majeſtatis Commiſſarium ac Deputatum eadem dexteritate relatu-

tu-

turum confidimus, qua in tractandis apud Nos negotiis a Regia Veſtra Majeſt. ſibi commiſſis pulcherrime Nobis ſatisfecit. Hunc itaque partibus ſuis laudabiliter perfunctum, ad Regiam Veſtram Majetem non ſine commendatione jam iterum a Nobis contra communem hoſtem pro ſalute publica in caſtra jam abeuntibus, ipſo ſic cupiente, dimittendum cenſuimus. Deum O. M. etiam atque etiam rogantes, ut Regiæ Veſtræ Majeſtati proſpera omnia feliciaque florentisſimi Regni ſui ſtatui evenire ſinat. Dabantur Dreſdæ die 1. Maji 1695.

DCCCCLIII.

Litera FRIDERICI III. Electoris Brandenburgici, ad CAROLUM XI. Svecorum Regem, de ſimultanea inveſtitura Ducatus Pomeraniæ ſuis cum Legatis recipiendo agentes, 1695.

Sereniſſime & Potentiſſime Rex, Domine Cognate colendiſſime.

CUm a Sacra Cæſarea Majeſtate Inveſtituram de Feudis Noſtris Imperii quam primum recipere decreverimus, & negotio huic peragendo Conſiliarius Noſter Status intimus, Supremus Aulæ Camerarius, Exercituum Noſtrorum Locumtenens Generalis & Capitaneus Memmilenſis, Fridericus Comes a Dönhoff, cum Conſiliario Noſtro intimo ac in Aula Cæſarea Ablegato Extraordinario, ut & rerum Cameralium in Ducatu Magdeburgenſi Præſide, Nicolao Bartholomæo a Danckelmann, Plenipotentiarii nominati ſint, ille etiam ea propter, quam primum iter Viennam ingreſſurus ſit,

hic

hic vero ibidem mandatis noſtris ea de re inſtructus jam dum commoretur, ex Inſtrumento Pacis vero conſtet, Regiam Veſtram Majeſtatem Ducatus noſtri Pomeranici ſimultanea inveſtitura, atque ita ſpe ſucceſsionis gaudere debere; Ideo hæc omnia Eidem ſignificanda duximus, ut & ipſa rationibus ſuis circa negotium hoc inveſtituræ conſulere posſit. Quam de cætero divinæ tutelæ toto corde commendamus. Dabantur Coloniæ ad Spream die $\frac{20}{30}$. Maji 1695.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Cognatus ſtudioſiſſimus

Fridericus Elector.

DCCCCLIV.

Litera GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad FRIDERICUM AUGUSTUM, Saxoniæ Electorem, de felici ſuo in Bataviam reditu nuncia, 1695.

Guilielmus III. Dei gratia Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex &c. &c.

INdulgente Nobis bona Dei optimi maximi providentia fauſtum felicemque in Bataviam reditum, quo melius communis hoſtis molitiones & vires repellere irritasque reddere valeamus, viſum eſt de eo Celſitudinem Veſtram Electoralem iſtius per præſentes certiorem facere. Neque ipſam inſuper excitare opus erit, omnibus modis publico ut proſpiciat commodo, omnesque ſuos in communem ſalutem, ut ſatis in animo habet, nervos inten-

tendat. Interim non dubitamus, quin fortunante Deo optimo maximo unitus fœderatorum conatus proſpere omnes & feliciter Reipublicæ ſuccedant Chriſtianæ, Ipſique firma demum & ſecura reſtituatur quies. Cum hoc Nos vehementer & ex animo cupiamus, tum pro Viribus Noſtris effectui ut detur, ſumma ope contendemus. Quod reliquum eſt oramus ſupremum Dei Numen, Celſitudini Veſtræ Electorali ut invigilet, ipſamque tutam ſemper & incolumem conſervet. Dabantur in Aula Noſtra Hagæ Comitis viceſimo ſexto Maji, Anno Domini 1695. Regnique Noſtri ſeptimo.

DCCCCLV.

Reſponſoria FRIDERICI AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad præinſertas GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis literas, 1695.

P. P.

Ex literis Regiæ Majeſtatis Veſtræ admodum jucundum Nobis fuit cognoſcere, Illam ex Anglia reducem Belgium denuo feliciter repetiiſſe, & in eo fortisſimo ſane conatu perſeverare, quo ipſa notisſimi & communis hoſtis vires & conſilia inania reddat. Egregie vero Regia Veſtra Majeſtas de Republica reſtituenda laborat, ſuoque exemplo tum alios, tum Nos præcipue incitat, ut virtutem Ejus imitemur. In Hungariam nunc iter Noſtrum inſtituimus, certo militum numero Imperatori conceſſo, inque eo ſumus, ut brevi & Ipſi ſequamur. Nullum enim eſt dubium, ſi hujus hoſtis vires fortiter aut retineantur aut frangantur, ex eo tranquillitatem & pacem exoptatisſimam

mam Europæ redituram. Faveat modo Deus cœptis, ſecundetque arma Noſtra, ut in omni in ſalutis publicæ incrementum feliciſſime cedant. Quod ſicut Nos unice vovemus, ita præprimis, ut Regia Veſtra Majeſtas diu ſoſpes & incolumis publico ſervetur, etiam atque etiam exoptamus. De cætero Eam divinæ protectioni commendantes, Eidem ad omnia officia prompti atque parati exiſtimus. Dabantur in Thermis Carolinis 5. Junii 1695.

DCCCCLVI.

Litera FRIDERICI AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad COSMUM III. Magnum Etruriæ Ducem, quibus Brunoni Antonio de Bruni Reſidentis in Aula ipſius munia a ſe collata eſſe nunciat, 1695.

P. P.

Accepimus fratrem Noſtrum admodum honorandum, nunc pie defunctum e Cameræ ſuæ nobilibus Brunoni Antonio de Bruni negotium dediſſe, ut poſt obitum Dominici de Melani Reſidentis munia in Aula Dilectionis Veſtræ expleret, ad id procul dubio ea ex ratione motus, quod multis a Dilectione Veſtra Florentiæ honoribus exceptus, arctioris cum eadem contrahendæ amicitiæ occaſionem nactus, de valetudine ac quæ eidem contingunt ſive proſpera ſive adverſa, ſubinde tamen certus eſſe voluerit. Idem & Nos quoque inſtigat, Sereniſſime Princeps, ut amicitiam tam charam, tam pretioſam Nobis ab Anteceſſoribus inchoatam, ſancte obſervemus perpetuoque, cum

cum ad id eadem humanitate & honoris officiis, quibus & Frater Noſter honoratus eſt, a Dilectione Veſtra Florentiæ cumulati fuerimus, provocemur. Ideo Reſidentem de Bruni Noſtrum e Noſtris quoque Cameræ Nobilibus ad Nos paucis ab hinc diebus ex Italia reverſum, ad Eandem hiſce literis, ut id Ipſum amplioribus ſignificet verbis, remittendum duximus, & quam gratum Nobis ſit, ſi Eam cum ſereniſſima familia florere & valere nuntius adferatur, cui utpote ex animo omnia fauſta & felicia apprecamur. Datum in Thermis Carolinis die 31. Maji 1695.

DCCCCLVII.

Literæ MICHAEIS RADZIEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad ANDREAM EPISCOPUM SELEUCENSEM, Nuntium in Polonia Apoſtolicum, quem candide monet, ut impoſterum de ſe locuturus modeſtioribus utatur terminis, ſibique propter minime toleranda in ſe nuper effutita dicteria confeſtim ſatisfaciat, 1695.

SCribitur mihi Varſavia a conſideratione & fide dignis perſonis, Dominationem Veſtram Illuſtriſſimam in præſentia Majeſtatis & aliorum Magnatum prorupiſſe in verba parum decentia, & plane reſpectui mihi debito contraria dicendo, me eſſe contra Eccleſiam. Super quo plus quam perſuaſus ſum; cognoſcens utpote naturale ſuum ſimilibus levitatibus ſubjectum. Neque ullatenus mirum id mihi videtur, cum & aliis vicibus id ſim expertus. Si de differentiis agitur, quæ ſuper Immunitatem Eccleſiaſticam acta ſunt, dicere

cere poſſum, ultimum me fuiſſe, qui, quæ in hac materia fierent, neſciverim, nihilominus ſtatim ac mihi indicata fuerunt, quantum potui, me impendi & ſcribendo ad D. M. Mareſchalcum & veniendo in Perſona Villanovam, ad tractandum ſuper iſto negotio, eique temperamenta quærendo, quæ una & juribus Eccleſiæ & publicis convenientiis ſatisfacere poſſent. Nec etiam D. Mareſchalcus ſuis partibus hoc in paſſu defuit, conſentiens propagationi executionis ſententiæ per tres ſucceſſive terminos, inter quos competentia media ad ſalvandam immunitatem propoſita fuerunt. Punctum rei eſt, (ut optime innotuit) quod prætextu immunitatis ipſius Salus Reipub. læderetur, cujus execrabile & enorme delictum, & ab omnibus pro tali habitum, nullo modo impune tranſire debuit: alias enim periculo quies & tranquillitas publica exponerentur. Unde, non ego argui, (qui provectioris ætatis, prudentiæ & dignitatis, quam in hoc Regno ſuſtineo, incapax ſum tales errores committere, qui jura Reipublicæ noſtræ confundere & ſubvertere valeant) ſed potius in ſe ipſum culpa cadere debet, qui uti in hoc, ſic in aliis omnibus negotiis, ſe ſemper pauca cum moderatione & circumſpectione regulaverit. Ignoſcat mihi Veſtra Illuſtriſſima Dominatio, profecto tali illa me tractare modo non deberet, qui non merui, nec convenientia expoſcit, cum inſuper nulli ego actionum mearum reddere rationem tenear. Sciat ergo, ſi hac in parte mihi debitas non dederit ſatisfactiones, reperiam ego modos, per quos mihi exacte reddantur recurrendo & ad S. ſedem

Apo-

Apoſtolicam & ſi opus fuerit, Reipub. autoritatem. Interim illuſtriſſimæ Dominationis exoſculor manus. Dab. 29. Junii Anno 1691. in Radziejovice.

DCCCCLVIII.

Literæ GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad FRIDERICUM III. Electorem Brandenburgicum, quibus Namurcum die ſecunda Auguſti maximam partem militum ipſius virtute occupatum eſſe, nuntiat, 1695.

Guilielmus III. Dei Gratia Rex Angliæ &c. Friderico III. Marchioni Brandenburgenſi &c. ſalutem.

FRequentes proſperique adeo Fœderatarum Copiarum in Urbem Namurcenſem aggreſſus præſidiarios Ipſius milites in tantas conjecerunt anguſtias, ut die ſecundo Menſis currentis albo Vexillo mœnibus affixo de urbe dedenda tranſigere poſtularent, commutatis itaque obſidibus ad pactiones venimus, quibus, conceſſo militibus in arcem ſeſe recipientibus horarum quadraginta & octo ſpatio, de Urbis deditione concluſum eſt. Celſitudinem Veſtram Electoralem ſucceſſus tam felicis gaudiique noſtri exinde profluentis quamprimum participes volumus, Ipſamque inſuper certiorem facere, fauſtiſſimum hunc eventum Nos Ducibus Veſtris militibusque majorem in modum acceptum referre, quarum virtuti & conſtantiæ nulli hoſtium conatus, nulla munitionum robora obſtare valuerunt, qui ubicunque operam ſuam contulerint, difficultates maximas majore animo,

nunquam non ſuperaverunt. Tam fauſtis adjuti auſpiciis non moramur, quin easdem, quibus tam feliciter uſi ſumus, in arcem intendamus vires, nulli dubitantes, quin favente Deo optimo maximo unitis Fœderatorum armis arx ipſa eadem utatur fortuna & militum præſertim Veſtrorum cum opere creſcat gloria. De cætero Celſitudinem Veſtram Electoralem ſupremi Numinis Clementiæ commendamus, ipſam ſupplicantes, ut perpetuo rerum ſecundarum curſu Celſitudinem Veſtram Electoralem communemque Chriſtiani Orbis cauſam fortunare, cœptumque hoc Noſtrum tam feliciter inchoatum ad fauſtum exitum perducere dignetur. Dabantur in Caſtris Noſtris prope Namurcum ſexto die Auguſti 1695. Anno Regni Noſtri ſeptimo.

DCCCCLIX.

Litera COSMI III. Magni Etruriæ Ducis, ad FRIDERICUM AUGUSTUM, Saxoniæ Electorem, cui ſe Joanni Smidtio Reſidentis in Aula ipſius munus commiſiſſe ſignificat, 1695.

Sereniſſime Princeps, Domine & Amice chariſſime.

Conſtitueramus iſthuc, cum in vivis eſſet Sereniſſimus Dominus Elector Dilectionis Veſtræ Frater Noſtri amantisſimus, Joannem Smidt, qui non ſolum negotia Noſtra curaret, ſi quæ interdum emergerent, verum (quod caput eſt) & adeſſet teſtis aſſiduus obſervantiæ illius & amoris, quo Sereniſſimam Electoralem Domum iſtam ex inſtitu-

to a Majoribus Noſtris ſuſcepto ſemper hucusque fuimus proſecuti. Cujus Conſilii cauſæ tantum nunc abeſt, ut poſt obitum ipſius Domini Principis nuper defuncti Nobis imminutæ eſſe ullo modo videantur, ut eas potius aliqua ex parte auctas eſſe, prorſus exiſtimemus. Facit enim humanitas Dilectionis Veſtræ & benevolentia erga Nos ſingularis, ut nihil magis habeamus in votis, quam ut amicitiam illam veterem in Utrumque Noſtrum a Majoribus derivatum, ſtudiis officiisque omnibus, quantum conſequi poſſumus, excolamus. Quamobrem & Ipſum Smidtium apud Dilectionem Veſtram in eodem munere ſtatuimus confirmandum, & illi nunc rurſus præcipue committendum, ut quo Nos animo erga Dilectionem Veſtram affecti ſimus, non ſolum officiis patefaciat ſuis, verum Noſtro etiam nomine ſatis copioſe luculenterque declaret. Ex cujus igitur ſermonibus intelliget Dilectio Veſtra, quantum & quale ſit obſequium Noſtrum & ſtudium in Dignitatem Veſtam Electoralem ſincerum, quod re ipſa a Nobis protinus oſtendetur, cum Dilectioni Veſtræ placuerit opera Noſtra uti. Quod ut quam ſæpiſſime velit, vehementer tum cupimus, tum rogamus, Eique intertm læta ac felicia omnia precamur. Florentiæ die 9. Auguſti 1695.

Dilectionis Veſtræ

deditiſſimus

Coſmus, Magnus Dux Etruriæ.

DCCCCLX.

Breve INNOCENTII P. P. XII. ad JOANNEM III. Poloniæ Regem, quo ipſi cognitionem

 tan-

cauſa inter Epiſcopum & Palatinum Vilnenſes agitata Congregationi immunitatis concreditam eſſe refert, 1695.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Joanni, Poloniæ Regi illuſtri,

Innocentius Papa XII.

CHariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem. Ut primum innotuerunt Nobis diſcrepantiæ, quæ inter Epiſcopum Vilnenſem & magnum Lithuaniæ Generalem exortæ fuerant, ob violatam ab ipſomet generali in diœceſi ejusdem Epiſcopi immunitatem Eccleſiaſticam pro charitate, qua inclytum ac de Chriſtiana Republica optime meritum Poloniæ Regnum ſingulariter proſequimur, & avertendos turbines, qui exinde derivari poterant, prædictas controverſias amicabiliter componere in animum induximus. Dilecto itaque filio Noſtro, Michaeli Cardinali Radziejowski, nec non venerabili fratri, Andreæ Epiſcopo Seleucenſi, Noſtro apud Majeſtatem tuam Nuncio, accurate injunximus, ut omni ſolicitudine ac ſtudio in ejusmodi opus perficiendum incumberent, ſuſpenſis ad quatuor menſes cenſuris a memorato Epiſcopo adverſus prædictum Generalem evulgatis; avocata etiam ad nos cauſa absque ulla cenſurarum limitatione poſtquam ad hanc S. Sedem appellavit. Quia vero expectationi usque adhuc noſtræ idem Generalis non reſpondit, ne paſtoralis officii noſtri partes prætermittamus, inſtantibus præſertim Epiſcopo & Clero Vilnenſi, cognitionem prædictæ cauſæ congregationi immuni-

munitatis juridice examinandam commiſimus, Noſtroque Nuncio mandavimus, ut præſcribat eidem Generali tempus exponendi eidem congregationi Rationes, quas ſibi competere exiſtimabit. Minime autem dubitantes, quin Majeſtas tua, Regia autoritate emanaturis Decretis præſto ſit futura, tibi, Chariſſime in Chriſto fili Noſter, proſpera cuncta impenſe precamur atque Amplificam benedictionem amantiſſime impertimur. Datum Romæ d. 22. Octobris 1695.

DCCCCLXI.

Breve INNOCENTII PAPAE XII. ad MICHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, ejusdem cum præinſerto argumenti, 1695.

Dilecto filio Noſtro, Michaeli Tituli ſanctæ Mariæ de Pace S. R. E. Presbyteri Cardinali Radziejowski &c.

Innocentius Papa XII.

Dilecte fili noſter ſalutem. Quantopere hucusque nobis cordi fuerit, ut controverſiæ inter Epiſcopum Vilnenſem & Magnum Lithuaniæ Generalem intercedentes, ob læſam majorem in modum ab ipſomet Generali in Diœceſi ejusdem Epiſcopi Immunitatem Eccleſiaſticam, blande componerentur, ſatis ſuperque notum exploratumque tibi eſt, cujus imprimis dexteritati ac prudentiæ tanti momenti negotium demandavimus. Cum autem exoptatum hactenus exitum ſortita non ſit ſollicitudo Noſtra, hujusmodi cauſam congregationi immunitatis juridice examinandam com-

miſimus, & Noſtro illic Nuncio in mandatis dedimus, ut præſcribat prædicto Generali tempus deducendi ad eandem congregationem rationes, quas ſibi conducere cenſebit. A pietate itaque zeloque tuo petimus, ut pro loco, quem merito obtines, ſuſcipiendam ab eadem congregatione deliberationem conſtanter tueri velis, ubi id agas, quemadmodum dubio procul confidimus, propenſam jam erga Te voluntatem noſtram magis etiam magisque tibi devincies, Dilecte fili noſter, cui interim amplificam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ d. 22. Oct. 1695.

DCCCCLXII.

Litera CIRCULI SVEVICI, ad MAGISTRATUM CIVITATIS GENEVENSIS, quibus ipſi, a Cæſarea Majeſtate æquiſſima eaque publica ſanctione conſtitutum eſſe, ne impoſterum merces e filis ex auro argentoque deductis fabricatæ in Imperio tollerentur, niſi earum internus valor ad integram marcam argenti puri &c. aſcendat, refert, 1695.

P. P.

MUtuus ille commerciorum uſus, qui inclyti Svevici Circuli, Principum ac Statuum ſubditis cum ampliſſima Genevenſium Civitate intercedit, neceſſitatem Nobis imponit, ne ignorare Ipſam patiamur, quæ ad excludendas illorum fraudes, qui auro argentoque in laminas ac tenuia fila, ad elegantiorem Veſtium pompam diducto, multum de interno ſuo valore detrahere conſueverunt, Sacra Cæſa-

rea Majeſtas æquisſima pariter ac maxime neceſſaria ſanctione præterlapſo, anni decurrentis, Aprili conſtituit. Poſtquam enim verita illa eſſet, ne auri argentique rariore in dies uſu, dum ſignatum æque ac rude talibus efficiendis adhiberi, multaque ſubdole fieri deprehendiſſet, commercia ad ultimum plane conciderent, non aliud convenientius judicavit remedium, quam in omnes illius generis merces, quarum internus valor, non ad integram marcam argenti puri, aut ad minimum quindecim ſemiuncias cum tribus quadrantibus aſcenderet, ſevere animadvertere, fiſcoque illas addicere, omni inter artifices diſtinctione, indigenæ illi ſint, an exteri, penitus ſublata. Proinde quum ignotum Nobis haud ſit, in prædicta Civitate non exiguum illorum eſſe numerum, qui hujus generis opificio victum quærere, quique quas conferre merces in Germaniam quoque ad primaria Circuli hujus Emporia transmittere ſoleant, officij Noſtri eſſe duximus, de promulgata in his etiam ditionibus, ac a primo ſtatim inſtantis anni ingreſſu valitura Auguſtisſimi Imperatoris Conſtitutione certas Dominationes Veſtras eum in finem facere, quo Mercatoribus ſuis, quibus in hisce partibus negotiari moris eſt, quid in illos, qui Edicto huic obſequi forte detrectabunt, decretum ſit, in tempore ſignificare, illosque, ut mercibus ſuis publicum valorem ipſorum, Edicto Imperatoris ſtatutum comprobent, & ſignum appendi curent, hortari valeant, ne quis illorum immeritas, non compertæ prohibitionis pœnas deinceps luat. Quod reliquum eſt, Dominationibus Veſtris divini Numinis tutelæ commenda-

tis felicia quævis ex animo apprecamur. Dabantur Ulmæ in Comitiis generalibus 27. Octobris, 6. Novembr. 1695.

DCCCCLXIII.

Breve INNOCENTII PAPAE XII. ad JOANNEM III. Poloniæ Regem, quo ipſum de indicto a ſe univerſali jubileo certiorem reddit, 1695.

Innocentius P. P. XII.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem! Ex quo viſum fuit divinæ bonitati, ſupremum Eccleſiæ ſuæ Regimen imbecillitati Noſtræ demandare, nihil antiquius habuimus, quam ut inter Chriſtianos Principes pax, juvandis tot fidelium Populorum vulneribus, a diuturno ævoque bello inflictis & Chriſtianæ Reipublicæ a Barbarorum vi atque inſidiis tuendæ tam neceſſaria, quam primum componeretur, & quidem hujuſmodi negotio promovendo nulli Nos labori vel induſtriæ peperciſſe, opportune, importune prædictos Principes hortando ad eandem Pacem ſtabiliendam, ſatis ſuperque notum exploratumque Majeſtati Tuæ eſſe arbitramur. Quia vero inſcrutabili Dei judicio nulla adhuc firma apparet Ipſius Pacis ſpes, eoque interim devenere ſcandala & flagitia, quæ bellum conſequi ſolent, ut ea deflere facilius ſit, quam explicare, muneris eſſe Noſtri duximus, pro tanta re ad exitum perducenda, officia preceſque Noſtras majori, qua poſſumus contentione apud memoratos Principes per literas perq; nuntios iterare, ad quod imprimis animum Noſtrum impellit validus adverſus Chriſtianas Provincias Turcarum apparatus. Poſt effuſas

ita-

itaque ad Dominum, in cujus manu ſunt omnium Poteſtates, humillimas preces,ut conatibus Noſtris propitius eſſe dignetur, indictoque præſertim ad Ejusmodi Clementiam implorandam univerſali Jubileo, Te de hoc certiorem reddimus, minime dubitantes, quin tanti momenti opus junctis Nobiscum ſtudiis, totis viribus promoturus ſis, ut ad immanes præfatorum Turcarum impetus reſtringendos fortior evadere valeas. Reliqua a Venerabili Fratre Andrea, Archiepiſcopo Seleucienſi fuſius cognoſcet Majeſtas Tua, cui interim læta cuncta fauſtaque a Deo impenſe precamur, ac Apoſtolicam Benedictionem amantiſſime impertimur. Datum Romæ die 10. Dec. Anno 1695.

DCCCCLXIV.

Literæ GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad CIRCULI SVEVICI CONSILIARIOS, LEGATOS AC DEPUTATOS, quibus generoſum Principalium eorum propoſitum bellum adverſus Gallos ſtrenue continuandi, decentibus mactat laudibus, 1695.

Guilielmus Tertius, Dei gratia, Angliæ, Scotiæ, Franciæ atque Hiberniæ Rex, fidei Defenſor &c. Magnificis ac Nobiliſſimis Principum ac Statuum Circuli Svevici Conſiliariis, Legatis ac Deputatis ſalutem.

Magnifici ac Nobiliſſimi Viri.

Literas Veſtras Ulmæ 31. Octobris datas ut anteriores accepimus, quæ quidem Nobis fuerunt pergratæ, quippe in iis videre eſt, magnam illam infractamque animorum Veſtrorum conſtantiam,

Hh 5 qua

qua Circuli Veſtri ſaluti etiamnum proſpicere, & ingruentes ferociſsimi hoſtis impetus propulſare ſtatuiſtis nec tum laceſſere. Vos certe latere non poteſt, quam ingentibus nos impenſis, quam numeroſo milite, quam aſsidua diligentia, quanto denique Noſtrorum cum periculo contra communis hoſtis pertinaciam omni tempore contendimus, neque quidem de inſtituto Noſtro aliquid permutavimus, ſed Europæ libertatem, Germaniæ ſalutem, Circulique Svevici incolumitatem, pro viribus Noſtris, ſummaque, uti fecimus, ope proſequi decrevimus, & eas ſperamus initas fore rationes, quibus effectum ſit, ut Veſtræ ditiones a moleſtiis infenſiſsimi hoſtis bellique luctuoſi denuo liberentur, & mutatis militum ſtationibus eo hoſtium redeat fortuna, ut ſuarum ipſi Provinciarum limitibus claudantur. Efficiemus, quantum perſuaſu & inductu Noſtro valemus, ut Sacra Cæſarea Majeſtas Exercitui, in Germania militanti Sereniſsimum Badenſium Principem, ſub cujus auſpiciis tam fauſtis uſus eſt ſucceſsibus, ſequente etiam Anno præficiat: Volumus enim nihil deeſſe votis, quæ tanti Ducis virtute & fortitudine expleri poſsint. De cætero Nos luculenter ex literis Noſtris intelleximus, ſtatuiſſe Vos a fœderatorum Conſiliis minime diſcedere: Eorum autem legibus Hagæ Comitis nuper ſancitis, miſſo in eum finem Ablegato ſubſcribere, quam quidem fidem Veſtram Collegatorum Armis, Circuloque Svevico proſpere & feliciter ſucceſſuram auguramur. Adeoque ſupremo Vos Dei Optimi Maximi Numini ex animo commendamus, ut vobis ſaluberrima

rima quævis elargiatur, & diuturnum bellum firma demum & ſecura Pace commutare dignetur. Dabantur in Palatio Noſtro de Kenſingthon 14. die Decembris, Anno Domini 1695. Regnique Noſtri ſeptimo.

Veſter bonus Amicus

GVILIELMUS Rex

G. Blathwayt.

DCCCCLXV.

Literæ FRIDERICI AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Hiſpaniarum Regem, cui proſperrima inſtantis novi anni gratulatur auſpicia, 1695.

P. P.

ET receptæ antiquitus conſuetudini & Noſtræ, qua Regiam Veſtram Majeſtatem colimus, obſervantiæ convenire exiſtimamus, exorientibus iterum novi anni auſpiciis, novis haud tantum Regiam Veſtram Majeſtatem votis & gratulationibus, ſed recentibus etiam officiis deditique animi ſtudiis honorare. Quod utrumque dum per præſentes ampliſſime facere intendimus, nihil eſt, quod Deum optimum maximum majorem in modum rogemus, quam ut glorioſas Regiæ Veſtræ Majeſtatis actiones felicisſimis ſemper ſucceſſibus provehere, armaque Illius pro defenſione Patriæ communisq; Libertatis ſumpta, novis ſubinde victoriis feliciora reddere, ac proſperis denique Illam omnibus, florente Regnorum ſuorum (Regni Sui) ſtatu, aliis ſuper alias impoſterum feliciter decurrentibus annis ab omni

mni parte cumulare ac tantum non obruere velit. Dabantur Dresdæ die 16. Decembris, 1695.

Nota. Eodem modo ad alios etiam Europæ proceres exaratæ fuerunt literæ.

DCCCCLXVI.

Reſponſoriæ GVILIELMI *III. Magnæ Britanniæ Regis ad prainſertas* FRIDERICI AUGUSTI, *Saxoniæ Electoris de novo anno gratulatorias* $169\frac{5}{6}$.

Guilielmus III. Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Rex &c.

Literas Celſitudinis Veſtræ Electoralis decimo ſexto die Menſis proxime elapſi Dresdæ datas, quibus Novum hunc annum novis ſucceſſibus Nobis inſignem optat & auguratur, gratisſimas accepimus, ſunt enim officii & benevolentiæ in Nos & in cauſam communem ſtudii pleniſſimæ, & utroque nomine gratiis, quas Celſitudini Veſtræ Electorali merito referimus, dignisſimæ, atque uti ad felices hujuſce anni ſucceſſus plurimum conferre in poteſtate Veſtra ſitum eſſe videtur, ita de optima Celſitudinis Veſtr. Electoralis voluntate nequaquam dubitamus, nec minus confidimus, Nos conjunctis opibus, copiis & conſiliis pro defenſione Patriæ, adverſus communis libertatis oppugnatorem rem ſtrenue gerentes favore divini Numinis Eundem ad rationem redacturos, adeoque Celſitudinem Veſtram Electoralem Ejusque conſilia divini Numinis tutelæ & Regimini ex animo commendamus. Dabantur

tur in Aula Noſtra apud Kenſington die 14 Menſis Januarii Anno Domini 169⅚. Regnique Noſtri ſeptimo.

DCCCCLXVII.

Litera MICHAELIS RADZEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad INNOCENTIUM PAPAM XII. quibus ipſi difficillimum inter Epiſcopum & Palatinum Vilnenſis reconciliationis negotium ad optatum tandem multo labore finem perductum eſſe ac ad illius perfectionem nihil niſi S. Apoſtolicæ ſedis confirmationem reſtare refert, 1696.

POſt oſcula &c. negotium Illuſtriſſimi Epiſcopi Vilnenſis cum ſupremo Exercituum M. D. Litvaniæ Duce, ſi quando alias, nunc profecto, in tam afflicto rerum Noſtrarum Statu non modo totam Rempublicam, ſed immunitates quoque eccleſiaſticas tempore Convocationis mirum in modum perturbavit. Quando pro honore Illuſtriſſimi Palatini Vilnenſis, inita Confœderatione Magnus Ducatus Lituaniæ inaudito hactenus motu civili Conſtitutionem, quæ vim legis habet, quæ Jurisdictionem imprimis eccleſiaſticam impugnabat, graviſſime obtinere in iisdem Comitiis regni pertinaciſſime contendebat. Tam fortibus, quia armatis M.D. Lituaniæ poſtulatis reſiſtere non licuit, niſi abruptis violentiſſimo Conſiliis publicis, quod ordini Eccleſiaſtico ex multis rationibus, ſed præcipue ob quorundam Illuſtriſſimorum Epiſcoporum errores noviſſimos publicæ tunc invidiæ obnoxio non expediebat. Cum ergo prorſus neminem, ex utroque Senatu Nuntiis-

tiisque terreſtribus Epiſcopus Vilnenſis habuiſſet ſui nominis honorisque Defenſorem, precibus illius cauſam tueri coacti ſumus. Ego vero pro illa autoritate confidentiali, quam cum Domo Sapiehana ſemper integerrime colui, conſervoque, impetravi, ut legi publicæ parceretur. Sed dilationem totius negotii examinandi & ultimate a Republica decidendi in Electionis Regiæ Comitiis nulla ratione potui impedire. Mitto Sanctitati Veſtræ proceſſus publici copiam una cum exemplari literarum: quæ mihi nomine publico porrectæ fuerunt, adſcribendum. Tandem ruptis verius quam actis Comitiis verſabatur ante oculos, quantum præceſſerit, quantumque ſequeretur, tam negotio huic Vilnenſis Epiſcopi, quam toti Clero & Eccleſiæ, ſi ab armata, & mirum in modum exacerbata, judicaretur decideretur que Nobilitate Polona, ſub tempus Electionis Regiæ, providendum cenſui, & in animum induxi reaſſumere Concordiam anno proxime evoluto tentatam, potius quam aperto diſcrimini totam cauſam objicere. Succeſſit Conatus feliciſſime incomparabili dexteritate illuſtriſſimi Nuntii Sanctitatis ſuæ & ſeria applicatione Illuſtriſſimi Plocenſis Epiſcopi. Accommodatæ ſunt enim partes certis conditionibus, quarum ſenſum mittit Sanctitati Veſtræ Illuſtriſſimus Nuntius. Non reſtat ergo, niſi ut Sanctitati Veſtræ humillime ſupplicemus, quatenus tam difficilis negotii compoſitionem approbare dignetur, animumque Illuſtriſſimi Vilnenſis Epiſcopi ad complectendam hanc concordiam flectere, ne majores deterioresque motus naſcantur, qui nulla ratione declinari vitari-

tarique poſſint. Præſertim cum alii quoque Epiſcopi hujus regni, & M. D. Litvaniæ in ſimilia impegerunt; odiaque accederunt populorum & Senatus. In futurum demum conſultum ducerem rei & ſecuritati Eccleſiaſticæ, ac publicæ quieti conciliandæ, ſi Sanctitas Veſtra expediri mandet Bullam, ne ex hac occaſione ſimilia fulmina timeantur imposterum & quidquam demum pro ſolatio publico expedire videbitur. Confidimus univerſi, quia Sanctitas Veſtra pro paterno ſuo in Poloniam affectu reddet nobis tranquillitatem exoptatam per impoſitionem ſilentii. Alias timendum eſt, ne iterum iisdem, quibus perinde eſt ſtare atque cadere, Rempubl. totam novis procellis exagitent & immunitates Eccleſiaſticas penitus evertant. Quod ne nobis contingat ſupremam Sanctitatis Veſtræ manum expectamus. Dab. Anno 1696.

DCCCCLXVIII.

Litera CAPITULI ECCLESIAE METROPOLITANAE MOGUNTINAE, ad INNOCENTIUM PAPAM XII. quibus ſcandalum, quod per collatam in Eccleſia Conſtantienſi, Lib. Baroni a Berleps, enormi corporis vitio laboranti canonicalem præbendam, datum fuit, confeſtim aboleri, humillime petunt, 1696.

Sanctiſsime Pater,

DEvenerunt proculdubio ad manus Sanctitatis Veſtræ ſupplices Epiſcopi & Capituli Cathedralis Eccleſiæ Conſtantienſis literæ, quibus humillime ſupplicant proviſionem ſuper Canonicali præbenda in eorum Eccleſia vacante, Baroni de Berleps

leps factam, uti viro propter enormem ejus corporis vitioſitatem juxta antiquiſſima eorum ſtatuta, & alias emergentes rationes, inhabili, aboleri, & alii ſubjecto capaci deſuper provideri; Cum autem & nos, quatenus apud Sanctitatem Veſtram deſuper interceſſionales preces noſtras humillime interponeremus, debite requiſierint, non potuimus æquiſſimæ hujusmodi eorundem petitioni eo minus non annuere, quo Sanctitatis Veſtræ animum ad augmentum decoris Eccleſiaſtici, & conſervationem majorum Germaniæ Eccleſiarum, præſertim inter Acatholicos ſitarum, privilegiorum & rationabilium ſtatutorum paterne propenſam eſſe novimus. Supplicamus igitur Sanctitati Veſtræ quam poſſumus ſubmisſiſſime, ut prægnantisſimas a dicto Conſtantienſi Epiſcopo & Capitulo hac in cauſa adductas rationes paternis oculis intueri & non permittere, ſed potius mandare gratioſiſſime dignetur, ne hujus viri admiſſione propter publicum inde emergens ſcandalum aggraventur. Deus Ter Optimus Maximus Sanctitatem Veſtram pro univerſalis Eccleſiæ incremento diu conſervet incolumem. Moguntinæ die 16. Febr. Anno 1696.

DCCCCLXIX.

Litera GVILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad CONSULES ET SENATORES CIVITATIS GENEVENSIS, quibus ipſis, pro exhibito deditisſimæ mentis ſpecimine, quo ſibi, quod ex inſidiis nuper a Gallicis ſicariis ſibi ſtructis feliciter evaſiſſet, gratulati erant, gratias amanter reponit, 1696.

Guili-

Guilielmus III. Dei gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, Fidei defenſor &c. Ampliſſimis Conſulibus & Senatoribus Civitatis Genevenſis, Amicis Noſtris perdilectis, Salutem!

Amici Noſtri perdilecti,

GRatiſſimæ certe fuere Literæ, quibus Nos ex inſidiis, quæ per ſicarios e Gallia nuper emiſſos nobis parabantur, ſalvos evaſiſſe, gratulamini, & ſalutem Noſtram ita Vobis curæ eſſe optamus, ut vos & Rempublicam Veſtram veris affectibus proſequimur. Benigni Numinis adorandam providentiam, vobiſcum pia mente recolimus, quæ non ſolum innocentiam Noſtram præſidio ſuo munivit, ſed jam palam etiam facere voluit, quibus furiis incitati conjurati latrones in tantum ſcelus proruerunt. Avertat Deus nefaria cujuscunque conſilia, tam quæ in ſingulos, quam quæ in univerſos ſive Principes, ſive ſtatus ſubdolis artibus & occulta fraude machinantur, cumque ab illius tutela omnium noſtrorum ſalus unice pendeat, eidem Vos & res Veſtras ex animo commendamus. Dabantur in Palatio noſtro de Kenſington die 12. April Anno 1696. Regnique noſtri octavo.

Veſter

Bonus Amicus

GVILIELMUS Rex,

Dux de Schrewsbury.

Inſcriptio.

Ampliſſimis Conſulibus ac Senatoribus Civitatis Genevenſis, Amicis Noſtris perdilectis.

DCCCCLXX.

Litera GVILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad FRIDERICUM AUGUSTUM, Saxoniæ Electorem, quibus ipſi felicem ſuum, poſt detectum ſtructi in ſe maledicti parricidii facinus, in Hollandiam reditum notificat, 1696.

Guilielmus III. Dei gratia Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex.

SIngulari quadam Dei Optimi Maximi providentia ex inſidiis hominum facinoroſorum Parricidium Noſtrum Regnique everſionem,& ſimul Reipublicæ Chriſtianæ meditantium erepti,confecimus tandem negotia, quæ Noſtro in haſce terras reditui aliquantum moræ attulerunt,& in easdem die Maji inſtantis decimo ſeptimo, Deo auſpice, feliciter appulimus. Adventus deinceps hujuſce Noſtri Celſitudinem Veſtram Electoralem certiorem facere viſum eſt. Ipſamque per præſentes perſuaſam volumus, nullo Nos tempore fœderatorum armis & cauſæ defuturos, ubi contra communem hoſtem contendendum ſit. Celſitudinem Veſtram Electoralem excitare non opus eſt, uti bono publico ſumma ope proſpicere perſeveret, neque quidem dubitamus, quin unita Fœderatorum conſilia & arma fortunare pergat Deus, donec diuturnum & luctuoſum bellum priſtina pace & ſecura tranquillitate commutaverit. Cum hoc Nobis cordi ſemper fuerit, tum ea omnia, quæ fœderatorum commodis inſervire poterint, pro viribus Noſtris animoque paratiſſimo proſequi decrevimus. De cætero Celſitudini Veſtræ Electorali fauſta omnia, & felicia

felicia apprecantes Ipſam divinæ tutelæ & clementiæ ſerio commendamus. Dabantur Hagæ Comitis die Maji decimo octavo. Anno Domini 1696. Regnique Noſtri octavo.

DCCCCLXXI.

Reſponſoria FRIDERICI AUGUSTI, *Saxoniæ Electoris, ad præinſertas* GVILIELMI III. *Magnæ Britanniæ Regis literas*, 1696.

P. P.

HAud parum Nobis gaudii attulerunt Regiæ Veſtræ Majeſtatis Literæ, quibus illa Nos non tantum de proſpero ſuo in Hollandiam adventu, verum etiam de detectis feliciter per ſingularem Dei providentiam inſidiis, a facinoroſis hominibus in Caput Illius comparatis, certiores reddere voluit. De qua inſigni Numinis benignitate tanto Nos quidem & Regiæ Veſtræ Majeſtati & univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ majorem in modum gratulamur, quanto certius ab incolumitate Regiæ Veſtræ Majeſtatis, hoc turbulento rerum ſtatu ſalus publica dependere videtur, quam Regia Veſtra Majeſtas non ſine magno vitæ ſuæ periculo contra tot potentiſſimi hoſtis machinas fortiſſimo & vere Regio animo hactenus defendere non intermiſit. Ut Illa igitur in præſenti etiam expeditione, non minori proſperitate victricia ſua arma adverſus hoſtem communem expediat, feliciterque Ipſi omnia & ſecundum vota fluant, eſt quod Nos etiam atque etiam vovemus. Qui ſane Ipſimet ex parte Noſtra nihil quicquam in Nobis patiemur deſiderari, quod ad infringendas hoſtium vires reſtituendamque Or-

bi Chriſtiano tranquillitatem conducere poſſe videbitur. De cætero Regiam Veſtram Majeſtatem ad comprobanda dediti animi Noſtri ſtudia nihil facturi reliquum divinæ tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Caſtris prope Illes die $\frac{1}{11}$. Junii 1696.

DCCCCLXXII.

Literæ PRINCIPUM PER S. R. IMPERIUM ECCLESIASTICORUM nomine, ad Innocentium Papam XII. ſcriptæ, quibus Canonicatum Lib. Baroni a Berleps, monſtroſo corporis defectu informi, in Eccleſia cathedrali Conſtantienſi proviſionaliter, aſt ſummo cum Eccleſiæ ſcandalo & Concordatorum Nationis Germanicæ præjudicio collatum, alii cuidam capaciori conferri ſubmiſſe precantur, 1696.

Sanctiſsime Pater.

SAnctitati Veſtræ ea, qua par eſt ſubmiſſione ſupplices exponimus, quanto cum dolore Eccleſiaſticis Sacri Rom. Imperii Electoribus & Principibus Dominis noſtris Principalibus, ejusdem Imperii Princeps Dominus Epiſcopus & Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Conſtantienſis non ita pridem aperuerint, quod Anno 1694. poſt obitum Sebaſtiani Peregrini, liberi Baronis Zweyer ab Evenbach, modo dictæ cathedralis Eccleſiæ Canonici capitularis, ejusdem in menſe Pontificio vacans præbenda, cuidam Petro Philippo libero Baroni de Berleps, per proviſionem Apoſtolicam clementiſſime quidem collata fuerit. Cum vero eidem

dem poſſeſſio juxta inſinuatam Bullam proviſionis petita, ex eo capite denegata fuiſſet, quod Epiſcopus & capitulum hunc ipſum proviſum, cum Decreto Capitulari ſatisfacturus ſe perſonaliter ſiſteret, ita corpore vitiatum, & ob dextrum pedem ex nervorum contractione incurvatum tam deformiter laborantem reperierint, ut non niſi cruci ferreæ, cui ſic incurvatus ac pendulus pes deformi & ad palmum evidenter alto calceo artificioſe alligatus eſt, unoque baculo, quem manu tenet, innixus incederet, & his licet duobus fulcris ſuſtentus, tamen turpiſſime totus enervis claudicaret; Ideoque ob hanc ſuam & quidem incurabilem, deformitatem & inhabilitatem, præſertim quod omnes iſtius cathedralis Eccleſiæ Canonici ac Præbendati non tantum in majoribus ordinibus conſtituti ſint, ſed in illis etiam ordinibus, per intervalla publice & quidem in ſummo Altari miniſtrare ac cultui divino perſonaliter deſervire obligentur, quorum nec unicum actum & ne quidem Acolyti, nedum majorum ordinum munus ullo modo exercere poteſt, admitti nequeat, is ipſe ad ſacram ſedem denuo recurrerit, & mediantibus ardentiſſimis reiteratisque, uti dicitur, a Serenisſima Hiſpaniarum Regina per matrem ipſius in Aula Hiſpanica commorantem, & Principali munere apud eandem fungentem impetratis propria manu exaratis recommendatitiis diſpenſationem deſuper emanatam ſuppreſſa haud dubie aut minus fideliter detecta rei veritate exemplo in hac Cathedrali Eccleſia plane hactenus inaudito, obtinuerit. Cum autem hoc ipſum tam ſacris canonibus & initis inter Sacram ſedem & in-

clytam nationem Germanicam concordatis, quam Eccleſiæ Statutis ac laudabiliſſimis conſuetudinibus ſuper corpore vitiato, non aſſumendis omnino repugnet, proindeque divini cultus, ut & iſtius cathedralis decor & ſplendor a tot retro ſeculis per habilium ſolummodo perſonarum admiſſionem illibate conſervatus, non leviter imminueretur, ac obfuſcaretur, dum ipſi etiam Acatholici, qui in urbe quotidiani ſunt, homines ita corpore vitiatos ad ſua Miniſteria & Collegia recipere ſibi opprobrio ducunt, neque dubitandum, quin ipſa Hiſpaniarum Regina, Germano Sereniſsimorum Comitum Palatinorum ac Ducum ſanguine orta, commendato Berlepſio, ſi ſacros Canones, Germaniæ concordata, atque ipſa Statuta capitularia, eaque antiquiſsima & in hunc usque diem inviolabiliter obſervata hoc tempore obſtare ſciviſſet, hanc ſuam Regiam commendationem nunquam impertitura, ſed alio medio ac modo eidem, licet jam antea dupliciter (ut aſſeritur) in Eccleſiis, quæ perſonalem Reſidentiam & Miniſterium altaris publicum non requirunt, abunde proviſo clementisſime gratificatura fuiſſet. Hinc alte fati Domini noſtri Principales a ſæpe memorato Domino Epiſcopo Conſtantienſi, ejusdemque Capitulo inſtantisſime requiſiti ac rogati, ut ad præcavendum non tantum iſtius, ſed etiam omnium aliarum Germaniæ Metropolitarum ac Cathedralium intereſſe & irreparabile præjudicium, interpoſita apud Sanctitatem Veſtram intercesſione ſua, eidem asſiſtere velint, qui negotii hujus gravitatem ſollicite perpendentes ac æquisſimæ illorum petitioni omnino deferendum cenſen-

cenſentes, pro mutua & in hujusmodi caſibus ſolita aſſiſtentia, nec non proprio jurium & Privilegiorum Eccleſiaſticorum tuendorum zelo nobis ſerio mandarunt, ut Sanctitati Veſtræ eorum nomine (quod præſentibus eo, quo decet, demiſisſimo reſpectu exequimur,) humillime ſupplicaremus, quatenus ex innata, totique Orbi Chriſtiano luculentisſime perſpecta paterna ſollicitudine & cura, emanatam in favorem ſæpe fati Berlepſii proviſionem immutare, Eccleſiæ Conſtantienſi de alio habili ſubjecto providere, & Capitula Germaniæ contra preces inhabilium tutari clementisſime dignetur, præſtitura per hoc omnipotenti Deo eligenti ſibi ſacerdotes absque macula rem gratisſimam, Juri Canonico & Germaniæ concordatis omnino conſonam, indeque præprimis Auguſtisſimo Imperatori noſtro Leopoldo, utpote, qui harum defenſionem non minus quam glorioſisſimi Anteceſſores ſui juxta tenorem Capitulationem ſub ſolenni juramento ſuſcepit deſideratisſimam, ipſisque denique Eccleſiis Metropoliticis & Cathedralibus, quibus integritas ac nitor ſuus præ cæteris cordi eſt, ſaluberrimam, imo pro avertendo ſcandalo & totius ſtatus Clericalis vilipendio apud Acatholicos, præſertim illis in partibus cum Catholicis mixtim viventes, alias inevitabili, ſumme neceſſariam. Et eapropter nullatenus dubitamus, quin Sanctitati Veſtræ tam juſtisſimæ quam ſubmisſisſimæ petitioni noſtræ clementisſime annuendo, reſultans catholicæ religionis bonum & incrementum laudabilisſime promovere paterne placuerit. Cui longam annorum ſeriem pro feliciſſimo univerſalis Eccle-

ſiæ Regimine cum demiſsiſsimo ſacrorum pedum oſculo humillime apprecamur. Dabantur Ratisbonæ die 5. Junii 1696.

DCCCCLXXIII.

Litera MARIAE CASIMIRAE, Reginæ Poloniæ, ad ELEONORAM MAGDALENAM THERESIAM, Rom. Imperatricem, quibus ipſi Johannem III. Poloniæ Regem, maritum ſuum deſideratisſimum, fatis conceſsiſſe mœſtisſimo animo refert, 1696.

Serenisſimæ ac Potentisſimæ Principi Dominæ Dominæ Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ, Dei gratia Romanorum Imperatrici ſemper Auguſtæ, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Reginæ, Archiduciſſæ Auſtriæ, Duciſſæ Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ & Carniolæ, Vittembergæ, Comitiſſæ Tyrolis, Sorori, Cognatæ & Vicinæ Noſtræ charisſimæ, Maria Caſimira eadem gratia Regina Poloniæ &c. Salutem ac mutui affectus continuum incrementum.

Serenisſima & Potentisſima Princeps, Cognata & Vicina charisſima.

IMmenſus dolor ex inopinato de hac vita deceſſu, Serenisſimi Regis, Domini Conjugis Noſtri dilectisſimi, ipſa etiam Nobis verba eripit, quibus Majeſtati Veſtræ, præconcepti doloris magnitudinem deferre ac repræſentare posſimus, vim tamen quantumvis dolentisſimo inferentes pectori, ut luctus in plura

plura diviſus corda minuatur, illum Majeſtati Veſtræ ſine graviſſima novi doloris amaritudine communicamus, certam ſpem habentes, quod in partem permiſſæ a Supremo Numine orbitatis benigne accedere, rebusque Noſtris, partim ex jure viciniæ, partim ex affectus ſui conſuetudine, toties erga Nos demonſtrati favere Majeſtas Veſtra non gravabitur. Quod Nobis procul dubio inter recentes illosque moleſtiſſimos ſauciati animi Noſtri angores a Majeſtate Veſtra pollicentes, eidem proſperiores rerum ſucceſſus, quam Nobis frui liceat, diuturnamve a Deo Optimo Maximo incolumitatem impenſe apprecamur. Dabantur Varſaviæ die 20. Menſis Junii Anno 1696.

DCCCCLXXIV.

Literæ MARIAE CASIMIRAE, Reginæ Poloniæ, ad MARIAM ANNAM Hiſpaniarum Reginam, quibus ipſi Johannem III. Poloniæ Regem, maritum ſuum dilectiſſimum diem obiiſſe ſupremum ingenti cum luctu nuntiat, 1696.

Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ Principi, Dominæ Mariæ Annæ, Dei gratia Hiſpaniarum, utriusque Siciliæ, Caſtellæ, Legionis, Arragonum, Hieruſalem, Portugalliæ, Navarræ, Indiarumque Reginæ Catholicæ, Sorori & Cognatæ Noſtræ chariſſimæ ſalutem ac mutui affectus perpetuum incrementum!

REcens luctus, quo Nos dextera Domini tetigit, per mœſtiſſimum Regis, Domini Mariti

Noſtri Dilectisſimi ex hac vita exitum non permittit, ut Majeſtati Veſtræ totam doloris Noſtri magnitudinem explicemus. Verum quia Majeſtatem Veſtram, quemadmodum humanæ vicisſitudinis optime memorem eſſe non dubitamus, ita certa erigimur fiducia, eandem ad compasſionem præſertim Status Noſtri facile acceſſuram, ut eo ſenius tanti doloris moles ferri posſit. In reliquum fauſtiores rerum eventus, proſperamque valetudinem a ſupremo Regnorum moderatore Deo Majeſtati Veſtræ animitus vovemus. Dabantur Varſaviæ die 20. Menſis Junii Anno 1696.

DCCCCLXXV.

Litera MARIAE CASIMIRAE, Reginæ Poloniæ, ad CHARLOTTAM AMALIAM, Daniæ Reginam, quibus ipſi Johannem III. Poloniæ Regem conjugem ſuum chariſſimum ad beatiores cælitum ſedes tranſlatum eſſe ſignificat, 1696.

Sereniſſimæ ac Potentisſimæ Principi Dominæ Charlottæ Amaliæ, Dei gratia Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum, Gothorumque Reginæ, Duci Sleſvicii, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt, Sorori ac Vicinæ Noſtræ charisſimæ.

Luctuoſisſimus ex hac vita deceſſus Sereniſſimi Regis, Domini Mariti Noſtri charisſimi, tanta doloris magnitudine intimas cordis Noſtri fibras pervaſit & concusſit, ut niſi Majeſtati Veſtræ eundem pro aliquo tantiſper animi Noſtri levamento communicaremus, vix humanis viribus tam triſtis vicis-

viciſsitudinis orbitatem & Regni cladem ferre poſſemus. Hoc proinde calamitatis Noſtræ exemplo permota Majeſtas Veſtra non gravabitur pro ſingulari ſua erga Nos propenſione in partem doloris accedere, atque eo ferri ſtudio, quo ſors tam profundi doloris Noſtri valeat temperari. Cæterum in luctuoſisſimo hoc ſtatu divina manu poſitæ, feliciores Majeſtati Veſtræ rerum curſus, cum longæva a Deo incolumitate ſincere conſtanterque precamur. Dabantur Varſaviæ die 20. Menſis Junii, Anno 1696.

DCCCCLXXVI.

Literæ MARIAE CASIMIRAE, Poloniæ Reginæ, ad HEDWIGAM ELEONORAM, Svecorum Reginam, cui conjugem ſuum amantiſſimum ſibi inopinata morte ereptum eſſe dolenter ſignificat, 1696.

Serenisſimæ ac Potentisſimæ Principi Dominæ Hedwigæ Eleonoræ, Dei Gratia Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginæ, Magnæ Principi Finlandiæ, Duci Scaniæ, Eſthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ, & Vandaliæ, Principi Rugiæ & Vismariæ, nec non Comiti Palatinæ Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ, Montiumque Duci, Sorori, Amicæ & vicinæ Noſtræ ſalutem, & mutuum continui affectus incrementum.

QUæ cuncta communi mortalitatis lege verſat & immutat viciſsitudo, eadem Nos quoque ingenti mœrore per inſperatum de hoc vitæ theatro de-

deceſſum Sereniſſimi Regis, Domini Noſtri Conjugis Dilectiſſimi, graviſſime affecit. Ille quidem ex Arbitrio Supremi Numinis ſuis perfunctus fatis, Nobis vero vix ferendum dolorem & lachrymas in miſeræ orbitatis ſolatium pro ſui reliquit memoria. Quæ propter præſentem mariti Noſtri exceſſum e vivis communicantes minime ambigimus, eandem ad lenienda dolentiſſimi cordis Noſtri vulnera pro ſolito eoque Chriſtiano erga Nos affectu allaboraturam, ut tam intimus profundi animi ſenſus fida ac ſincera Majeſtatis Veſtræ compaſſione leniri componique tantiſper poſſit. Noſtra vero intererit pro hac benevolentiæ mutua conteſtatione Majeſtati Veſtræ proſperos rerum ſucceſſus diuturnamque a ſuperis incolumitatem ex animo precari. Dabantur Varſaviæ die 20. Menſis Junii 1696.

DCCCCLXXVII.

Litera MARIAE CASIMIRAE, Reginæ Poloniæ, ad MARIAM ANNAM LUDOVICAM, Electricem Palatinam Rheni, quibus ipſi Johannem III. Poloniæ Regem, dulciſſimum tori ſui conſortem, pie defunctum eſſe nuntiat, 1696.

Sereniſſimæ Principi Dominæ, Mariæ Annæ Ludovicæ, Comiti Palatinæ Rheni, Romani Imperii Architheſaurariæ & Electrici, Bavariæ, Neoburgi, Juliæ, Cliviæ, Montium Duci, Comiti in Veldenz, Sponheimb, Ravensberg, Dominæ in Ravenſtein, Sorori & Cognatæ Noſtræ chariſſimæ, ſalutem ac continui affectus mutuum incrementum.

Eam

EAm eſſe humanæ viciſsitudinis ſortem nullis unquam ſeculis violatam, ut in fauſta proſperis, læta triſtibus frequenter permiſcendo jus ſuum non ſine graviſsimo mortalium ſenſu & communi calamitate exerceat; Idipſum a mœſtiſsimo de hac vita Sereniſsimi Regis Domini Conjugis Noſtri dilectiſsimi diſceſſu, plusquam in Nobis ipſis ſentientes, nullatenus ferre poſſumus, quin Serenitati Veſtræ triſtiſsimum hunc de tam inſperato obitu feramus nuntium. Ingens hic & prope vix ferendus animi Noſtri mœror, quod in amico pectore, a ſolita erga Nos benevolentia Serenitatis Veſtræ juſtam inventurus ſit compasſionem, ſicut nullatenus dubitamus, ita optatos eventus cum integerrima valetudine Serenitati Veſtræ apprecamur. Dabantur Varſaviæ die 20. Menſis Junii, Anno 1696.

DCCCCLXXVIII.

Literæ ANDREAE CHRYSOSTOMI ZALUSKII, Epiſcopi Plocenſis, ad CAROLUM BARBERINUM, S.R. Eccleſiæ Cardinalem, Regnique Poloniæ Protectorem, quibus elegans Johannis III. Poloniæ Regis encomium ac vera Principum ipſius deſcriptio, eorumque ingenua commendatio continetur, 1696.

CUm nullibi melius ſe dolor Noſter inclinare queat, quam in ſinu Tuo, communico eum cum omni veneratione, tanquam & Regni Noſtri Protectori & meo ſingulari Patrono. Veniebas ſæpius, Eminentiſsime Princeps, in conſortium

tium felicitatis Noſtræ, idcirco in eam fiduciam bonitas Tua Nos erigit, quod quaſi ſpectans mala feſſæ & pene collapſæ Noſtræ Reipubl. poſt præmatura Sereniſſimi Regis fata ſolatium columenque ſuppeditabis. Ruens quippe fortuna Regni in ſinum paternum Sanctitatis ſuæ per validam tuam promotionem ſeſe inclinat. Amiſimus 17. currentis Regem non nobis modo, verum toti orbi regendo rite ſuffecturum. Grata poſteritas virtutum non ignara miratrix priſcis Heroibus nomen ejus adſcribet, & medium inter orbis vindices ponet. Nec immerito ſane, an enim huic Regi defuere uni, quæ in multis collecta miramur, aut deſiderata dolemus? Genus illi avitum & Polonæ nobilitati coævum, ſi altiora initia ſpectemus, Leſcorum ſanguini conterminum. Victoriis ante & poſt acquiſitum regnum clariſſimus, primus lædi poſſe, primus vinci docuit Turcam. Ingentibus præliis Kalusſienſi, Chocimenſi, Zoravienſi ac demum Viennenſi, Orienti confeſſionem extorſit, maxime ſe Polonæ ſuccumbere virtuti. Tandem humanæ viciſſitudine ſortis in ſummo molimine rerum vivere deſiit. Non retexo hic (epiſtola non poteſt multa complecti brevis) mœrorum & malorum, quorum non eſt numerus, narrationem, quæ ex hac morte certo certius eventura, non ex vano timentur ab his, qui vident & longe fines proſpectant videndi. Polonia Noſtra ſedi Apoſtolicæ firmiter adhæret, ſincere favet, humiliter paret, verum Petri ſucceſſorem fideliter recognoſcit. Facias pro-

inde

inde nobis, Eminentisſime Princeps, aures Pontificis benignas, ad preces noſtras, ut in tutelam adeo ſublimem recipiamur. Poterimus certe miſerrimum ærumnæ nomen amittere, & in ſinu Paterno creſcent ſpes Noſtræ non humiles, ſi animorum unitatem per IlluſtrisſimumNuncium procurare dignabitur; Nam per hoc unitati conſilia, conſiliis rationem, rationi addet pondus. Augebis amplitudinis Tuæ incrementa, & erit hoc inconcuſſum Polonæ rei utique labentis columen, ſi id ab optimo Patre pro non malis filiis eviceris. Permittet interim innata benignitas Tua, ut verum rerum noſtrarum ſtatum, ſub quovis ac præcipue hoc interregno paulo fuſius, quod purus in Patriam ſuggerit amor, pro neceſſaria adjungam informatione. Scis imprimis, quæ fuerunt merita defuncti Regis, & quam juſtus ſit dolor extincto. Primus, ſi quis unquam Regum, languida manu regnavit, nullius ſubditorum per vindictam ac pœnas legum ſanguine fuſo. Vaſtiſſimo ingenio exoticas linguas, patrias externasque leges, curſus ſiderum, terrarum fluminumque tractus, & omne literarum arcanum abſorpſit, ſervantisſimus æqui, fidem ſancte coluit ac protexit. Schiſmata ad unionem orthodoxæ Eccleſiæ alia in totum reduxit, aliis reducendis immortuus. Merita hæc & tanta virtutis defectæ opera omnem de ſucceſſore adimere deberent dubitationem, nec locum alicui relinquere diſputationi, ſed rem arduam, quanquam glorioſam ſortiri videntur Poloni, liberum ſcilicet eligendi Regis arbitri-

bitrium, quod toties miraculi obtinet vicem, quoties in tot Electorum millibus in unum votum coaleſcit. Cæteris gentibus cæca forte naſcendi proveniunt Reges, nobis Polonis in arcto labor eſt, quoties eliguntur, nam ſi is, qui eligitur, amicum virtutibus animum habet, Patriæ felicitatem; ſi in probra vitiaque proclivem, caſum ruinamque portendit. Ita ſane bono meliorem, meliore optimum Deoque ſimillimum Principem labor inſtat legendi, utpote penes quos ſola eligendi gloria relinquitur, vel dedecus & ignominia & poſt perpetua infelicitas ſubſecutura. Qui vero nunc ſit Regalis genius ille, quibus lateat locus, noſtro ne an alieno debitus cœlo. Quis tandem in ſortem pulcherrimi terrarum Imperii voce concordi vocabitur, in Dei manibus ſitum eſt. Ut vero arenam iſtam multi antehac externorum Principum aut obtinuerunt per palmam, aut deſeruerunt repulſa; ſic nec modo ambigendum admiſſo certamine in dubiam aleam nomina daturos, aderunt certe, qui eorum agonem, voto, voce, plauſuque juvabunt. Quanquam inter Principes Noſtros Regios certe invenimus, ſi veris coloribus virtutes judicare velimus, qui bellaces exterorum ſpiritus, prudentiam domi, felicitatem in armis, non tantum exæquare, ſed etiam ſuperare poſſunt. Hæc demum magni Johannis raritatem ſapit felicitas, ita ortum fuiſſe, ut non occidat; ut virtutis ſuæ non degeneres, ita & dignitatis reliquerit capaces. In aliis bona non niſi fortunæ in legitimam filiorum tranſeunt poſſesſionem, virtu-

tes

tes & merita non ſemper ſuccesſiva in filios gaudent deſcendere hæreditate, in quibus ſæpius quandoque paternus annihilatur ad magna animus, non quod injurius Parens plenum ſucceſſori non cedat genus, ſed quod a recta linea Paternorum morum abertantes filii ſe ad eandem ipſo facto inhabilitent. Noſtrorum vero Principum animis ineſt Patrii candoris & virtutum imago; Et cum non annorum ordo in Electione noſtra ſpectetur, cum tranſcendat hanc eligendi libertas, illa conciliantibus fatis quemcunque communi complecteretur amore, ultro ac etiam ingratiis faciet Regni Poloni parentem.

JACOBUM PRINCIPEM ut inter fratres maximum gradu ætatis, primum publicæ famæ objicit, quæ arbitrio auræ popularis in diverſa ſtudiis acta jam illum ſæpe præfert, ſæpe æquat, ſæpe etiam poſthabet Regni candidatis. Eſt ille certe æſtimantibus recte, ætate & ingenio ſceptri non incapax, copioſus linguarum, experientia rerum non modicus, favore potentium validus, conjugio claro ſubnixus, indeque multis, ſed immerito formidoloſus. Patri in præliis adfuit multis, vultus illi blandus, liberalitas promta, & multa alia, quæ Principem decent. Si quosdam ejus errores in tempus, quosdam in fortunam, reliqua in pravam conſulentium ſolertiam derivare velimus, pauca, quæ corrigantur, manebunt, imo plura, quæ ultro ſceptrum invitabunt.

ALEXANDER PRINCEPS decora facie, proceritate venuſta, ignotis etiam oculis in-

cutit Majeſtatem vultu propius Matri admotus, vaſtitatem ingenii, & in conſilio pondus mutuatus a Patre, calamo & ore diſertus, ubi ex propoſito res tractanda venit, linguarum & ſcientiarum non inops. Liberalitas in promiſcuum adſtricta ex merito & laxa, arcana ſcrutantibus clauſus, in æquitatem maxime propenſus, ſobriis ſenſibus vigil, nec ultra naturale deſiderium in potum cibumque projectus, juvenis manu & conſilio alacer, flagrans belli laborum, nondum matrimonio ſibi aut in publicum gravis, nec ejus voti nimium præcox.

CONSTANTINUS PRINCEPS quoad os, humeroſque ſimilis Patri & vera virtutum ejus imago. Nihil humile unquam puer adhuc promiſit, vultu inceſſuq; gravis, animo ſenex, reſponſis argutus, fortunæ, in quam editus eſt, inter infantiles etiam luſus ſemper manifeſtus. Fructum jam non ſpem in herba oſtentat, affatu blandus, aditu facilis, in omne humanitatis effuſus officium, ad oblivionem ſui liberalis, naturali ingenio felix, artibus egregiis, & uſu linguarum variarum ſuffultus. Sed quid prodeſt Regem felicem, Patrem fæcundum, ipſum denique Deum in publica munera noſtra abunde largum fuiſſe, ſi tot tantique principes egregiis dotibus ſuis jam quorundam obliquam ſentiunt invidiam. Habes, eminentiſſime Princeps, veram Principum noſtrorum imaginem, ut vero eum affectum, quem vivo Patri palam teſtatus es, Filiis conſerves, ego pro meo ſingulari affectu, tanquam tot nominibus obſtrictus humiliter

liter peto. Meretur id rerum noſtrarum, fortunæ Chriſtianæ ſtator, ne imaginem quoque Regalem in poſteris perdat, cui non tantum Roma, non tantum Vienna, ſed Barbarum etiam Bizantium ſtatuas ponere deberet laureatas. Timeo ego (quanquam hactenus nullus in theatro patet) ex multis circumſtantiis, ne ipſius Regiæ domus ſive culpa ſive fato ad aliquem exterum Reſpubl. Noſtra deſciſcat, ſed triſti fato ſuo, *abſit omen!* a novitate præluderet, & ab avito libertatis gradu ad inſuetam ſervitutem procul omni dubio devolveretur: Nec ratio quidem, nec conſuetudo hoc habet. A conditore Lecho ad memoriam Noſtram extremaque tempora ita ſancte uſurpatum eligendi jus eſt, ut poſteritas Regum, ſervato libere eligendi jure, ſucceſſerit in Regno, quæ fugitiva etiam in Caſimiro Primo, invita in Caſimiro tertio, pervicacibus Polonorum ſtudiis ad Thronum quærebatur, trahebaturque. Ut ergo, novas in præcordiis Polonorum erigas Tibi aras, Princeps Eminentisſime, ope operaque Tua calamitates noſtras ſubleva, & ut opportuna media mandato Sanctisſimi Domini Noſtri inſtructus Illuſtrisſimus Nuntius ineat & arripiat, procures: Unde ſemper honos, nomenque Tuum, laudesque manebunt, & ego Sacram Purpuram, veniam liberiori & longiori ſtylo deprecatus, reverenter exoſculor. Dab. 23. Junii 1696.

DCCCCLXXIX.

Litera JACOBI LUDOVICI, Johannis III. Poloniæ Regis Principis filii natu majoris, ad MI-

Kk 2 CHAE-

CHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, quibus ſe resque ſuas ipſius patrocinio commendat, 1696.

P. P.

INexplicabili circumventus dolore, poſt luctuoſum ex hac vita deceſſum Sereniſſimi Parentis mei, in tam dolenda orbitate, tremula ad Eminentiam Veſtram manu præſentes exarare cogor, enarrando fatalem hunc ictum, quem Divina manus Domui Noſtræ inflixit, adeo, ut ad exquiſitæ infelicitatis cumulum, nihil prætereà addi poſſit, cogitarique. Mihi præcipue, cui geminata imminet calamitas, ex occaſione infenſæ nonnihil Sereniſſimæ matris meæ, de cujus affectu in me quantumvis Eminentiæ Veſtræ abunde alias conſtare poteſt, clarius tamen coram quam per literas decet exprimere. Sufficiat interim Eminentiæ Veſtræ noſſe, quod hucusque ea uſus ſim moderatione, quam & filialis obſervantia & profunda ſubmiſſio requirebat. Non vanam ſpem pono fortunæ meæ in Eminentiæ Veſtræ autoritate, quod ubi Varſaviam attigerit totam hanc procellam & motos componet fluctus, mihi vero paterno ſuo affectu adeſſe & laboranti patrocinari cauſæ dignabitur. Quod ubi præſtiterit, implebit leges æquitatis, & afflictum depreſſumque ſtatum Noſtrum eriget, quem iterum iterumque tutelæ Eminentiæ Veſtræ, ac protectioni impenſiſſime commendo æternum obligatus. Dabantur Menſe Junio Anno 1696.

Jacobus Ludovicus,
Princeps mpp.
DCCCCLXXX.

DCCCCLXXX.

Reſponſoria MICHAELIS RADZIEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad præinſertas JACOBI LUDOVICI, Principis Regii literas, 1696.

P. P

PRæmiſi nuper Serenitati Veſtræ per Reverendiſſimum Nominatum Chelmenſem vivi doloris mei ſenſum ſupra tam luctuoſum Sereniſſimi Regis Noſtri & Veſtræ Majeſtatis Parentis fatum, qui non modo Sereniſſimam Domum ſuam, ſed totam Rempublicam graviſſimo calamitatis vulnere ſauciavit. Quod Serenitatis Veſtræ attinet privatum Intereſſe, explicui meam mentem eidem Reverendiſſimo nominato, commendavique diligentiſſime, ut ſecuram redderet, de antiqua mea inclinatione, nec non obligatione & recenti in tanta orbitate compaſſione. Confirmabo præſentibus documentis, ubi primum venero Varſaviam, & qua promptitudine omnia Serenitatis Veſtræ mandata recipio, ea facilitate, diligentiaque exequi contendam. Inſuper ſolatia deſuper precatus omni cultu & veneratione teſtor quam ſim

Serenitatis Veſtræ

Dabantur Anno 1696.

ſtudioſiſſimus

Michaelis Radziejowski,
Primas &c. mpp.

DCCCCLXXXI.

Litera ***ALEXANDRI** & **CONSTANTINI**, Principum Johannis III. Regiorum, ad **MICHAELEM RADZIEJOVIUM**, Regni Poloniæ Primatem, cujus ſibi ſuæque Sereniſſimæ familiæ Patrocinium modeſte expoſcunt, 1696.*

P. P.

AD quem in tam fatali naufragio poſt triſtiſſimum Sereniſſimi Parentis & benefactoris Noſtri obitum, ad quem, inquam, portum ſecurius vertere proram poſſumus, quam ad ſinum probatæ toties erga Nos Eminentiæ Veſtræ benevolentiæ, quam Nobis proximi ſanguinis necesſitudo tam intimo nexu illigavit; quod interea temporis tanto fiducialius teſtamur, quanto ſumus certiores, quod ultra ſanguinis jura gravisſima orbitas Noſtra omnia conſuetæ erga Nos inclinationis conciliabit facile & diſponet officia. Vota deinde Noſtra mutua brevis ſunt menſuræ, quia unum hoc intendimus omnes, ut Sereniſſima Parens Noſtra in juribus & prærogativis perſonam ſuam concernentibus ſecura conſervetur, cui Nos ex præcepto divino & mandato pie defuncti Serenisſimi Genitoris & ex obligatione pro beneficiis plusquam maternis aſſiſtendo, ſic ſperamus, quod Eminentia Veſtra, pro Inter-Regis officio coronatam illius dignitatem, & noſtrum ſimul honorem tueri protegereque dignabitur. Nos pariter con-

jurata unione pollicemur Eminentiæ Veſtræ æternam grati animi memoriam.

Dabantur Menſe Junio,
Anno 1696.

Alexander Princeps.
Conſtantinus Princeps.

DCCCCLXXXII.

Reſponſoria MICHAELIS RADZIEJOVII, *Regni Poloniæ Primatis, ad præimpreſſas* ALEXANDRI & CONSTANTINI, *Principum Regiorum, literas*, 1696.

P. P.

Ex duro marmore cor illud ſit, neceſſe eſt, quod tam publica orbitas in lacrymas non reſolveret, & ad debitam compaſſionem ſupra deplorandam Regiæ Domus ſortem & tenerioris ætatis dolendam fortunam non provocaret. Omnes vires conatusque impendam, ut primam hanc ſcintillam domeſticæ diſſenſionis quamprimum extinguam, ne in publicum erumpat incendium. Quoties enim hoc profundius recogito, omnes in me paſſiones concentrantur. Et quia me ſors naſcendi in eo gradu ſanguinis, & gratia Sereniſſimi Parentis Serenitatum Veſtrarum, eoque autoritatis dignitatisque loco poſuit, ſentio me obligatum, & jure gratitudinis erga Sereniſſimam Reginam ex titulo conſcientiæ, ne tantum ſcandalum innoteſcat; domi vero concors harmonia innati affectus tam inter Fratres, quam filiorum

erga Matrem præcidatur. Omnes proinde impendam curas & ſtudia eo vertam, ut non verbis ſterilibus, ſed opere, obſequio & applicatione teſtari poſſim, quam ſim

Serenitatum Veſtrarum

Dabantur Anno 1696.

Studioſiſſimus

Michael Radziejowski,
Primas. mpp.

DCCCCLXXXIII.

Litera CANTONUM HELVETIÆ EVANGELICORUM, ad GUILIELMUM III. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ſe pacis inſtantis Tractatui nominatim includi precantur, 1696.

Sereniſſime ac Potentisſime Rex, & Domine clementisſime.

FAma ad Nos perlatum eſt, fieri poſſe, ut divinaita diſponente Clementia tumultus bellici univerſam hactenus Europam concutientes, læta metamorphoſi propediem in communem Pacem transmutentur. Cum igitur perſpectum Nobis ſit Regiam Veſtram Majeſtatem huic Negotio ſummum addere pondus, glorioſisſimum cum primis atque ardentisſimum Regiæ Majeſtatis Veſtræ zelum, pro Eccleſiæ Evangelicæ proſperitate, diurna nocturnaque contentione excubare; Non poſſumus non exoptata Nobis hac occaſione oblata, incumbente Nobis præcipue pro Patriæ Noſtræ ſalute

lute ſollicitudine, Regiam Veſtram Majeſtatem humillimo cum reſpectu denuo flagitare, ut ſi quando Pacis negotiatio optatum habuerit eventum, eadem & Nos nominatim Reformatæ Helvetiæ Cantones, ipſorumque Confœderatos, atque in ſpecie Religionis Nobis fœdere junctas Civitates Mulhuſium, Biennam, Genevam, cum Urbe comitatuque Neocomenſi comprehendi & includi jubere, ut omnia & ſingula, de quibus Regia Veſtra Majeſtas publicæ proſperitatis Noſtræ promovendæ gratia jam informata eſt, & informari porro poſſet, Regiæ curæ ſuæ commendatisſima habere dignetur. Quod ſi benignisſime Regia Veſtra Majeſtas annuerit, fiet ad id, quo ei jam obſtrictisſimi ſumus vinculo, ingens accesſio, nec unquam altisſimo Numini pro ſacratæ Regiæ Majeſtatis Veſtræ perſonæ conſervatione & fauſtisſimo omnium inſtitutorum & cœptorum ejus ſucceſſu humillima vota facere ceſſamus. Datæ, & communi nomine noſtro fœderatæ Nobis Civitatis Tigurinæ Sigillo munitæ. Pridie Calendarum Auguſti Anno 1696.

Majeſtatis Veſtræ

Obſervantisſimi & ad omnia paratisſimi,

Conſules, Sculteti, Landmanni & Senatores Cantonum Helvetiæ Evangel. Tiguri, Bernæ, Glaronæ, Baſileæ, Schaffhuſii, Abbatis Cellæ & ſancti Galli &c.

DCCCCLXXXIV.

Reſponſoria GVILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad præinſertas CANTONUM HELVETIAE EVANGELICORUM literas, 1696.

Gvilielmus III. Dei gratia, Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex Fidei Defenſor &c. Illuſtribus atque amplisſimis Dominis Conſulibus, Sculterts, Landmannis & Senatoribus Cantonum Helvetiæ Evangelicorum Tiguri, Bernæ, Glaronæ, Baſileæ, Schaffhuſi, Abbatis-cellæ & Sancti-Galli, Amicis Noſtris charisſimis ſalutem!

Illuſtres & amplisſimi Domini,

Literas Veſtras, pridie Calendis Auguſti datas, Reformatos Helvetiæ Cantones curæ Noſtræ commendantes, gratisſime accepimus, lubenter enim quamlibet arripiemus occaſionem, qua posſimus teſtari, quanta Nos benevolentia & affectu commoda Veſtra, & Confœderatorum Veſtrorum, quamque propenſo ſtudio Eccleſiæ Evangelicæ felicitatem proſequimur. Cumque id Nobis in propoſito ſemper fuerit, ut diuturno bello, quod pro communi ſalute ſuſcepimus, honeſta demum & ſecura Chriſtiano Orbi quæratur tranquillitas, tum certe, quantum in Nobis ſit, efficiemus, ut ubi ſupremo rerum arbitro Europæ exoptatam diu pacem annuere placuerit, Vos & confœderati Veſtri Eadem includantur, Reipublicæ Veſtræ ea habita ratione, qua Nobis ſemper cordi eſt. Neque

que dubitamus, quin Vos etiam ea omnia pro cauſa communi intendere non deſinetis, quæ ex debito & pro bono publico fieri debent. Adeoque Vobis rebusque omnibus Veſtris, quævis proſpera & fortunata apprecantes divinæ Vos benignitati & tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Aula Noſtra apud Loo, die Septembris 10. Anno Domini 1696. Regnique Noſtri octavo.

Veſter

bonus Amicus

Gvilielmns Rex

G. B. Lathwayt.

Inſcriptio.

Illuſtribus atque ampliſſimis Dominis Conſulibus, Scultetis, Landmannis & Senatoribus Cantonum Helvetiæ Evangelicorum Tiguri, Bernæ, Glaronæ, Baſileæ, Schaffhuſi, Abbatis-cellæ & Sancti Galli, Amicis Noſtris chariſſimis.

DCCCCLXXXV.

Litera a CONSILIARIIS PRINCIPUM ET STATUUM CIRCULI SUEVICI, ad CAROLUM XI. Suecorum Regem exarata, quibus ab eo obnixe contendunt, velit in præſenti Pacis tractatu æquiſſimorum poſtulatorum Circuli ſui juſtam habere rationem, 1696.

Sereniſſime, Potentiſſimeque Rex, Domine Clementiſſime.

INvoluto atrociſſimi belli moleſtiis per integros octo annos & quod excurrit, Chriſtiano Orbi, non

non exiguum præbuit ſolatium, Illuſtris illa ſollicitudo, qua ſacra Regia Majeſtas Veſtra reducendæ tandem aliquando communi tranquillitati, in hoc usque tempus invigilavit. Poſtquam enim illa acerrimo mentis ſuæ lumine perſpexiſſet, in hoc concuſſi terrarum Orbis motu Europæarum Gentium res absq; ferali illarum exitio ſtare diutius haud poſſe, in id potiſſimum Sacra Regia Majeſtas Veſtra laudanda prorſus cura incubuit, ut quam alii armis parare niterentur quietem, ipſa conſiliis, adhortationibus, officiis denique indefeſſis produceret. Factum inde, ut non in ſui magis decus, quam inſigne eorum emolumentum, quos ſæviſſimus hujus belli turbo perculit Sacra Regia Majeſtas Veſtra operam ſuam offerret, qua in componendis, tanta animorum pariter ac virium contentione agitatis controverſiis, ii uterentur, quibus non ferro penitus, ſed amica magis conventione tandem tranſigere eſſet propoſitum. Ac licet divinam in ultionem potius quam ſecuritatem Noſtram intentum Numen, egregiis hiſce deſtinatis ſucceſſus, quos illa merentur, nondum plene tribuit, ambigendum tamen non videtur, tot piorum precibus ac deſideriis fatigatum & ultimum illis benedicturum dolendamque hactenus tarditatem diuturniore proſperitate compenſaturum. Proindecum inclyti Circuli Svevici Principibus & Statibus Dominis & Superioribus Noſtris omnia in eo ſtent conſilia, eſſe ſuæ etiam partis, quantum licebit providere, ut exitialis hujus belli turbis, in quod ſola tuendæ avitæ libertatis ratione, procul habita omni aliena invadendi libidine, illos impulit,

lit, aliquando exſolvantur, ruptaque nullo illorum ſive conſilio ſive merito, Pax quantocyus coaleſcat, in mandatis Nobis dederunt, præſentibus hiſce Majeſtatem Veſtram venerari, devotiſſimiſque ipſi gratiis, pro maximo hoc augendis publicis commodis oblato beneficio, illorum nomine actis, ulterius a Majeſtate Veſtra Regia rogatu noſtro contendere, ne ab ea, quam tanta Nominis ſui gloria ingreſſa eſt, via prius deflectere velit, quam arduum hoc & ſola animi ſui magnitudine dignum reſtaurandæ Pacis opus, ad finem perduxerit exoptatum. Et quoniam tot a Sacra Regia Majeſtate Veſtra exhibita excelſæ bonitatis ſuæ documenta, abunde Nobis perſuadent, eo maxime ipſam fore intentam, ut, quam ſuo labore Chriſtiano Orbi conciliare ſuſcepit, concordia iis ſtatuenda ſit fundamentis, quæ ad Juſtitiæ præſcriptum ſua quibusvis tribuant, omneſque futurarum Diſſenſionum cauſas, graviore alioquin procella deinde erupturas, radicitus tollant, neutiquam veremur, quæ futura Pace concedi Nobis poſtulabimus, æquiſſimo Majeſtatis Veſtræ Regiæ arbitrio, ſive mediatione, quam ex Mandato ſpeciali, poſt alias Potentias, Noſtrorum quoque Principalium & committentium nomine quam decentiſſime requirimus, vel ob eam ſolum rationem committere, quod nihil illorum ſit, cui non omni luce clarior ſua conſtet Juſtitia. Neque grave foret, Regiæ Majeſtati Veſtræ præſentes ante oculos ponere, quam iniqua, ab exorto hoc nefandiſſimo bello, ſimus perpeſſi, quam ſæviſſimis incendiis ac direptionibus, etiam contra apertam Pactorum fidem, amœniſſimæ Regionis hujus

hujus vaſtatæ ſint Provinciæ, quamque dira citra ullam belli rationem, fertiliſſimis illarum agris inducta ſit ſolitudo, niſi verendum Nobis eſſet, ne nimii videremur commemorandis in ipſo inſtantis Tractationis limine, iis, quæ omnium expoſita conſpectui, ſuperflua haud indigent relatione. Interim, ne diutiore cunctatione ſaluberrima hæc Pacis conſilia evaneſcant, ipſumque quod tanto utrinque ardore paratur bellum ſub futuram expeditionem, rem omnem ad extrema, vix ulla deinceps humana ope ſanabilia deducat; nulli dubitamus, quin Sacra Regia Majeſtas Veſtra, pro ſumma, qua pollet potentia, eo ſit allaboratura, ut rejectis, quæ moram hucusque negotio huic injecere, impedimentis, partibus militantibus omnibus perſuadeat, ut illi inchoando brevi coeant, nec pro ſuo in Chriſtianam rem ſtudio prius deſtitura, quam graviſſimis hiſce belli laboribus, magnum ſinceræ, juſtæ ac perennis Pacis diem impoſuerit. Ultimum, quod literis hiſce adjicere convenit, eſt, ut ſummi numinis tutelæ ſacram Regiam Majeſtatem Veſtram ad peragenda quævis felicia precibus commendemus ardentiſſimis. Dabantur Ulmæ die 4. Novembris, Anno 1696.

Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ

humillimi

Principum & Statuum Circuli Svevici Conſiliarii.

DCCCCLXXXVI.

DCCCCLXXXVI.

Literæ a CONSILIARIIS ET LEGATIS VI. AD RHENUM CIRCULORUM, Francofurti ad Mœnum congregatis, ad GVILIELMUM III. Magnæ Britanniæ Regem, quibus ipſi, quam grave ſibi, poſt compoſitam Regem Chriſtianiſſimum inter & Sabaudiæ Ducem pacem particularem, invaſionis a Gallis ingenti numero auctis immineat periculum, clare exponunt, & ſuæ defenſionis omnimodam curam impenſe commendant, 1696.

P. P.

SAcram Regiam Majeſtatem Veſtram latere nullo modo poteſt, quam inſigne emolumentum Coronæ Galliæ per pacem in Italia nuper factam rebus ſuis acquiſiverit, & quam grande damnum ex adverſo communi fœderatorum cauſæ, præſertim Sacro Romano Imperio, ejusque ſecuritati præjudicium, per eandem, propter vicinitatem Regionum illatum ſit videmus jamjam periculi exinde provenientis præludia, ex quo Galliarum Rex, quascunque in Italia habuerat copias, in confines ſuperioris Germaniæ Provincias tranſtulit, atque in Hyberna ibidem longe lateque diſperſit, quarum numerus, quemadmodum certo indicio novimus, jam ad centum & duodecim millia militum aſſurgit. Satis agnoſcunt Sereniſſimi Electores & Principes VI. Circulorum Imperii Germanici, Rheno, ideoque etiam periculo proximorum, utpote Electoralis Rheni, Franconici, Bavarici, Svevici, Superioris Rhenani & Weſtphalici Directores,

ctores, Domini Noſtri Principales, quam facile ſit hoſti, ſive adhuc ipſa hyeme, ſive ſub initium proximi veris, graviſſimam irruptionem in Noſtras viciniores ſibi Provincias ſuſcipere, qualis, ſi ex voto eidem ſuccederet, ob ſeparationem virium exinde metuendam, ſpem omnem futuri ſuceſſus apud fœderatos intervertere valeret. Unde altememorati Electores & Principes moti fuerunt, ut divertendis pro communi defenſione inter Status horum VI. Circulorum perarctius aliquod fœdus mutuis conſiliis, Conventum hinc Francofurti ad Mœnum inſtituerent. Quantum ex rationibus ſuſceptarum Conſultationum colligere licet, dubium non eſt decreta hæc iri, quæ in ſalutem Patriæ Noſtræ non minus, quam in communes fœderatorum utilitates præſentes æque ac futuras pertinere ac evaleſcere poſſint. Quoniam vero in præſenti periculo ſolæ vires horum Circulorum fortaſſe non ſufficiunt, ſed ſupplemento ulteriori, quo à fœderatis luculenter augeantur, opus habent, ideo non ſolum Sacræ Cæſareæ Majeſtati rem omnem per Literas, quarum copia hic adjuncta eſt, ampliſſime expoſuimus, ſupetiasque humillime petivimus, ſed Noſtrum quoque duximus, ad ſacram Regiam Majeſtatem Veſtram cauſam hanc ulterius ablegare, quam propterea etiam nomine Congreſſus noſtri humillime imploramus, ut pro ea, quæ cum Sacra Cæſarea Majeſtate Eidem intercedit Conſiliorum neceſſitudine, proque autoritate, qua inter fœderatos pollet ſumma, ubi de rationibus futuræ expeditionis contra hoſtem communem feliciter inſtituendæ conſultabitur, ſuam

ſuam quoque operam haud gravate eo impendere velit, ut periculi, quod hiſce Germaniæ Provinciis nunc imminet, graviſſimi ſufficiens habeatur ratio, utque tales in tempore Nobis mittantur ſuppetiæ, quæ ſub uno aliquo, atque indiviſo Imperio militari in his & illis partibus, quas hoſtis aggreſſurus eſt, minas intentatas prudenter eludere, vimque omnem fortiter repellere valeant: pertinebit hoc ad augendam Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ gloriam, qua immortalitatem in his terris ſibi parabit, proque beneficio iſthoc, quibuscunque aliis deinceps demerendo Electores & Principes Circulorum horum Domini noſtri Principales ſe valde obſtrictos agnoſcent. Interea ſupremum Numen devotiſſimis precibus oramus, ut Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram ab omni periculo potenter cuſtodire, eidemque proſperrimos rerum ſucceſſus largiter impertiri velit. Dabantur in Congreſſu Noſtro Francofurti ad Mœnum die 30. Decembris Anno 1696

Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ

humillimi

Electorum ac Principum VI. Circulorum, Electoralis Rhenani, Franconici, Bavarici, Svevici, Rhenani ſuperioris & Weſtphalici Directorum Conſiliarii & Legati in Congreſſu Francofurtenſi congregati.

DCCCCLXXXVII.

Reſponſoria GVILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis ad præinſertas CONSILIARIORUM ET LEGATORUM a VI. AD RHENUM CIRCULIS Francofurtum ad Mœnum miſſorum literas, 1697.

Gvilielmus Tertius Dei gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, Fidei Defenſor, Illuſtribus & Magnificis Viris, Electorum ac Principum ſex Circulorum, Electoralis Rhenani, Franconici, Bavarici, Svevici, ſuperioris Rhenani & Weſtphalici Directorum Conſiliariis & Legatis in Congreſſu Francofurtenſi congregatis Salutem!

Illuſtres ac Magnifici Viri.

Literas a Concilio Veſtro Francofurti ad Mœnum, die 30. Menſis Decembris ultimi ad Nos datas, gratisſimas accepimus; ex iis etenim ſummam & ſalutarem concordiam Veſtram non cum laude ſolum, ſed etiam cum voluptate perſpeximus, cum adeo conjunctis animis, copiisque paratos Vos, ut omnes hoſtium communium conatus ad Patriam invadendam, reprimatis, videmus, cujus conſilii non virtutem magis, quam prudentiam ſuſcipimus, & felicitatis futura auguria haud dubie inde ſumimus, nihil enim iis defuturum videtur, qui ſibi non deſunt & qui animos ad iis opitulandum acrius incendunt. Nec dubitare Nos volumus, quin res Veſtræ Nobis, ut par eſt, curæ cordiq; ſint, & quin virorum tam fortium, tamque egregie de Nobis cauſa-

cauſaque communi meritorum, a nobis ratio meliori, quo fieri poterit, modo habeatur; Quod Vobis hiſce Literis a dilecto Nobis fideli Georgio Stepney, Armigero, Ablegato Noſtro Extraordinario, reddendis ſignificandum cenſuimus. Macti igitur & dignum aliquid Vobis, dignum Nomine Germanico, Deo bene adjuvante, præſtetis; Cujus tutelæ Vos Veſtraque omnia, quamplurimum commendamus. Dabantur in Aula Noſtra Kenſington 14. die Menſis Februarii 1697. Regnique Noſtri nono.

Veſtrum

amiciſſimus

Gvilielmus Rex.

GvilielmusTrumbales.

DCCCCLXXXVIII.

Litera CONSILIARIORUM ET LEGATORUM nomine VI. Circulorum Francofurti ad Mœnum congregatorum ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus ipſis, quid Germaniæ a Gallicis copiis adverſus Sabaudiæ Ducem nuper adhibitis, mirum ad numerum auctis, metuendum ſit, explicant, ac eis, a Principalibus ſuis ideo fœdus defenſivum arctius concluſum eſſe, referunt, illosque auxiliis & conſiliis ipſorum ſublevari petunt, 1696.

Celſi ac Præpotentes Fœderatarum Belgii Provinciarum Domini Ordines Generales.

EX quo Sabaudiæ Dux, cauſa Fœderatorum relicta, primum ad Caſtra hoſtium tranſiit, ac ex-

Ll 2 emplo

emplo nunquam fere audito una eademque æſtate, duarum adverſarum partium invicem militantium Exercitibus cum Imperio militari ſummo præfuit, illudque exercuit, poſtea vero, urgentibus fatis, bellum in Italia univerſa omne penitus finitum, ſingularisque denique Pax ſecuta eſt, non deſiit Galliarum Rex illico, quascunque habuerat ibidem copias in confines Germaniæ ſuperioris Provincias transferre, ſuumque exinde Exercitum, qualem hisce maxime Regionibus oppoſuit, ita adjungere, ut jam ad numerum centum & duodecim millia militum aſcendat, cum quo minatur vel hac adhuc hyeme, vel ſub initium proximi Veris, priusquam fœderatorum Miles in expeditionem iverit, Germaniam, & in hac & in illa parte invadere, eo conſilio, ut unum & alterum fœderatorum immenſa vi armata penitus obrueret depelleretq; atque ita vires noſtras ulterius divideret, quo tandem in diviſione omnibus imperare ac leges Pacis pro lubitu ponere ſolus poſſet. Quemadmodum vero tela proviſa minus nocere ſolent, ita etiam Reverendisſimi & Sereniſſimi Electores & Principes VI. Circulorum, utpote Electoralis Rhenani, Franconici, Bavarici, Svevici, Rhenani ſuperioris & Weſtphalici Directores, Domini Noſtri Clementisſimi, pro ſuo in Rempublicam communem ſtudio ſingulari curarunt, ut in conventu hic Francofurti, propterea inſtituto, ejusmodi conſilia formarentur, excogitarenturque remedia ſalutaria, quibus pericula imminentia graviſſima quadantenus divertere, Remque publicam Noſtram omni poſſibili modo ſalvare liceret; Annuit divinum Numen cœptis hone-

honeſtiſſimis, & concluſum jam eſt inter hos VI. Circulos arctius quoddam fœdus in tempora belli æque ac pacis pro defenſione mutua perpetuandum, cujus virtute Electores, Principes & Status in eo comprehenſi, ad inſtruendum exercitum 60000. Militum bene exercitatorum, quo proxima æſtate, tuendæ Patriæ uterentur, ſeſe invicem obligarunt. Quoniam autem vires hoſtiles, quales quotidie in immenſum excreſcere audimus, quibusque ut ex apparatu, qui paſſim adornatur inſigni, non absque ratione colligere licet, intentando hic aut illic graviſſimo ictu nos pervertere ſtudebunt, adeo numero ſe & jam amplius ita augere poſſunt, ut horum Circulorum ſolæ Copiæ iisdem non ſufficiant; ideo per literas ſubmiſiſſime ſcriptas, quod adjunctæ Copiæ docent, apud Sacram Cæſaream Majeſtatem non minus, quam Sacram Regiam Majeſtatem Angliæ, aliosque Reges, Electores ac Principes fœderatos, ut ſufficentia ad Rhenum auxilia, & quidem juſto tempore, primoque, quantum fieri poterit Vere Nobis ſubmittantur, ſollicite quæſivimus, ea ſpe freti, fore, ut per ejusmodi Fœderati militis conjunctionem ſub uno Imperio Militari ſummo bene inſtitutam, non tantum Germaniæ fines contra hoſtiles invaſiones quascunque defendere, ſed & data occaſione fortiter adverſus pugnare, atque ita armis quoque horum Circulorum Pacis tam diu exoptatæ, honeſtisque conditionibus adornandæ, concluſionem aliquando promovere valeremus. Cumque ſatis conſtet, quod egregie res fœderatorum communes Vobis, Celſi ac Præpotentes Domini Ordi-

nes Generales, curæ, cordique ſint, idcirco Electorum & Principum VI. Circulorum Directorum, Dominorum Noſtrorum Clementisſimorum nomine, veſtro quoque ſtudio hæcce deſiderio quam maximo commendare, Veſtramque ſimul operam obtinendo huic fini valde commodam, decentiſſime hiſce implorare voluimus. Agnoſcent Reverendiſſimi & Sereniſſimi Domini Noſtri Principales iſthoc officium Amicum cum debita gratia, idque deinceps quavis occaſione, ſtudiis quoque ſuis demereri connitentur. De cætero, precamur, ut Vos fœderatasque Provincias divinum Numen hoc non minus, quem auſpicamur, anno, quam in omne futurum ævum, omni facilitate largiter cumulare dignetur; Dabantur in Congreſſu noſtro Francofurti ad Mœnum die 3. Januarii 1697. 24. Decembr. 1696.

Vobis, Celſi ac Præpotentes Fœderatarum Belgii Provinciarum Domini Ordines Generales,

Ad quavis officiorum genera paratisſimi

Electorum & Principum VI. Circulorum Electoralis Rhenani, Franconici, Bavarici, Svevici, Rhenani ſuperioris & Weſtphalici Directorum Conſiliarii & Legati in congreſſu Francofurtenſi congregati.

DCCCCLXXXIX.

DCCCCLXXXIX.

Litera FRIDERICI AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM II. Hiſpaniarum Regem, cui exoptatiſſimas proximi & futurorum annorum gratulatur calendas, 1697.

P. P.

ET temporis hactenus feliciter exacti memoria & novi jam approperantis Anni ſolennitas Noſtri Nos admonere officii videntur, ut pro antiquo ritu Regiæ Veſtræ Majeſtati proſpera ac fortunata omnia Regioque ſuo digna faſtigio votis omnibus exoptemus. Quod dum præſentibus hiſce cumulatiſſime facimus, illud Regia Majeſtas Veſtra nobis adhuc magnopere roganda eſt, certo ſibi ut perſuaderi patiatur, nihil a Nobis quicquam vel nunc vel impoſterum, aliis ſuper alios decurrentibus annis, omiſſum iri, ex quo animi Noſtri Regiæ Majeſtati Veſtræ dediti, ardor & ſingularis libertatis publicæ defendendæ, pacisque tandem univerſalis honeſtis conditionibus recuperandæ, ſtudium ullo modo poterit intelligi: In quam eandem curam cum & Regiam Veſtram Majeſtatem maxime omnium incumbere videamus, novas Illi ſubinde infracti animi corporisque vires ac ſalutari tandem operi perficiendo ſucceſſus etiam atque etiam apprecamur. Dabantur Dresdæ Menſe Decembri 1696.

Nota. Ejusdem commatis literæ ſcriptæ quoque ad alios Europæ Proceres fuere.

DCCCCXC.

Litera MICHAELIS RADZIEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad MARIAM CASIMIRAM, Poloniæ

loniæ Reginam, cui modeſte ſuadet, velit ſe ſub inſtantis conſilii tempus, Varſaviam relinquendo de malevolorum quorundam intempeſtivo livore ſubducere, 1697.

JAm ad aures S. Reginalis Majeſtatis Veſtræ perveniſſe credo, Commiſſionum Leopolienſium dolendum exitum, appropinquans Patriæ periculum, ex reſolutione militiæ confœderatæ invaſuræ penitius Patriam, Matrem ſcilicet, viſceraque ejus dilaniaturæ. Impietas iſta magna & crudelitas, ſed his gravior audacia & præſumtio, dum auream libertatem, anteceſſorum noſtrorum ſanguine partam, hucusque conſervatam liberam Electionem privatæ cujusquam ſacrificare intendit ambitioni. Recurrunt utræque Leopolienſes Commiſſiones ad præſens Conſilium, ut inde contra imminentem patriæ ruinam provideatur remedium. Cogito itaque futuro die Martis magnum conſilium indicere, ſed metuo, ne occaſio reſidentiæ S. Reginalis Veſtræ Majeſtatis Varſaviæ, aliquas Conſilio noſtro ſubminiſtret difficultates; ſiquidem de abitu Veſtræ Majeſtatis Reginalis, oretenus & per literas certificatum, ac per me Palatinatibus in reſponſis ad legationes publicatum. Sumo proinde audaciam, quam ſubmiſiſſima Veneratione S. Reginali Majeſtati Veſtræ inſinuare & reflexioni maturæ proponere, ut ea inire dignetur media, quæ amorem & venerationem perſonæ Sac. Reg. Majeſtatis Veſtræ & Sereniſſimæ domui poſſint conciliare. Plus in hoc Conſumatiſſima S. R. Majeſtatis Veſtræ prudentia poteſt aſſequi, quam calamus meus exprimere,

ɪere. Finio in debita Veneratione &c. Dab. 'arſaviæ die 24. Martii Anno 1697.

DCCCCXCI.

'eſponſoria MARIAE CASIMIRAE, Poloniæ Reginæ, ad præinſertas MICHAELIS RADZIEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, literas, 1697.

'Ntime viſcera noſtra penetrat inanis Reipubl. co-.natus, & ſine fructu circa diſſolutionem confœ-erationis utriusque Commiſſionis impenſus labor, ræſertim dum ſub iſtius licentiæ jugo primariæ ɔrtunæ noſtræ, & pauperes ſubditi ſupra menſu-am preſſi gemunt; ad ultimamque jam collabun-ɪr ruinam. Patriæ hujus amor extimulavit nos d omnem circa pacificationem Reipubl. applica-ionem impendiumque, ſed notabilis ſumptus in pſo portu fecit naufragium. Cauſam Deo dicet k Reipubl. quicunque tam impiis mediis inten-iones ſuas erigere conatur: Sicut vero Illuſtritatis 'eſtræ laudabilis eſt intentio, quod hoc in caſu ræſens ad ſe congregare velit conſilium, ita occa-.onem nullam ſcire prorſus, nec divinare poſſu-ɪus, cuinam quieta noſtra penes mortales exu-ias piæ memoriæ Sereniſſimi Regis Conjugis no-ſtri deſideratiſſimi obeſſe poſſet reſidentia? Teſta-um reddidimus in Convocatione præterita, in quo ɔublica felicitas ſemper nobis ſit reſpectu, dum ad nſtantiam aliquorum generoſorum Nuntiorum /arſavia moveremus citra omnem legem contra ɪoſtram perſonam, non tuendo nos quacunque :onſuetudine, nec defendendo nos manifeſta æqui-:ate per veſtrammet Illuſtritatem repræſentata.

Ll 5 Nihil-

Nihilominus tamen non ſine gravi doloris ſenſu, experimur inceſſantes contra perſonam noſtram inviſæ mentis ſtimulos. Denuntiabamus jam alias illuſtritati Veſtræ intentionem abitus noſtri in terras Ruſſiæ, ad quas nos contractus & alia domeſtica noſtra vocabant intereſſe, remorabatur autem nos addicta bonorum amicorum reflexio, ſuper agitatas Leopoli Commiſſiones, ne cuiquam vel minima daretur occaſio ad ſiniſtram perſonæ noſtræ interpretationem, quæ attigit innocentiam Sereniſſimi Principis Jacobi filii noſtri Dilectiſſimi, licet quiete & longe hic a Varſavia reſidentis. Perſuaſio Illuſtritatis veſtræ, an tam ſubito in effectum deduci poſſit, ſubjicimus alto ipſiusmet judicio, ea cum fiducia, quod Illuſtritas Veſtra nos adigere non intendat, ut imminentem ſacram hebdomadam, & ipſa appropinquantia Feſtorum ſolennia, in itinere alicubi peragamus, imo ſperamus, quod ex innato affectu Illuſtritatis Veſtræ innocentiam potius noſtram, & manifeſtam de Lithuana Confœderatione irrogatam nobis calumniam in hocce conſilio juſtificare non dedignabitur. Non fraudabimus certe autoritatem Illuſtritatis Veſtræ, & promiſſum, quod noſtro & ſuo nomine intuitu abitus noſtri, & abſentiæ in futura (proſperet Deus) felici electione dignata eſt Palatinatibus dare. Quod perſpicaci Illuſtritatis Veſtræ trutinæ dum proponimus, fortunatos ſimul futuri conſilii ſucceſſus, & optimam ſanitatem Illuſtritati Veſtræ ex animo vovemus. Datum Varſaviæ 25. Martii 1697.

DCCCCXCII.

DCCCCXCII.

eræ commendatitiæ, ab Electore Saxoniæ, FRIDERICO AUGUSTO, Locumtenenti Joh. Philippo Jægero, ad REMPUBLICAM VENETORUM data, 1697.

P. P.

HUmillime Nobis expoſuit ſuum, quo flagrat, ſub auſpiciis inclytæ Veſtræ Reipublicæ miliıdi, valoremque animi ſui per præclara facinora ıgis magisque excitandi deſiderium, qui has ad lectionem Veſtram & Vos perfert Literas Lomtenens, Johannes Philippus Jægerus, multisːe a Nobis precibus efflagitavit, ut ipſi commentitiis Noſtris, quibus ad militare aliquod munus nto facilius ſe aſpiraturum confidit, ſubvenire llemus. Qua in parte cum deeſſe ſupplici & ad teriora in re militari intento neutiquam cupiaus, Dilectionem Veſtram & Vos pro mutua illa, ıæ Nobis & Anteceſſoribus Noſtris cum Inclyſ Veſtra Republica jam dudum intercesſit, etm atque etiam præſentibus hisce rogamus, ut ea ːnignitate Clientem hunc ad commoda & deſiːria ejus provehenda, velint complecti, quo posː intelligere has in favorem illius perſcriptas a Nos literas haud parum profuiſſe. Quod ſupereſt ræclara Veſtra conſilia remque Venetam terra ıarique uti pergat fortunare Deus ex animo optaıus. Dabantur Dresdæ 1697.

DCCCCXCIII.

iteræ CAROLI XII. Svecorum Regis, ad FRIDERICUM AUGUSTUM, Saxoniæ Electorem,

qui-

quibus ipſi, Carolum XI. Parentem ſuum charisſimum prœmatura morte extinctum eſſe nuntiat, ac ſe ad continuanda mutuæ neceſſitudinis cum ipſo officia paratisſimum eſſe aſſeverat, 1697.

Nos Carolus, Dei gratia Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex &c. Sereniſſimo Principi, Conſanguineo & Amico noſtro charisſimo, Domino Friderico Auguſto, Saxoniæ Duci &c. &c. ſalutem & proſperos rerum ſucceſſus!

Sereniſſime Princeps, Conſanguinee & Amice Charisſime.

IN ſummo animi mœrore conſtituti, Serenitati Veſtræ Electorali peramice ſignificandum duximus, quemadmodum ſupremo rerum humanarum arbitro, ac fatorum Moderatori Deo Ter optimo Maximo pro inperſcrutabili conſilii ac voluntatis ſuæ beneplacito viſum ſit die Menſis hujus labentis, hora circiter decima veſpertina Divum Parentem noſtrum glorioſisſimæ memoriæ, Potentisſimum quondam Principem ac Dominum, Dominum Carolum XI. Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem &c. poſt valetudinem ejus gravi morbo affectam, ſed inconcuſſo animo & tolerantia Chriſtiano Principe digna ſuſtentatam, mente in Deum & Redemptorem Noſtrum penitus defixa, vitæ hujus miſeriis beata morte eximere, adeo, ut fluxam hanc & caducam, quam immortali cum laude feliciſſime geſſerat, rebus pace & bello glorioſe confectis, Regni terreſtris coronam cœleſtis & æternæ beatitudinis gloria commutaverit; Nobis

bis vero Domuique Regiæ ac univerſo huic Regno, quantum quamque grave vulnus, præmaturo exceſſu tanti Regis ac Herois in ipſo ætatis virilis vigore ac ſuſceptorum pro communi bono & univerſæ Chriſtianæ rei ſalute pulcherrimorum operum curſu extincti, ex inopinato inflictum ſit, promptius fuerit Serenitati Veſtræ Electorali judicii ſui perſpicacisſimi genio aſſequi, quam Nobis id verbis exæquare. Hinc minime dubitamus, quin Serenitas Veſtra Electoralis pro ſincero illo fidæ amicitiæ cultu, qui inter optimum Parentem Noſtrum & Serenitatem Veſtram Electoralem viguit, triſtem hunc & luctuoſum caſum latura ſit. Sed & inſimul confidimus, Serenitatem Veſtram Electoralem eundem benevolentiæ affectum in Nos, jam nunc avitum paternumque ſocium, divina providentia & legitimo hæreditario ſucceſſionis jure, ſub tutela & adminiſtratione, Potentisſimæ Reginæ, honoratisſimæ Aviæ Noſtræ & quinque Regiorum Senatorum, ſecundum propriam divi Parentis Noſtri factam Diſpoſitionem ad id conſtitutorum conſcendentes omni meliori modo derivatum velle; Cum utique fixum firmumque Nobis ſit, paternorum conſiliorum ad publicam ſalutem collimantium veſtigiis tanto alacrius inſiſtere. Quod idem Divus Parens Noſter inter ultima Elogia, ad ſollicite amplectendam boni publici curam ac præſentium fœderum ab Ipſo initorum vim fidemque, ubicunque caſus tulerit, integre præſtandam etiam atque etiam cohortatus eſt, proviſis quoque & relictis idoneis præſidiis ac viribus, quibus voluntati ſuæ tantopere Nobis com-

commendatæ obſequi in proclivi foret. Hoc animo & propoſito ſub auſpiciis noſtris, fortunante Deo, procedent conſilia in divini nominis gloriam ac Chriſtiani Orbis redintegrandam incolumitatem & tranquillitatem potisſimum conferenda. De cætero benignisſimum numen ardentibus imploramus precibus, ut Serenitatis Veſtræ Electoralis inclytam Domum, ab omni triſtioris fati incurſu quam diutisſime jubeat eſſe immunem. Cui etiam ab Ejusdem clementia firmam valetudinem & proſpera quæque ex animo apprecamur. Dabantur in arce noſtra Regia Holmenſi, die 7. Aprilis 1697.

Nomine altisſime memoratæ Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini Nepotis Noſtri Charisſimi, ut & Regis ac Domini noſtri clementisſimi.

HEDWIG ELEONORA
Reg. Sveciæ.
Benedictus Oxenſtiern.
G. F. Guldenſtiern.
Fabian Wrede.
Nicolaus Güldenſtolp.
L. Wallenſtedt.

DCCCCXCIV.

Reſponſoria FRIDERICI AUGUSTI, *Saxoniæ Electoris, ad præimpreſſas* CAROLI XII. *Svecorum Regis literas, 1697.*

P. P.

POſtquam per Regiæ Veſtræ Majeſtatis literas die 7. Aprilis ad Nos perſcriptas de honoratisſimi

ſimi Illius Parentis, Sereniſſimi & potentisſimi quondam Principis, Domini Caroli XI. Svecorum, Gothorum, Vandalorum Regis &c. &c. præmatura morte certiores facti ſumus, multis quidem gravibusque de cauſis magnum ſenſimus dolorem, ſed inde præcipue, quod nosmetipſi & Principem Conſanguineum egregia ſingulariq; virtute ſpectatum & amicum multis nominibus longe Nobis charisſimum, in ipſo ætatis animique flore, medioque pulcherrimorum operum curſu extinctum amiſimus. Cujus prudentia atque præſidio ſinceroque pro cauſa communi zelo, non ſolum Patria, ſed univerſa propemodum Respublica Chriſtiana, ſi unquam alias, his ſane difficillimis temporibus opus habere præcipue videbatur. Sed quoniam ea Dei Optimi Maximi voluntas fuit, inter medias ſeculi turbas Heroëm hunc ad ſeſe tanquam de terrarum æſtu & fluctibus in portum vocare, tantæque Ejus Virtutes tamque egregiæ extiterunt, ut memoriam Ejus nominis omnibus ſeculis conſervaturæ videantur. Plane Nos quidem in eam ſententiam adducimur, ut bene cum illo actum eſſe ſtatuamus, qui hoc tempore mortem cum vita adeo glorioſe commutavit, ut aliis exemplo foret, quomodo rebus mortalibus ſit excedendum. Hancque omnino cogitationem Regiæ Veſtræ Majeſtatis mœrorem quodammodo levaturam eſſe tanto certiori fiducia ſperamus, quanto firmiore ſpe confidimus, non poſſe Regiam Majeſtatem Veſtram melioris vitæ felicitatem invidere tam glorioſo exitu rebus humanis exempto Parenti, quem, quoad vixit, tantopere amavit. Nos inter-

interea Regiæ Veſtræ Majeſtati, ad quam legitimo hæreditariæ ſucceſsionis jure ampliſsimi Regni poſſeſsio jam devoluta eſt, hanc dignitatis Regiæ novæ gloriæ acceſsionem, tanquam paternarum Virtutum æmulo atque Hæredi merito debitam etiam atque etiam gratulamur, nihil magis in votis habentes, quam ut Regiæ Veſtræ Majeſtati optimi Parentis exemplo, conſiliisque inhærenti, curamque boni publici ex illius præcepto ſollicite amplectenti, proſpere omnia feliciterque ad redintegrandam Reipublicæ Chriſtianæ tranquillitatem ſuccedant. Quod ſupereſt, Regiam Veſtram Majeſtatem, certo ſibi ut perſuadere velit, rogamus, Nos veteris illius amicitiæ, commercii, atque neceſsitudinis, quæ inter majores Noſtros tot retro annis floruit, tam continuandæ, quam novis ſubinde acceſsionibus & incrementis augendæ, ſemper fore ſtudioſiſsimos, illasque præ cæteris magis avide capturos eſſe occaſiones, quæ Noſtro in Regiam Majeſtatem Veſtram amori, cultuiq; declarando quam frequentiſsime Nobis offerentur. Cui interea perpetuam valetudinis integritatem & rerum omnium ſucceſſus feliciſsimos ex animo apprecamur. Dab. Viennæ Menſe Maji 1697.

DCCCCXCV.

Litera GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad FRIDERICUM AUGUSTUM, Saxoniæ Electorem, quibus ipſi ſe iterum favente divino numine feliciter in Hollandiam appuliſſe refert, & cauſæ communis indefatigatam curam amanter commendat, 1697.

Gui-

Guilielmus III. Dei gratia Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex &c. &c.

CUm nihil Nobis antiquius aut magis cordi ſit, quam ut ſaluti publicæ & quieti in Orbe Chriſtiano retintegrandæ inſervire poſſit, e Regno Noſtro in Hollandiam iterum favente Deo feliciter appulimus, eo fine, ut fœderatis Noſtris, belliq; ſociis non deſit, quicquid illorum commodo afferre poſſit Noſtra in hiſce partibus præſentia, adventum deinceps Noſtrum Celſitudini Veſtræ Electorali propediem notum facere voluimus, Ipſamque inſuper adhortari, ut vires ibidem ſuas pro bono publico intendere non deſinat, neque dubitandum eſt, quin unita fœderatorum arma & conſilia Deus optimus maximus iis tandem fortunet ſucceſſibus, qui calamitoſis Europæ motibus finem addere, Ipſique honeſtam & ſecuram tranquillitatem reſtituere valeant, quam quidem, Nos quod attinet, non ſolum ex animo optamus, ſed ſummis etiam viribus & indefeſſo ſemper conatu proſequemur. De cætero Celſitudini Veſtræ Electorali omnigenam felicitatem & rerum incrementum apprecantes, Ipſam divini Numinis tutelæ commendavimus. Quæ dabantur in Aula Noſtra Hagæ Comitis 28. Aprilis 8. Maji Anno Domini 1697. Regnique Noſtri nono.

DCCCCXCVI.

Reſponſoria FRIDERICI AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis præinſertas literas, 1697.

P. P.

De felici Regiæ Veſtræ Majeſtatis in Provincias Belgicas reditu, per literas Ejusdem die 8. Maji 28. Aprilis ad Nos exaratas certiores facti, ſpem ſane non vanam concipimus, hoſtem communem, & illuſtri Regiæ Majeſtatis Veſtræ præſentia & fortitudine validiſſimi exercitus, ſub auſpiciis Illius denuo militaturi permotum iri, ut multo tandem ad amplectenda pacis conſilia tractatusque maturandos ſe præbeat faciliorem, quam quidem ille hactenus ſe exhibuiſſe viſus eſt. Ad tam præclarum igitur, tamque ſalutare negotium majori felicitate perficiendum, recuperandamque honeſtis tandem conditionibus Chriſtianæ Reipublicæ tranquillitatem, ſeu belli, ſeu pacis artibus opus fuerit, ut Regiæ Veſtræ Majeſtati confœderatisque Principibus, proſpere omnia & ſecundum vota ſuccedant eſt, quod Nos etiam atque etiam exoptamus. Et cum potisſima ſane cura habenda, ut in præſentibus pacis negotiis eccleſiaſtica in illum ſtatum, qui tempore concluſæ pacis Weſtphalicæ fuit, & quæ ad Religionem Evangelicam pertinent, ad Ejus normam plenarie reſtituantur; eam omnino in ſpectata Regiæ Veſtræ Majeſtatis pietate ac prudentia ſpem reponimus, Illam Nobiscum & cum aliis hujus Religionis Electoribus, Principibus ac Statibus Imperii ſua ſponte in id enixe elaboraturam, ut ulteriori commendatione hac in parte non futurum ſit opus. De cætero Regiam Veſtram Majeſtatem ſerio perſuaſam cupimus, Nos in Eandem cum illa boni publici promovendi curam incumbere, Illiusque quam maxime

exem-

:emplo atque veſtigiis inhærere velle, ut appa-
at nullis nos occaſionibus defuturos. Quam
:ne ac proſpere interim valere ex animo vove-
us. Dabantur Viennæ die $\frac{21}{31}$. Maji 1697.

DCCCCXCVII.

itera FRIDERICI AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad DUCEM SENATUMQUE REIPUBL. VENETÆ, quibus pro Colonello d' Aalbentel, cædis in Vincentio de Wiſenburg patratæ cauſa proſcripto, ſollicite intercedit, 1697.

P. P.

Quibus rationibus & argumentis Colonellus d' Aalbentel, circa exortas nupero anno Venetiis inter Locumtenentes de Münchhauſen & umpelium magno animorum ardore contentiones, quæ perpetrato tandem homicidio Vicentii e Wiſenbourg occaſionem dedere, innocentiam iam probare, imputatasque ſibi criminationes repellere laboret; id forte Dilectioni Veſtræ & Vobis non omnino moleſtum erit, ex incluſis paulo uſius intelligere. Quæ quidem ejus innocentiæ Documenta, quamvis per ſe apud Dilectionem Veſtram & Vos, ad modo nominati Colonelli ſalutem & ſecuritatem haud parum valitura eſſe non dubitemus: noluimus tamen etiam ex parte ſupplicis, quam in intereeſſionalibus hisce Noſtris repoſitam habet, vel ſpei vel fiduciæ deeſſe, Dilectionem Veſtram & Vos peramanter hisce rogantes, ut præfatum Colonellum d' Aalbentel, rebus ita ſeſe habentibus, non modo a decreta adverſus ipſum proſcriptionis ſive banni pœna abſolvere, inque

gratiam atque protectionem inclytæ Veſtræ Reipublicæ recipere, ſed omni etiam meliori modo providere atque efficere velitis, ne quid violenti in eum, ſi quando in ditiones Veſtras redierit, ſive clam ſive palam committatur. Qua quidem Veſtra benevolentia hominem ſtrenuum magnopere Vobis devincietis, Nobis vero pergratum erit intelligere has Noſtras, pro illo interpoſitas preces non omnino infructuoſas aut plane irritas fuiſſe. Dabantur die 12. Junii Dresdæ 1697.

DCCCCXCVIII.

Literæ MAGISTRATUS CIVITATIS GEDANENSIS, ad Dn. ABBATEM de POLIGNAC, Regis Chriſtianisſimi in Poloniam Legatum, cui nuntiant, Cives urbis ſuæ, ob naves ſuas a Gallica Claſſis Præfecto detentas, ingentes excitaſſe turbas, omnesque mercatorum Gallicæ Nationis merces cuſtodiæ mandaſſe, ne loco moveantur, donec naves ſibi fuerint in integrum reſtitutæ, 1697.

NOn ſperaveramus poſt nuperam Illuſtriſſimæ Excellentiæ Veſtræ, cum Domino Præſide civitatis hujus, collega noſtro perdilecto, habitam Conferentiam ad tales deventurum actus, quales nunc cum ſumma, non tantum noſtra, ſed & univerſæ Civitatis experimur conſternatione. Securos nos reddiderat innocentia noſtra, optimæ conſcientiæ fulta teſtimonio, qua freti non tantum certo nobis perſuaſum erat, nos omne id, quicquid in occaſionem offenſarum ex parte Illuſtrisſimæ Excellentiæ Veſtræ acceptum fuerat apud Chriſtianisſimum Galliarum Regem exaratis eam in rem, pro ex-

xculpandis actionibus noſtris,humillimis literis fa-
illime excuſaturos, ſed & apud Illuſtrisſimam Ex-
ellentiam Veſtram rationes a Domino Præſide al-
ıtas tantum ponderis habituras eſſe, ut eandem
ro avertendis potius, quam effectui dandis, ejus-
ıodi damnoſis attentatis, quæ nihil niſi hoſtile
›irant, laboraturam crederemus. At vero dum
liud placuit,& naves civium noſtrorum ex impro-
iſo in ſtatione navium maritima juſſu Præfecti
:laſſis Gallicæ ibidem commorantis, violenter
ccupatas videmus, non potuimus, quin ſedandis
erturbatorum, & ſumme commotorum civium
nimis, de remediis, quibus malo exinde reſultan-
obviam iretur, tempeſtive cogitaremus, inde-
ue inſtantiſſime eorundem ſolicitationi id tribu-
ndum fuit, ut non tantum portas civitatis omnes
ccludi, ſed & omnia bona ad mercatores Gallicæ
ationis pertinentia, ubicunque in civitate depre-
endi poſſunt, arreſto innodari, obſignari, & pro
ıajori eorundem ſecuritate, ne a populo conci-
ıto in prædam rapiantur, conſtitutis ad ædes, ubi
:periantur illa, excubiis cuſtodiri faceremus.
:onſiderantibus igitur nobis, quantis porro moti-
us agitanda ſit civitas hæc, & quam periculoſæ
xinde orituræ ſint ſequelæ, ni mature compona-
ır negotium illud, & malum, antequam altiores
gat radices, tollatur, per præſentes querelas no-
ras eo nomine ad illuſtriſſimam Excellentiam Ve-
:ram deferendas eſſe duximus, id ab æquanimita-
: ejusdem ſperantes, ac enixisſime rogantes, ut
erpenſa noſtra erga nationem Gallicam obſervan-
ia, quam nunc quoque, quamdiu Claſſis Gallica

in vicinia noſtra ſtetit, quantum ſtatus rerum præſentium permiſit, erga eandem abunde teſtatam dedimus, cum gratioſiſſime inire modum velit, quo non ſolum reſtitutis & libertati ſuæ relictis navibus civium noſtrorum nunc violenter occupatis, libera iiſdem in mari maneat navigandi facultas, ſed & apud Chriſtianiſſimam Galliarum Majeſtatem civitati huic priſtinam gratiam, qua huc usque ſemper gaviſa eſt, intercesſione ſua gratioſiſſime conſervare dignetur, quod dum nobis indubii ab Illuſtriſſima Excellentia Veſtra pollicemur, nos quoque eidem quam ſemper erga Illuſtriſſimam Excellentiam Veſtram teſtati ſumus, obſervantia porro non deerimus, non dubitantes, optato nos ab eadem exhilarandos fore reſponſo. Dabantur Anno 1697.

DCCCCXCIX.

Reſponſoria Dn. ABBATIS de POLIGNAC, ad prainſertas MAGISTRATUS CIVITATIS GEDANENSIS literas, nil niſi minas & Gallici faſtus indicia continentes, 1697.

QUando Magnificum Civitatis Veſtræ Præſidentem conveni nuper, ſtatim ipſi ſignificaveram inſtinctu priſtini amoris, quo ſemper in civitatem veſtram ferebar, & quem in promovenda ſæpius navium interceptarum reſtitutione, vel ſaltem aliqua, uti ex miniſterio potui, compenſatione teſtatus ſum, quantum errorem admiſiſſet Magiſtratus alioqui prudens & in orbe celebratus, dum exceſſus innumeros & infames nullibi unquam auditos, nedum intentatos adverſus Potentiſſimi &

& Chriſtianisſimi Galliarum Regis, Domini mei clementisſimi ſubditos, Officiales, Nautas, Vexillum, & omnia ſacrum & formidandum Majeſtatis ſuæ Nomen quovis modo repræſentantia, vel imperavit civibus ſuis, militibus ac ſervis, vel certe cognitos & benigna per me ipſum expoſtulatione delatos toleravit & continuari fecit. Expoſui quid tanta facinora, & in iis contumax perſeverantia finalisque impœnitentia malorum in civitatem veſtram attraherent, jam attraxiſſent, & in poſterum, ni per ſolidum & competens remedium obviaretur, eſſent attractura. Monui jam ex primis petulantiis Gedanenſium indignationem Chriſtianisſimi commotam, & ab eo exiiſſe edictum, ut in omnibus Galliæ portubus interciperentur naves, quotquot reperirentur; Gedanenſes homines ſub arctiori cuſtodia detinerentur, imo ut Gallicarum navium Præfecti omnes in mari, quotquot Gedanenſes caperent fiſco addicendas ſine intermisſione, donec plena & adæquata per Magiſtratum Civitatis Veſtræ fieret ex integro de omnibus & ſingulis exceſſibus prædictis, quos recenſui pridem & nuper, ſatisfactio, & ſubmisſio, ipſa quoque verba, quo ad rem hanc, in literis Chriſtianisſimi 14. Octobris ad me datis contenta, recitavi, quæ quidem omnia ex affectu meo amicisſime denunciata, reſipiſcentiam ſuaderent, tam exigui apud vos fuerunt valoris, ut ipſa illa die, qua civitatem veſtram ingreſſus, & Magnificum atque Illuſtrem conſilii veſtri Præſidentem allocutus ſum, ſcriba navis Præfecti in veſtra civitate detentus per horas quinque incarcera-

 tus,

tus, & contumelioſiſſime affectus fuerit. Quid ergo potuit minus facere Illuſtriſſimus Eques Dominus Barth, claſsis Regiæ Præfectus, officii ſui peritiſſimus, quam læſæ per ſeptimanas ſex integras patientiæ tandem facere ſatis, & quod ab initio potuiſſet ac ipſe tantum melioris ex parte veſtra proceſſus tamdiu ſuſpenderat, exequi tandem, ubi nulla vos ad officium admonitione ſive adhortatione flecti poſſe intellexit. Sed hæc ſunt minima, majora vobis imminent, & exempla potentium Civitatum, ſi præ oculis non habetis, capitibus certe veſtris habetis timenda. Per veſtras utique Magnificas & Illuſtres Dominationes incepta hoſtilitas, & ignem accendiſtis, quomodo extinguetis? ipſi videritis. Miror autem, vos me uti veſtrum apud Chriſtianiſſimam Regis mei Majeſtatem advocatum, & interceſſorem rogare, atque impotentem veſtram vindictam in ſolos mercatores Gallicæ nationis ſub prætextu majoris præcuſtoditionis, ab aliquo tumultu plebis exercitam ſcribere, dum res ipſas meas, domeſticos, equos & currus, contra jus gentium & fas omne detinere præſumpſiſtis, & adhuc præſumitis, unde vos exiſtimo contra ſolitam literarum veſtrarum obſervantiam, quæ verbis, non factis commonſtratur, aſperius velle ac magis in dies inſanabile fieri vulnus. Sic ergo ultimato reſpondeo, ut primum ante omnia quidquid meum eſt, liberum in inſtanti faciatis cum legitima & violati juris gentium & characteris mei excuſatione. Quantum vero ſpectat ad naves veſtras, quæ juſtiſſima de cauſa detentæ ſunt, hoc cum Illuſtriſſimo Equite, Domino Barth tractare

pote-

poteritis, iſta enim ad officium ejus, non ad meum pertinent, Maneo &c. Dabantur Anno 1697.

M.

Litera MICHAELIS RADZIEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad LEOPOLDUM Rom. Imperatorem, quibus ipſi Principem de Conti, in Regem Poloniæ, non obſtantibus Sereniſſimo Electori Saxoniæ datis ſuffragiis, unanimi potioris partis conſenſu electum eſſe nuntiat, 1697.

Sacra Cæſarea, Regiaque Majeſtas.

INnotuiſſet Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtati Veſtræ eo ipſo die, quo facta eſt, de Electione Noſtra. Officii enim mei ducerem, felicem nuntium Ejusdem Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtati Veſtræ quantocyus ferre, ad quam non tantum ex bonæ vicinitatis, ſed etiam ex ſtrictioris contra Chriſtiani nominis hoſtem colligationis nexu, bona malaque noſtra pertinere videntur. Continuum tamen per aliquot dies calamum duxi, ſpem aliquam habens, ſciſſa diviſaque Civium ſtudia, ad ſananda libertatis læſæ vulnera, ad pacificandam Rempublicam inclinatura. Sed cum exiguus legum Patriarum reſpectus, quæ non niſi Primatiali Dignitati Jus nominandi concedunt, in his, qui perdere alios quam periclitari ipſi malunt, ſi non ſpem, ſaltem ſpei fiduciam adimat, differre diutius nequeo, quin nomine publico hujus Reipublicæ partis, apud quam ſumma ratio Libertatis, deferam Sacræ Cæſareæ Regiæq; Majeſtati Veſtræ conſtanti ſuffragiorum conſenſu, Sereniſſimum Franciſcum Ludovi-

cum Pricipem de Conti die 27. Junii Regem Poloniæ in campo Electorali nominatum & renuntiatum. Inventi ſunt quidem nonnulli Senatores, qui cum pertracta circumventaq; obliquis artibus credulæ Nobilitatis parte Sereniſſimo Electori Saxoniæ adhæſerunt; Sed nec hic, qui nominavit, per leges jus nominandi valide & licite habuit, nec hic, qui nominatus, per eosdem nominari potuit. Gloriatur pars illa, quod Militiæ Ducum autoritate ſit ſuffulta, quæ quidem, invalido alias pro tunc legum auxilio, formidanda eſſet, niſi exercitus Noſter ex nobilitate compoſitus foret; ideoque firmandæ potius libertati, quam juvandæ ſuorum Ducum paſſioni pronior & promptior. Erigit Nos in eam ſpem ſumma Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ pietas tot argumentis comprobata, perſpectaque in Regni Noſtri tranquillitatem propenſio, quod penitius profundiusque expenſis rationibus, conſilium futurorum ex præteritis ſumens, prudentisſimo conſilio ſuo occurret, ne hi, qui obvio obſequio privatas ſpes ſine publica cura agitant, prævaleant, ne Serenisſimus Elector, cui plura ſemper erunt, quæ oberunt, quam quæ legibus Regni convulſis ſuccedent, aperto diſcrimini Regnum Noſtrum bello civili objiciatur, cum hæc pars privilegio libertatum fulta, adverſæ fortunæ objici mallet, & privatæ potius nocere quam publicæ deeſſe. Si quando nunc profecto vertitur & Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ & totius Chriſtianitatis alea, ex motu enim hoc nihil ſperandum præter metum, ſi Polonia diviſa decertare pro factis ſuis, quomodo ſacri fœderis Religio contra

com-

communem Romanæ fidei hoſtem Nobis hucuſque integra ſervari ſtareque poterit? Arma enim illa, quæ contra Turcas Tartaroſque in proſequendo ulterius fœdere agere deberent, intra cognatas acies diſcinderentur. Non moveat vero adverſum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ ſuſpicionem, neque ullam politici metus obtendat umbram, quod Conſanguineum æmulæ Domus Principem in Regem Noſtrum elegerimus; inter Reges enim & Regna, præſertim vero libera, ubi agitur de corona & Majeſtate, ſemper major eſt ratio vicinitatis quam ſanguinis, magisque formidabilis eſt libertati electus ſuiſque armis & proxima vicinorum colligatione præpotens, quam ille, qui omnem ſuam potentiam in ſolo civium affectu ſitam habet. Poſſumus vero integra fide Sacræ Cæſareæ Majeſtati Veſtræ polliceri ſpondereque, quod Sereniſſimus Electus Noſter ſacroſancte ſit omnia ſervaturus ea, quæcunque Sacram inter Veſtram Majeſtatem & Rempublicam Noſtram interceſſerunt, præſertim, cum Principi in Regno libero nihil omnino in viciniam liceat ſine omnium Ordinum Conſenſu, a quo omnis pendet potentia, imo audacter promittere poſſumus, quod languidam illam in provectiori ætate Sereniſſimi ultimi Regnantis in proſequendo bello Turcico curam, mens ad bella nata Sereniſſimi præſentis, pro ſolatio Chriſtianitatis, pro diverſione Majeſtati Veſtræ fortiori compenſabit. Non ambigimus igitur, illudque enixe poſtulamus, quod Sacra Cæſarea Regiaque Majeſtas Serenisſimum Electorem Saxoniæ ſapientisſimo ſuo inducere dignabitur conſilio, ne præpro-

pera

pera feſtinatione Sua illam in Regno Noſtro flammam excitet, quam ſecula multa civium ſanguine non ſine evidenti Chriſtianitatis (ſtante cum infidelibus bello) periculo non valeant extinguere. Quod fuſius magnificus & generoſus Petrus Tworziansky ad Comitia noſtra ex Palatinatu Cracovienſi Nuntius Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtati Veſtræ deferet, ut eo nomine ad Eandem a Nobis Ablegatus. Cui uti benevolam aurem & integram fidem concedere dignetur, petimus, paratiſſima ſemper officia Noſtra Eidem ſacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtati Veſtræ devoventes, manemus

Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Veſtræ

Dabantur Warſaviæ 9. Julii 1697.

ad officia paratiſſimi, meo & aliorum nomine

M. Cardinalis Radzieiowsky, Primas.

MI.

Reſponſoria LEOPOLDI Romani Imperatoris, ad prainſertas MICHAELIS RADZIEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, Literas, quibus ipſi ſerio ſuadet, ut partes Sereniſſimi Electoris Saxoniæ, a quibus maximam Nobilitatis partem ſtare inaudiviſſet, abſque mora amplectatur, 1697.

Leo-

Leopoldus &c.

ACcepimus Literas Reverendisſimæ Paternitatis Veſtræ die nona hujus Menſis ad Nos datas, eo ſtylo & ſcriptionis genere ab iis, quæ Reipublicæ nomine antehac ad Nos exaratæ ſunt, diſtinctas, ut illas ex privata Reverendisſimæ Paternitatis Veſtræ, erga nos confidentia unice profectas eſſe exiſtimemus: & vel ideo miſſum ad Nos Generoſum Petrum Tworzyanski ad aures noſtras tanto libentius admiſerimus. Etſi autem ſenſa Reverendisſimæ Paternitatis Veſtræ magnum ſemper apud Nos pondus habeant, quantumque iis tribuere ſoleamus, omni loco & occaſione teſtaturi ſimus: Poſtquam tamen Serenisſimum Saxoniæ Electorem longe majori ſuffragiorum numero in ipſo campo Electorali Regem renunciatum eſſe, conſtanti omnium, neutri etiam parti addictorum relatione aſſeritur, celare Reverendisſimam paternitatem veſtram non poſſumus, graviter Nos affligi, quod Eandem cum minori Reipublicæ parte huic Electioni tam acriter obniti intelligamus. Illud vero Nos ſolatur præcipue, quod ſicuti ingentia ex ejusmodi diſſenſione in Rempublicam Chriſtianam univerſam, & imprimis Polonam redundatura mala Reverendisſima Paternitas Veſtra prudenter dignoſcit: ita & nullo aut facillimo negotio illa avertere in manu & poteſtate ſua habeat: Adeoque dubitare fas non ſit, quin perpenſis rerum temporumque circumſtantiis tam ipſamet Reverendisſima Paternitas Veſtra prædictæ Electioni, a qua etiam ante non alienam ſe fore monſtravit, acceſſu-

ra,

ra, quam conſilia, & autoritatem, qua pollet, apud reliquos adhuc refragantes impenſura ſit: ut & hi plurium pro Sereniſſimo Saxone ſtantium ſuffragiis, conſenſionem ſuam adjungant, neque pertinaciter nimis diſcrepando Inclytum Regnum in apertum Belli civilis diſcrimen, & innumeras, quæ illud comitari ſolent, calamitates conjiciant. Hoc pro ſincero Noſtro in Rempublicam, cujus ſalutem & libertatem antiquiſſimam ſemper habemus, affectu a Reverendiſſima Paternitate Veſtra enixe contendimus: Hoc ab ejusdem animi æquitate, ſapientia, & in Patriam pietate certo expectamus. Etſi quid præterea ad conciliandam inter Sereniſſimum Neo-Electum Regem, & Reverendiſſimam Paternitatem Veſtram pleniorem fiduciam officia Noſtra poſſe videntur, ea amice offerimus Reverendiſſimæ Paternitati Veſtræ: quod ſupereſt Benevolentiæ Noſtræ Cæſareæ affectum pro ſolito conſervantes. Viennæ 30. Julii Anno 1697.

MII.

Litera varii argumenti a F. HENRICO CARDINALE NORISIO ad ABBATEM NICASIUM Pariſiis degentem exarata, 1697.

Illuſtriſſime Domine

Literas, quas ad me V. Kal. Jun. dederas, poſtrema ejus Menſis accepi, eisque Kal. Juliis, aut, ſi forte Pompejanus es, Quinctilibus reſpondeo, ad lucernulam, hora poſt mediam noctem tertia. Hui, inquies, tam diluculo Purpuratus operam ponit? Ita plane impacta mihi purpura ſomnum abrum-

abrumpit, ac ad pluteos invitum trahit. Non literarum amor, ſed agaſonum importunitas vel invitum vigilare cogit: Illi enim ante diem equos e ſtabulo reducunt in aream, quos cum ferrea ſtrigile curant, quatiunt illi ungula ſubjectos lapides, eoque rumore Purpurato Domino ſomnum excutiunt. Scis olim Themiſtoclem ſolitum dictitare: Miltiadis trophæum non patitur me dormire; at equi me dormire non ſinunt eorumque ſollicitì curatores has mihi vigilias procurant, id eſt, tempus mihi redimunt, quo tibi poſſum reſcribere. Nam paulo poſt ſacra peragenda ſunt, ſtatimq; ad ſacrum Conſiſtorium hodie mane indictum, in quo Eccleſiæ Roſſanenſis Archiepiſcopum proponere juſſus ſum, cras intererero Congregationi Judicis, in quo Tomi magni P. Papebrochii a Carmelitis accuſati diſcutientur. Die 3tia erit Congregatio ad B. Mariæ ſupra Minervam; Quarta ſedebo coram ſummo Pontifice in Congregatione Inquiſitionis, vulgo S. Officii; die 5ta fiet Congregatio, in qua de tricis Regularium judicabitur, die 6ta & Sabbatho adero Congregationi Concilii, in quo cætera inter juſſi ſumus deliberare, an expediat uſum exigendi a reis juramenti, antequam interrogentur de criminibus, quorum accuſati ſunt, a ſummo Pontifice abrogari. Hæc me negotia tota hac hebdomade exercebunt, hæ menſtruæ curæ, hæ annuæ occupationes me manent. Viden', uti priorem paginam, quamvis nihil dicens implevi. At pejus eſt, non tantum nihil dicere, ſed nihil prorſus facere. Quid enim auribus veſtris dignum agere poſſum, tot ſubinde ſibi ſuccedentibus occupationibus diſtrictus?

Ita-

Itaque pridie Idus Decembr. Anno 1695. creatus Cardinalis, vitæ meæ terminum impoſui, mortuus meis libellis, unde & Muſæ mihi leſſum fecere. Niſi moleſta tibi poſſum ſignificare, Nam intra eandem hebdomadam duos inſignes Purpuratos amiſimus: Joannem Caſimirum Denhof, & tui meique amantisſimum, Gregorium Barbadicum Patavinum Antiſtitem, virum ſanctisſimum, eumque doctisſimum, qui ditisſimi Epiſcopatus reditus, ex æquo pietati & literis ſanctioribus excolendis & promovendis inſumſit. Inſigne ſeminarium abs ſe inſtructum hæredem reliquit, annulo tantum Fratri ac Nepotibus legato, quo idem à Magno Duce Etruriæ donatus fuerat. Typographiam inſignem exſtruxerat, variarum linguarum characteribus locupletatam impenſis in eandem 70. aureorum millibus. In ſinu tuo magni viri jacturam comploro, meoque dolore tuum etiam intendam. Antiſtites Cameracenſis ac Mechlinenſis ſuos Romam libros miſerunt, ac doctorum hominum judicia expetunt, ac expectant, privatas etiam ad me literas deſtinarunt, qui tamen nondum in partes abii, ſed judicium ſuſtineo. Hæc nova concertatio rumores e lectione libri Cardinalis Sfondrati exortos ſuppresſiſſe videtur in Galliis, uti etiam Romæ deferbuere, ubi nova ſubinde ingruentia negotia priora ſtatim antiquant. Hanc alteram paginam altera die facio, nempe VI. Non. Jul. Heri in Conſiſtorio gratias retuli tuo nomine Eminentisſimo Albano, ob tibi dono miſſas Vaticanas Rafaelis Urbinatis picturas, a P. Bellorio tuo explicatas. Reſpondit: plurimum lætari ſe, quod tam parvo munere

tuo

tuo deſiderio ſatisfecerit. P. Bonjoranum nondum vidi, ut illi epiſtolam tuam traderem; ille in præſentia volumen ſcribit de Ægyptiorum Dynaſtiis, & quidem ingenioſiſſime, rem præſertim chronologicam exequitur, ut annorum ſupputationem aſſerat, in vulgatis Bibliis deſcriptam, contra majorem LXX. Interpretum numerum. Is ſane juvenis totus eſt antiquarius, obſoleta inquirit, ac miro ſtudio vetuſta nomina juxta diverſarum gentium idiomata inflectit, ut quandoque ſtuporem, imo etiam riſum excutiat; eo genio ductus ingenium vexat, in rebus ab hominum memoria remotisſimis. D. Fabrettus editionem Vett. Inſcriptionum promovet, jamque 28. folia typis excuſa ſunt. Prodiit in urbe nuperrime volumen cum titulo: Iſtoria univerſale provata con Monumenti e figurata conſimboli degli Antichi. Autor eſt Franciſcus Blanchinus Veronenſis, e Bibliotheca Cardinalis Ottoboni. Eſt juvenis omnium ſcientiarum peritus, in quo modeſtia cum eruditione decertat. Putasne Morellium ex miris illis viſionibus quidpiam luminis nanciſci poſſe, quo vetera numiſmata illuſtret? Finem ſcripturiendi facio, ſalutem tibi deprecatus. Doleo, quod calculorum dolore macereris: at calculi me quoque premunt, dum expenſæ ſuperant reditus nec paria faciunt. Non ſum tamen in ære alieno, licet in ære tuo ſim, cui ſolvendo nunquam ero. Rideas, per me licet, modo valeas. Romæ die 11 Julii 1697.

Tui amantisſimus

Fr. Henricus Cardinalis
Noris.

MIII.

Literæ AUGUSTI II. Poloniarum Regis, ad LEOPOLDUM Rom. Imperatorem, quibus ipſi ſe in Poloniæ Regem electum eſſe nuntiat, 1697.

Serenisſimo & Potentisſimo Principi, Domino Leopoldo, Dei gratia Electo Romanorum Imperatori tot. tit. Fratri, Cognato & vicino Noſtro Charisſimo &c. Auguſtus ſecundus, eadem gratia Electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ (tot. tit.) ſalutem ac mutui affectus incrementum.

Serenisſime ac Potentisſime Princeps, Frater, Cognate & vicine charisſime.

Quibus officiis & amoris ſtudiis Majeſtatem Veſtram proſequamur, quo minus Eandem latet, eo magis id ipſum, ut pluribus argumentis comprobemus, Nos omnibus ſtimulis invitat; Proinde occaſionem diu exoptatam, quam maxime opportunam ambabus manibus amplectimur, quod in Regem Poloniæ ſuffragiis Reipublicæ hujus legitimis electi ſimus, adeo ut nunc ſolenni Nobis deſtinata legatione in eadem Electione confirmati Diadema Regni accipere properemus. Eſt & illud, quod non ſolummodo Majeſtati Veſtræ hiſce notum facere contendimus, verum ut Ipſi promitteremus, Nos in iisdem pactis fœderibus, religione, vicinitatis & amicitiæ juribus perſtituros eſſe, quæ Noſtri Serenisſimi anteceſſores perpetuo ſervarunt, & Nobis ex ſingulari erga Majeſtatem Veſtram neceſſitudinis vinculo, continuanda majorem

jorem in modum competunt. De cætero Majeſtati Veſtræ omnem incolumitatem in Chriſtiani Orbis ſolatium ex animo apprecantes. Dabantur Tarnowicii die $\frac{15}{25}$, Julii 1697.

Majeſtatis Veſtræ

bonus Frater, Cognatus & Vicinus,

AUGUSTUS, Electus Rex Poloniæ.

MIV.

Reſponſoria LEOPOLDI, Rom. Imperatoris, ad præinſertas AUGUSTI II. Poloniarum Regis literas, 1697.

Leopoldus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus &c. Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi, Domino Auguſto II. Electo Regi Poloniæ &c. &c. Sacri Romani Imperii Archimarſchalco, Electori, Conſanguineo, Fratri ac vicino Noſtro chariſſimo, ſalutem ac mutuam benevolentiam,

Sereniſſime ac Potentiſſime Princeps, Conſanguinee, Frater & vicine chariſſime.

Singulare ſolatium, quod ex prænuntia fama & Legati Conſiliariique Noſtri arcani, Venerabilis Johannis Philippi, Sacri Imperii Principis & Epiſcopi Paſſavienſis, devoti Nobis dilecti, relatione de Serenitatis Veſtræ ad Regium Thronum inclyti Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ

evectione hauſeramus, mirifice adauxerunt Ejusdem Literæ de 25. Menſis Julii noviter elapſi, per Comitem a Zinzendorff Nobis traditæ, quibus Serenitas Veſtra non ſolum peramice Nobis ſignificat, ſe poſt obtentam Electionis Suæ legitimis Illius Reipublicæ ſuffragiis factæ confirmationem ad accipiendum dicti Regni Diadema properare, ſed & præterea ſinceræ amicitiæ & vicinitatis fœderumque & pactorum ſua ex parte religioſe ſervandorum ſtudium Nobis offert. Dum itaque Serenitati Veſtræ hanc eximiam Dignitatis acceſſionem præmiumque virtute & meritis ſuis digniſſimum ex animo gratulamur, idque ut Serenitati Veſtræ inclytoque Regno, reique toti Chriſtianæ felix atque fauſtum, tum inauguratio lætiſſima ſit, enixe vovemus, Serenitatemque Veſtram ſimul certam eſſe cupimus, quod ſicuti propenſam Ipſius in colendis amicitiæ & fœderum olim & recens initorum juribus voluntatem, eo, quo par eſt, mutuæ benevolentiæ affectu accipimus, & in iis, quæ inter majores Noſtros & Serenitatis Veſtræ anteceſſores a ſeculis utriusque partis bono ſemper viguerunt, in Nobis nihil unquam deſiderari paſſi ſumus, ita nec impoſterum erga Serenitatem Veſtram & inclitum illud Regnum quicquam deſiderari patiemur, prout ea prædictum Legatum Noſtrum coram ſuſius proſequi juſſimus. Quapropter ad ipſum Nos referentes, Serenitati Veſtræ longævam incolumitatem, ac ſecundos rerum conſiliorumque eventus ſincero affectu apprecamur. Dabantur in Civitate Noſtra Viennæ die prima Auguſti anno 1697. Regnorumque Noſtrorum Romani

mani, quadrageſimo, Hungarici quadrageſimo tertio, Bohemici vero quadrageſimo primo

Serenitatis Veſtræ

Bonus Conſanguineus, Frater & Vicinus

LEOPOLDUS &c.

V. Sebaſtianus Wunibaldus
Comes a Zeyhl
Lutzo Dolberg.

MV.

Literæ AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad ORDINES REGNI POLONIÆ MAGNIQUE DUCATUS LITHUANIAE, quibus ipſis pro collata ſibi unanimi conſenſu Regia dignitate amantiſſimas agit & habet grates, ſeque privilegia & libertatem eorum ſancte & cum vitæ etiam diſpendio tuiturum pollicetur, 1697.

Auguſtus ſecundus Dei gratia Rex Poloniæ electus, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ &c. &c. &c. Elector &c. &c. &c.

Magnifici, generoſi, ſincere & fideliter Nobis dilecti.

CUi attribuendum? niſi ſupremo Numini, per quod Reges regnant, Nos vocatione divina, non ullo illicito ambitu, ad thronum Regium liberis ſuffragiis Sinceritatum & Fidelitatum Veſtrarum evectos & collocatos eſſe, quando die 29. Junii, Anni præſentis, communi & generali

omnium gentium conſenſu, Rex Poloniæ & Magnus Dux Lithuaniæ aliarumque Provinciarum annexarum per reverendum in Chriſto Patrem, Dominum Epiſcopum Uladislaum &c. nominati ſumus, non poſſunt Nobis niſi tales erga Perſonam Noſtram affectus eſſe grati, qui in Campo Electorali juxta ſonoram nominis Noſtri Præconiſationem nobis evenerunt, jamque Nobis pro tanto affectu nihil reſtat, quam deſudare, circa conſervationem boni publici, ut unio, pax & tranquillitas publica inter Status & Ordines coaleſcant, quibus conatus & curas noſtras Regias impendemus, nihil aliud præ oculis habentes, ſolummodo, ut bene ſit Patriæ Conſervationem Libertatum & jurium, poſt aſſumptum & impoſitum in Nos Patris Patriæ nomen; Appromittentes Nobis ex alto, quod is, qui Nos in hoc ſolio collocavit, feret & ultra opera in amore & affectibus Populi Electoris, ſincere & fideliter dilecti; & quia publicata & relata Nobis denunciatio felicis Electionis Noſtræ per Reverendos Magnificos, ac Generoſos Legatos ex Senatu & Equeſtri Ordine utriusque gentis, quam pleno cordis excepimus affectu, primariam explevimus Legem, facta Profesſione Orthodoxa Romanæ fidei, in præſentia Reverendorum Epiſcoporum & Legatorum ex Senatu & Equeſtri Ordine; juramento etiam approbavimus Pacta conventa, non tranſcendendo Limites Regni, ergo præſenti amore & votis Popu-rum, ex voluntate Reipublicæ, quæ Nos invitavit ad capeſſendum thronum progredimur prope Cracoviam, propter commoditatem Reſidentiæ No-

Noſtræ, auſcultatum a Republica determinatum tempus, non tam aſſiſtenti militiæ Noſtræ affidentes, quam amori & propenſioni Sinceritatum& Fidelitatum Veſtrarum, quam nobis in fulcimentum Electionis ſtatim in craſtino voviſtis & ſpopondiſtis. Certi eſtote, Sinceri & Fideles, quod ea omnia, quæ per magnificum Baronem Flemming, Ablegatum Noſtrum Extraordinarium & Plenipotentiarium propoſita, promiſſa & ſubſcripta ac in Pactis conventis conſtituta, tum juramento illius nomine Noſtro, nunc vero in Perſona Noſtra vivæ vocis oraculo roborata, ſacroſancte manutenebimus. Ut autem Munificentia Noſtra Regia ex amore erga hanc inclytam Rempublicam jam Nobis communem Sinceritatibus & Fidelitatibus Veſtris pateat, illos decem milliones, in exolutionem deſervitæ mercedis Exercitui utriusque gentis, duas Partes Regni, terium vero Magn. Duc. Lithuaniæ, in quantum Nobis & Reipublicæ obedientiam præſtiterint, numerare Noſtris Commiſſariis mandabimus; expedita Leopolim jam ea ſumma, quæ exercitui Regni, pro tempore præfato, juxta compactata cum Magnifico Ablegato Noſtro, appromiſſa eſt, idque in allevationem aggravati Populi per tam diuturnum bellum Turcicum, ad rationem militiæ retentorum ſtipendiorum. Non intermitteremus etiam præſentem Campagniam, citiusque expugnationem Cameneci præſtaremus, quam coronationem, niſi magnæ Intentioni Noſtræ poneret obicem diſunio, quæ in hac Republica, ſub modernis conjuncturis, ex factione Gallica in hoc Regno, in perniciem Reipublicæ accu-

 mul-

mulata, impediviſſet conatus Noſtros, nihil tamen deſiderabilius Nobis pro futura campagnia eveniet, quam præſtare id, quod cum gloria & honore tum Reipublicæ, tum Noſtro conjunctum erit; hoc ſuper omnes convertemus vires, non parcendo ſanguini Noſtro Regio & Impenſis pro bono publico & Pace; ſuperato enim Cameneco certum erit, nihil intentatum relinquemus in pacificanda Republica tam foris quam intra, adverſansque pars ut bonis modis & mediis ad unionem reducatur, deſiderantes ad Sinceritates & Fidelitates Veſtras, ut in præſenti Conventu perſuaſione fraterna ad id allicere velint, ne arma, quæ parant in cognata pectora Perſonæ Noſtræ in hac libera Electione, contra Nos, ſed potius in hoſtem S. Crucis convertant. Nos autem veluti imus vocati libenter in hunc thronum, gratificando affectibus & votis Sinceritatum & Fidelitatum Veſtrarum, declaramus, quod usque ad mortem circa tuitionem omnium immunitatum, libertatumque Patriæ & Perſonarum Sinceritatum & Fidelitatum Veſtrarum Nobis adhærentium viciſſim deſudabimus, quibus prævia teſtificatione gratiæ & munificentiæ Noſtræ Regiæ optimam a Deo precamur valetudinem. Dabantur Tarnowicii, die — Julii, Anno 1697.

Auguſtus II. Rex.

MVI.

Literæ AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad CHRISTIANUM V. Daniæ Regem, cui ſe unanimi Reipublicæ Polonæ, exceptis ſaltem quibusdam refra-

refractariis, applauſu in viduatum Poloniæ ſolium evectum eſſe refert, 1697.

Auguſtus II. Divina favente clementia Electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ &c. &c. Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi, Chriſtiano V. Daniæ & Norwegiæ Regi &c. &c. Salutem ac mutui affectus incrementum!

Sereniſſime & potentisſime Princeps &c.

SUpremæ id Dei optimi maximi adſcribendum providentiæ, ut, qui certantium pro nomine ſuo victorioſis redimit tempora laureis, etiam Regnorum decoret coronis. Nil aliud hoc anno, ut & præteritis magis deſideravimus, quam ut noſtris viribus junctis exercitui Sereniſſimi Romanorum Imperatoris in Hungaria bella Domini gereremus, contra omnes Tauricanæ potentiæ impetus nos opponentes; ſed dum prælia meditamur, ad triumphum non jam hoſtium, ſed animorum noſtris partibus faventium Civium Poloniæ invitamur, ubi liberis illorum ſuffragiis ad deſtinatum cœlitus evocamur thronum. Non renuendum inclytæ illius gentis cenſuimus votis, majorem certandi contra communem Chriſtiani nominis hoſtem habituri commoditatem, in perenne Orbi documentum, quod nihil magis ambiamus, quam ut vitam fortunasque Noſtras majoris gloriæ Dei augmento, Chriſtiani nominis propagationi immolemus. Invitati itaque ab Oratoribus Regni hujus, ingreſſi ſumus Regiam Cracoviæ arcem, in

frequenti qua præſentis Senatus, qua Nobilitatis Comitatu, præfixam Coronationi Noſtræ XV. Septembris expectantes diem. Quam ipſam honoris Noſtri Regii inaugurationem denunciandam Serenitati Veſtræ hujus illigatæ vinculo cenſuimus, ſollicite poſcentes, ut Noſtris favere ſtudiis, adverſumque Nobis Galliæ æmulationem ejusque aſſeclarum molimina juſto inſectari odio dignetur. Profecto Nos amicæ Serenitatis Veſtræ propenſioni pares reponemus vices, omne colligationis & viciniæ bonæ impleturi officium. Valeat Serenitas Veſtra æque incolumis ac fortunata, id ei a ſupremo vovemus Numine. Dabantur in arce Noſtra Cracovienſi die — Auguſti, Anno 1697.

MVII.

Literæ AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad CAROLUM XII. Svecorum Regem, quibus ipſi ſe concordibus maximam partem qua Procerum qua Nobilitatis Poloniæ ſuffragiis in Regem Poloniæ electum eſſe nuntiat, 1697.

Auguſtus II. divina favente clementia Electus Poloniæ Rex, Magnus Dux Lithuaniæ &c. &c. Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi Carolo XII. Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi & Principi Hæreditario, Magno Duci Finlandiæ &c. &c. Fratri, Conſanguineo & vicino Noſtro chariſſimo, ſalutem & mutui affectus incrementum!

Sere-

Sereniſſime & potentiſſime Princeps, Frater, Conſanguinee & vicine chariſſime.

SI quorum divina bonitas, profecto certantium pro gloria ſua prævenit vota & deſideria. Progreſſi ſumus extra limites Saxoniæ, contra communem Chriſtiani nominis in Hungaria decertaturi hoſtem, ſed dum ad certamina paramus dexteram, eam loco ducalis clavæ ſceptris impleri ſentimus, dum ex acie ad thronum, a caſſide ad coronam liberis inclytæ Poloniæ votis evocamur, jamque ab oratoribus Regni hujus invitati, ingreſſi Regiam Cracoviæ arcem deſtinatum Coronationi Noſtræ 15. Sept. labentis anni opperimur diem. Hoc unicum ad complementum ſortis Noſtræ deſideramus, ut Serenitas Veſtra rebus Noſtris bene voveat, amicisque ſtudiis Nos ita proſequatur, ut adverſantem Nobis Galliæ æmulationem juſto inſectetur odio. Quicquid hoc in paſſu benevolentiæ Serenitatis Veſtræ experiemur, in ſtimulum mutuæ propenſionis derivabimus, magnum amicitiæ ex eo habituri documentum &c. Dabantur in arce Noſtra Regia Cracoviæ die — Auguſti, Anno 1697.

Serenitatis Veſtræ

bonus Frater, Conſanguineus & vicinus

Auguſtus II. Electus
Rex Poloniæ.

MVIII.

Litera CAROLI XII. *Svecorum Regis, ad* CORPUS PER SAC. ROM. IMPERIUM EVANGE-

frequentti qua præſentis Senatus, qua Nobilitatis Comitatu, præfixam Coronationi Noſtræ XV. Septembris expectantes diem. Quam ipſam honoris Noſtri Regii inaugurationem denunciandam Serenitati Veſtræ hujus illigatæ vinculo cenſuimus, ſollicite poſcentes, ut Noſtris favere ſtudiis, adverſumque Nobis Galliæ æmulationem ejusque aſſeclarum molimina juſto inſectari odio dignetur. Profecto Nos amicæ Serenitatis Veſtræ propenſioni pares reponemus vices, omne colligationis & viciniæ bonæ impleturi officium. Valeat Serenitas Veſtra æque incolumis ac fortunata, id ei a ſupremo vovemus Numine. Dabantur in arce Noſtra Cracovienſi die — Auguſti, Anno 1697.

MVII.

Literæ AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad CAROLUM XII. Svecorum Regem, quibus ipſi ſe concordibus maximam partem qua Procerum qua Nobilitatis Poloniæ ſuffragiis in Regem Poloniæ electum eſſe nuntiat, 1697.

Auguſtus II. divina favente clementia Electus Poloniæ Rex, Magnus Dux Lithuaniæ &c. &c. Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi Carolo XII. Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi & Principi Hæreditario, Magno Duci Finlandiæ &c. &c. Fratri, Conſanguineo & vicino Noſtro chariſſimo, ſalutem & mutui affectus incrementum!

Sere-

Sereniſſime & potentiſſime Princeps, Frater, Conſanguinee & vicine chariſſime.

SI quorum divina bonitas, profecto certantium pro gloria ſua prævenit vota & deſideria. Progreſſi ſumus extra limites Saxoniæ, contra communem Chriſtiani nominis in Hungaria decertaturi hoſtem, ſed dum ad certamina paramus dexteram, eam loco ducalis clavæ ſceptris impleri ſentimus, dum ex acie ad thronum, a caſſide ad coronam liberis inclytæ Poloniæ votis evocamur, jamque ab oratoribus Regni hujus invitati, ingreſſi Regiam Cracoviæ arcem deſtinatum Coronationi Noſtræ 15. Sept. labentis anni opperimur diem. Hoc unicum ad complementum ſortis Noſtræ deſideramus, ut Serenitas Veſtra rebus Noſtris bene voveat, amicisque ſtudiis Nos ita proſequatur, ut adverſantem Nobis Galliæ æmulationem juſto inſectetur odio. Quicquid hoc in paſſu benevolentiæ Serenitatis Veſtræ experiemur, in ſtimulum mutuæ propenſionis derivabimus, magnum amicitiæ ex eo habituri documentum &c. Dabantur in arce Noſtra Regia Cracoviæ die — Auguſti, Anno 1697.

Serenitatis Veſtræ

bonus Frater, Conſanguineus & vicinus

Auguſtus II. Electus
Rex Poloniæ.

MVIII.

Litera CAROLI *XII. Svecorum Regis, ad* CORPUS PER SAC. ROM. IMPERIUM EVANGE-

GELICUM, quibus ſe incolumitati Religionis Evangelicæ in præſenti Pacis tractatu ſollicite proſpecturum pollicetur, 1697.

Carolus Dei gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Eſthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ, necnon Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux, Salutem ac Propenſionem noſtram ſingularem!

Admodum Reverendi, Illuſtres, Generoſi, Magnifici, Nobiles & Spectabiles, Nobis ſincere dilecti,

PErvenerunt ad Nos Literæ Voſtræ die 31. Maji, Anni currentis, quibus nomine Dominorum ac Superiorum Veſtrorum Auguſtanæ Confeſſioni addictorum requiritis a Nobis, ut circa Pacis Tractatum, ſub mediatione Noſtra cœptum, Evangelicæ quoque rei, varia & gravia hactenus incommoda ac damna contra pacta publica perpeſſæ, ita proſpiciatur ac conſulatur, quo in rebus eccleſiaſticis ac univerſo Religionis Evangelicæ negotio, omnia & ſingula in eum, qui tempore publicatæ Pacis Weſtphalicæ erat, aut eſſe certe debebat, ſtatum, reſtituantur, quem in finem iisdem literis Veſtris quædam Nobis exhibentur, quæ Domini ac ſuperiores Veſtri conceptis Verbis pacis futuræ Tabulis inſeri deſiderant. Grata Nobis eſt, maximeque laudanda hæc illorum ſollicitudo de Religionis ſalutiferæ incolumitate tuenda, quæ & Nobis tan-

tanto magis curæ cordique eſt, quod glorioſiſſimi Majores Noſtri, Regnique anteceſſores divinæ veritatis reverentia & amore adducti, eidem aſſerendæ non opes modo ſuas, & immenſos labores, ſed & vitam ſanguinemque impenderunt, donec Pacis Weſtphalicæ beneficio Auguſtanæ Confeſſionis Conſortibus ea conſtituta ſunt ſecuritatis munimenta ac præſidia, quæ ſine publicæ ſalutis everſione convelli ac reſcindi non poſſunt. Memores igitur muneris à Divis Prædeceſſoribus Noſtris Nobis traditi, quo Pacis Weſtphalicæ ſponſores ſumus ac vindices, non modo Legationi Noſtræ in conciliandæ Pace partes Noſtras nunc obeunti, in mandatis damus, ut quatenus id pertinet ad pacificationis præſentis negotium, & rerum nunc pertractandarum indolem, Evangelicæ rei condigna habeatur ratio, ſed & operam porro dabimus, ut quæ in detrimentum Ejusdem per injuriam temporum hactenus irrepſerunt noxæ, a Pace Weſtphalica deviæ, ad normam formamque Ejus reſarciantur, quæque ex legibus Ejus nondum debitum ſortita ſunt effectum, omni meliori modo præſtentur & explicantur, freti divino auxilio & pactorum publicorum non temeranda fide, conſtanti præterea & magnanima cooperatione Dominorum Electorum, Principum ac Statuum Imperii, quorum æque ac Noſtra intereſt, ne quid res Evangelica detrimenti capiat. De cætero Vobis propenſione ac benevolentia Regia manemus faventisſimi, Divinæ tutelæ Vos etiam atque etiam commendantes. Dabantur in Carlberg die 17. Menſis Auguſti, Anno

no Chriſtiano 1697. Nomine altiſsime memoratæ Sacræ Regiæ Majeſtatis reſpective Domini Nepotis noſtri chariſsimi, ut & Regis & Domini Noſtri clementiſsimi

HEDWIG ELEONORA,
Regina Sveciæ.
Benedictus Oxenſtiern.
G. F. Güldenſtiern.
Fabian Wrede.
Nicolaus Güldenſtolp.
L. Wallenſtedt.

MIX.

Litera MICHAELIS RADZIEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad FRIDERICUM III. Electorem Brandenburgicum, quibus candidi legum patriarum & libertatis vindicis ſpeciem præ ſe ferens obnixe ab eo contendit, velit Regno Poloniæ ad ſummum exitum ruenti confeſtim ſuppetias ire, 1697.

Sereniſsime Princeps Elector.

Dolendum acerbumque Nobis accidit, quod præclari conatus Serenitatis Veſtræ in concilianda Regni Noſtri tranquillitate non illum ſint effectum ſortiti, quem optabamus univerſi. Nam per calcata omnia Cardinalia Libertatum Noſtrarum jura, Sereniſsimus Elector Saxoniæ & præcipiti magis, quam prudenti conſilio concivium Noſtrorum, ſpreta mediatione & facta declaratio-

tione per Plenipotentiarios, neque tamen poſtea ſervata, ad Regni ſolium die 15ta præſentis evaſit, Coronamque Regiam effracto arcis Cracovienſis Theſauro inſolita praxi uſurpavit, ideoque totum boni publici tractatum vel confudit vel abrupit. Omnium enim animos, quos jam præcipuus Serenitatis Veſtræ reſpectus per ſuum Legatum ad Concordiæ media reflexerat, ita præcipitata nuper coronatio irritavit, ut tota quanta Nobilitas ubique fremere, & nil niſi vindicias ultionemq; ſpirare videatur. Nobis in tam acerbo rerum articulo & belli civilis conſpiratione aperta illud occurrit imprimis, quod in omnium Regnorum quotidiano uſu verſatur, ut ad Serenitatem Veſtram tanquam præcipuum, imo unicum Mediatorem recurramus, ut Nobis Serenitas Veſtra & ex jure ſuſceptæ mediationis, & ex conſtantisſima ſemper in hanc Rempublicam benevolentia dignetur asſiſtere, ut totam gloriam pacificati Regni Noſtri non alteri, niſi Serenitati Veſtræ omnium retro temporum debeat recordatio. Non poteſt Serenitas Veſtra glorioſius vires ſuas impendere, quam ſi noſtram ſimul ſuam ſecuritatem illæſam, integram ſervarent. Profecto enim dum proximus ardet Ucalegon, plerumque vicinis ædibus diſcrimen ſolet imminere. Nolumus exaggerare, per quos gradus oppreſſæ Libertatis ad Regnum penetraverit Sereniſſimus Elector Saxoniæ. Jam enim hæc Serenitati Veſtræ conſtant, quæ tamen novisſime contigerunt & totam Nobilitatem ad arma accinxerunt, ſilere non poſſumus.

Ni-

Nimirum parum fuit Sereniſſimo Electori Saxoniæ contra Jura Regnorum, fines Poloniæ armata vi ſupergredi, parum Cracovienſem Regiam violenter occupare, parum Mediationem Serenitatis Veſtræ & Noſtram ad concordiæ media inclinationem ſpernere, adjecit majora violentæ oppreſſionis documenta, quando Theſaurum Regni, in quo Corona & ſceptrum ſervabatur, contra jus & fas effregit, aliquot millia armatorum Proszeviciorum, ubi in Palatinatu Cracovienſi concurrentis ex præcepto legum nobilitatis conſilia peragebantur, ſubordinari voluit, ad opprimendam vocem eorum liberam, qui ad comitiola confluxerunt. Graviſſimum hoc & nulla ratione ferendum vulnus Nobilitati Polonæ videtur, quæ ſe meminit hucusque majoris potentiæ jugum excuſſiſſe. Nos tamen, quibus ex officio incumbit moderari Rempublicam & procellas tempeſtive prævidere, iterum iterumque Serenitatem Veſtram precamur, tanquam Mediatorem præcipuum, ut dignetur Nobis in tam difficili & inſperato caſu opem ſuam ferre, quod fuſius generoſus Petrus Zworziansky, uti oculatus ſpectator & actor (Mareſchallum enim horum egit, qui ſoli avitæ ſtudent libertati) Serenitati Veſtræ nomine Noſtro referet, ſuppetiasque cadenti & plane emorienti libertati petet. Cui ut benevolam aurem plenamque fidem Serenitas Veſtra dare velit, enixe petimus, plurimum confidentes Serenitatis Veſtræ benevolentiæ, pronoque ad ſalvandam libertatem animo, cui proſperrima quæ-
que

que precantes manemus &c. Dabantur Warſaviæ 19. Sept. 1697.

Michael Cardinalis Primas
Radziejowski,
&
Mareſcallus Ordinis Equeſtris.

MX.

Breve INNOCENTII PAPAE XII. ad AUGUSTUM II. Poloniæ Regem, quo ſe nuntium, quod repudiatis Auguſtanæ Confeſſionis dogmatibus ſacra Catholicorum amplexus ſit, effuſiſſima in gaudium mente accepiſſe refert, 1697.

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro, Auguſto II. Poloniæ Regi.

Innocentius Papa XII.

CHariſſime in Chriſto Fili noſter. Paterno Apoſtolicæ charitatis incenſi zelo atque animo exultantes occurrimus in amplexum Majeſtatis Tuæ, quæ ſuperno lumine ducta, in portum ſe recepit ſalutis, nec ſane lacrymas cohibere poſſumus, cogitantes ætatem noſtram ab Autore bonorum omnium Deo uſque adeo protractam, ut viderent oculi noſtri ſemitas Veritatis tenentem, adeoque Pontificiæ noſtræ dilectionis in ſinum merito excipere valeremus. Cum enim accedat quodcunque terrenæ dignitatis faſtigium, hæreditas præclara nimis, quam conſtituit Deus inquirentibus ſe, inde potiſſimum ducendum eſſe arbitramur ſinceræ noſtræ gratulatio-

nis officium; unde tibi factum eſſe agnoſcimus veræ ac terrenæ felicitatis auſpicium. Satis proinde aſſequi verbis non poſſumus, quo gaudio affecti fuimus, ubi primum vel ipſo rumore publico nunciante accepimus, te ejuratis Hæreticæ pravitatis erroribus Orthodoxæ fidei profesſionem in manibus Venerabilis Fratris Chriſtiani Auguſti Epiſcopi Jaurinenſis, Conſanguinei tui, cujus jam pridem zelum catholico Antiſtite dignum, prope agnoverimus, emiſiſſe, quam quidem lætitiam ea deinde plene cumularunt, quæ ad voluntatis tuæ in eodem propoſito firmitatem magis magisque ſignificandam a te peracta fuiſſe intelleximus. Addiderunt luculentum hujus rei teſtimonium, literæ a Dilecto Filio Barone de Lega nobis redditæ, ac pro ea, qua pollet in rebus agendis, prudentia, explicatæ, in quibus nihil omittit, quod ad declarandam filialem tuam erga hanc ſanctam Sedem, noſque ipſos obſervantiam ac devotionem pertineat, ex quibus omnibus certam in ſpem adducimur, ſplendidisſimam Polonici Regni coronam, æternæ ſapientiæ conſilio tuo capiti ideo fuiſſe impoſitam, ut tu Catholicæ fidei, cujus modo profeſſor agnoſceris, non multo poſt vindex, & aſſertor egregius evaderes. Age igitur, Charisſime in Chriſto Fili noſter, opportunitatem benemerendi de re Chriſtiana ita arripe, ut ſpectata dudum bello virtus tua ſtrenuis ac fidelibus populis incitamento ſit, & exemplo ad profligandum immanisſimum Chriſtiani nominis hoſtem, ac proinde ad comparandos nomini tuo triumphos in terris, qui ſunt

velu-

veluti additamentum eorum, quos in cœlis ob reportatam de te ipſo victoriam te jam eſſe aſſecutum in Domino confidimus. Interim, ut læta tibi, ac proſpera cuncta contingant, enixis a Deo Optimo Maximo precibus expoſcimus, ac Majeſtatis Tuæ Apoſtolicam benedictionem amantisſime impertimur. Dabantur Romæ Anno 1697.

MXI.

Literæ AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad INNOCENTIUM PAPAM XII. quibus ipſi impoſitum ſibi ſuetis Ceremoniis Regni Poloniæ Coronam eſſe nuntiat, ſuumque ad S. Sedem Legatum, ut perſonam omni fide dignam ſedulo commendat, 1697.

Beatisſime Pater.

PRioribus meis, ſtatim ac legitime evocatus fui ad hujus Poloniæ Regni faſtigium, nunciavi hoc idem pro meo debito Beatitudini Veſtræ, de cujus Paterna benevolentia mihi polliceor, ut quæ de primo eodemque ſucceſſu gaviſa eſt, pari clementia exceptura ſit præſens hoc meum officium, quo Sanctitatem Veſtram certiorem facio de tradita mihi, ſuſcepto prius per manus venerabilis Epiſcopi Cracovienſis Confirmationis ſacramento, ejusdem Regni Corona ſolenni ritu in Eccleſia Cathedrali hujus Civitatis, ſervatis omnibus ſacris & politicis Ceremoniis, quæ ad præſcriptum legum politicarum, pro inauguratione hujusmodi celebranda adimpleri conſueverunt. Teſtabitur hæc meo nomine Sanctitati Veſtræ Illuſtrisſimus & Re-

Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Barberinus, hujus Regni mei Protector, ad quem me refero, ratione proxime hinc diſceſſuri Comitis Dirduzicki, Staroſtæ inZydaczewo, qui expreſſe ablegatus a me Romam in hunc finem, ad Beatitudinem Veſtram de filiali meo erga Ipſam & ſanctam ſedem Apoſtolicam obſequio informet, certamque reddat, nunquam me partibus meis defuturum, in his præſertim, quæ veræ Religionis conſervationem & incrementum concernunt, præeunte ſalutaribus ſuis monitis veſtra Beatitudine, quam, ut eundem ablegatum meum benigne excipere & audire dignetur, prævia requiſitione efflagito, Ejusque pedibus provolutus proſpera quæque in ſeros annos ex animo voveo. Datum in Civitate Noſtra Cracovienſi 29. Sept. Anno 1697.

Sanctitatis Veſtræ

obſequentiſſimus Filius

AUGUSTUS REX.

MXII.

Breve INNOCENTII PAPAE *XII. quo ad præinſertas* AUGUSTI *II. Poloniæ Regis, literas reſpondet, 1698.*

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

Innocentius Papa XII.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex iis, quæ dilectus Filius Nobilis vir, Comes Georgius Dirduszicki,

zicki, Ablegatus Majeſtatis Tuæ, dum tuas Nobis literas redderet, deque ſolenniter impoſito Regio Capiti tuo Polonici Regni diademate certiores faceret, viva voce diſerte ac luculenter expoſuit, gaudium profectò Noſtrum, cujus tu pridem auctor fuiſti, usque adeo exuberavit, ut nequaquam liberum Nobis fuerit ejus magnitudinem intra præcordia Noſtra concludere. Palam itaque earundem literarum teſtimonia in exultatione vocis annunciavimus, miſericordias Domini, qui mentem tuam charitatis ardore ita incendit, ut jam in catholicæ fidei agnitione iis omnibus, quibus autoritate præficeris, tuo exemplo prodeſſe exoptes. Ut autem tam eximio pioque voto, in quod unum quam maxime deſideria Noſtra conſpirant, annuat Deus, cujus bonitatis non eſt finis, ipſum humiliter deprecari nunquam intermittemus. Dum interim lætum fauſtumque iſtius Regni Dominium ac Regimen, proſperos demum pro re Chriſtiana eventus auſpicamur, Majeſtati Tuæ, Apoſtolicam benedictionem amantisſime impertimur. Datum Romæ die 22. Febr. Anno 1698.

MXIII.

Literæ AUGUSTI II. Poloniarum Regis, ad CASIMIRUM SAPIEHAM, Palatinum Vilnenſem, quem eximiis mactat laudibus, quod ſera quidem, aſt ſeria promptitudine in partes ſuas tranſiverit, 1697.

Publicis circa actum felicis inaugurationis noſtræ perfuncti votis, ſingularem lætitiæ acceſſum ex

literis Sinceritatis Veſtræ percepimus, quibus prout fidelem devotionis ſuæ erga nos cultum pro exemplo cæteris imitando Sinceritas Veſtra ductu ſuo monſtrare videtur, ita reſolutum ejusdem animum, tanquam boni Nuntii prodromum, reliquos pari ſtudio ſecuturos minime ambigimus, adeoque pergratum nobis accidit, hæc a fido pectore Sinceritatis Veſtræ proceſſiſſe, de cujus integritate & probata ſemper in Principes fide rectoque erga nosmet ipſos benevolentiæ ſenſu nequaquam dubitavimus, ſerâ quidem non tamen minus ſeria ad miniſteria publica promptitudine, coadunatis in fundamento legum Patriarum civium aliorum animis Sinceritatem Veſtram tanto magis accedere gaudemus; quanto diligentiori cura pacificum ingreſſum noſtrum exhibere, antiquas Regni hujus libertates augere, & optatam inter proceres concordiam ſub regimine noſtro promovere contendimus. Proinde perſuaſum ſibi habeat Sinceritas Veſtra nos tam illam ipſam, quam omnes ejusdem ſequaces non diſſimili recepturos affectu, quo gratam liberrimæ gentis voluntatem collatorumque in nos ſuffragiorum, momenta perpetua recordatione æſtimare poſſimus, totas vires, ubicunque belli rationes poſtulaverint, in Conſervationem inclytæ hujus Reipubl. ornamentumque benemeritorum Civium libenter profuſuri. Id Sinceritati Veſtræ, id reliquis, bono conſtantique animo pollicentes, eidem fauſtam optamus valetudinem. Dabantur Cracoviæ die 26. Dec. Anno 1697.

MXIV.

MXIV.

Literæ credentiales, quas LOTHARIUS FRANCISCUS, Elector Moguntinus, Johanni Philippo Lib. Bar. a Schönborn, Ablegato ſuo extraordinario ad LUDOVICUM XIV. Galliarum Regem dedit, 1697.

Sereniſſime ac Potentisſime Rex, Chriſtianisſime Domine & Amice obſervantisſime.

QUandoquidem ſancita nunc inter Chriſtiani orbis Potentias pace univerſali, mihi incumbat Regiæ Majeſtati non tantum deſuper, ſed & ob Primogeniti Regii ſui Nepotis Sereniſſimi Burgundiæ Ducis cum moderni Sabaudiæ Ducis Sereniſſima filia matrimonium nuper contractum, pro ea, qua in Regiam Majeſtatem Veſtram feror obſervantia, plurimum & animitus gratulari. Hinc omnino neceſſarium duxi, ſinceram animi mei declarationem per Illuſtriſſimum Johannem Philippum liberum Baronem de Schönborn, Dominum in Reichelsberg, Eccleſiarum Metropolitanæ hujus meæ & Cathedralis Herbipolenſis Canonicum uberius explicare: Regiam Majeſtatem Veſtram impenſe rogans, ut benignas Ipſi aures præbere, fidemque plenam in his, quæ meo nomine exponet, potisſimum autem dum Regiam Majeſtatem Veſtram de promptiſſimis meis in Eandem obſequiorum ſtudiis certiorem fecerit, adhibere dignari velit; Cujus me benigniſſimo affectui commendo & maneo &c. Dabantur Moguntiæ, Anno 1697.

MXV.

Literæ AUGUSTI II, Poloniæ Regis, ad MICHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, quibus valde ſibi gratum fuiſſe nuntium de prona ipſius ad reconciliationem mente aſſerit, fidemque Epiſcopo Jaurinenſi, in omnibus quæ ſuo nomine prolaturus ſit, haberi amanter deſiderat, 1698.

Auguſtus Secundus, Dei gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Schmolenſciæ, Severiæ, Czernichoviæque &c. Hæreditarius Dux Saxoniæ, Princeps & Elector &c. &c. Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo in Chriſto Patri, Domino Michaeli, Sacræ Rom. Ecc. Cardinali Radziejowski, Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, Regni Noſtri Primati, primoque Principi, Cognato Noſtro Chariſſimo & honorando, ſalutem felicitatisque incrementum.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime in Chriſto Pater, Cognate Noſter Chariſſime & Honorande!

Nihil obtigit carius Nuntio, quem Nobis illuſtris Magnificus Overbeck, Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Legatus detulit, eo Illuſtritatis Veſtræ omnes niti curas & ſtudia, ut omnia internis motibus feſſa, in exoptata reponi valeant quiete. Exortam hinc ſolatii noſtri tacere nequimus copiam, quia

quin eam cum obligatione Noſtræ propenſionis, & optimi in Illuſtritatem Veſtram ſtudii exprimamus, cujus ut manifeſtiora illuſtritas Veſtra in aperto habeat documenta, commiſimus Illuſtriſſimo Principi Epiſcopo Jaurinenſi, Conſanguineo Noſtro, ut Noſtram in eum reconditam hactenus intra præcordia animi Noſtri fuſius ore exprimeret inclinationem. Quod dum eo libentius facimus, quo ferventius commodis Regni hujus proſpicere intendimus, ab Illuſtritate Veſtra poſcendum duximus, ut per amorem Patriæ, & quicquid in ea eorum eſſe poteſt, ita ſtudia ſua Illuſtritas Veſtra moderari velit, ut publica omnibus ſalus & quies redeat, ingens præſentibus & ſucceſſuris ætatibus additura momentum: optimam interim Illuſtritati Veſtræ vovemus incolumitatem, vel maximo exæſtuantes obtutu ejus fruendi deſiderio. Dabantur in Arce Noſtra Warſavienſi, die 22. Menſis Januarii, Anno 1698. Regni Noſtri I.

Auguſtus II.

MXVI.

Reſponſoria MICHAELIS RADZIEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad præinſertas AUGUSTI II. Regis Poloniæ literas, 1698.

Sacra Regia Majeſtas, &c.

HOc idem, quod Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Legatus Majeſtati Veſtræ detulerat, proximus ſanguis, Sereniſſimus ac Reverendiſſimus Princeps Jaurenſis Epiſcopus, confidentius confirmavit: ſummum Pacis ac tranquilitatis pu-

blicæ deſiderium erga Majeſtatem Veſtram illam venerationem, ac obſequium, quod non ducalibus modo, ſed & Imperialibus Coronis decoro Nomini, ab orbe unverſo jure merito exigitur, ſed ut illud diſtinctius a me, uti Primate Gentis, quæ hunc ſolum, quem liberis ſuffragiis genuit, adorare conſuevit, ſpectetur, in eo omne ſtudium meum, nec impigri erunt conatus, ut nec ego ad oſculum manus Majeſtatis Veſtræ præcociter accedens, corrigendum aliquid in juribus ac libertatibus relinquam, nec Majeſtas Veſtra aliquid adhuc poſt acceſſum deſiderari ad integram quietem ſuſpiret. Explorabuntur propediem Nobilitatis ſenſus, in unum labium coadunandi, ad quem finem una cum conſilio indicemus congreſſum Generalem Lovicii die 18. Februarii, ad quem Majeſtas veſtra Commiſſarios ſuos expedire non dedignetur, eo vel maxime, ut, quod præceps obſequium, ad ſcandalum confudit, victrix patientia ad gloriam reſtauret. Humillima interim Majeſtati Veſtræ inclinor veneratione. Dabantur Squiernieciis die 24. Januarii Anno 1698.

MXVII.

Breve INNOCENTII PAPAE XII. ad MICHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, quibus ipſi ob confirmandam Poloniæ tranquillitatem, quæ ſibi ſemper curæ cordique eſſet, Nuntium a ſe extraordinarium illuc miſſum eſſe refert, 1698.

Innocentius Papa XII.

Dilecte in Christo fili Noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pontificiæ ſollicitudi-

tudinis, cui profecto deeſſe non poſſumus, partes eſſe ducimus, non modo omnimodo inclytæ iſtius Regni tranquillitati proſpicere, ſed ea potiſſimum ſedulo curare, quæ ad tuendum atque amplificandum Catholicæ Religionis cultum opportuna aut neceſſaria in præſenti rerum ſtatu arbitramur. Quo vero clarius innoteſcat, id a Nobis tota animi Noſtri contentione exoptari, extraordinarium etiam iſthuc Nuntium ablegandum eſſe decrevimus, quod munus Venerabili Fratri Fabricio Epiſcopo Ferrarienſi ob perſpectas generis ac virtutum dotes demandavimus. Hæc autem omnia, multa cum Paternæ Noſtræ benevolentiæ ſignificatione ad te deferimus, non tam ad explicandum tibi in ſinceritate cordis conſilium noſtrum, quam ut inde quaſi ſtimulos perſpectæ tuæ pietati eximioque zelo adderemus, ad conferenda in hunc ſcopum ſtudia, opemque tuam, cum præcipue eidem Venerabili Fratri injunxerimus, ut in iis, quæ aget, negotiis debitam ſemper dignitatis ac Jurium tuorum rationem habere non omittat. Quanta autem laudis acceſſio eximiæ tuæ prudentiæ proventura ſit, ubi compoſitis tuo etiam ſtudio, ſi quæ forte ſuperſunt, diſſidiis, cogitationes omnes ac vires ſtrenuæ iſtius Nationis in communem cauſam conſpirent, cum ſatis compertum eſſe ſciamus, pluribus exponere, ſuperſedemus, dum tibi, dilecte fili Noſter, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo piſcatoris die 22. Januarii Anno 1698. Pontificatus Noſtri anno ſeptimo.

MXVIII.

MXVIII.

Literæ GVILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad CAROLUM XII. Sveciæ Regem, cui magnopere gratulatur, quod avita ſceptra manu ſua regenda ipſe ſuſceperit, 1698.

Gvilielmus III. Dei gratia, Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, fidei Defenſor &c. Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi Domino Carolo, eadem gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, Fratri conſanguineo, & Amico noſtro Chariſſimo ſalutem.

Sereniſſime ac Potentiſſime Princeps, Frater Conſanguinee & Amice Chariſſime,

HAud mediocri voluptate Nos affecere literæ Majeſtatis Veſtræ, die primo Menſis Decembris ultimi Stockholmiæ datæ, cum ex iis intelleximus non ſolum unanimi Ordinum Regni conſenſu, ſed & ſummo ſubditorum omnium gaudio & applauſu publico, avita ſceptra manu ſua regenda ipſam ſuſcepiſſe, quod teſtimonium præclarum ingenii illa ætate ſublimis & ad Imperium non nati tantum, ſed & facti Majeſtati Veſtræ magnopere gratulamur, & ut felix fauſtumque ſit, tam ipſi quam populo Svecico exoptamus. Amicitiam integerrimam, arctamque neceſſitudinem Nos inter & Majeſtatis Veſtræ Patrem feliciſſimæ memoriæ Principem, quam magni ſemper fecimus, Majeſtatem Veſtram probe intelligere gaudemus, nec minor eſt, quam cum ipſa habituros nos ſperamus;

Cum

Cum illa, quam cum Patre habuimus, in ipſam jure quodam hæreditario derivata, addito etiam Majeſtatis Veſtræ in nos benevolentiæ cumulo, plurimum aucta ex parte noſtra creverit, unde omnia ſinceri affectus officia & optimæ voluntatis effectus, prout res tempusque poſtulaverint, a nobis expectare ſibique ſpondere debebit Majeſtas Veſtra, quibus ipſam pro æquitate & prudentia ſua reſponſuram non dubitamus. Quod ſupereſt Majeſtatem Veſtram divini Numinis Tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Aula Noſtra Kenſingthon die 23. Jan. 1698. Regni noſtri nono.

Majeſtatis Veſtræ

Bonus Frater, Conſanguineus & Amicus

GVILIELMUS Rex.

James. Vernon.

MXIX.

Breve INNOCENTII PAPAE XII. *ad* EPISCOPUM CUJAVIENSEM, *quo ipſi gaudium de compoſitis Regem & quosdam refractarios inter disſidiis conceptum teſtatur, & Nuntium ſuum quamprimum in Polonia adſore refert, 1698.*

Innocentius Papa XII.

VEnerabilis frater ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Gravi ac moleſtæ curæ, qua nonnulla ante, pro injuncto Nobis munere premebamur, metuentes, ne detrimentum aliquod ex diſſidiis, quæ iſthic ſuboriri videbantur, occaſio-

ſione inaugurandi novi Regis Catholicæ Religioni obveniret, ſpes ſane læta ſucceſſit, ubi intelleximus chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Auguſtum Poloniæ Regem Illuſtrem ejusdem Catholicæ Religionis, cui ejuratis pridem hæreticæ pravitatis erroribus ſolenni profeſſione ſe obſtrinxerat, zelum ubiq; inditum perhibere, Nos itaque prout Fraternitati tuæ jam innotuerit, non modo Regis literis filiali prorſus in hanc Sacram Sedem, Nosque ipſos obſervantia refertis Paternæ Noſtræ benevolentiæ reſponſione effuſique gaudii ſignificatione mutua officia exhibuimus, ſed quo ſplendidiora Pontificiæ charitatis ipſi Regi præberemus argumenta; Extraordinarium quoque Nuntium, qui indies aderit, iſthuc duximus ablegandum. Cæterum eam de tuæ pietatis præſtantia gerimus opinionem, ut Nobis plane polliceamur, te conſilio & ope tua in iis, quæ divini cultus iſtis in Regionibus incrementum reſpicient, nullatenus eſſe defuturum, dum Fraternitati tuæ Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 8. Februarii Anno 1698.

MXX.

Breve INNOCENTII PAPAE XII. ad CHRISTIANUM AUGUSTUM, Epiſcopum Jaurinenſem, quibus infucatam ipſius erga S. Rom. Sedem obedientiam multis laudibus extollit, eumque Nuntio ſuo proxime in Poloniam venturo adjumento eſſe petit, 1698.

Vene-

Venerabili Fratri Chriſtiano Auguſto, Epiſcopo Jaurinenſi.

INNOCENTIUS Papa XII.

VEnerabilis Frater. Cum ea, quæ Fraternitas Tua indefeſſo catholicæ religionis & conſtanti pietate egit, atq; in præſens agere non omittit, cognita admodum Nobis, ac per ſe tam præclara ſint, ut nec ab animo Noſtro, nec a piorum hominum memoria facile excidere poſſint, merito confidimus nullas etiam de cætero occaſiones tibi oblatas in filialis tuæ erga Sacram Sedem obſervantiæ declarationem, quin eas protinus & alacri, prout ſoles, animo amplectaris. Ad obeundum itaq; Extraordinarii Nuntii munus apud Chariſſimum in Chriſto filium Noſtrum Auguſtum Poloniæ Regem, cum iſthuc a Nobis allegetur Venerabilis Frater Fabricius Epiſcopus Ferrarienſis, quem non modo generis præſtantia, ſed eximia virtutum decora ſpectabilem reddunt, eidem injunximus, ut explicata tibi Paternæ Noſtræ Charitatis magnitudine, prudentiæ tuæ, ubi opus fuerit, conſilio potiſſimum innitatur, merito confidentes, te ſpei, quam in tua probitate conſtituimus, nullatenus defuturum eſſe, ac tibi venerabilis Frater, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ die 8. Febr. Anno 1698.

MXXI.

Breve INNOCENTII PAPÆ XII. ad AUGUSTUM II. Poloniæ Regem, quibus Fabricio, Epiſcopo Ferrarienſi, Nuncio ſuo extraordinario, fidem in omnibus, quæ ſuo nomine prolaturus ſit, adhiberi petit, 1698.

Cha-

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Auguſto Poloniæ Regi illuſtri

INNOCENTIUS Papa XII.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter. Præclarum adeo Pontificiæ Noſtræ charitati augmentum lætitiæ fuit felix Majeſtatis tuæ ad Regale Poloniæ ſolium evectio, ſimulque præſtita per Te Apoſtolicæ huic ſedi, Nobisque ipſis filialis obſervantia, ut quamvis ingens gaudium, quod inde hauſimus congruis ſignificationibus teſtatum tibi facere non omiſerimus, illud ipſum tamen per Venerabilem Fratrem Fabricium Epiſcopum Ferrarienſem, cui ob eximias generis & animi dotes extraordinarii ad Te Nuntii munus demandavimus, luculentius declarandum Tibi eſſe duximus; ab illo itaque fuſius intelliges non modo Paternæ Noſtræ benevolentiæ magnitudinem, ſed ulterius quam firmam in Deo ſpem conſtituamus, fore ut conſtans & egregium tuum de Catholica Religione benemerendi propoſitum indies magis augeatur. Cætera diſerte explicabit memoratus Venerabilis Frater, cui Noſtro nomine, quæ in mandatis habet exponenti, faciles ac benignas aures te præbiturum eſſe plane Nobis pollicemur. Interim Majeſtati tuæ felices rerum eventus jugibus precibus a Deo precamur & Apoſtolicam benedictionem amantisſime impertimur. Datum Romæ Anno 1698.

MXXII.

Literæ GVILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad LEOPOLDUM, Rom. Imperatorem

rem, quibus ipſi Turcas ad pacem, quod ex adjectis liqueret conditionibus, valde pronos eſſe refert, ſuamque eo in negotio mediationem offert, 1698.

Gvilielmus III. Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, Fidei Defenſor, Sereniſſimo, Potentiſſimo & invictiſſimo Principi & Domino, Domino LEOPOLDO, Divina favente clementia electo Romanorum Imperatori, ſemper Auguſto, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ Croatiæ, Sclavoniæ Regi, Archi-Duci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Virtembergæ, Marchioni Moraviæ, Duci Lucemburgiæ, ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Comiti Habsburgi & Tyrolis, Fratri conſanguineo & amico Noſtro chariſſimo ſalutem perpetuamque felicitatem.

Sereniſſime, Potentiſſime ac Invictiſſime Princeps, Frater, conſanguinee & amice chariſſime.

CUm omnes ſincerum animi Noſtri in Majeſtatem Veſtram Cæſaream affectum & in commoda Imperii Germanici ſtudium ſingulare teſtandi occaſiones accipere cupiamus, omnibusque ad eadem procuranda & promovenda officiis Noſtris uti parati ſumus, cumque pace æquis conditionibus cum Turcis ineunda tam honori & incolumitati Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ, quam Imperii emolumentis conſultum iri exiſtimemus, ea mente mediationem Noſtram aliquo abhinc tempore per

Nobiliſſimum virum Dominum de Paget, Legatum Noſtrum Conſtantinopoli Reſidentem, aulæ illi obtulimus, quam illis gratam & acceptam eſſe tam ex literis Legati Noſtri prædicti, die 23. Menſis Januarii proxime elapſi Adrianopoli datis, quam ex aliis ab ipſo Vizirio ad Nos ſcriptis, una cum pacis conditionibus ex parte Turcarum propoſitis, cum Manifeſtum ſit literarum iſtarum & conditionum exemplaria nondum innotuiſſe ad Majeſtatem Veſtram Cæſaream per Legati Noſtri prædicti Secretarium, qui chartas ipſas ad Nos pertulit, quantocius transmittenda duximus. Et cum pacis conditiones a Turcis propoſitæ, & quæ per colloquium per Legatum Noſtrum & Vezirum ea de re ventilata ſunt, quibus quantum a quibusdam ipſorum poſtulatis, quo melius Majeſtati Veſtræ Cæſareæ ſatisfiet, recedere tandem Turcas poſſe autumat Legatus Noſter, explicatum eſt, ſub oculos Majeſtatis Veſtræ Cæſareæ ſimul & ſemel poſita ſunt, ipſa uno quaſi intuitu perſpiciat & perpendat, utrum illa animorum Turcicorum ad Tractatum pacis cum Majeſtate Veſtra Cæſarea ipſiusque fœderatis inchoandum propenſione, quæ ſinceritatis ſpeciem præ ſe fert, hoc tempore utendum ſit, & in incepto procedendum, & ſi ea Majeſtatis Veſtræ mens ſit & mediatione Noſtra in eum finem uti eum viſum fuerit, haud abs re fore ducimus, ut Majeſtas Veſtra Cæſarea Legatum Noſtrum prædictum, ac etiam Legatum Dominorum Ordinum Generalium unitarum Provinciarum facultatibus & mandatis ſuis quantocius inſtruat, ut in hoc opere cum Turcis ſine mora pergatur,

tur, dum anni tempus negotiis tranſigendis, quam actionibus militaribus magis opportunum ſit, quibus tamen ſe accingunt Turcæ; ſi pro pace conatus minus bene ſucceſſerit. Nos mandatum in hac re Legato Noſtro prædicto dedimus, & Dominos Ordines Generales eadem ſuos daturos non dubitamus, ut junctis conſiliis opus hoc modis, quos Majeſtas Veſtra Cæſarea præſcripſerit, proſequantur. Quod ſupereſt Majeſtatem Veſtram Cæſaream Divini Numinis Tutelæ ex animo remittimus. Dabantur in Aula noſtra Kenſington 12. Martii Anno Regni Noſtri decimo.

Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ

Amantiſſimus frater & conſanguineus.

Gvilielmus Rex.

MXXIII.

Literæ GENERALIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM *ad* LEOPOLDUM, *Rom. Imperatorem, quibus Turcarum ad pacata conſilia proclives animos eſſe nuntiant, ipſique operam ſuam & mediationem modeſte commendant, 1698.*

P. P.

Quemadmodum maximi ſemper fecimus Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ amicitiam & propenſam erga nos & Rempubl. noſtram voluntatem, quam ſæpius experti ſumus, ſic etiam quacunque data occaſione documenta dare conati ſumus, quanto Studio Cæſaream Majeſtatem Veſtram pro-

ſequamur, & quantopere res ejus nobis cordi ſint, hæc etiam cauſa eſt, cur aliquot abhinc annis una cum Sereniſſimo ac Potentiſſimo M. Britanniæ Rege Cæſareæ Majeſtati Veſtræ officia & mediationem noſtram obtulerimus ad componendum Turcicum bellum, quod miſeranda cum populorum ſtrage & agrorum devaſtatione longo nimis tempore geſtum eſt, & etiamnum geritur. Non licuit quidem nobis eſſe tam beatis hactenus, ut exaudita ſint, quæ pro reconciliatione, pace & concordia maximorum Imperatorum, & plurimarum, quibus imperant, gentium votis irritis, quæ ſimul attuleramus noſtris conatibus, non tamen hanc curam abjecimus, & ſpes etiam iterum aliqua affulget, ſopitum hoc per aliquod tempus pacificationis negotium reviviſcere poſſe, & , ſi faveat Numen, ad optatum finem perduci. Communicavit etiam Sereniſſimus M. Britanniæ Rex pro amicitia, quæ inter nos intercedit, & pro conjunctione, quæ cauſam hanc nobis communem facit, literas, quas tam a Legato ſuo apud aulam Turcicam degente, quam ab ipſo Viziro accepit, atque pacis conditiones, quæ ab ea parte proponuntur, de quibus ad Majeſtatem Veſtram Cæſaream plura ſcribere ſuperſedemus, quoniam ſcimus Cæſareæ Majeſtati Veſtræ harum omnium a Rege M. Britanniæ copiam factam eſſe per eundem Secretarium, qui literas has noſtras perferet. Glorioſum revera non minus, quam jucundum nobis foret, ſi nobis cum Sereniſſimo Britanniarum Rege conciliantibus, pax inter tantos Imperatores, eorumque fœderatos conciliaretur, itaque non potuimus hoc rerum ſtatu non rogare

rogare Cæſaream Majeſtatem Veſtram, ut pro ſumma ſua prudentia cogitet atque perpendat, quatenus occaſione, quæ ut nobis videtur, favet, dum ad pacem proclives ſunt Turcarum animi, utendum putet, & ſi placuerit Cæſareæ Majeſtati, denuo experiri, an opus tam ſalutare ad optatum finem perduci queat, operaque & mediatione noſtra pridem non ingrata iterum uti, judicio Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ relinquimus, an non e re futurum ſit, Legatos apud Portam tam noſtrum, quam Regis M. Britanniæ quantocius reddi de voluntate Majeſtatis Veſtræ Cæſareæ certiores, eosque mandatis & facultatibus neceſſariis muniri, ut absque mora cum Turcarum Imperatoris Miniſtris opus hoc peragant, ne tempus interpoſitum, eductique, qui adhuc in hybernis ſtant, Exercitus, conſilia mutandi anſam præbeant. Interim nos Legato noſtro mandata damus, quemadmodum Sereniſſimus & Potentiſſimus Magnæ Britanniæ Rex ſe Legato ſuo dediſſe nobis indicavit, ut junctis conſiliis opus hoc proſequantur, eo modo, quem Cæſarea Veſtra Majeſtas præſcripſerit. Cæterum, Sereniſſime, Potentiſſime atque Invictiſſime Imperator, Deum opt. Maximum rogamus, ut Cæſaream Majeſtatem Veſtram diu ſoſpitem conſervare & proſpere ac feliciter regnare ſinat. Dabantur Hagæ Comitum die 31. Martii, Anno 1698.

MXXIV.

Literæ LEOPOLDI, Rom. Imperatoris, ad AUGUSTUM II. Poloniæ Regem, quibus ipſi tolerabiles a Turcis propoſitas eſſe pacis conditiones

nes recenſet, eique ſerio ſuadet, ut hac vice ſecum tentare aggrediatur, num quid eis proficere & ulteriorem humani ſanguinis profuſionem ſiſtere poſſint, 1698.

LEOPOLDUS (tot. tit.)

POſtulat a Nobis arctus, quo Serenitati Veſtræ & inclytæ Polonorum Reipublicæ juncti ſumus, ſacri fœderis nexus, ut eandem nihil celemus eorum, quæ Sanctam illius obſervationem quocunque modo ſpectare queant, unde cum Nobis Sereniſſimus & Potentiſſimus Magnæ Britanniæ Rex communicavit literas, ſibi tam a legato ſuo in Turcia, quam ab ipſo ſupremo Veſirio ſcriptas, ut & propoſitionem tractandæ pacis a dicto Veſirio factam, nihil prius Nobis faciendum duximus, quam ut de iis omnibus, ut & de literis a Sereniſſimo Magnæ Britanniæ Rege ac Ordinibus Generalibus fœderati Belgii hac de re ad Nos exaratis Serenitatem Veſtram, per Ablegatum Noſtrum Extraordinarium, Illuſtrem & Magnificum, Carolum Julium Siedelnicki, Comitem ac Dominum in Choltiz, confidenter certiorem redderemus. Et quamvis iſta propoſitio non ſit ejusmodi, ut pacem deſuper completam, & undequaq; convenientem ſperare liceat, pro eo tamen, ac ex aliis præmiſſis ſperandum eſt, Turcas poſtulatis ſuis haut firmiter inhæſuros, ſed æquioribus in tractando conditionibus locum daturos eſſe; Grave ſine dubio & vix a culpa alienum Serenitati Veſtræ æque ac Nobis fore videbitur, oblatam hanc occaſionem tentandæ amicabilis compoſitionis & ſiſtendi

ſtendi profuſionem humani ſanguinis omnino rejicere. Quamobrem ſicuti per Noſtrum Supremum Cancellarium Comitem Kinski prædicti Sereniſsimi magnæ Britanniæ Regis Legato mentem Noſtram prævie expoſuimus, prout ex illarum literarum exemplo pariter exhibendo patet; ſic Serenitatem Veſtram peramanter requirimus, ut & ipſa Nobis hoc ſuper negotio ſenſus ſuos candide non tantum exponere, ſed & ſuo inclytæque Reipublicæ nomine Commiſſarios deputare non gravetur, qui, accepta ulteriori a Turcis declaratione, una cum Noſtris, & Venetorum Reipublicæ miniſtris, loco congruo, de pace cum Turcis agere & Deo Ter Optimo Maximo annuente, negotium tam ſalutare, ad optatum finem perducere unanimiter tentent. Qui de cætero Serenitati Veſtræ vitam longævam & felicisſimos rerum ſucceſſus fraterno affectu apprecamur. Dab. Viennæ 23. Aprilis, 1698.

MXXV.

Litera ejusdem cum præinſertis argumenti a LEOPOLDO, Rom. Imperatorem, ad PETRUM Czaarem & magnum Ducem Moſcoviæ exarata, 1698.

Leopoldus &c.

Quo ſinceriori in Serenitatem Veſtram ferimur affectu, quoque magis cupimus conſtantem cum eadem amicitiam colere, eo proniores etiam ſumus id re ipſa præſtare, ad quod ex fœderis nexu, obſtringimur. Confidenter itaque Serenitati Veſtræ ſignificamus, qualiter Sereniſſimus & Potentiſſimus Magnæ Britanniæ Rex nobis commu-

nicaverit literas ſibi tam a Legato ſuo in Turcia, quam ab ipſo Veziro ſupremo ſubſcriptas, ut & propoſitionem tractandæ pacis a dicto Veziro factam. Quæ tametſi non ſit ejusmodi, ut pacem conficere queat, nobis tamen viſum fuit ea Serenitati Veſtræ pariter ac reliquis fœderatis noſtris, una cum literis, a dicto Sereniſſimo M. Britanniæ Rege, ac Ordinibus generalibus fœderati Belgii, hac de re, ad nos exaratis, communicare, ſimulque ſuperaddere, quæ per (tit.) ſupremum noſtrum Bohemiæ Cancellarium, Comitem Kinski, eo, quod in iſta propoſitione nulla Serenitatis Veſtræ mentio facta ſit, prædicti Serenisſimi Regis Legati de Serenitate Veſtra inſinuavimus: prout ea omnia per extraordinariumAblegatum noſtrum inPolonia, illuſtrem ac Magnificum, Carolum Julium Siedlnicki, Comitem ac Dominum a Choltiz, Serenitatis Veſtræ ibidem exiſtenti Miniſtro, exhibere juſſimus, omnino confidentes eandem Serenitatem Veſtram non tantum ad experiendam per univerſales tractatus amicabilis compoſitionis viam & ſiſtendam humani ſanguinis effuſionem, ſi æquæ conditiones offerantur, pronam, ſed ſuos etiam Commiſſarios deputaturam eſſe, ut accepta a Turcis ulteriore declaratione, una cum noſtris reliquorumq; fœderatorum noſtrorum Miniſtris, loco congruo, de pace cumTurcis & Tartaris agant, & Deo T. O. M. annuente, negotium tam ſalutare, ad optatum ſinem conjunctim perducere tentent. Qui de cetero Serenitati Veſtræ vitam longævam & felicisſimos rerum ſucceſſus fraterno affectu apprecamur. Dat. Viennæ die 23. April. Anno 1698.

MXXVI.

MXXVI.

Litera ULRICI COMITIS A KINSKI, ad GUILIELMUM PAGET, Magnæ Britanniæ Regis in Aula Turcica Internuntium, quibus Cæſareæ Majeſtati arridere quidem ex parte factam a Turcis propoſitionem, minime tamen placere, quod magni Ducis Moſcoviæ communis confœderati nulla in ea fiat mentio, declarat, 1698.

Illuſtriſſime ac Excellentiſſime Legate, Domine colendiſſime.

Vidit ſacra Cæſarea & Regia Majeſtas, Dominus meus Clementiſſimus, ea, quæ Excellentiæ Veſtræ humaniſſimis ſuis literis 22. Januarii nuperi Adrianopoli datis fuſius perſcribere viſum fuit. Abinde etiam vidit ea, quæ Sereniſſimo & Potentiſſimo Magnæ Britanniæ Regi ab Excellentia Veſtra transmiſſa pariter communicare & Londino remittere ſimiliter, datis ad ſacram Cæſaream & Regiam Majeſtatem literis fœderati Belgii Ordinibus generalibus comitari placuit. Sacra Cæſarea Regiaque Majeſtas, Dominus meus Clementiſſimus, amiciſſimi Regis & præmemoratorum fœderati Belgii Ordinum Generalium paci reducendæ deſtinata officia, & per Excellentiam Veſtram tum huc ad aulam Cæſaream notificata, cum etiam apud excelſam Portam Ottomannicam interpoſita, obſtricto recipit & agnoſcit animo, pari etiam affectu & æſtimatione conſiderat Excellentiæ Veſtræ huic prædicto fini adhibitas induſtrias & defatigationes utriſque gratam vicem ſemper repoſitura. Et quo minus cum apud Deum, tum apud mundum

de rejecta aut neglecta pace, & non cohibita humani ſanguinis effuſione ſibi & ſuis Sereniſſimis fœderatis quid reſponſi accerſetur, aut etiam opprobrii conciliet. Juſſit Sacra Cæſarea & Regia Majeſtas Dominus Clementiſſimus, Excellentiæ Veſtræ præſentiſſimis ſignificare, quod, poſtquam pro S. Cæſarea & Regia Majeſtate ejusque ſereniſſimis fœderatis, Rege ſcilicet & Republ. Polona & Republ. Veneta ſtabilita, & reciproce ſine omni limitatione, exceptione aut etiam reſervatione a Porta Ottomannica acceptata fuerit, illa inter Imperatores Romanos, eorumque glorioſiſſimos Anteceſſores, ex una & Turcarum Imperatores, eorumq; glorioſos Anteceſſores ex altera parte, haud interrupta obſervantia, recepta & uſitata Regula, uti Poſſidetis, ita porro poſſideatis. Tum, ſacram Cæſaream Regiamque Majeſtatem cum ſereniſſima Republ. Veneta promptam eſſe venire ad Tractatus & congreſſum, in quibus ſalva per omnia dicti, uti Poſſidetis, ita poſſideatis, baſi, tractari poterit de iis omnibus, quæ vel confinia concernere, vel etiam citra obligationem, & ſolius communis convenientiæ cauſa per evacuationem, aut demolitionem reciprocam quorundam minorum locorum in Hungaria, aut alias ſtabiliendæ & aſſecurandæ paci tum ſtipulatæ deſervire poterunt, convenire juxta ea, quæ in commune commodum tum fieri poſſe judicabuntur. Et quia pro hic & nunc nemo miniſtrorum Regis Poloniæ in hac aula Cæſarea exiſtit, ideo citatis & expreſſis Curſoribus Sereniſſimo Regi & Reipublicæ Polonæ facta eſt propoſitionis Ottomannicæ communicatio, a quibus reſponſa,

ubi

ubi primum appulerint, Excellentiæ Veſtræ per expreſſum, ſine mora, communicata transmittentur, nec dubitat Sacra Cæſarea & Regia Majeſtas alte præfatum Sereniſſimum Regem & Rempublicam ſe cum æquitati tum etiam amicorum ſenſui, laudabili moderatione accommodaturos, ſed reliquum eſt pacis ſanciendæ obſtaculum ex eo natum, quod altisſime præmemoratæ Sacræ Cæſ. & Regiæ Majeſtati, prætactisque ſuis Sereniſſimis Fœderatis commune ſit cum magno Czaro Moſchoviæ Duce fœdus, cujus cum nulla ſit in Ottomannica Propoſitione facta mentio, inſtanter Excellentiam Veſtram rogo, ut modo dictum impedimentum miniſterio Ottomannico inſinuare, eique removendo ſe applicare non gravetur, quod ſi favente Deo ſub Sereniſſimi & Potentiſſimi Magnæ Britanniæ Regis nec non fœderati Belgii Statuum Generalium auſpiciis, ductu & directione Excellentiæ Veſtræ pax honeſta & ſecura cum Porta Ottomannica concludi poterit, non dubito, reductione quietis populorum, & interrupta ſanguinis humani profuſione Excellentiam Veſtram rem Deo gratisſimam, toti Chriſtianitati proficuam, Regi ſuo glorioſiſſimam & ſibi apud omnes ſumme meritoriam, præſtituram. Cui dum proſperum ſucceſſum ſincero corde apprecor, ejusdem favoribus impenſe me commendans, maneo.

Illuſtriſſimæ Excellentiæ Veſtræ

Dabantur Viennæ die 4. Aprilis, 1698.

deditiſſimus
Comes Kinski.

MXXVII.

MXXVII.

Litera FERDINANDI, Ducis Saganenſis, Principis de Lobkowiz, ad LUDOVICUM XIV. Galliarum Regem, quibus ipſi curæ cordique ſibi ea ſemper fore, quæ ad ſtringendam arctius Cæſareæ Majeſtatis cum ipſo amicitiam facere aliquid poſſint, reverenter pollicetur, 1698.

Sacra Regia Majeſtas.

EX perbenignis Regiæ Majeſtatis Veſtræ literis 19. Martii ad me datis, maxima cum animi voluptate perſpexi, quis Majeſtatis Veſtræ Regiæ circa exequendam & ſervandam pacem nuper cum Sacra Cæſarea Majeſtate & Romano Imperio initam ſenſus ſit, quidque eum in finem ſuo ad hæc imperii Comitia miſſo Plenipotentiario, Domino de Chamoy, commiſerit, quem, uti ea de cauſa tanto diligentius audire nunquam non paratus ero; ita ſummæ mihi gloriæ ſemper ducam, ſi juxta eandem Sac. Cæſ. Majeſtatis, cujus hic vice fungor, mentem mihi penitus exploratam, aliquid conferre queam, quod ad ſtabiliendam & arctius ſtringendam fraternam illius totiusque adeo Sacri Romani Imperii cum Regia Majeſtate Veſtra amicitiam facere poſſit, non minori ſtudio omnes ſollicitus occaſiones exquiram, quo ubivis conſtet, quanta ſim reverentia & cultu

Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Ratisbonæ d. 25. Maji 1698.

Humillimus Servus

Ferdinandus Dux Saganenſis,
Princeps de Lobkowiz.

MXXVIII.

MXXVIII.

Literæ AUGUSTI II. Poloniarum Regis, ad INNOCENTIUM PAPAM XII. quibus ipſi refert ægre ſibi perceptu fuiſſe, quod Cæſarea Majeſtas axioma: Uti poſſidetis, ita posſideatis, in baſin inſtantis cum Turca pacis, ſtatuerit, cumque velut ſacri fœderis vindicem inſtanter rogat, ut æquiores ſuarum rerum rationes haberi curet, 1698.

POſt oſcula beatorum pedum Sanctitatis Veſtræ, & mei Regnorumque meorum humillimam commendationem! Quam primum communicatum eſt mihi Seren. Imperatorem Chriſtianorum ac Inclytam Rempubl. Venetam ſuo atque Colligatorum ſuorum nomine conveniſſe in pacis cum Porta Ottomannica conciliandæ fundamentum, uti Poſſidetis, ita Poſſidete, venit neceſſitas inſuperabilis querulandi coram Sanctitate veſtra, uti Guarante (*Vindice*) ſacri hujus contra Turcam fœderis. Poſito enim tali fundamento ad tractatum futurum palam eſt res ac rationes Regni mei nunquam pejores fieri poſſe, quam ex ſacro hoc fœdere. Cum etenim Polonia diſtincta tot ab hoſtium terris, continuis tum Butziacenſium, tum Crimenſium Tartarorum excurſionibus, nullas præter exiguos in Moldaviam loculos ad fundamentum pacis tale, uti Poſſidetis parare ſibi potuit acquiſitiones, quam redintegrationem pro deletis fundis, Provinciis, pro redditis trans Boryſthenem terris, tribusque latisſimis Ducatibus Kijoviæ, Smolenſciæ, Czernichoviæ in gratiam ſacræ Colligationis ad pertrahendum Magnum Ducem Moſchoviæ, pacis ex præſidio, motu fœderis a Sereniſſ. Imperatore ſperatura

ratura eſt, ſi tam facile illi, non viſo in manibus Chriſtianorum Cameneco, clavi Regni hujus, ne dicam totius Europæ decore, fuit fundamentum pacis, uti Poſſidetis, quam difficile patriæ iſti portionem ſuam ac hæreditatem ſeculorum Camenecum nempe in ſecura ſua poſſeſſione non videre, nec ea nunc per Dei gratiam ardua foret, ubi jam eousque progreſſi ſumus, cum tot millibus propriarum noſtrarum Copiarum, præter Regni ac Magn. Duc. Lith. Exercitus, niſi tam præcipitatus ac prope condictus Tractatus totam Dei cauſam, ac negotium Chriſtianum de manibus eriperet, ſpem animumque inſolito ſuo caſu, cum ſumma injuria Regni mei, præcidendo, hæc non alio fine, quam profundisſime Sanctitati Veſtræ inſinuata eſſe cupio. niſi, ut cognitis malis, Patriæ hujus, cui divina bonitas me infelici tempore hoc præeſſe voluit, forti ac virili niſu, tanquam communis Chriſtianorum Pater atque ſacri fœderis contra Crucis hoſtem Guarrans & Protector partes meas ac Regni mei ita ſuſcipere velit, ut non fida tantum ac honeſta, ſed utilis pro damnis Reip. pax haberi valeat. Quod ni futurum ſit, opportune coram Sanctitate Veſtra manifeſto Regnum meum non poſſe aliquando non quærere infelicitatis ſuæ ac damnorum Autorem; non patietur itaque Sanctitas veſtra tractatu hoc in fundamento, uti Posſidetis, ſolas miſerias, calamitates, ac vaſtisſimas ſolitudines factas gratia fœderis ſacri in lucro ac Poſſesſione Regni hujus relinqui, nec permittet ex ſimultanea colligatione æqualia commoda ac damna ſupponente alios gaudere, reliquos flere, ſed, quantum

eſt

eſt in manu ac poteſtate ſua, omni meliori modo ſtatui rationibusque Regni mei circa tractatum præſentem asſiſtere dignabitur. Ita juſtitiam non modo Sanctitas Veſtra exercebit, ſed erga me ſingularis paternæ gratiæ, atque integram hanc Rempubl. documenta dabit, quæ filiali ſemper relaturus gratitudine, nunc felicisſimum rerum Chriſtianarum, ac ipſis imminentis hujus tractatus arbitrium cum longæva valetudine animitus precamur. Dabantur Leopoli die 21. Aug. Anno 1698.

MXXIX.

Litera AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad LEOPOLDUM, Roman. Imperatorem, idem, quod præimpreſſæ argumentum continentes, 1698.

EX literis atque communicatis a Majeſtate Veſtra de acceptato cum Porta Ottomannica pacis fundamento, UTI POSSIDETIS, ita posſidere licebit, accedit animo noſtro, univerſorumque Procerum Regni hujus mentibus tantum doloris, quantum periculi pro honeſte, ſecure, ac utiliter pace in rem Reipubl. concludenda. Quid enim UTI POSSIDETIS, emolumenti afflictæ patriæ hujus ac prope perditæ ſacro fœdere acceſſurum eſt, reparandis impenſis, damnis unius alteriusve Palancæ aggregatione in Moldavia? Quæ honeſtas aut ſecuritas pacis? ſi antemurale Chriſtianitatis, Camenecum, avitum tot ſeculorum decus Regni hujus, non meruit tantum depurati ab intereſſe reſpectus, ut ſingularis atque clara remittendi illius integre in proprias manus Chriſtianas caveretur exceptio. Pax talis non pax, ſed fomes, atque ignis

ignis mox reſuſcitandi perpetuoque alendi belli contra Regnum, hoc, modicis nimis ſopiretur cineribus. Hæc & quæ inde ſecutura ſunt quemadmodum celare Majeſtatem Veſtram non potuimus, ita eandem peramanter, ac vi ſacri fœderis utilitatisque ſimultaneæ requirimus; quatenus per Juſtitiam, quam Majeſtas Veſtra unice colit, & qua Regna perdurant, ita demum in tractatu hoc res atque ſtatum Reipubl. hujus penſare, ac manutenere contendat, ne ullus locus pœnitentiæ ſacri fœderis, atque ſuccurſus dati relinquatur, perpetuaque illa, ac Vetus Reipublicæ non in Chriſtianorum tantum, ſed in propriæ utilitatis uſum cum Majeſtate Veſtra fœderata offendatur amicitia. Quod utilitatis, ut ex æquitate ipſa atque ſingulari erga nos Majeſtatis Veſtræ affectu, & Regnum hoc inviolabili ſemper amicitiæ, futurum fore confidimus, ita eidem feliciſſimos rerum eventus cum plena valetudine animi precamur. Dabantur in ſuburbiis Leopolis die 21. Aug. Anno 1698.

MXXXI.

Literæ FRIDERICI III. Electoris Brandenburgici, ad AUGUSTUM II. Poloniæ Regem, quibus captam a ſuis Elbingam tam diu a ſe hypothecario jure poſſeſſum iri, donec ſibi juxta fœderis Bydgoſtienſis leges plene fuerit ſatisfactum, nuntiat, 1698.

Sereniſſime & Potentiſſime Rex, Domine Cognate & Frater colendiſſime.

NOn poteſt latere Regiam Majeſtatem Veſtram, quibus olim conditionibus coaluerint ſacri & æter-

æterni fœderis Pacta, Velaviæ atque Bydgoſtiæ, Sereniſſimum Poloniæ Regnum inter & Nos confecta, nec ita pridem a Regia Majeſtate Veſtra more ſolito renovata ac confirmata, quas inter præcipua eſt, ut pro præſtita fideli opera & ſociatis armis, quibus inclyta Reſpublica ab interitu vindicata, ac in priſtinum ſtatum & libertatem reſtituta, Urbs Elbinga Nobis traderetur. Quadraginta, & quod excurrit annis, longum patientiæ documentum dedimus, expectantes, ut juſtiſſima iſta adimpleretur conditio. Sed cum poſt tot inanes preces ac ſollicitationes ne ſpes quidem Nobis reliqua eſſet, traditionem iſtam ſponte, & ex præſcripto Pactorum ſubſecuturam, facimus tandem, quod optimo Nobis dudum licuit jure; & quæ Nobis hactenus indebite negata fuit poſſeſſio iſtius urbis, quamvis juſtiſſime & ex fide jurata debita, eam ipſi citra animum hoſtilem, imo etiam citra vim, ſi fieri poteſt, apprehendere conabimur. Sed ne Reg. Majeſtatem Veſtram tot ac tantis gravioribus intentam rebus, longa juris ac facti enarratione diſtineamus, rogatam eandem volumus, ut quo jure, quave Juſtitia Urbis dictæ poſſeſſionem arripere ſtatuerimus, & quæ ſit mens atque intentio noſtra, ex ſcripto, literis hiſce adjecto, perſpicere ſuſtineat; De cujus veritate ut liquidius conſtet, non veremur paucis heic repetere, quæ de mente ac deſtinatione noſtra ibi habentur, & coram Regia Majeſt. Veſtra ſancte teſtari, Nos fœdus iſtud æternum nuper renovatum, quod cum Regia Maj. Veſtra & inclyta Republica Nobis intercedit, inviolabiliter ſervaturos; & ex eodem præſtanda præſtituros; Privilegia & jura Urbis Elbingenſis ex præſci-

ſcripto Pactorum religioſe conſervaturos; ne ex eadem Urbe, quamdiu præſidio noſtro inſidebitur, quies ac ſecuritas Reipublicæ, imprimis Vicinorum turbetur, aut vel minimum iisdem periculum etiam ab hoſte externo inde creetur, ſumma ope curaturos; nec alia denique titulo Urbem nos posſeſſuros niſi pignoratitio aut hypothecario & cum Nobis de eo quod juſte debetur, ſatisfactum fuerit, ſtatim & absque ulla mora urbem Regiæ Majeſtati Veſtræ atque inclytæ Reipublicæ juxta pactum conventum Nos reſtituturos. De cætero veneramur Deum, ut Regiam Majeſtatem Veſtram omni felicitatis incremento quam diutiſſime ſervet incolumem ac florentem. Dabantur ex Arce noſtra, Coloniæ ad Spream die $\frac{7}{17}$. Oct. 1698.

Pram. Pr.

Fridericus Elector.

MXXXI.

Reſponſoria AUGUSTI *II. Poloniarum Regis, ad prainſertas* FRIDERICI *III. Electoris Brandenburgici Literas, 1698.*

P. P.

Literæ Serenitatis Veſtræ die 17. elapſi datæ, & multo magis nunquam ſperata Civitatis noſtræ Regiæ Elbingenſis aggresſio, merebantur, antequam reſponderemus, Senatus-Conſultum, quo illico huc convocato, atque intra hosce dies expedito, quid aliud reſpondere poſſumus, quam quod univerſi ſtupeant, Serenitatem Veſtram rem attentaſſe etiam Poſteritatij non credendam. Fateri & ipſam quadraginta & ultra annorum reſuſcitaſſe emortuam, imo tot tantisque Reipubli-

blicæ prætenſionibus ſepultam hypothecam, tam crudis prius inſidiis, mox apertis armis, & quaſi nunquam, pro remiſſo Vaſallagio, conceſſum habuiſſet Fœdus, hoſtium loco ſuorum hoſtes Reipublicæ reputaturum, ipſa infeſtas copias innocuæ admovit, eandemque vi in ſuam ditionem coëgit. Jus hoc, quod Serenitas Veſtra ſcripto ſuo typis vulgato ſolenne vult facere, utique melius natum, fuiſſe glorioſæ memoriæ magno Parenti ſuo, tanquam primo quæſitori, & tamen nunquam auſum quicquam ſimile præſenti caſui, imo maluiſſe illum Brunsbergam & Travensburgam, loco non traditæ Elbingæ, uti prætenderat, ex pactis Velavienſibus poſſeſſæ, evacuare ac reſtituere in manus Reipublicæ, quam primo illi actui, qui procul dubio magis ſuberat proteſtantium in Republica difficultatibus, tradendæ ſibi in Pruſſiam ſupremitati derogare. Fuiſſe poſthæc toties ab eodem & Serenitate Veſtra ſupra memoratis pactis repetita juramenta, ac quidem æqua ex parte Reipublicæ, nolente Michaele, recuſante ultima vice per aliquot dies Johanne III. Sereniſſimis divæ memoriæ prædeceſſoribus Noſtris, ob validas atque graviſſimas Reipublicæ prætenſiones. Et cur non eo potius tempore ſuſpenſis juramentis opponenda erat iſta prætenſio? Cur non ſaltem aliqua ante immediatum nuper a Nobis, ſuper iisdem factum Juramentum, injecta mentio? Præſertim cum Miniſtri a Nobis deſignati, diſtincte ſatis ad prætenſiones quasdam in ſcripto deſiderarent reſponſum, nec obtinuerant a Miniſtris Serenitatis Veſtræ. Nam quis crederet, dum Reſpublica cum hoſte Chriſtianorum communi cruento implicita ac diſtenta Bello, turbari illam ac ve-

xari a tali Principe, qui bona malaque ejus pro ſuis propriis habere æterno fœdere, ac jurejurando obligatus erat? Denique, ſi omnes circumſtantiæ acerbiſſimæ rei geſtæ anteriores revocandæ forent, factum hoc nemini placitum iri, niſi hoſtibus, cum quibus bellum tam atrox gerimus. Hanc etiam turbatam ac violatam Reipublicæ a fœderato Principe ſecuritatem, illis ſolis gaudio futuram, qui Nos undique & Patriam anguſtiatam cuperent. Hæc non alio fine Serenitati Veſtræ omni fiducia inſinuanda cenſuimus, quam ut intelligere velit, illam excesſiſſe metam debiti ſui erga Rempublicam hanc, cujus ſumma ſemper in Domum ejus, univerſo teſte Orbe, extitere beneficia; Impegiſſe contra perpetui fœderis Pacta, jureque ſuo ex eis cecidiſſe, taleque auſum, non modo ad intima usque hujus Patriæ penetraſſe, ſed noſtrum quoque honorem, ac prima Regni auſpicia, ſine omni præmiſſa amicabili requiſitione, extreme impugnaſſe; adeoque cunctos deſiderare, ut caſum iſtum ſummopere Reipublicæ ac præprimis Nobis gravem, Serenitas Veſtra quantocyus redintegrandum, immediatumque Statum civitati reſtituendum curet, & annitatur, vel id ſi minime libuerit, ſaltem nullius offenſæ ac hoſtilitatis loco ſit acceptum, ſi juſta læſionis tantæ reparatio quæri, ac miniſtrari non intermittatur. De reliquo Seren. Veſtræ bonam Valetudinem intra proſperos fœderum amicitiarumqꝫ ſucceſſus precamur. Dabantur in Regia Varſaviæ Anno 1698. die 17. Nov. Regni Noſtri ſecundo.

MXXXII.

Litera FRIDERICI III, Electoris Brandenburgici,

Digitized by Google

ci, ad MICHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, ejusdem cum præinſertis commatis, 1698.

P. P.

EOdem anno, quo in lucem editi ſumus, æternum etiam fœdus iſtud, quod cum Sereniſſima Republica indiſſolubili Nos conjungit vinculo, Velaviæ ac Bydgoſtiæ confectum eſt; ita diſpenſante rem tanti momenti divina providentia, ut non prius diei, quo vitæ uſuram accepimus, quam fœderis iſtius, & eorum, quæ ex eo utrinque debentur, memoriam deponere queamus. Et quidem, quanta cura ac ſollicitudine tum Divus Parens noſter, tum Noſmet ipſi fœderis iſtius leges, quæ quidem ad nos ſpectant, expleverimus; quodnam juvandæ Reipublicæ fuerit ſtudium, quæ pro ſalute ac conſervatione ejusdem opera ac fides intemerata, nemo rerum gnarus geſtarum ignorare poteſt. Nec & inclyta Reſpublica aliud a ſe deſiderari paſſa eſt, niſi quod præcipuam Fœderis conditionem, qua urbs Elbinga Nobis debetur, ac tradi debebat, hactenus, quo maligno neſciamus fato, inexpletam reliquerit. Non poteſt latere Dilectionem Veſtram (Illuſtrisſimam & Reverendisſimam Dominationem Veſtram, vel Illuſtrisſimam Dominationem Veſtram) tum clarisſima circa eandem urbem pactorum diſpoſitio, tum fruſtrata per quadraginta & quod excurrit, annos, divi Parentis ac noſtra expectatio & patientia; aut ſi forte, quid ea de re geſtum ſit, memoria exciderit, ſubjectum literis, hisce ſcriptum, quod fide actorum publica nititur, eandem id luce meridiana clarius docebit.

bit. Sed cum ne quidem ſpes Nobis relicta eſſet, Urbem ſponte & ex præſcripto Pactorum traditum iri, facimus tandem, quamvis inviti ac reluctantes, quod jura divina ac humana non tantum permittunt, ſed & jubent: Ut nimirum poſſesſionem Urbis ex æterno ac jurato Fœdere Nobis debitam, ſed tanto temporis ſpatio negatam ac fruſtra petitam, Ipſimet, utendo jure noſtro, apprehendamus. Quid ſupereſt, quam ut pietatem, fidem ac æquitatem Dilectionis Veſtræ (Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. Dominationis Veſtræ, vel Illuſtrisſimæ Dominationis Veſtræ) appellemus, quibus freti, non dubitamus, quin ipſamet factum ſit approbatura, quo Sereniſſimus Rex ac inclyta Reſpublica a dedecore fidei non præſtitæ, ac æterni & jurati fœderis violati, liberantur. Quod quidem eo libentius Dilectionem Veſtram (&c. &c.) facturam ſperamus, quo certius de mente ac intentione Noſtra edocta fuerit, quæ nimirùm hæc eſt; Quod æternum iſtud cum inclyta Republica pactum fœdus, ſancte ac inviolabiliter ſervare, quæ nobis ex eodem præſtanda incumbunt, religioſe præſtare, Privilegia ac jura Urbis Elbingenſis integra conſervare, ſecuritati optimæ Reipublicæ, quamdiu urbs in Noſtra poteſtate erit, ex eadem proſpicere, nec alio eandem posſidere titulo aut jure velimus, quam hypothecario aut pignoratitio, ex quo conſequitur, ut ſi de eo, quod juſte nobis debetur, ſatisfactum Nobis fuerit; Urbs illa ſtatim & ſine mora ex lege conventa reſtitui debeat, quod & ſancte ſpondemus; Qui de cætero Dilectioni Veſtræ (&c. &c.) proſperrima quævis ex animo apprecamur.

Da-

Dabantur ex Arce noſtra Coloniæ ad Spream, die 17. Oct. 1698.

P. P.

Fridericus Elector.

Nota: Ejusdem tenoris literæ, mutatis ſaltem mutandis, etiam ad Senatores Regni Poloniæ ſcriptæ fuerunt.

MXXXIII.

Literæ GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad GEORGIUM WILHELMUM, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem, quibus ab eo obnixe contendit, velit miſeros homines, ob Religionem Reformatam Gallia ejectos Patrocinio ſuo beare, ac eorum inopiam omnibus beneficiis & imprimis re numaria ſublevare, 1698.

Guilielmus Tertius, Dei Gratia Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei defenſor &c. Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi, Domino Georgio Wilhelmo, Duci Brunſuicenſium & Luneburgenſium, Conſanguineo & Amico Noſtro Chariſſimo, ſalutem!

Sereniſſime & Celſiſſime.

Duriſſima illa Fortuna, qua per aliquot annos conflictati ſunt innumerabiles fere e Gallia in exilium depulſi Proteſtantes, Celſitudinem Veſtram non latuit, neque quenquam eſſe arbitramur adeo ab humanitate alienum, qui tantis hominum calamitatibus non magnopere commoveatur: præ ceteris vero in miſeriis anguſtiiſque verſari maxime videntur, quos locorum vicinitas in Helvetiæ oras ingentiori numero evocavit. Cumque iſtius Regio-

gionis ratio vix ſufficit diutius capiendæ ſuſtentandæque tantæ hominum frequentiæ, neque aliud ipſis reſtat ſolatium, niſi quod a Principibus, Fratribusque Chriſtiana charitate incenſis proventurum eſt, Celſitudinem veſtram hisce obnixe rogamus, quæ per manus Domini Jacobi de Bariac, Marchionis de Rochegude, & Domini Friderici de Loriot de la Grevilliere oblatæ erunt, velit Ipſa, pro celeberrima ſua pietate, & in miſeros benevolentia, Genti Religionis cauſa afflictæ languentique dextram porrigere, quotquot ſævisſima perſecutionis tempeſtás in ditiones Ipſius adegerit, ſuffugium præbere, quot vero paſſim alibi per Europam jactantur, benignitate ſua complecti, velit denique autoritate ſua & cohortationibus apud ſubditos vicinosque efficere, ut publicis pecuniarum collectionibus, & alio quoque modo, eam, quam posſint extrema patientibus conſolationem impertiri non graventur, quod Nos unitiq; Belgii Ordines pro facultatibus etiam noſtris facturi ſumus. Celſitudinem Veſtram rem Deo Opt. Max. gratisſimam & inter homines laudatisſimam ſedulo promoturam neutiquam dubitantes Ipſam ſupremi Numinis tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Aula noſtra Haga Comitis Decimo quinto die Novembris Anno Domini 1698. Regnique noſtri Decimo.

Celſitudinis Veſtræ

Conſanguineus & Amicus

GUILIELMUS REX.

G. Blachwagt.

Inſcri-

Inſcriptio.

Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi Domino Georgio Wilhelmo, Duci Brunſuicenſium & Luneburgenſium, Conſanguineo & Amico Noſtro Chariſſimo.

MXXXIV.

Reſponſoria GEORGII WILHELMI, Ducis Brunſuico-Luneburgenſis, ad præinſertas GVILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis literas, 1699.

Sereniſſime &c.

QUas Regia Majeſtas Veſtra in gratiam proteſtantium e Gallia pulſorum, præcipue eorum, qui in Helvetiam migrarunt, ſolum iterum vertere coactorum, 15. die Novembris anni proxime elapſi Haga Comitis ad Nos dedit literas, eas Dominus Jacobus de Bariac Marchio de Rochegude, his modo diebus nobis obtulit. Equidem innocentium animarum aſperæ perſecutioni dudum indolentes, aliquot familias huc refugas lubenter recepimus, ac iis officiis, quæ Chriſtiana commendat charitas, ſumus proſecuti. Neque minus tamen quando Regia Majeſtas Veſtra eo nomine tam benigne Nos compellare voluit, etiam aliquibus ex eorum numero, quos neceſſitas Helvetia exire & Sedes alibi quærere compellit, hoſpitium & levamen præbebimus, iis ſcilicet, qui quantum ratio Noſtræ Regionis permittet, in ea habitatum venient, laturi opem & ſubſidia quocunque modo tum ipſi, tum e publicis pecuniarum collectionibus exhibituri. Qua quidem in re tanto faciliores erimus, quo magis miſerorum calamitate commovemur, & Majeſtatis Veſtræ laudatiſſimo exemplo

ac benevolo monitu, ad Pium & Deo hominibusque gratiſſimum opus incitamur. Deus Majeſtatam Veſtram longum ſervet, cui nos & Domum Noſtram perofficioſe commodamus. Dabantur in aula Noſtra, Cellis 9. Mart. 1699.

Georgius Wilhelmus.

MXXXV.

Litera STANISLAI MALACHOVII, Palatini Poſnanienſis & Regni Poloniæ ad Carolovicenſes tractatus Plenipotentiarii, ad WOLFGANGUM COMITEM AB OETTING & LEOPOLDUM COMITEM A SCHLICK, Cæſareos ad idem negotium Plenipotentiarios, quibus clariorem tertii in projecto articuli explicationem, & quousque tractatus Turcas & ipſos inter proceſſerint, diſtinctam relationem poſtulat, 1698.

CErtus ſum meminiſſe Excellentias Veſtras promiſſæ mihi explicationis tertii puncti in projectis ad facilitandas congreſſus conferentias mihi per illuſtrisſimum D. Secretarium Tiel nomine Excellentiſſimorum DD. Mediatorum exhibitis, ut ego quoque conſenſum meum illis præberem. Quod quidem prædictum punctum tertium, cum aliquid in ſe obſcuri involvat, præcavi mihi primo apud eundem Illuſtriſſimum D. Secretarium, deinde apud Excellentias Veſtras in tantum ſuper hoc punctum conſentire, in quantum mihi pro favoribus ejus dabitur explicatio & ſecuritas, ſcilicet nequaquam Excellentias Veſtras in animo habere voluntatem conficiendi & conſcribendi ullo modo tractatus cum Turcis, donec etiam nos in prætenſionibus

nibus & tractatu noſtro contenti reddamur. Quod ſi vero Turcæ confectis cum Excellentiis Veſtris punctis ejuſdem tractatus, ſatisfacere prætenſionibus noſtris abnuerent, non deſerturas nos Excellentias Veſtras, neque pacem ſuſcepturas, & ſubſcripturas, ſed tamdiu nobiſcum in ſocietate permanſuras, ſecundum expreſſam conventionem ſacri fœderis, donec etiam nobis Fœderatis ſatisfiat. Atque præſentibus Excellentias Veſtras rogo, quatenus in reſponſo ad me dando promiſſis ſuis ſtare dignentur. Hodierna die ſperabam aliquam notitiam, prout Illuſtriſſimus D. Secretarius promiſerat, eorum, quæ die heſterna cum Turcis in conferentia pacta. Rogo itaque, ut tam heſterni, quam hodierni tractatus poſſim eſſe particeps. Indoleo valde novos iterum Excellentiſſimum D. Moſchoviæ Legatum ſtruere obices de præcedentia tractandi, cum ab illuſt. D. Secretario aſſecuratus fuiſſem, quod prout quisque ad ſacrum fœdus acceſſit, eo etiam ordine inire deberet; nunc quid novi evenerit, quod hæc tempeſtas rurſum mota, penitus ignoro, rem mihi ſane jocoſam heri Illuſt. D. Generalis Nehm ſuper definienda hac lite alearum luſu propoſuit, aſt aliud medium, nempe ut ſcripto declararetur, nullam hic præcedentiam aut in tempore tractandi intelligi debere, ſervatis ſervandis acceptavi, ſed miror, quod per ipſum nullum hac ſuper re ab Excellentiis Veſtris reſponſum acceperim, imo, cum ad illum pro accipiendo miſi fato jam abiviſſe mihi nunciatum eſt; Nunc ſuper his omnibus ab Excellentiis Veſtris reſponſum, & ſignificationem obnixe rogo, prout etiamſi Excellentiæ

Veſtræ

Veſtræ prout idem ipſe mihi retulit, habeant in deſtinatis ex campo intra mœnia civitatis hujus migrandi, & Turcis propter commoditatem domos ſuas relinquendi, quorum omnium notitiam cum ſummo deſiderio ab Excellentiis Veſtris præſtolans optimam eisdem valetudinem & proſperos rerum ſucceſſus ex animo exopto. Dabantur Peterwaradini die 14. Novembris 1698.

MXXXV.

Litera FRIDERICI III. Electoris Brandenburgici, ad AUGUSTUM II. Poloniæ Regem, quibus ad acerbas & immeritas exprobrationes, ab atra bilis homine profectas, & in univerſalibus ſtylo Polonico ſcriptis publicata, modeſte reſpondet, 1698.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex, Domine cognate & Frater colendiſſime.

NIſi generoſum ac magnum Regiæ Majeſtatis Veſtræ animum probe cognitum haberemus, eſſet, quod cum Eadem conquereremur de inſolito ſcribendi genere, quod conſpicitur in literis, quas vocant Univerſalib9, die 15. Nov. ad Nobilitatem Polonam exaratis; ſed tantum abeſt, ut easdem ex mente Reg. Maj. Veſtræ confectas eſſe vel ſuſpicari ſaltem nobis liceat, quin potius ſole meridiano clarius conſtet, Scriptorem earundem abuti voluiſſe nomine Regio, ut virus odii ac livoris intra viſcera conceptum, nec tantum contra Nos, ſed & contra Reg. Maj. Veſtram ac inclytam Rempublicam ſæviens, ſub tanto clypeo, tutius ignoto adhuc evomeret ſtylo. Privatorum eſt, conviciis ac maledictis certare, Reges ac Principes vile iſtiusmodi atque abje-

by Google

abjectum ſcribendi genus abhorrent, & infra dignitatem ſuam putant eſſe, nec immerito, cum Principum injuriæ Principibus debeant eſſe cordi, nec fieri aliter poſſit, quin unius honor læſus in alterum redundet. Quod adeo verum, ut & illi, qui hoſtes aperti ac declarati bello invicem ſeſe proſequuntur, indecorum tamen putent, conviciis ſeſe proſcindere. Sed nec injuriis tantum ſcatent iſtæ literæ, ipſa etiam veritatis lux & factorum evidentia apertiſſime iisdem impugnatur. Aſſeritur bellum nos intuliſſe Reipublicæ. At nos publicis declaravimus ſcriptis, quod æternum iſtud cum Republ. inclyta pactum fœdus ſancte ac inviolabiliter ſervare, & quæ nobis ex eadem præſtanda incumbunt, religioſe præſtare velimus. Nec verbis tantum hoc, ſed & ipſo jam declaratum facto, nam ſtatim atque hypothecam, pacto jurato adeoq; divino ac humano jure Nobis debitam, conſecuti ſumus, ab omni abſtinuimus vi, quin & ex ipſis deditionis legibus patet, ultra hypothecarium iſtud jus nihil Nos proſequi, cum urbs ipſa adhuc in fide ac ſub juramento Reg. Maj. Veſtræ maneat, & jura, quæ eandem Reipubl. alligant corpori, ſarta tecta ipſi ſervata ſint. Quod deinceps Scriptor iſtarum literarum ipſum fœdus æternum ac juratum Bydgoſtienſe invidioſe perſtringere ac nobis ingratitudinis notam inurere ſatagat, in eo facit rem ſe uno tantum dignam. Expendantur ſaltem verba ac mens iſtius fœderis, & conſtabit luce meridiana clarius, reciprocam in eodem ſpectari utilitatem; nec Pruſſiæ ſupremum Dominium nec Elbingam, nec cœtera, quæ in eodem Nobis conſti-

tuta

tuta commoda, abſque gravisſimis atque juſtisſimis cauſis a Sereniſſima Republ. Nobis ceſſa eſſe. Non placet beneficia ad menſuram & pondus exigere aut æquare, ſed actorum fides docebit utilitatem, quam Sereniſſima Reſp. ex iſto percepit fœdere, tantum excedere eam, quæ ad Nos inde redundavit, quantum reſtitutio ac redintegratio totius corporis Reipubl. præſtat juribus ac incrementis quibusdam, quæ ad Nos inde provenerunt. Riſu potius quam reſponſione dignum eſt, quod Autor per fœdus iſtud Nos ex Illuſtriſſimo Sereniſſimum eſſe factum afferat, quaſi vero non toti terrarum Orbi conſtet, Electores Brandenburgicos Sereniſſimorum titulo jam multo ante gaviſos fuiſſe. Qui vero hic quadret, arrogans obſidionis Viennenſis ante ſeptendecim annos facta mentio, aliis examinandum relinquimus. Jura Gentium imo & divina læſa fuiſſe per negatam Nobis traditionem Elbingæ, adeo luculenter ſcriptis Noſtris demonſtratum, ut ſoli præferre facem videremus, ſi iis hic immoraremur, quod quidem Nos ab omni contraria imputatione, quam Scriptor literarum Nobis affingere & Nos ex jurato Amico inſidioſum hoſtem Reipubl. factum eſſe, impudenter non minus, quam calumnioſe aſſerere nititur, liberat. Porro ſi ob id, quod jus noſtrum & fidem pactorum juratam exegimus, vix chriſtiano nomine Nos dignos pronuntiare nitatur Scriptor iſte, non reperimus, quo nomine illum compellemus, qui omnem decoxiſſe videtur pudorem, nec minus fidem per falſiſſimam Regii tituli a nobis uſurpati imputationem. Ab vero pacta volunt, ut prius Commiſſarii conſtituantur aut mediatores moneantur, quam ad arma alterutra

Parti-

Digitized by Google

Partium progredi poſſit, ſed ne in animum quidem induximus armis aggredi Remp. & deinceps eadem pacta volunt, ut quamprimum recuperata fuerit Elbinga, nemini quam Electori Brandenburgico vacua illius poſſeſſio tradi debeat, NB, Citra ullas prætenſiones vel dilationes. Recuperata fuit Elbinga, traditionem Sereniſſimus Parens noſter ex pactis per totum Quinquennium continuum literis, legationibus, Internuntiis, petiit & in ſecutis temporibus repetivit, ſed fruſtra: Pacta clara ac liquida ſunt, eorum executio petebatur, quid opus erat commiſſario aut Mediatore, ut id, quod pacto apertiſſime conſtitutum erat, ad effectum deduceretur. Nec non mediatoris erat cognoſcere, an pacta ac promiſſa ſervari ac præſtari deberent, ad res dubias ac controverſas Mediatores aut Commiſſarii adhiberi debent, quod etiam pactorum tenori conſentaneum eſt, non ad res claras & liquidas. Quæ ſane apertiſſima fuit mens Paciſcentium, ut patet ex verbis diſpoſitivis. Quod Elbinga citra ullas prætenſiones ac dilationes tradi debeat. Et certe, ſi inclyta Reſpublica prætenſionum quid contra nos habeat, non defugiemus, nec mediatores, nec Commiſſarios, coram quibus longe graviores ac liquidiores, & quæ nobis competunt, diſcuti debent, quin & oblatam a Sereniſſimo ac Potentiſſimo Imperatore Romano Mediationem jam acceptavimus. Præſtabit utique de Elbingæ reſtitutione unica tractatione juxta pactorum tenorem agere, quam dubiam ſarmorum ſortem ſed pericula ac damna certa experiri: Scriptor quidem literarum jam claſſicum, jam arma viroſque canit, jam ad bellum & cædes provocat,

vocat, ſed quo in Reg. Majeſtatem Veſtram, quo in inclytam Rempubl. animo, Deo optimo Maximo, qui intima cordium ſcrutatur, notum eſt; an adeo leve ipſi videtur, amicas vicinas ac æterno fœdere junctas gentes in mutuam lanienam & ruinam propellere, ut nimirum mutuis attriti viribus tertio cuidam præda fiant. Utcunq; res cadat, ſi ad bellum deveniatur, excitium atq; excidium utrique genti certum eſt, nec aliud victorum præmium manebit, quam ut lugeat Victoriam. An publicus Patriæ hoſtis exitioſius quid ſuadere ac machinari poſſet? Nos quidem certi ſumus non tantum Reg. Maj. Veſtram, ſed & omnes probos ac fidei amantes viros, qui Patriam ac Rempubl. amant, ab infauſtis ejusmodi conſiliis abhorrere. Quæ mens nobis ſit, ex ſcriptis, quæ vulgavimus, patet. Reg. Majeſtatem Veſtram colimus & amamus, inclytam Remp. æterno amicitiæ ac fœderis vinculo ſtringimus ac complectimur, fœderis æterni, quod nos invicem jungit, obſervatio religioſa ſemper nobis curæ cordique erit; quod ſi præter ſpem & præter jus fasque, ſed juxta mentem ac votum Scriptoris, bellum nobis inferre animus ſit, inviti quidem ac reluctantes adverſus amiciſſimam ac fœderatam gentem deſcendemus in arenam, ſed freti juſtitia cauſæ noſtræ, & auxilio Dei, Vindicis violatæ fidei, injuſtam vim juſta vi repellere nitemur; Sed meliora nobis a Generoſa ac juſta mente Reg. Majeſt. Veſtræ promittimus, quam ſoſpitem ac florentem ac ſanam ex animo cupimus. Dabantur ex arce noſtra Coloniæ ad Svevum die 22. Novembris 1698.

FRIDERICUS ELECTOR.

MXXXVI.

Digitized by Google

MXXXVII.

Literæ AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad LEOPOLDUM Rom. Imperatorem, cui, quid ab Electore Brandenburgico Poloniæ contra pacta Velavienſia intentatum ſit, ſignificat, ejusque in eo negotio mediationem interponi cupit, 1698.

EO ipſo tempore, quo ex Senatus Conſulto Majeſtati Veſtræ, vi atque armis Seren. Electoris Brandenburgici obſeſſam Civitatem noſtram Elbingenſem, ac poſt deditionem coactam ſignificare, tantoque vulneri medelam tanquam a mediatore fœderis perpetui Velavienſis quærere debueramus, accepimus literas ejusdem, quibus pro ſua incomparabili æquitate inſolens hoc factum & attentatum non damnare modo, ſed & ſeorſiva Epiſtola Serenitatem Electoralem Brandenburgicam commonere voluit, ut ab inceptis abſtineret. Jure merito tam æqua mens Majeſtatis Veſtræ debitas ſibi gratiarum repetit vices, easque tanto ſolenniores referimus, quanto gravior ac minus ſperata injuria non in animis tantum civium hujus patriæ, ac præprimis noſtro, ſed alienis etiam juſtam movet acerbitatem. Igitur tum literis Majeſtatis Veſtræ provocati, tum tabulis prædicti fœderis inſiſtentes enormem hanc atque hoſtilem Reip. læſionem eidem tanquam vicino Principi & tanquam mediatori manifeſtamus. Palam eſt obliteratam hanc, an verius præſuperatam tot juſtiſſimis Reip. indultis prætenſionem exceſſiſſe contra pacta, quibus utique, ſi quid contra ea reſultaret, amicabiliter non vi tranſigere cautum eſt; ſacrum etiam fœdus, dum maxi-

maxime juvari debuerat, debilitaſſe, ſociis in ſe converſis armis; Fœderis denique perpetui Velavienſis, pro Vaſallagio, ut ſonat Articulus, permiſſo, amaram ac vix ferendam cunctorum cordibus pœnitentiam injeciſſe. Hæc omnia ubi profundius Majeſtas Veſtra penſata eſſe voluerit, conſulere tum ſuæ autoritati, tum noſtræ ac reipublicæ indemnitati, & violatæ ſecuritati omni meliori modo non intermittet. Quod ferventiſſimis commendantes deſideriis Majeſtati Veſtræ optimam valetudinem ac fauſtiſſimos precamur ſucceſſus. Dabantur Varſavia 17. Novemb. 1698.

M XXXVIII.

Reſponſoriæ LEOPOLDI, Rom. Imperatoris ad præinſertas AUGUSTI II. Poloniæ Regis literas, quibus Vratislaviam velut locum congreſſui habendo idoneum proponit, eumque ut durantibus tractatibus Polonos a vi & hoſtili irruptione abſtinere jubeat, amanter hortatur, 1699.

Literas reſponſorias Serenitatis Veſtræ in cauſa Elbingenſi die 17. Nov. nuperi datas, quibus ut ſuæ, & Reip. Polonæ indemnitati, ſecuritatique conſulamus, autoritatem noſtram mediatricem interpellat; paulo quidem tardius accepimus, eas tamen ſic interpretati ſumus, ut cum aliis quibuscunque durioribus mediis concordiæ & amicæ transactionis tentamen prætermittere æquum & Chriſtianum ſit, Ser. Veſtræ non ingrata fore officia exiſtimemus, quæ eidem, ut & Sereniſſimo Electori Brandenburgico hunc in finem, optima intentione, obtulimus, quemadmodum

modum & prædictum Electorem illa prompte amplexum eſſe Serenitas Veſtra ex Ablegato noſtro Comite Siedlnicki jam tum uberius intellexerit, quandoquidem igitur publice intereſt, hujus tam ſalutaris operis quantocius fieri initium, viſum nobis eſt Serenitati Veſtræ non tantum pro loco amicabilis congreſſus urbem noſtram Vratislaviam, qua vix commodior, omnibusque partibus opportunior dabitur, proponere, ſed etiam ab eadem fraterne contendere, ut unum vel plures Plenipotentiarios ſuos illuc circa diem 14. vel 15. inſtantis Menſis Martii non gravetur ablegare, ſiquidem & noſtrum eodem tempore ibi adeſſe jubebimus, & Brandenburgicum ſimiliter eſſe ibidem futurum non dubitamus, admiſſuri etiam libenter ſociatam amicorum operam, ſi qui forte vigore pactorum Bydgoſtienſium, vel a Serenitate Veſtra requiſiti vel proprio animi motu addicti in initio aut progreſſu negotii illuc Miniſtros ſuos ſubmiſerint. Sed & illud a Serenitate Veſtra petimus, ut, ſicuti prædictus Elector ad hanc rem ex æquo & bono amicabiliter terminandam omnem facilitatem, quæ quidem ab ipſo deſiderari poſſit, ſe allaturum pollicetur, exitumque pacate ſine ulla armorum oſtentatione præſtolaturum; ita viciſſim Serenitas Veſtra ex ſua & inclytæ Reipublicæ parte omnes hoſtiles & repreſſaliorum actus inhibere, &, quidquid memorato Sereniſſimo Electori juſtæ defenſionis prætextum ſuppeditare poſſet, id prudenter avertere & amoliri velit, quo tanto facilius & ſine interruptione procedat officium, & ad optatum nobis per-

 ducatur

Digitized by Google

ducatur effectum. Quod ſicut a Serenitatis Veſtræ prudentia, & æquitate, perſpectoque in publicam tranquillitatem ſtudio nos haud difficulter conſecuturos, confidimus; ita eidem optimam valetudinem, & lætiſſimos rerum & conſiliorum ſucceſſus animitus apprecamur. Dabantur Viennæ 22. Januarii Anno 1699.

MXXXIX.

Litera AUGUSTI II. Poloniæ Regis ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus ipſi Electorem Brandenburgicum Elbingam, contra expreſſum Pactorum Velavienſium tenorem, vi occupaſſe nuntiat, eique amanter injungit, velit tanquam primarius Pacis Olivenſis Protector & vindex Poloniæ rationibus hoc in caſu candide conſulere, 1698.

PErtuliſſe jam famam ipſam Majeſtati Veſtræ violentum Sereniſſ. Electoris Brandenburgici attentatum, armis nuper tractæ in deditionem ſuam civitatis Elbingenſis, minime dubitamus, quo tamen clarius conſtet eidem ſummus noſter ac Reipubl. ex nunquam ſperato tali caſu dolor, neceſſarium cenſuimus expreſſis hiſce Majeſtati Veſtræ, uti pactorum Olivenſium, Rempublicam inter ac Sveciæ Regem Seren. initorum, Velavienſia vero cum Seren. Electore Brandenburgico pacta vel implicite tangentium mediatori & Guaranti palam facere. Factum hoc nequaquam convenire cum tabulis fœderis perpetui, quibus valide cautum erat, ne parti contra partem prætendenti, vel, ſi quidpiam exequendum reſtaret, aliter

aliter procedere licitum eſſet, quam per mediatorum requiſitionem. Eam itaque apertam fœderis perpetui pro Vaſallagio Reipublicæ debito in gratiam domus Brandenburgicæ conceſſi, violentiam,ac ſecuritatis publicæ læſionem, dum Majeſtati Veſtræ communicamus, certi ſumus non aliter ſuſcepturam, quam mente æqua & juſta, qua, ut provideatur fidei pactorum omni poſſibili modo, nullatenus intermittet. Quod nos proxime experturos ſperantes Deum Ter Optimum Maximum precamur,ut Majeſtati Veſtræ longævam ac diuturnam vitam in bona valetudine, ac felici rerum uſu concedere velit. Dabantur Varſaviæ die 17. Novembris Anno 1698.

Nota. Literæ ad Regem Angliæ datæ ejusdem erant tenoris,paucis ſaltem mutatis.

MXL.

Reſponſoria GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad præcedentes AUGUSTI II. Poloniarum Regis literas, 1699.

EX literis Majeſtatis Veſtræ die 17. menſis Novemb. ultimis ad nos datis, quam graviter ferat urbem Elbingenſem ab Electore Brandenburgico in poteſtatem ſuam eſſe redactam, non absque decenti mentis motu percepimus, ortam etenim eſſe occaſionem aliquam arctæ illius amicitiæ benevolentiæque, quæ inter Principes tanta inter ſe neceſſitudine, & nobiſcum conjunctos, & quæ ad pacem in illis orbis partibus conſervandam adeo neceſſaria eſt, perturbandæ,quam

 tamen

tamen tempeſtivo amicorum communium interventu boniſque officiis propediem rurſus coalituram ſperamus, nec quidquam, quod in nobis ſitum eſt, & quod ad opus tam pium ac ſalutare facere poſſit, omittemus. Quod ſupereſt Majeſtatem Veſtram Divini Numinis tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Aula apud Kenſington die 10. Januarii Anno 1699.

MXLI.

Litera AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad CHRISTIANUM V. Daniæ Regem, de diſſidio Elbingæ cauſa ſe & Electorem Brandenburgicum inter exorto agentes & Comiti Galeckio fidem adſtruentes, 1698.

PErtinet ad Majeſtatem Veſtram rei atque cauſæ apprehenſio, in quam Nos & Rempublicam iſtam, nihil ſimile ſperantes, Sereniſſimus Elector Brandenburgicus conjecit, civitate noſtra Elbingenſi vi & armis nuper in deditionem ſuam coacta. Cum enim pactis Velavienſibus, quibus loco Vaſallagii Regibus Poloniæ & Reipublicæ debiti Electores Brandenburgici in perpetuum fœdus cum eadem cooptati ſunt, ſecuritas concluſorum ibidem ad Majeſtatem Veſtram relata, nec quidquam parti contra partem ſe judice & interprete, multo minus armorum oſtentatione permiſſum, ſed totum, quidquid ex iis exequendum vel prætenſum reſultaret per mutuam commiſſionem, ac, ſi hæc non ſufficeret, per autoritatem mediatorum, ſignanter Majeſtatis Veſtræ, ſopiendum cautum ſit, minime dubitavimus, quanto-

cius

cius de tam atroci & inſperato caſu Majeſtatem Veſtram informare. Quo fine ad eandem delegavimus Senatorem Regni illuſtrem & Magnificum Franciſcum Comitem in Krotoszyn Galecki Palatinum Junivladislavienſem. Huic itaque præmiſſa uberius expoſituro velit Majeſtas Veſtra plenam fidem tribuere atque faciles concedere, quoties nomine noſtro popoſcerit, acceſſus. Nos interim eidem optimam valetudinem intra feliciſſimos rerum ſucceſſus ex animo precamur. Dabantur Varſaviæ die 17. Novembris Anno 1698.

Nota. Ejusdem tenoris literæ ſcriptæ etiam ad Generales fœderati Belgii Ordines, mutatis ſaltem mutandis, fuere.

MXLII.

Reſponſoria CHRISTIANI V. Daniæ Regis ad præinſertas AUGUSTI II. Poloniarum Regis literas, quibus ipſi, ut mitiora media omnia in removendis gliſcentibus cum Electore Brandenburgico diffidiis adhibeat, ſedulus ſuaſor eſt, 1699.

Quo arctior eſt ea, quæ nobis cum Majeſtate Veſtra, uti & cum Sereniſſ. Electore Brandenburgico intercedit ſanguinis fœderisque neceſſitudo, eo major ſubit animum noſtrum ſolicitudo, dum intelleximus adeo graves inter Majeſtatem Veſtram ac dictum Electorem, occaſione civitatis Elbingæ, huic per pacta Velavienſia, & Bydgoſtienſia, jure hypothecæ conceſſæ, ſubortas ſimultates, ut verendum ſit, ne res ad extre-

ma decurrant, & bellum, quod auxiliante divina gratia non ita pridem in orbe Chriſtiano extinctum fuit, denuo in oriente exardeſcat. Quum vero nobis perſuadere non poſſimus Majeſtatem Veſtram cum inclyta Republica Poloniæ, pro ſua in bonum publicum pietate & cura paſſuram, multo minus cauſam daturam, ut ejusdem arma, quibus ſumma cum gloria hactenus Chriſtiani nominis hoſtes propulſavit, in viſcera Chriſtianorum convertantur; Idcirco facere non potuimus, quin pro fraterno & amicisſimo, quo Majeſtatem Veſtram, ac inclytam Rempublicam Poloniæ complectimur affectu, hiſce ab eadem contendamus, ne ob offenſam, ſi quam ex occupata ſupradicta civitate putet accepiſſe, protinus ad arma, tanquam ad extrema, & quæ facilius capiuntur, quam deponuntur, proſiliatur; ſed prius ex præſcripto ante memoratorum pactorum Velavienſium & Bydgoſtienſium amicæ compoſitioni locus relinquatur. Eo Serenisſimum Electorem Brandenburgicum quoque propendere non dubitamus, certaque nobis ſpes eſt, Principes & Status, quorum officio mediatorio ſæpius dicta pacta Velavienſia & Bydgoſtienſia concluſa fuerunt, eam inituros viam & rationem, ut orta disſidia æquis & honeſtis conditionibus utrinque componantur. Ad quod promovendum & perficiendum noſtram pariter operam & officia ſincere conferemus. Dabit hoc ipſo Majeſt. Veſt. cum tota inclyta Republ. Poloniæ ſumme laudabile, & nunquam apud poſteros intermoriturum æquitatis ac moderationis exemplum. Nos vero habebimus, quod nobis

bis & orbi Chriſtiano gratulemur, nullam de cætero intermiſſuri occaſionem Majeſtati Veſtræ inclytæque Reipubl. Polonæ promptisſima noſtra ſtudia, & propenſam voluntatem re ipſa comprobandi. Quod ſupereſt Majeſt. Veſtram divinæ clientelæ ad longævam incolumitatem, & omnium votorum felicisſimos ſucceſſus animitus commendamus. Dabantur in Regia Hafniæ die 6. Decemb. 1699.

MXLIII.

Litera AUGUSTI II. Poloniarum Regis, ad CAROLUM XII. Sveciæ Regem, quibus ipſi Elbingam ab Electore Brandenburgico vi captam eſſe refert, & Franciſcum Comitem in Krotoszyn Galecki, Legatum ſuum impenſe commendat, 1698.

GRavisſimus, quo nos ac Rempublicam Serenisſimus Elector Brandenburgicus affecit, dolor, dum recentisſime Civitatem noſtram Regiam Elbingenſem, vi in deditionem ſuam adegit, coram Majeſtate Veſtra uti vicino & amico Regni hujus Principe nec celari debet, nec poteſt. Turbata enim tam amici, tamque vicini Regni quiete & tranquillitate, adhuc dum ſtante bello Turcico, mala atque incommoda inde ſecutura exiſtimamus Majeſtatem Veſtram pro ſua in fœdera religione ad ſe derivaturam. Super quæ, ut uberius Majeſtati Veſtræ mens noſtra ac Reipublicæ conſtare valeat, ablegavimus ex Senatus conſulto Illuſtrisſimum & Magnificum Franciſcum Comitem in Krotoſzyn Galecki Pa-

 latinum

latinum Juniuladislavienſem Regni Senatorem. Ille, quicquid nomine noſtro expoſiturus eſt, Majeſt. Veſt. benevole acceptura atque plenam fidem adhibitura eſt. Nos mutuam ſemper in omni occaſione ſpondentes benevolentiam, inter proſperos rerum ſucceſſus Majeſtati Veſtræ optimam valetudinem animitus precamur. Dabantur Varſaviæ die 17. Novembris Anno 1698.

MXLIV.

Reſponſoria CAROLI XII. Svecorum Regis ad proxime præcedentes AUGUSTI II. Poloniæ Regis literas, quibus pariter ad diſſidium quam primum conficiendum mediationem ſuam offert 1699.

TAnta eſt ſinceri noſtri affectus erga Majeſtatem Veſtram tamque ſolide fundata integritas, ut nihil nobis ſit optatius, quam ſi evidentiori aliquo documento ſtudia noſtra voluntatibus & utilitatibus Majeſt. Veſtræ plane addicta eidem comprobare valeamus, id quod ne hac quidem occaſione permittendum cenſuimus, poſtquam crebris nobis innotuit nuntiis, aliquid disſenſionis cum Sereniſſ. Electore Brandenburgico ex negotio Elbingenſi obortum eſſe, facile majorum malorum inde emerſura ſegete, niſi Divina ope ac mediis inter Chriſtianos Principes, ejusmodi in caſibus adhiberi ſolitis præveniatur. Nec dubitamus Majeſtatis Veſtræ generoſam & magnanimam mentem conſervandæ in orbe Chriſtiano quietis & tranquillitatis, tanto fore cupidiorem, quanto plus gloriæ ex bellis adverſus

Chriſtiani nominis hoſtes fortiter, feliciterque geſtis hactenus conſecuta eſt. Ea fiducia, ac in Majeſtatis Veſtræ amicitia firma ſpe repoſita non minus, quam ſollicita publicæ ſalutis cura commoti & impulſi intermittere non potuimus, quin Majeſtati Veſtræ offeramus operam noſtram mediatricem pro redintegranda cum Seren. Electore Brandenburgico priſtina concordia, avertendisque motibus, quibus vicinæ, & fœderum eximia fide hactenus gaviſæ gentes collidi, mutuoque atteri poſſent, præſertim cum utrinque incolumitati ac proſperitati quam optime cupiamus conſultum. Confidimus igitur Majeſtatem Veſtram pro ſumma ſua æquanimitate, & tanto faſtigio digna haud ægre noſtra admiſſuram ex optima & Majeſtatis Veſtræ emolumentis faventiſſima intentione, oblata officia, quibus, ſi quid ulterius adjicere poterimus teſtandæ intimiori benevolentiæ, id omiſſuri neutiquam ſumus. De cætero Majeſtatem Veſtram ad diuturnam incolumitatem & proſperos rerum ſucceſſus Deo Ter optimo maximo ex animo commendamus. Dabantur in Palatio Regio Holmenſi die 7. Januarii Anno 1699.

MXLV.

Litera MARIÆ CASIMIRÆ, Reginæ Poloniæ viduæ, ad ORDINES REGNI POLONIÆ, quibus graviter conqueritur falſos contra ſe ſuamque Domum a quibuſdam malevolis ſparſos eſſe rumores, 1698.

Maria

Digitized by Google

Maria Caſimira, Regina Poloniæ &c.

Illuſtrisſimi, Reverendisſimi, Perilluſtres, Illuſtres ac Magnifici ſincere Nobis dilecti.

INter cætera mala, quibus Nos dextra Domini tetigit, partim orbitate gravisſima & nunquam ſatis deplorabili, partim coacto (ſine exemplo) Varſovia diſceſſu noſtro, illud gravisſimum ac intolerabile fuit ſparſa contra Nos Domumque Noſtram Serenisſimam falſitatis fama. Sub hac enim evanuere & periere tam intra, quam extra æqualitatem, glorioſisſima merita per aliquot annos vita & ſalute defuncti Serenisſimi Regis Domini Mariti Noſtri deſideratisſimi comparata. Hæc mutavit veterem celeberrimorum Polonorum erga Dominos ſuos domosque eorum memoriam in Vatinianum odium; Hæc ſerenisſimos Principes filios Noſtros dilectisſimos effecit hoſtes Patriæ, qui in amore erga illam nemini palmam ſibi præripiendam permittent, veſtigiis glorioſisſimorum Majorum ſuorum procedendo. Unica Nobis exinde ſuperſtes relicta conſolatio, quod veritas poſſit premi, non opprimi, qua ipſe Dominus orphanos ſolatur, nihilque tam occultum, quod non reveletur, prout jam perfectus rerum inveſtigator tempus exhibet. Ubi illæ Confœderationes, quæ filios noſtros inthronizare debuerunt? Ubi Tartarorum, Coſaccorum, Valachorumque exercitus, qui liberam electionem, pro parte eorum cogendam promiſerunt? Quis illos in mente habuerit,

rit, eorumque opera uti intenderit, aut cujus nomine? Anne Nos cum domo Noſtra ad eos recurrerimus vel minimo prætextu? Nolumus quenquam, quod Deus avertat, arguere, neque cauſam calamitatis Noſtræ ulli imputare totum deponentes in illas manus, quæ lachrymas viduarum, omniumque orphanorum abſtergunt, ſingulariterque oblivioni tradendo, ipſum quoque characterem & unctionem perſonæ Noſtræ Reginalis. Rogamus per amorem ipſius, qui uti propter omnes, ita præcipue propter Viduas Regnorum Statibus minatur, quatenus dignentur ſinceritates Veſtræ, puris oculis rectæ conſiderationis intueri ac inveſtigare, utrum ad Nos Domumque Noſtram omnes iſtæ objectiones referri potuerint, id concedentes ſtatui Noſtro pro ſingulari conſolatione conſervabimus, reddere anhelamus, uti illuc, quo aſpiramus cum voluntate & facultate eorum progrediamur ad limina Sanctorum Apoſtolorum ſtipatis perſona & fortuna, & ſalvis juribus Noſtris decore & auctoritate publica, libere & tute ab omnibus iniquis objectionibus ac ſuſpicionibus. Supplicabimus igitur omnipotenti Deo, quatenus dignetur clementisſimam huic patriæ largiri benedictionem, bonamque Diſpoſitionem ultimis diebus vitæ Noſtræ ita inſtituendam, pro ut ejus ſanctisſima voluntas exegerit, a quo & nunc Sinceritatibus & fidelitatibus Veſtris proſperos ſucceſſus & bonam valetudinem precamur, Anno 1698.

MXLVI.

MXLVI.

Litera PETRI, Czaari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad CAROLUM XII. Sveciæ Regem, quibus pro transmiſſis ſibi tormentis in excidium Turcarum adhibendis gratias agit, ac Novogardiæ Gubernatori dari veniam petit, nautas & homines rei maritimæ peritos in ipſius ditionibus conducendi, 1698.

CUm Veſtra Regia Majeſtate ſinceram amicitiam fidamque vicinitatem colere Nos, magnus Dominus, Noſtra Czarea Majeſtas, ex toto animo cupimus, optantes, ut mutuis officiis amicitia noſtra indies creſcat majoraque capiat incrementa: quod omni loco ac tempore Nos quæremus. Sicut autem optamus, ut tormenda bellica, quæ nobis miſſa ſunt, in perniciem & excidium Mahumedanorum, Chriſtiani nominis hoſtium, feliciter convertantur, ita Veſtræ Regiæ Majeſtati, amico Noſtro ac vicino optimo & dilectiſſimo, pro tam inſigni dono gratias agimus ſummas atque promittimus, Nos qualibet occaſione operam daturos, ut hoc beneficium demereri poſſimus. Ultimo Nos magnus Dominus, Noſtra Czarea Majeſtas, Regiæ Veſtræ Majeſtati voluimus indicare, nos noſtro præfecto & gubernatori magnæ Novogardiæ in mandatis dediſſe, ut in Veſtræ Regiæ Majeſtatis Regnum atque ad urbes viciniores, Revaliam, Narvam aliasque nobiles aliquot viros mitteret, qui in uſum atque commodum Noſtrum, inque expeditionem navalem, quam animo agitamus, capitaneos, navarchas, gubernatores atque nautas rei nauticæ,

nauticæ peritos conducerent. Et proinde Regiam Veſtram Majeſtatem, cariſſimum Noſtrum amicum & vicinum, maximopere rogamus, ut tam illis, qui a præfectis noſtris mercede conducantur, quam aliis, qui ſponte nomina ſua profiteantur, venia concedatur, ad militiam Noſtram tranſeundi. Quod auxilium, tum ad commune rei Chriſtianæ commodum pertinet, tum ad augendam ſtabiliendamque mutuam inter nos amicitiam & charitatem apprime faciet. Dab. Moſcuæ die 1. Decembris anno 1698.

MXLVII.

Literæ GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad PHILIPPUM REINHARDUM Comitem Hanoviæ, quibus ab eo amice contendit, velit Reformatæ Religionis aſſeclis Gallia pulſis auxilio & ſublevamini eſſe, eosque benigne ſub tutelam ſuam recipere, 1699.

Guilielmus Tertius, Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, Fidei defenſor &c. Illuſtriſſimo Domino, Domino Philippo Reinhardo, Comiti Hannoviæ, Reinecciæ & Biponti, Domino Munzenbergæ, Lichtenbergæ, & Ochtenſteinii, Mareſchallo Hæreditario & ſupremo Præfecto Epiſcopatus Argentinenſis, Conſanguineo & amico noſtro Chariſſimo, ſalutem!

Illuſtriſſime Domine, Conſanguinee & amice chariſſime.

CUm Evangelicæ veritatis antiqui Profeſſores Vallenſes, multa & gravia jam diu ea de cauſa

ſa perpeſſi, & graviora merito timentes, ſolum mutare quam Fidem maluerint, & Sedibus Patriis relictis in exilio voluntario vivere decreverint, ut conſcientiæ libertate frui potuerint, nos pro fraterna illa Religionis neceſſitudine, qua illi nobiſcum conjuncti ſunt, Populi afflictiſſimi miſeriis permoti, officii non ſolum noſtri, ſed & omnium Reformatam Religionem pariter amplectentium eſſe duximus acerbiſſimas eorum Calamitates, omni, qua poſſunt ope ſublevare, Excellentiam itaque veſtram ut eos in terras ſuas, & Clientelam ſuam recipiendos rebusque ad vitam neceſſariis pro Chriſtiana Charitate juvandos eſſe jubeat, plurimum rogatam volumus, quo rem nobis gratiſſimam, eximia ſua in Deum pietate dignisſimam & ad famam nominis ſui præclariſſimam faciet. Quod ſupereſt, Excellentiam veſtram Divini Numinis Tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Aula noſtra apud Kenſington die 9. Menſis Februarii anno Domini 1699. Regnique noſtri Decimo.

Excellentiæ Veſtræ

Bonus Conſanguineus,
Guilielmus Rex.

Inſcriptio.

Illuſtriſſimo Domino, Domino Philippo Reinhardo, Comiti Hannoviæ, Reinecciæ & Biponti, Domino Munzenbergæ, Lichtenbergæ & Ochtenſteinii, Mareſchallo Hæreditario & ſupremo Præfecto Epiſcopatus Argentinenſis, Conſanguineo & Amico noſtro Chariſſimo.

M XLVIII.

MXLVIII.

Litera ALEXANDRI MAUROCORDATI, Plenipotentiarii Turcici ad PALATINUM MARIÆBURGENSEM, quibus Tartarorum officiales, ob irruptionem præter mandatum & præſcitum ſupremi Vicarii in Poloniam factam ſat duras pœnas daturos eſſe, captivosque omnes & ſingulos confeſtim reſtitutum iri pollicetur, 1697.

Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine, Domine colendiſſime.

PLaceat Excellentiæ Veſtræ recordari, quanta ſolicitudine inſtitimus & enixi ſumus, ut Excellentiſſimus D. Plenipotentiarius Polonus quantocius ſubſcriberet ſuis tractatibus, quo omnes hoſtilitates opportune amoverentur. Semper enim Tartarorum occaſionibus attenta inſolentia ſuſpicionem nobis præbebat, & curam noſtram eliciebat ad compeſcendum illorum impetum, & neſcio quo fato Dominus Legatus Venetus prælaudatum Dominum Plenipotentiarium Polonum ſibi fecit obnoxium, & diu multumque ſubſcriptionem ejusdem protraxit. Interea vero temporis Caſigerejus cum turmis Baſſiacenſium Tartarorum incurſionem inſtituit ante terminum temporis a ſubſcriptione tractatus ſtatutum, quam mandata Imperatoria ſtatim ſub ſeveriſſimis pœnis edita prævenire non poterant, etiamſi vero nullam de exitu iſtius excurſionis habemus notitiam, tamen ſatis indolere non poſſumus, quod delatio terminationis ſubſcriptionis tractatus tale quidpiam detrimentum afferre poſſit. Notum tamen at-

que compertum habeat Excellentia Veſtra illico atque acceſſum ad fulgidam Portam maxima ſollicitudine Nos procuraſſe reſtitutionem quorumcunque captivorum, quos Tartari poterant interea temporis abducere atque præterea animadverſionem in officiales, qui ſine expreſſa facultate fulgidæ Portæ auſi fuerint, ſeſe contra Dominos Polonos invehere. Et ſane excelſus ſupremus Vezirius hac occaſione voluit argumenta præbere ſuæ benignitatis, quod nondum concluſam pacem enixe protegendam ſuſceperit ſubinde & per ſe, & per celeberrimum recentem Hanum hic modo præſentem, tanta acerbitate contra inſolentes iſtos invaſores procedere ſeſe reſolvit, ut nihil ulterius poſſit optari, cujus rei certiorem voluimus facere. Excellentiam Veſtram, ut iis, quorum intereſt, non tam faciat hac de re mentionem alte memorati ſupremi Veziri, qui nec in poſterum deſinet ſeveriſſime animadvertere in illos, qui conſimiles excurſiones auſi fuerint perpetrare. Interim ſi quid de hac re ex Polonia ſcire contingeret, rogo, nos informare ne gravetur.

Excellentiæ Veſtræ

Datum Adrianopoli
die 25. Febr. 1699.

Addictiſſimus Servitor & benevolus

Alexander Maurocordato.

MXLIX.

Digitized by Google

MXLIX.

Literæ recredentiales a LEOPOLDO, Rom. Imperatore, Gabrieli Comiti ab Oxenſtiern, Internuntio Suecico, ad CAROLUM XII. Suecorum Regem traditæ, 1699.

Leopoldus &c.

VIſum eſſe Serenitati Veſtræ, ſuum apud Nos Plenipotentiarium Illuſtrem & Magnificum, ſincere Nobis dilectum, Comitem Gabrielem Oxenſtierna, ad Ducatus Bipontini adminiſtrationem ex Aula Noſtra avocare, ex Literis Serenitatis Veſtræ paucis abhinc diebus Nobis traditis perſpeximus. Promeruit ſane Miniſtri hujus exercitata longo uſu prudentia, & in rebus agendis dexteritas, ut ad ampliſſima quæque munia a Serenitate Veſtra admoveatur, atque uti illum, vel ideo minus inviti dimittimus, quod eam, quam nactus eſt ſpartam ipſi majori honori & utilitati præmiumque quoddam laborum hactenus pro Republica exantlatorum fore ſperemus, ita & benevolentiam Noſtram ſibi tot nominibus conciliavit, ut quicquid ei gratiæ & benevolentiæ a Serenitate Veſtra ulterius præſtitum fuerit, id illum abunde meritum eſſe exiſtimemus. Quod de cætero in Ejus locum Serenitas Veſtra propediem alium ad Nos Miniſtrum colendæ amicitiæ mutuæ ſubmiſſura ſit, Nobis peroptatum accidit, neque Nos paribus officiis reſpondere intermittemus: Secundos interim ſucceſſus jugemque incolumitatem Serenitati Veſtræ ex animo apprecantes.

cantes. Dabantur in urbe Noſtra Viennæ, die quarta Martii, 1699.

ML.

Literæ LEOPOLDI, Rom. Imperatoris, ad MICHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, a quo amantiſſime contendit, ut quicquid apud populum gratiæ & autoritatis haberet, id omne ad tollendum funditus ſuſpicionum & diſſenſionum fomitem, & confirmandum inter Regem populumque amorem, fiduciam & obſequium conferre haud gravetur, 1699.

Leopoldus. (tot. tit.)

INter præcipuas, quibus circa res exteras ſollicitamur curas, nulla pene Nobis antiquior, quam ut vicinum conjunctumque Nobis multifariis nexibus Regnum Poloniæ ſalvum ſit & incolume, idque tam Noſter erga inclytam gentem affectus, quam provinciarum Noſtrarum rationes a Nobis videntur poſtulare. Hæc profecto cauſa eſt, cur ab ultima præſertim novi Regis Electione omni ſtudio in id incubuerimus & incumbamus adhucdum, ut diſſidentes in Regno animorum motus penitus componantur, & firma integraque inter Regem & Proceres, univerſamque adeo Rempublicam ſtabiliatur concordia, mutuaque fiducia. Quod tamen non uſque eo videmur eſſe aſſecuti, quin adhuc aliqua, uti dolenter advertimus, apud quoſdam Reipublicæ Cives ſuperſint ſuſpicionum & diſſidiorum indicia, quæ niſi communi ſtudio & opera tempeſtive remo-

removeantur, in magnam aliquando Regni perniciem ingraveſcere poſſe perſpicimus. Etſi igitur in præſentibus pacificationum Comitiis neminem fore ſperemus Patriæ ſuæ ita parum amantem, qui rei tam ſalutari conſilia & operam ſuam pro virili gravetur impendere, non neſcii tamen ſumus, nullum id majori autoritate & fructu, quam Reverendiſſimam Paternitatem Veſtram poſſe præſtare, adeoque cùm de Sereniſſimi Regis voluntate ita ſimus perſvaſi, fore, ut nihil a ſe patiatur deſiderari, quo de ſincero ſuo juxta pacta conventa tuenda libertatis, firmandæque mutuæ fiduciæ animo enixoque ſtudio, cunctas nationes reddere ſecuras queat, in Reverendiſſimam Paternitatem Veſtram potiſſimam ſolicitudinis Noſtræ partem transfundentes, amice ab eadem requirimus, ut quidquid habet apud Proceres & populum gratiæ & autoritatis, id omne ad tollendum funditus diſſenſionum & ſuſpicionum fomitem, & ſolicitandum inter Regem & ſubditos amorem, fiduciam & obſequium conferre non recuſet. Erit hoc opus inſitæ ejusdem pietati congruum, quo tam Nos haud minus devinctos fore ſtatuemus, ac ſi id non tam ſponte ſua, quam rogatu noſtro præſtitiſſet. Qui, quod reliquum eſt, Reverendiſſimæ Paternitati Veſtræ jugem valetudinem exoptamus, & conſtantem benevolentiæ Noſtræ affectum addicimus. Dabantur Viennæ Anno 1699.

MLI.

Literæ recredentiales quas HEDWIGIS ELEONORA, Sveciæ Regina, Comiti d'Avaux, Oratori

Gallico, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem tradidit, 1699.

Nos Hedwigis Eleonora &c.

Reddidit Nobis Majeſtatis Veſtræ honoratiſſimas literas ad Fontem Bellaqueum die 9. Octobr. anno præterito datas, ejusdem legatus Extraord. Dn. d' Avauxius, idemque faciendo ſimul alloquio teſtatus eſt, conſtantem ac benignum Majeſtatis Veſtræ egregiæ erga nos voluntatis affectum, ante diſceſſum ſuum apud Nos relicturos. Non poſſumus non gaudere, tam frequentibus nos Majeſtatis Veſtræ amicitiæ teſtimoniis ornari eoque nomine Majeſtatis Veſtræ Legatus Extraordinarius eidem ſit relaturus, quanto in pretio ac honore apud nos ſit Majeſtatis Veſtræ declarata toties erga nos benevolentia, & quam nobis curæ cordique ſint, quæ Majeſtati Veſtræ proſpera lætaque obveniunt. Nec hic diſſimulare poſſumus, quam ſe dignum tanto Rege Miniſtrum præſtiterit, Dominus Comes d' Avauxius in hac Aula, toto quo apud nos vixit tempore, in cujus favorem, quidquid adjecerimus, meritis ejus minus erit. Itaque fuſiore verborum ambage ſuperſedentes Majeſtatem Veſtram divinæ tutelæ ad longævam incolumitatem ac glorioſos rerum ſucceſſus ex animo commendamus. Dab. in Palatio Regio Holmenſi Apr. $\frac{12}{22}$. 1699.

Majeſtatis Veſtræ

Hedwigis Eleonora,
Regina Sveciæ.

Th. Polus.

MLII.

Digitized by Google

MLII.

Literæ recredentiales, quas CAROLUS XII. Svecorum Rex, Comiti d' Avaux, Internuntio ad Aulam ſuam Regis Chriſtianiſſimi, LUDOVICO XIV. Galliæ Regi exhibendas commiſit, 1699.

Nos Carolus, Dei Gratia &c.

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi, Domino Ludovico XIV.

INter illuſtria Documenta, quibus ſincerum amicitiæ ſuæ affectum teſtatum perſpectumque nobis reddere Majeſtas Veſtra voluit, non ultimo loco reponendum cenſemus, quod Majeſtas Veſtra per Legatum ſuum Extraord. Illuſtr. atque Magnificum nobis ſincere dilectum Dn. Comitem d' Avauxium, utpote Miniſtrum eximiis animi dotibus, & in tractandis arduis negotiis ſingulari prudentiæ & dexteritatis laude jam pridem celebrem, ea apud nos jecerit fundamenta ſtrictioris conjunctionis ac nexus, quæ tum ad ſalutem & tranquillitatem Orbis Chriſtiani aſſerendam, tum ad redintegrandam antiquam illam animorum & conſiliorum unionem, inter Reges regnaque Sveciæ & Galliæ glorioſe ſuſtentandam plurimum momenti adferre poſſint. Hunc igitur Majeſtatis Veſtræ Legatum Extraordinarium munere ſuo jam aliquot per annos apud nos præclare & feliciter perfunctum nobisque ob conciliata nos inter & Majeſtatem Veſtram mutuæ benevolentiæ & intimioris confidentiæ augmenta ſummopere gratum, non ſine teſtimonio noſtræ erga

eum ſingularis propenſionis, dimittendum cenſuimus, amplioribus condecorandum elogiis, niſi Majeſtati Veſtræ notiora ejus eſſent merita, quam ut aliena commendatione indigeant. Id ſaltem quin ſignificemus præterire non poſſumus, eum ſedulitate ac ſolertia ſua in exponendo Majeſtatis Veſtræ erga nos affectu id effeciſſe, ut confidamus illum eadem integritate de noſtra viciſſim in Majeſtatem Veſtram ſincera & enixa voluntate firmoque noſtro propoſito cum Majeſtate Veſtra amicitiam ſolidam ac indiſſolubilem alendi atque augendi fidum ac locupletem teſtem fore. De cætero Majeſtati Veſtræ ſecundos & glorioſos rerum ſucceſſus, jugemque incolumitatem, ex animo apprecamur. Dabantur in Palatio noſtro Regio Holmenſi die $\frac{27}{17}$. April. 1699.

Carolus.

MLIII.

Litera GUILIELMI PAGIET, Plenipotentiarii a Magna Britannia Rege ad Carolovicenſes tractatus miſſi, ad STANISLAUM MALACHOCHOVIUM, Palatinum Poſnanienſem & in ante memorato congreſſu Regni Poloniæ Plenipotentiarium, quibus Turcicos Plenipotentiarios, omni ſedulitate eo anniti aſſerit, ut Regno Poloniæ ob irruptionem a Tartaris nuper factam plenarie ſatisfiat, 1699.

Illuſtriſſime & Excellentisſime Domine, Domine Colendisſime.

Cum Excellentisſimi Domini Plenipotentiarii Ottomannici fulgidam Portam ingreſſi

greſſi de quadam Tartarorum in Poloniæ limites invaſione, quamvis ante notificationem pacis inſtituta, rumorem accepiſſent, protinus adhibita ad malum hoc inhibendum ſedulitate per ſuas literas mihi nuntium participarunt, has autem prout modo facio, Excellentiæ Veſtræ transmittere, haud abs re fore duxi, illud animo revolvens aliter tam Excellentiæ Veſtræ, quam Dominis Ottomannicis Plenipotentiariis ſatisfactionis correſponſoriis videri. Dabitur Excellentiæ Veſtræ occaſio inſpiciendi, quanto religionis ardore alte memorati Domini pacis nuper concluſæ integritatem ſibi tuendam aſſumpſerint. Ad hoc autem officium lubens devenio, cum inde commoda occaſio ſuppeditetur mihi, ut Excellentiæ Veſtræ obſequia mea deferre, eandemque de candidi cordis non langueſcente affectu certiorem facere poſſim. Id velim ſibi perſuaſum habeat Excellentia Veſtra, me, prout in Carlovicienſi congreſſu ſincera ſibi devotione addictum cognovit, ſic etiam ubicunque eodem tenore firmiſſime permanſurum. Tales enim enitent in perſona Excellentiæ Veſtræ animi dotes, ut ſemel illis in perpetuum me profiteri velim & opto

Excellentiæ Veſtræ

Datum Belgradi die 18 Martii anno 1699.

Humillimum & addictiſſimum ſervum

Guil. Pagiet.

 MLIV.

MLIV.

Literæ GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad JOHANNEM WILHELMUM, Electorem Palatinum ad Rhenum, quibus ipſum modeſte hortatur, ut Sereniſſimi Parentis ſui mitiſſimæ clementiæ, legumac ſtatutorum S.R. Imperii Chriſtianæque charitatis memor ſubditos Auguſtanæ confeſſioni per Palatinatum addictos propitiori fortuna ac inturbata conſcientiarum tranquillitate frui gratioſe permittat, 1699.

Guilielmus Tertius, Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei defenſor &c. Sereniſſimo Principi, Domino Joanni Wilhelmo, Comiti Palatino ad Rhenum, Sacri Romani Imperii Archi-Theſaurario & Principi Electori, Duci Bavariæ, Fratri Conſanguineo & Amico noſtro chariſſimo Salutem!

Sereniſſime Princeps, Frater, Conſanguinee, & Amice Chariſſime.

CUm ex Literis Celſitudinis Veſtræ Electoralis die 16. Decembr. ultimi nobis abunde conſtet, ipſi perſuaſum eſſe, Catholicos Romanos, quorum magnus numerus non in Hibernia tantum, ſed & in aliis noſtris regnis reſidet, nequaquam, ut rumor erat, male habitos eſſe, aut ullas Religionis ſuæ cauſa moleſtias pati, quod non ſolum verum eſt, ſed eadem libertate, eodem legum præſidio, iisdemque in illo regno privilegiis ac cæteri ſubditi noſtri fruuntur, ita ut publicorum onerum immunes, conditione commodiore

diore eſſe quam reliqui videantur. Quod cum ita ſit, datam inde juſtisſimam anſam & argumentum exiſtimamus parem gratiam libertatemque in Palatinatu Rheni, Religionem reformatam profitentibus, petendi & impetrandi, quorum conditionem nunc temporis afflictisſimam, eccleſiis ablatis, pulſis Paſtoribus, & aliis varii generis moleſtiis affectorum, non ſine multo dolore intelligimus, ut qui bello nuper cum aliis miſeri, pace autem pacta, nullo ſuo merito miſerrimi facti ſint, cum id ſolum iis crimini vertatur, quod fidem ſuam arbitrio alieno mancipare recuſaverint; Nec enim posſibile videtur cuiquam id credere, quod aliis credendum propoſuerit aut injunxerit, & cum cultus norma, in qua nati, eruditique ſunt, adeo altas radices egerit, ut niſi cum vita ſimul evelli nequeat, patriam deſerere, & in exilio cum libertate mentis, quam domi ſub iniquo animi jugo vivere præoptaverint. Quare Patris Celſitudinis Veſtræ Electoralis ingenio excellenti & eximia prudentia Principis exemplum ipſi ante oculos ponendum erit, cujus in omnes ſuos ſubditos indulgentiæ & benignitatis felicisſimam ejus memoriam ſeculis omnibus conſecravere. Præterea pactorum Svevico-Hallenſium meminerit Celſitudo Veſtra Electoralis, de quibus ante aliquot annos de ſtatu Eccleſiæ & Academiæ in Palatinatu prædicto conventum erat, monenda inſuper videtur, nulla re magis quam manſvetudine & in omnes homines charitate præcipuam religionis Chriſtianæ vim conſiſtere; Quare Celſitudinem Veſtram Electora-

lectoralem, ut ſubditos ſuos, eodem cultus vinculo nobiſcum conjunctos, more magis tenero magisque Chriſtianis congruente tractari jubeat, etiam atque etiam rogamus. Quod ſupereſt Celſitudinem Veſtram Electoralem Divini Numinis tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in aula noſtra apud Kenſington die 9. Menſis Aprilis Anno 1699. regni noſtri undecimo.

Celſitudinis Veſtræ

bonus Frater, & Conſanguineus & Amicus

Guilielmus Rex.

J. Vernon.

MLV.

Litera LEGATORUM ET DEPUTATORUM *Statuum per S. R. Imp. Auguſtanæ Confesſioni addictorum, ad* CAROLUM *XII. Svecorum Regem, quibus ipſi Principales ſuos quandam Calendarii reformationem meditari nuntiant, eumque ut ſibi, qua ad eam mente feratur confeſtim renunciet, ſubmiſſe precantur, 1699.*

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex, Domine Clementiſſime!

REgiæ Majeſtati Veſtræ conſtare nulli dubitamus, quanta incommoda, circa Calendarium, Julianum & Gregorianum, præſertim ex diverſa dierum numeratione, de quibus ſuperiora tempora & nunc paſſim querelæ publicæ teſtantur

ſtantur in Germania hucusque ſint oborta, eaque propter tum Patrum noſtrorum, tum noſtra memoria de conciliandis habita fuiſſe conſilia. Cum vero hæc ſucceſſu caruerunt, intereaque gliſcere non deſinant lites, in nonnullis Imperii locis etiam, maxime ubi Catholici & Evangelici mixtim habitant, in magnum ſcandalum erupturæ; nunc ab omnibus & ſingulis Electoribus Principibus & Statibus Aug. Confeſsioni addictis, Dominis noſtris Clementiſſimis, Superioribus & Committentibus de tollenda omni dierum prædicta differentia denuo cogitatur. Quæ Weigelius Mathematicus Cæſareus & Saxonicus, nuper defunctus, hanc in rem attulit, eorum fere hæc ſumma eſt: Neque breviori neque tutiori via Julianum Calendarium ad Solaris curſus rationem, a qua, nimia illa quarto quovis anno facta intercalatione receſſit, reduci poſſe, quam ſi decem dies ante finem anni vergentis eximantur, neque ſequenti milleſimo ſeptingenteſimo anno dies intercaletur, vel quod perinde eſt, ſi dicto anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimum, ante vigeſimum quartum Februarii undecim dies una elidantur. Prout ex dicti Weigelii ſcripto hic adjuncto videre eſt. Hæc ſua ſe facilitate & commoditate Electoribus, Principibus & Statibus Imperii Aug. Confeſſioni addictis præ aliis omnibus in medium allatis, adeo commendant, ut in eam ſententiam rem quam primum confici optent. Neque hoc erit, a Majorum, qui Faſtos Gregorianos Superiori Seculo detrectarunt, inſtituto deficere, niſi, accedere propius ad curſum ſolis, Grego-

rianum;

rianum ſit; aut intercalatio centeſimo quovis trium ſeculorum anno facienda, deſinat eſſe inventum Mathematicum, aut Calendarium Gregorianum ſola dierum numeratione abſolvatur, & copia feſtorum non exigua nullam ejus partem conſtituat; aut demum res hæc a Romano Pontifice, nunc quoque, ut olim, inconſulto Cæſare & non requiſito Imperii ſtatuum atque Ordinum conſenſu ſuſcepta ſit, ut adeo cavendum ſit, ne Calendarii emendandi prætextu ei nova in Imperium jurisdictio & poteſtas quæratur. Nam non tam de re ipſa, quam de rei peragendæ modo diſceptationem tunc fuiſſe, Acta teſtantur. Nunc vero, cum manifeſtiſſimum ſit, rem aliter ſe habere, neminem eſſe, qui Calendarium pro Imperio obtrudat, qui ſpectaſſe autoritatem alienam, quippe non ſponte egiſſe, vel non pro ſuo jure, pro ea, quæ Statibus Evangelicis competit, libertate ſtatuiſſe, credi queat, non apparet nobis, quid huic inſtituto periculi ſubeſſe vel potius, quid Juri Evangelicorum Principum circa Sacra & profana oſtendenda, magis aptum ratumque eſſe poſſit; præcipue cum Status Auguſtanæ Confeſſioni addicti id operam daturi ſint, ut cauſæ, quibus moti ſaluberrimæ rei ſeſe accinxerint, Poſteritati conſtent, ipſisque Edictis publicis hac de re promulgandis inſerantur. At objiciat quis porro: Calendario ad hunc modum adornato quidpiam ad perfectionem defuturum eſſe. Sed non erit, cur a propoſito re-

ceda-

cedatur, niſi incerta pro certis, ſpecioſa dictu pro neceſſariis atque utilibus, longinqua difficiliaque pro expeditis promtisque captari placeat. Nequicquam enim Calendarium perfectiſſimum prædicet vel polliceatur, qui non id tale eſſe, mox univerſæ Europæ perſuaſerit, ac illud ubique gentium illico receptum iri, ſpondere poſſit, niſi Calendaria multiplicari & tertium nunc quoque duobus, quibus utuntur Chriſtiani, adjici præter rationem putet conducere. Eſt aliquid propius abeſſe a perfecto & viam muniviſſe, qua ad illud perveniri queat; Quod futurum aliquando Collegium Artium Mathematicarum ſperare jubet. Nihil itaque moratur Electores, Principes & Status Imperii Auguſtanæ Confesſioni addictos Dominos ac Superiores noſtros, quam quod neſciant, quid Regia Majeſtas Veſtra, cujus prudentisſima æque ac ſaluberrima conſilia ſemper ut in quavis re, ita & in hac plurimi faciunt, de anni ſic emendandi ratione ſentiat, & in Regnis ſuis Provinciisque Germanicis fieri velit. Regiam ergo Majeſtatem Veſtram ea, qua par eſt, ſubmiſſione rogamus, ne animi ſui ſenſa hoc de negotio clementisſime explicare, deque iis, quam primum fieri poterit, certiores nos reddere dignetur, præſertim cum tempus urgeat, & ea Evangelicorum Statuum Imperii mens ſit, ut quidquam in hac re, niſi unanimi omnium conſenſu ſtatuere nolint. De cætero Regiæ Majeſtati Veſtræ quævis fauſta atque felicia ex animo apprecantes, ejusdem gratiæ nos ſubmisſiſſime commenda-

mendamus. Ratisbonæ ex Comitiis die $\frac{17}{27}$. Maji 1699.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

humillimi

Sacri Romani Imperii Electorum, Principum ac Statuum Auguſtanæ Confeſſioni addictorum Conſiliarii & Legati ibidem Congregati.

Inſcriptio.

Sereniſſimo, Potentiſſimoque Principi ac Domino, Domino Carolo XII. Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi ac Principi Hæreditario, Magno Principi Finlandiæ, Duci Scaniæ, Eſthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ Principi, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Principi Rugiæ, Domino Ingriæ & Wiſmariæ, ut & Comiti Palatino Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, &c. Domino noſtro Clementisſimo.

MLVI.

Reſponſoria CAROLI XII. Svecorum Regis, ad præinſertas LEGATORUM ET DEPUTATORUM Statuum per S. R. Imperium Auguſtanam Confeſſionem amplectentium literas, 1699.

Carolus, Dei gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Eſthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stettini, Pomeraniæ, Caſſubiæ

ſubiæ & Vandaliæ Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ ; Nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux, &c. ſalutem ac propenſionem noſtram ſingularem.

Illuſtres, Generoſi, Magnifici, Nobiles & Spectabiles, Nobis ſincere Dilecti.

QUam gravibus de cauſis ab omnibus & ſingulis Electoribus Principibus, & Statibus Imperii Romano-Germanici Auguſtanæ Confeſſioni addictis de tollendis incommodis circa Calendaria, Julianum & Gregorianum, ex diverſa dierum numeratione obortis, litibusque exinde in Germania, maxime ubi Catholici & Evangelici mixtim habitant, indies gliſcentibus, cogitatio curaque ſuſcepta ſit, & quemadmodum ex illorum mandato ac autoritate, induſtria ac ſolertia Veſtra, collatis invicem Conſiliis Ratisbonæ, pro obtinendo tam ſalutari ſcopo, certæ quædam repertæ initæque ſint rationes, ex literis veſtris die $\frac{17}{27}$. Maji anni currentis datis latius uberiusque percepimus ; Cumque iisdem viſum ſit, Noſtram deſuper exquirere ſententiam, & quid in Regnis Noſtris Provinciisque Germanicis fieri velimus, non potuit non perquam grata & accepta Nobis accidere iſta Veſtra communicatio, atque inde eluceſcens ſingularis, tum Dominorum Veſtrorum, tum Veſtra in nobis collocata fiducia & de ſollicitis Noſtris in rem Evangelicam ſtudiis accepta perſvaſio, ad reciprocæ propenſionis & confidentiæ firmitudinem haud parum valitura. Fuit equi-

dem dicti negotii ita ad nos delati ea indoles ac natura, ut niſi exploratis Noſtratium Mathematicorum judiciis, quicquam de eo ſtatuere in promptu non fuerit. Cumque illi diverſis in locis degentes mutuam de hoc inter ſe communicationem fovere neceſſum duxerint, enata inde mora apud vos, utpote æquos rerum judices, excuſationem aut veniam facile inveniet. Cæterum ex monitis illorum hic adjunctis non obſcure patebit, quam & illi ſentiant emendationem Faſtorum neceſſariam eſſe, eamque in utroque Calendario deſiderandam exiſtiment, quo defectibus utrinque deprehenſis, communi conſenſu idonea afferri medela, & imprimis ad normam calculi Mathematici veram ac ſolidam temporum ſupputatio redigi ac ſtabiliri poſſit, cum parti non magis uni quam alteri indecorum futurum ſit, ex erroneis principiis natas hinc inde difficultates corrigere ac vim veritatis aliis omnibus præferre conſiderationum momentis ac partium ſtudiis. Sed ſi ad exactioris harmoniæ compoſitiorem ſtatum rem convaleſcere temporum ratio vetet, ac rationes politicæ potius ſuadeant qualemcunque Calendarii utriusque conciliationem amplecti, reliquorum Dominorum Electorum, Principum ac Statuum Evangelicæ Religioni addictorum deſtinatis neutiquam refragabimur, eorumque hac in re conſulta & decreta noſtris quoque in Germania provinciis accommodari facile patiemur; Ulteriori apud Nos deliberatione diſpecturi, qua Regni noſtri rationibus, utpote a Germaniæ ſtatu longe diverſis congruere ac convenire poſſint;

Quod

Digitized by Google

Quod, ut reſponſi loco ad literas veſtras impertiendum vobis cenſuimus, ita de cætero benevola propenſione vobis addicti permanemus. Dabantur in Palatio Noſtro Regio Holmenſi die 19. Menſis Auguſti Anno 1699.

Veſter

benevolus

CAROLUS

T. Polus.

Inſcriptio.

Illuſtribus, Generoſis, Magnificis, Nobilibus ac Spectabilibus Nobis ſincere dilectis Electorum, Principum ac Statuum Sacri Romani Imperii Auguſtanæ Confeſſioni addictorum ad Comitia Ratisbonenſia Conſiliariis & Legatis.

MLVII.

Literæ recredentiales nomine CIRCULI FRANCONICI Domino de Chamoy Chriſtianiſſimi Regis Plenipotentiario, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem traditæ, 1699.

Sereniſſime, Potentisſime ac Chriſtianisſime Rex, Domine Clementisſime.

NOn ſolum ex literis Regiæ Veſtræ Majeſtatis die 13. Menſis Maji nuperi Verſalliis ad Principes & Status Circuli Franconici, ſive ad Conventum, eorum nomine hic Norimbergæ congregatum, expeditis licuit cognoſcere, quam ea conſtanter & avide conſervationem tranquillitatis publicæ per tractatus Pacis Ryswicenſis tandem reſta-

bilitæ intendat, ſed id ipſum oretenus Dominus de Chamoy, Regiæ Veſtræ Majeſtatis apud Comitia Imperii Germanici Plenipotentiarius uberius nobis expoſuit, & quemadmodum confidimus, illum pari dexteritate, qua tam æquiſſimos Regii animi ſenſus expreſſit, ac nos ad ſummam Regiæ benignitatis venerationem adegit eidem relaturum, quam ſerio & ardenti ſtudio præmemorati Principes ac Status inclyti hujus Circuli, quantum in ipſis eſt, ad eundem ſaluberrimum ſcopum colliment, ſeque ſemper Regiæ Veſtræ Majeſtatis propenſioni & gratiæ commendatos deſiderent; Ita Deum Ter Optimum Maximum enixe precamur, ut eandem omni proſperitatum genere affluentem diu ſanam conſervet, atque incolumem. Dabantur Norimbergæ die $\frac{1}{11}$. Junii 1699.

Veſtræ Regiæ Majeſtatis Chriſtianisſimæ

humillimi

Principum ac Statuum Circuli Franconici Conſiliarii, Legati & Deputati in Conventu generali congregati.

Inſcriptio.

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi ac Domino, Domino Ludovico XIV. Franciæ & Navarræ Regi Chriſtianiſſimo, Domino Noſtro Clementiſſimo.

MLVIII.

Literæ a DEPUTATIS ELECTORUM PRINCIPUM ET STATUUM S. R. Imp. Coloniæ congregatis, ad LUDOVICUM XIV. Galliarum Regem

Regem exaratæ, quibus ipſi neminem inter ſe ſuper iis, quæ a Legato ipſius inopinantibus propoſita fuerint, inſtructum fuiſſe referunt, ſeque illius gratiæ humillime commendant, 1699.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex, Domine Clementiſſime.

EX literis, quæ a Regiæ Veſtræ Majeſtatis Extraordinario in Germaniam ablegato, Domino Philippeaux exhibitæ, & a nobis cum ſubmiſſa veneratione perlectæ fuerunt, propenſam ejusdem pro conſervatione ſtabilitæ pacis intentionem pluribus intelleximus, & prout in commiſſo Nobis negotio non fuerunt prævisa, quæ a Chriſtianiſſimæ Majeſtatis Veſtræ Ablegato Nobis propoſita ſunt, nec alia, quam rem œconomicam concernentia in præſentiarum pertractata ſint, nemo Noſtrum ſuper iis inſtructus fuit, quæ ad Regiæ Veſtræ Majeſtatis propoſita reſponderi poſſent, ſic condecentes & omnimode ſubmiſſas, pro tam ſingulari in bonum tranquillitatis publicæ collimante affectu & benevolentia agimus gratias, Chriſtianiſſimam Majeſtatem Veſtram protectioni divinæ, Nos autem perenni ejusdem gratiæ omni, qua decet veneratione humillime commendantes. Coloniæ die --- Junii 1699.

Veſtræ Regiæ Majeſtatis Chriſtianiſſimæ

humillimi

Electorum, Principum ac Statuum hic congregati Deputati.

MLIX.

Litera JOHANNIS HUGONIS, Electoris Trevirenſis, ad INNOCENTIUM PAPAM XII. quibus ab ipſo reverenter contendit, velit Jacobum de Boville canonicatum in Cathedrali Wormatienſi Eccleſia affectantem eo adigere, ut pro obtinendo gratiæ ſibi a ſede Apoſtolica factæ effectu, deductionem Nobilitatis ſuæ memoratæ Eccleſiæ ſtatutis conformem quamprimum exhibeat, 1699.

Poſt debitam obedientiam & devota ſanctorum pedum oſcula.

Beatiſſime in Chriſto Pater, Domine Clementiſſime.

QUod Sanctitatem Veſtram congruo erga eandem reſpectu præſentibus interpello, urget me Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Wormatienſis, gravi cum querela exponendo, qualiter ad importunas inſtantias Jacobi de Boville, de Canonicatu ibidem per ſedem Apoſtolicam proviſi, ſumptuoſa aliquot annorum lite ac emanatis cenſuris eo ſub prætextu ſummopere prægravetur, quaſi ejusdem admiſſionem abſque legitima cauſa in contemptum altefatæ ſedis contumaciter detrectet, cum e contrario nihil antiquius habuerit, ac etiamnum habeat, quam, uti noviſſime patet, per debitam paritionem & citationem ipſi de Bovillo legaliter inſinuatam, Apoſtolicis mandatis, quoad omnia morem gerere, dummodo ea præſtet, quæ juxta perantiquam ſtatutorum obſervantiam de probanda legitima Nobilitate, ſicut in aliis

Germa-

Germaniæ Metropolitanis Cathedralibus Eccleſiis, ita & in ipſa Wormatienſi hactenus inviolabiliter receptam, eidem prævia incumbunt; Nihil enim funeſtius poſſe Capitulo accidere, quam poſt illatum nupero bello totale excidium, reliqua adhuc jura & ſtatutorum ſuorum privilegia, cum Pontificum, Imperatorum & Regum Indultis confirmata, ab aliquot ſeculis intacta, nunc prius labefactari: Cum itaque præfatum Capitulum hac in cauſa ſimul officia mea apud Sanctitatem Veſtram interponi inſtanter efflagitaverit, atque ego de ferventiſſimæ Juſtitiæ zelo omnino perſuaſus non intendere ac minus velle Sanctitatem Veſtram tanti momenti præjudicio prædictæ ac conſequenter aliis Cathedralibus Germaniæ Eccleſiis, totique Equeſtri ordini in gratiam iſtius proviſi, origine extranei, derogari: Hinc ejusmodi precibus commotus Sanctitatem Veſtram humillime ſupplico, ut pro ſua paterna erga inclytam nationem ac conſervandis ſummarum ejusdem Eccleſiarum, nec non antiquæ Nobilitatis juribus ac prærogativis hactenus glorioſe teſtata propenſione clementisſime ſtatuere dignetur, quatenus, prævia intentati proceſſus & cenſurarum ejusmodi collatione, prætenſus Actor, pro obtinendo gratiæ ſibi factæ Apoſtolicæ effectu, ad edendam Nobilitatis ſuæ deductionem memorati Capituli ſtatutis conformem & ab aliis Canonicis hucusque factam, remittatur; Quem juſtitiæ actum tam Cathedralis Wormatienſis Eccleſia, quam omnes Eccleſiaſtici Germaniæ Status, profundiſſimo ſubmiſſionis ac gratitudinis cultu ſemper

agnoſcent ; Ego vero ſpeciali filialis obſervantiæ debito æternum permanebo

Sanctitatis Veſtræ

Dab. Ehrenbreitenſteinii die 7. Junii 1699.

Devotiſſimus & obedientiſſimus filius

Johann Hugo, Archiepiſcopus Elector Trevirenſis.

MLX.

Literæ LOTHARII FRANCISCI, Electoris Moguntini, ad INNOCENTIUM PAPAM XII. de actione a Jacobo Boville illiusque fautoribus Capitulo Wormatienſi injuſte intentata agentes, ejusdemque plenariam abrogationem urgentes, 1699.

Poſt debitam obedientiam & devota ſanctorum Pedum oſcula.

DEciſio in cauſa beneficiali ad inſtantiam Jacobi de Boville contra Capitulum Cathedrale Eccleſiæ Wormatienſis a Domino Benniçuſa 12. Julii 1691. emanata ſecutumque poſt eandem mandatum de exequendo, in eas conſcientiæ anguſtias conjecit dictum Capitulum, ut dictæ deciſioni pareat, ſemper reatum perjurii perhorreſcat. Agnoſcunt enim Canonici ſinguli ſe ad juratam Sanctitati Veſtræ obedientiam obligari non minus, ſicut juraſſe ſe obſervantiam ſtatutorum Eccleſiæ ſuæ, vi quorum admittere

tere non poſſunt ad poſſeſſionem Canonicatuum & Præbendarum, niſi eos, qui ſe vere eſſe Nobiles Germanos, mediantibus juramentis, quatuor virorum, itidem Nobilium Germanorum, coram Capitulo probaverint, quod Jacobus de Boville hactenus non præſtitit, quem tamen ſub excommunicationis & interdicti pœna recipere juſſi ſunt, quibus literis & juſſionibus ſi pareant, perjurio ſe polluunt, dum ab obſervantia ſtatutorum jurata recedunt; ſi non pareant, ne transgrediatur juramentum obedientiæ Sanctitati Veſtræ in profesſione fidei emiſſa præſtitum, pertimeſcunt, vel ſi obedientia Sanctitati Veſtræ jurata, ad negotia judicialia non extendatur, præcipue in caſu præſenti, dum excommunicatio, reliquæque cenſuræ non a Sanctitate Veſtra, ſed a Domino Bennecuſa fulminata ſunt, tanto fortius ad jurisjurandi de ſervandis ſtatutis, Religionem tenentur, quam ne violent per admisſionem dicti Jacobi de Boville, donec Nobilitatem ſuam Germanicam modo ſupra dicto probet, & Theologorum doctrina potius ad excommunicationem, quæ ad peccandum non obligat, humiliter in foro externo ſuſtinendam & propria conſcientia urgentur. Hæc ſola ratio fuit, & eſt, ex qua Capitulum prædictum, ſe literis Domini Bennecuſæ parere hactenus non potuiſſe, nec, donec Jacobus de Boville ſe rite qualificatum doceat, poſſe, exiſtimavit & adhuc exiſtimat. Quæ cum in Germania ſint notoria, nationibus vero exteris non alias cognita, hinc mandatum Domini Bennecuſæ nemo Germanorum Principum, ſal-

va conſcientia, exequi ſe poſſe cenſuit; quod tamen nuper quidam Fabri, Prior Molmundarienſis, non Germanus, non Juſtitiæ zelo, ſed carne & ſanguine, utpote affinis Jacobi de Boville, permotus, facere conatus fuit, exemplo Germanis, uti hactenus vix audito, ita propter exequendi modum admodum odioſo & forte Sanctæ ſedi Apoſtolicæ non ſatis honorifico; Is enim in fulminatione ſuarum cenſurarum & aggravationum tumultuoſa totam Germaniam (ſolo excepto Imperatore) involvit certo modo, homo peregrinus in favorem affinis itidem peregrini, jura Eccleſiarum & Privilegia Nobilitatis perrumpere conantis, quæ res nationi huic adeo inconſveta eſt, ut quotquot rei gnari ſunt, indignabundi & ſcandalizati, unice in executionem deduci, id quod Rex Romanorum juravit, officia ſua interpoſituram ſe, ut cauſæ Eccleſiaſticæ omnes a viris doctis & Status Patriæ hujus peritis exemplo Galliarum Statuum, Veneti, Genuenſis & aliorum in Germania diſcutiantur, & fine debito terminentur. In Germania non niſi Germani ad Eccleſias Cathedrales, iique ex præcipua nobilitate (ubi gradus in Theologia vel jure pro nobilitate non computatur) admitti poſſunt, ex eo inter alia, quod ex Gremiis harum Eccleſiarum eligantur Epiſcopi & Sacri Romani Imperii Principes, cujus dignitatis exteri non ſunt capaces, quale Privilegium cum apud varias alias nationes approbante Sancta Sede Apoſtolica, reperiatur etiam hoc in Germania Sanctitas Veſtra minime extingui deſiderabit; Cognitio autem an! & quis

quis vere Nobilis Germanus cenſendus ſit, utpote de re publica Imperatori aliisque Germanis competit nulli alterius nationis, ne janua aperiatur, per ſimilia judicia, qua exteri in Privilegia, Eccleſias, Epiſcopatus & Principatus ingrediantur, cum totius Imperii convulſione. Ignoſcendum eſt Domino Bennecuſæ, quod hunc Germaniæ Statum ignoraverit, qui ipſe utique non volet intelligi deciſionem ſuam contra ſtatuta & conſuetudines Eccleſiæ Wormatienſis a Sancta Sede Apoſtolica approbata & a nemine hactenus abrogata. Cum ipſi ſummi Pontifices ſe declarant in Capitulo primo de conſtitut. n. 6. quod conſtitutiones novæ non debeant derogare particularium locorum ſtatutis, utpote quæ facti ſunt & in facto non in jure conſiſtunt, quod Vicarius Chriſti ſemper habet in ſcrinio pectoris, facta non item. Sane his aliisque rationibus a ſacra Cæſarea Majeſtate aliisque Imperii Principibus ad Sanctitatem Veſtram perſcriptis, eadem hactenus acquievit, donec ſæpedictus Fabri, ſine novis mandatis Apoſtolicis conſcientias Canonicorum Wormatienſium iterum anguſtiis implicat, Privilegia Eccleſiarum tollere, Hæreticis calumniandi Tribunalia Catholicis triſtitiam & in cauſis ſimilibus a Decretis Romanis, inſtar Gallorum, libertatis deſideria excitare attentat; Quod cum a Sanctitatis Veſtræ paterna mente, tenerrima conſcientia & erga Nationem Germanicam benevolentia longiſſime abeſſe mihi conſtet; hinc ex filiali obſervantia, ut Sacri Romani Imperii Archi-Cancellarius, cui protectio privilegiorum

Germa-

Germaniæ, & præcipue Nobilitatis incumbit, hæc omnia exponere, ac humillime prout his facio, rogare volui, ut Sanctitas Veſtra Proceſſus a dicto Fabri fabricatos caſſare, excommunicationes & aggravationes ejus tollere, ne ulterius procedat, inhibere, ac Canonicatum Wormatienſem alteri cuidam ex Nobilitate Germaniæ conferre clementisſime dignetur. Qui præterea Sanctitati Veſtræ me measque Eccleſias quam humillime commendo. Bambergæ 10. Julii 1699.

Sanctitatis Veſtræ

Devotisſimus & obedientisſimus

Lotharius Franciſcus, Archiepiſcopus Elector Moguntinus.

MLXI.

Litera GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis ad FRIDERICUM IV. Ducem Holſato-Gottorpienſem, quibus ipſum amanter hortatur, ne hoſtile quid Danis intentet aut per ſuos attentare permittat, ſed curam disſidii, quod ſe inter Daniæque Regem ferveat, componendi, arbitrio Sponſorum pacis Altonavienſis prorſus permittat, 1699.

Guilielmus III. &c.

Sereniſſime,

CUm de benevola illa animi noſtri propenſione & ſincera voluntate, qua in Celſitudinem Veſtram ſemper fuimus, & Domus Veſtræ felicitatem

citatem tranquillamque jurium ſuorum poſſeſſionem conciliare elaboravimus, Celſitudinem Veſtram nunquam dubitaſſe arbitramur, non poſſumus hiſce non agnoſcere, Celſitudinis Veſtræ literas 19. die menſis Auguſti ad nos perſcriptas eo nomine fuiſſe gratisſimas, quod exinde intelligere eſt, nihil impedire, quæ nuperrime ſuſcepta ſunt, quo minus Celſitudo Veſtra publicæ ſtudendæ tranquillitatis certo animo atque confirmato etiam nunc permaneat, cumque Celſitudo Veſtra proferendæ a Tractatus Altonavienſis Mediatoribus & Sponſoribus de æqua controverſiarum compoſitione & juſta jurium ſuorum deciſione ſententiæ atque explicationi ſeſe referre non abnuat, Miniſtro noſtro Hamburgi commoranti in mandatis dedimus, ut inſtitutum Pinnebergi pro terminandis litibus & conteſtationibus inter Seren. Majeſtatem Daniæ & Celſitudinem Veſtram exortis, conventum redintegrare enitatur, eaque omnia pro virili propaget, quibus diruptus diu tractatus ad felicem exitum producatur, cui ſi, quod maxime optandum eſt, præfixum aliquod ſtatuatur tempus, id denique efficiet; quod de interpoſitis hucusque moris omnis conquerendi præcidatur occaſio. Dato hoc interim ſpatio ſperamus & Celſitudinem Veſtram amiciſſime obteſtamur, ut neque ſuſcipere, neque juſſu ſuo ſuſcipi quidquam velit, quo præbeatur iis, quibuscum controverſia eſt, Celſitud. Veſtræ aggreſſionis caſum tribuendi anſæ. Neque dubitamus, quin Celſitudo Veſtra declarationis a nobis & Fœderatis Belgii Ordinibus facta

ctæ habita ratione, nec non conſtantis illius affectus, quo res ſuæ curæ nobis cordique ſemper fuerunt, eo omnia intendat ſtudia, ut non modo turbatæ publicæ quietis cauſa Celſitudini Veſtræ omnino non imputetur, ſed & palam omnibus fiat nihil ſibi eſſe antiquius, quam Septentrionis atque inferioris Saxoniæ Circuli pacem illibatam conſervare. Quod a nobis eo ardentius exoptatur, quo manifeſtius Celſitudinis Veſtræ utilitatibus conſtare videtur. Quod reliquum eſt, Celſitudo Veſtra certiſſima mentis perſuaſione ſibi, volumus, polliceatur, quo commodis ſuis prodeſſe & favere poſſumus, nihil unquam a nobis fuiſſe prætermiſſum, adeoque Celſitudinem Veſtram, cui proſpera omnia vovemus, benignæ divi Numinis tutelæ valde commendamus. Quæ dabantur in Aula noſtra apud Loo die $\frac{11}{22}$ Menſis Septembris anno Chriſti 1699. Regnique noſtri XI.

Celſitudinis Veſtræ

Conſanguineus, & Amicus
Guilielmus Rex.

MLXII.

Literæ PROCOPII BEGDANOVIZ VOSNIZIN, Plenipotentiarii Moſcovitici, ad STANISLAUM MALACHOVIUM, Regni Poloniæ ad Tractatus Carolovicenſes Plenipotentiarium, quibus ipſi, quæ ſibi difficultates circa pacis concluſionem a Turcis objiciantur, ſedulo refert, 1699.

Illu-

Illuſtriſſime & Excellentiſſime Plenipotentiarie, Legate, Domine mi colendiſſime.

SIgnificandum mihi eſt cum querela Excellentiæ Veſtræ, Domino meo, Legatos, neſcio qua erga ſuam Czaream Majeſtatem propenſione contra ſtabilitum fundamentum pacis prætendere a me firmiterque huic adhærere, nec alias nobiſcum fœdus inire velle, quam recuperatis illis arcibus ſupra Boriſthenem ſitis Kazikiermen, Tavar, Schingiercy, Athlam dictis; quæ magno impendio ab iisdem ereptæ, & hactenus non ſemel ab invaſione Turcicarum & Tartaricarum virium cum copioſa ſanguinis effuſione defenſæ & eliberatæ ſunt, quas mihi nedum cedere, ſed ne quidem de ceſſione cogitare fas eſt, quemadmodum enim operoſe ſunt occupatæ, ita ingens ab iis Chriſtianitatis pendet emolumentum, & poſſunt denominari Suæ Czareæ Majeſtatis, nec non Regiæ Majeſtatis Polonæ propugnaculum contra Tartaros, qui, quamdiu illas arces Turcæ poſſidebant, quotiescunque illis libuit, Boriſthenem trajiciebant, & improviſis excurſionibus illa Dominia invadendo ingentes rapinas & devaſtationes patrabant, hodie vero illis arcibus hoc iter ipſis præcluſum & abſolute abreptum eſt; Præterea in proxima conferentia mihi a Turcicis Legatis clare dictum, quod Sua Czarea Majeſtas per aliquos Confœderatos a pace ſecludetur; quo ego audito, & multum admiratus ſum, ſuper quo Excellentiam Veſtram requiro, dignetur disjudicare, quod etiam

iam unusquisque ſancte animadvertere poteſt, me nihil ex parte Turcica prætendere ſed ſolummodo meo proprio inſiſtere, in quo nec coram Deo, nec coram univerſo mundo Dominus meus, Sua Czarea Majeſtas in ſua juſtitia condemnari poteſt, qua ejusdem juſtitia viſa oportet Veſtram Excellentiam huic Turcicæ partis prætenſioni, qualis a nullo confœderatorum peti viſa eſt, ex debito pacis perpetuæ & confœderatæ obligationis, potiſſimum vero ob Suæ Regiæ Majeſtatis, cum Sua Czarea Majeſtate firmiorem, nec unquam interrumpendam amicitiam & conjunctionem contravenire, & huic firmiter, unanimiterque adhærendo, nec ſuos prævie Tractatus finire, idque Suæ Regiæ Majeſtati & Reipublicæ intimare. Quandoquidem ex tractatu perpetuæ pacis & fœderis conſtitutum eſt, ut ſi Turcicus Soltanus aut Hanus Tartaricus pacem poſtulaverint, ab alterutro magnorum Dominorum noſtrorum tum unum ſine altero nullos Tractatus celebrare pacemque cum iis concludere oporteat, ſed fiat id communi conſenſu & determinatione. Ego vero pariter Suæ Czareæ Majeſtati Domino meo ſincere referre obligabor, ad quam meam ablegationem non citius, quam intra decem ſeptimanas adfuturum mihi mandatum ſpero, quod & ſimpliciter mihi præſtolandum eſt, ſuper quo a Veſtra Excellentia quoque, Domino meo, poſco convenienter reſolutionem. Quod ſi vero Excellentiæ Veſtræ intervenirent ex eadem parte nonnullæ difficultates, ratione quarum aliquod tempus impendendum foret, tum ego etiam ignarus meæ ab

Digitized by Google

ab iis futuræ contentationis ſine communi conſenſu nullatenus ad finiendam pacem accedere vellem: His maneo humillimus ſervus. Dabantur 15. Dec. 1699.

MLXIII.

***Reſponſoria* STANISLAI MALACHOVII, *Plenipotentiarii Polonici, ad præinſertas* PROCOPII BEGDANOVIZ VOSNIZIN, *Plenipotentiarii Moſcovitici literas*, 1699.**

LIcet atrociſſima injuria, qua hic ab Excellentia Veſtra non modo contra jura & leges ſtricte obſervatæ in Sereniſſimum Regem Dominum meum Clementiſſimum, & Sereniſſimum Moſchoviæ Czarum amicitiæ, ſed etiam contra omne fas petitus ſum, omne inter nos bonæ correſpondentiæ abruperit commercium, meritoque etiam nunc nondum obducta tanti vulneris cicatrice evitanda haberem amica cum Excellentia Veſtra colloquia, attamen, ut re ipſa demonſtrarem, ſanctiorem eſſe apud me obſervantiam & religionem mandatorum Sacræ Regiæ Majeſtatis Domini mei Clementiſſimi, quam apud Excellentiam Veſtram, eorum quibus inſtructum eſſe ſcio, ut ſcilicet ſtrictiſſimam in hoc congreſſu coleret rationem & confidentiam, amice reſpondeo, ad literas Excellentiæ Veſtræ heri ad me datas, præcipue cum memoratam graviſſimam, in perſona mea Sacra Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ læſionem in manus ſuæ Majeſtatis & Reipublicæ remiſiſſem, quæ læſo ejuſmodi honori ſuo certo

Digitized by Google

certius providebit. Indolere tamen ſatis non poſſum, præcipiti illo impetu Excellentiam Veſtram abreptam inconſulto fuiſſe, qui, cum nihil ad rem certe principalis ſui profuiſſet, locorum enim prioritas indiſtincta omnium noſtrum & ipſius Excellentiæ Veſtræ conſenſu acceptata & declarata fuit, plurimum tamen communibus negotiis noſtris concorditer promovendis obicem poſuit. Multa namque in principio ſtatim unito corde & labio pro partibus utriusque noſtrum promovenda, ſtabilienda, & firmanda erant, quæ quam difficile erat male cohærentibus animis conſtituere, ſatis nunc etiam forſitan Excell. Veſtra intelligit. Sed ut ad præſentem caſum & literariam Excell. Veſtræ compellationem preſſe reſpondeam, compatior doloribus Excell. Veſtræ, quod Turcæ tam pertinaciter & velut immobiles circa reſtitutionem fortalitiorum ad Boriſthenem ſitorum armis Moſcoviticis poſſeſſorum perſiſtant, in quo commune noſtrum omnium, ac præcipue vicinæ Poloniæ negotium verſari quis ambigit, ſed ex adverſo minime miror, fixum in iis immotumque ſediſſe animum, cum Excell. Veſtra jam ſemel cum illis hoc in puncto concorditer transegerit, ſcilicet ut hæc difficultas Conſtantinopoli per Extraordinarium Legatum illuc mittendum definiretur; Quod ipſum & ego pro ſummo argumento recepi, ut rem de tormentis pluribus quam mille Cameneci relinquendis ad Portam itidem remiſerim; quod cum ita ſit, non mirum, ſi ſemel placitis omnino reſiſtere prætendant, rem-

que

que conſtitutam nulli mutationi obnoxiam eſſe velint; quod cum Excell. Veſtra ſecum ipſa perpenderit, inveniet non aliunde inextricabilem hanc difficultatem, quam a ſe ipſa ortam eſſe & promanaſſe. Nobis certe omnibus fœderatis commune ſtudium eſt, & eſſe debet, ut omnes quam optimos ex hoc tractatu fructus reportemus, unumque alteri in eo caſu mutuo adeſſe oportet. Sed ſcit Excell. Veſtra, quid Articulus II. ſtabilitæ ab Excell. Mediatoribus, a nobis vero communiter acceptatæ ordinationis ſonet, quod ſemel conſtituta amplius nullo modo mutari debeant; itaque per ſuum hunc agendi modum, efficacia ſuccurrendi ſibi Excell. Veſtra nobis ademit media, cum, ſi eorum, quæ ab Excellentia Veſtra ſemel ſtatuta ſunt, deſtructionem promoveamus, per id ipſum eorum, ſuper quibus cum Turcis pro parte noſtra transegerimus, ſecuritatem tollamus? Tempus 10. ſeptimanarum, quod Excell. Veſtra pro habendo a Seren. Principali ſuo ſuper hanc controverſiam reſponſo poſuit, non videtur mihi ullo modo nobis omnibus ſalutare, imo perniciosum illo tempore operationes bellicæ activitatem ſuam reaſſument, nos vero inter bellum & pacem incerti neque quidquam proviſum adverſus hoſtem habentes, neque ſatis accincti inter conſilia pacis eluſi, Deus avertat, deprehenderemur. Sed & Turcarum animus reſpiciendus eſſet, utrum tamdiu tractatus protrahendi votum habeant, ſed ante omnia mature perpendendum eſt, & penſato noſtrum omnium ſtatu

bene diſcutiendum, ſitne ex re Chriſtianitatis propter parvum horum fortalitiorum diſcrimen, de quorum difficultate jam Excell. Veſtra convenerat, deinde nulla totaliter obtinendorum ſpe, a conventione reſiliit, tractatum tam neceſſariæ pacis abrumpere, & rem Chriſtianam poſt tot glorioſos ſucceſſus & triumphos tali modo in diſcrimen dare; quod cum maturæ Excell. Veſtræ reflexioni & prudentiæ in conſiderationem inſinuo, me ejus favoribus recommendo. Dabantur Anno 1699.

MLXIV.

Literæ ***CONSILIARIORUM ET LEGATORUM*** *Statuum per S.R. Imp. Auguſtanæ Confeſſioni addictorum ad* ***GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES****, quibus ipſis Calendarium Juliano-Gregorianum inveteratis erroribus ſedulo purgatum, & ab univerſis per Germaniam Evangelicis receptum impenſe commendant, 1699.*

Excelſi ac Præpotentes Domini.

Quam prolixis amicitiæ officiis mutuæque benevolentiæ documentis omni tempore ſe devinxerint Electores, Principes & Status Evangelicæ Religioni addicti & excelſa ac præpotens fœderati Belgii Reſpublica, tot annorum abunde docuit experientia. Hac ipſa neceſſitudinis arctiſſimæ fiducia impulſi Domini Noſtri Clementiſſimi, Superiores ac Committentes nobis mandarunt, ut eorum nomine excelſo ac præpotenti Ordini

Ordini veſtro id aperiremus, quod non levem tum religionis tranquillo exercitio, tum commerciorum incremento commoditatem pollicetur. Teſtantur ſcilicet querelæ per totum hocce ſeculum paſſim locorum effuſæ, quantum incommodi hactenus habuerit diverſa dierum in Calendariis Juliano & Gregoriano numeratio, cumque fruſtra ſæpius tentata ſit conciliatio, nec conſiliis iis locus fuerit, quæ utriusque Calendarii defectibus ex æquo conſulere potuiſſent; interim vero creſcent, iis præſertim in locis, ubi Evangelici Romanoque Catholici mixtim degant, incommoditates ac ſimultates, augendæ etiam cum dierum majori diſſidio, quod anno proxime ſequente contingeret; Placuit Dominis noſtris Clementiſſimis, Superioribus ac Committentibus undecim dierum ejectione poſt 18. Februarii die ſtyl. vet. anni proximi 1700. civilem Juliani Calendarii annum ad eam anni Aſtronomici rationem, quæ Conſilii Nicæni tempore obtinuit, reduci; Paſchatis vero tempus, unde feſta mobilia pendent, non ad Cycli fallacem periodum, ſed ad Calculi Aſtronomici normam impoſterum determinari. Quo facto id obtinebitur, ut per integrum ſeculum nulla ſit futura Evangelicis & Romano-Catholicis dierum, nulla feſtorum immobilium differentia, feſta quoque mobilia ſint eundem habitura diem unico ſolum excepto caſu, quamquam rariſſime contingente, quo Gregorianus Cyclus Romano-Catholicorum Paſcha Judæorum Paſchati ſociaverit, ubi emendatum Evangelicorum Ca-

lendarium Julianum, feſtum Paſchatis ad octiduum vi Calculi ſui Aſtronomici, ut Concilii Nicæni placitis ex aſſe ſatisfiat, removebit. Futurorum autem ſeculorum conſenſui in re Calendarii Mathematicorum facile proſpiciet ſolertia, publicis ſumptibus ad id in Germania apud Evangelicos excitanda ac fovenda. Proinde vos, Excelſi ac Præpotentes Domini, nomine & juſſu Dominorum Noſtrorum Clementiſſimorum, Superiorum & Committentium ad recipiendum per omnes fœderati Belgii Provincias Calendarium hoc Evangelicorum Julianum emendatum, ſicut in quibusdam Provinciis Gregorianum cum hoc emendato Juliano prædicto modo conveniens, jam receptum eſſe novimus, qua par eſt obſervantia invitamus. Præit Vobis, Excelſi ac Præpotentes Domini, exemplo ſuo non univerſum tantum per Germaniam diffuſum Corpus Evangelicum, ſed ipſe etiam Sereniſſimus Potentiſſimus Daniæ & Norwegiæ Rex, qui per omnes Regnorum & Provinciarum, quæ Majeſtati Suæ obſunt, partes idem Calendarium propediem introducendum decrevit. Veſtræ certe Reipublicæ, cui cum Germania noſtra aliisque populis finitimis plurimum eſt commercii, perpetuaque communicationis occaſio & neceſſitas, non poterit non perquam commoda accidere & grata concordans hæc dierum feſtorumque ratio. Quapropter totum hoc negotium prolixius hic commendare ſuperfluum eſſe arbitramur. De cætero Vobis, Veſtræque Reipublicæ omnem felicitatem, rerumque proſperos ſucceſſus apprecamur,

camur, Noſque benevolentiæ Veſtræ commendamus.

Excelſorum & Præpotentium Dominorum

Ratisbonæ ex Comitiis die
30. Dec. ſt. v. 1699.

Ad quævis officia paratiſſimi

S. R. I. Electorum, Principum & Statuum Auguſt. Confeſſioni addictorum Conſiliarii & Legati ibidem congregati.

Inſcriptio.

Excelſis & Præpotentibus fœderatarum Belgii Provinciarum Dominis Ordinibus Generalibus &c.

MLXV.

Literæ ejuſdem cum præinſertis argumenti a CONSILIARIIS ET LEGATIS STATUUM PER S. R. IMP. AUGUSTANÆ CONFESSIONI ADDICTORUM, ad GUILIELMUM III. Magnæ Britanniæ Regem exaratæ, 1699.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex, Domine Clementiſſime.

EA emicuit haſtenus Regiæ Majeſtatis Veſtræ, inter tot heroica & immortali laude digniſſima facta in rem Evangelicam cura ac propenſio, tamque obvia fovendis ornandiſque ejus commodis humanitas, ut non vereamur quamvis curis aliis graviſſimis diſtrictam hiſce literis humillime adire. Quippe cum annorum plurium experien-

tia Dominos noſtros Clementiſſimos, Superiores ac Committentes docuerit, quantum incommodi Germaniæ hactenus creaverit diverſa dierum numeratio in Calendariis, quantusque moleſtiarum cumulus undiquaque premat, tum commerciorum aliarumque communicationum curſum, tum ipſius etiam religionis, iis præcipue in locis, ubi Evangelici Romano-Catholici mixtim degunt, exercitium, de tollenda hac dierum differentia conciliandisque Calendariis jam ſerio cœperunt cogitare. Et quamvis potisſima pars Evangelicorum Calendarium Gregorianum tum ob ingratum promulgandi modum, tum ob deprehenſos ab Aſtronomis in eo defectus merito repudiaverit, id tamen fatentur omnes eam eſſe Calendarii Juliani ſive veteris conditionem, ut correctione indigeat. Cum nimia illa quarto quovis anno facta intercalatio civilis anni periodum ab anni Aſtronomici termino longius ſubinde removeat: Nec Dionyſianus Cyclus, quem veteres Paſchati dederunt directorium ac cynoſuram, cum lunæ revolutionibus conveniat. Quare viſum eſt Dominis Noſtris Clementisſimis, Superioribus ac Committentibus utrique huic incommodo ita mederi, ut omisſis anno proxime ſequente 1700, poſt 18. Februar. ſtyl. vet. reliquis hujus Menſis diebus intercalationis exceſſus inde a Concilii Nicæni tempore coacervatus una vice tollatur; Paſchalis autem terminus, impoſterum non ad fallacis Cycli periodum, ſed ad Aſtronomici calculi leges definiatur. Ita tum Julianum hoc Calendarium emendatum tum Gregorianum

rianum eosdem per integrum ſeculum dies numerabit. Ita Paſchatis feſtum deſtinatæ a Concilio Nicæno ſedi reſtituetur a Romano-Catholicorum Paſchate non niſi rarisſimo in caſu, quod ad Judæorum Paſcha illi Cycli ſui vitio dilabuntur, per octiduum ſejungendum. Hoc emendatum Julianum Calendarium cum non tantum omnes & ſinguli Imperii Electores, Principes & Status Evangelici in ſuis ditionibus propediem ſint introducturi, ſed ipſe etiam Serenisſimus ac Potentisſimus Daniæ & Norwegiæ Rex in omnibus ſuis regnis & regionibus ſe aſſumpturum eſſe ſolenni declaratione ſit pollicitus; Serenisſimus ac Potentisſimus Rex Sveciæ autem, ut idem Calendarium, quo terris ſuis Teutonicis accommodandum jam conſenſit, in omnibusque reliquis Regni Svecici Provinciis recipi patiatur per literas nomine Dominorum Noſtrorum Clementisſimorum, Superiorum ac Committentium jam ſit invitandus, Regiam Majeſtatem Veſtram ut prædictum Calendarium Julianum emendatum in Regnis quoque ſuis admittere, & Præpotentibus Fœderati Belgii Ordinibus idem faciendi auctor eſſe velit, nomine Dominorum Noſtrorum Clementisſimorum, Superiorum ac Committentium inſtantisſime rogamus. Hac enim ratione, ope & conſilio Regiæ Majeſtatis Veſt. omnes Europæ populi in unitatem temporis tam commodam negotiis publicis, tamque neceſſariam commerciis, grata innoxiaque via concedent, nec amicas conjunctisſimasque Germaniæ Noſtræ gentes faſtorum impoſterum disjunget varietas. Futura ſecula,

Digitized by Google

cula, incœpta ſemel temporis concordia, facile ſervaverit Mathematicorum cura & induſtria publico nomine & ſumptu ad id negotii in Germania ab Evangelicis exacuenda. Deus Regiam Majeſtatem Veſt. in totius Rei Evangelicæ commodum & incrementum diuturna vita recreet, omni Regia felicitate ornet, perpetuaque gloria cumulet

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Ratisbonæ ex Comitiis die
30. Dec. ſt. v. 1699.

humillimi

S. R. I. Electorum, Principum & Statuum Auguſt. Confeſſ. addictorum Conſiliarii & Legati ibidem congregati.

Inſcriptio.

Serenisſimo ac Potentisſimo Domino, Domino Guilielmo III. Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Regi &c.

MLXVI.

Literæ CORPORIS EVANGELICI, ad CAROLUM XII. Svecorum Regem, quibus ipſi Calendarium emendatum per univerſas Regni ejus ditiones introducendum enixiſſime commendant, 1699.

Serenisſime ac Potentiſſime Rex, Domine Clementiſſime.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ literas, Holmiæ 19. Auguſti datas, quibus ad Noſtras juſſu Domino-

minorum noſtrorum clementiſſimorum ſuperiorum, & Committentium in cauſa emendandi Calendarii, elapſo Menſe Majo perſcriptas reſpondere clementiſſime dignata eſt, per Regiæ Majeſtatis Veſtræ in Comitiis Imperii Legatum accepimus, ut & inſigne Regiæ humanitatis Teſtimonium curæque in promovendis publicæ rei commodis propenſiſſimæ illuſtre documentum, qua decet ſubmiſſiſſima gratiarum actione veneramur. Deſiderium quod Regia Majeſtas Veſtra fovet, ut defectibus in utroque Calendario deprehenſis, idonea ac vera medela adhiberi, temporumque ſupputatio ad normam calculi Mathematici veram ac ſolidam redigi ac ſtabiliri queat, equidem commune ipſi eſt cum Dominis noſtris Clementisſimis Superioribus ac Committentibus. Nulli enim conſilio libentius ſubſcriberent, quam quod veritati Mathematicæ unice inſiſtens, utrique disſidentium parti ex æquo conſuleret, & natas ex erroneis principiis difficultates unanimi conatu tolleret & emendaret. Verum impatiens melioris conſilii & correctionis pars altera, eam de perfectione inſtituti Gregoriani induit perſuaſionem, quæ emendationis plena & exactioris harmoniæ rationem per omnia futura ſecula duraturam utrique Calendario vix polliceatur. Proinde conſtitutum eſt Dominis noſtris clementisſimis Superioribus & Committentibus præſertim non renuente, ut apparet, Regia Majeſtate Veſtra, qualemcunque potius admittere, quam nullam temporum concordiam. Cumque omisſione undecim dierum, ante primum

Martii

Martii anni proxime futuri 1700 diverſa dierum numeratio una vice ſit exſpiratura, confuſioni evitandæ aptius exiſtimarunt medium hoc, ac ſi ſuccesſiva dierum ejectione id, quod nimia intercalatione a Concilii Nicæni tempore additum eſt, ſubtraheretur. Idem conciliationis compendium una cum Paſchatis determinatione Aſtronomica omnibus quoque Regni Svecici Provinciis accommodatum vehementer optarent. Præſertim cum Serenisſimus ac Potentisſimus Daniæ ac Norwegiæ Rex non in Holſatia ſolum, ſed omnibus, quæ Majeſtati ſuæ ſubſunt regnis, ditionibusque eandem, quam Corpus Evangelicum probaverit Calendarii rationem ſe introducturum per ſuum in Comitiis Imperii Legatum hiſce diebus declaraverit. Si idem univerſa Svecia amplecteretur, potisſimæ partis Evangelicorum in Europa faſti in eandem temporis unitatem coaleſcerent. Ita Anglia quoque & Hollandia tantis exemplis invitata ſvaſionibus noſtris, nomine & juſſu Dominorum noſtrorum Clementisſimorum, Superiorum & Committentium, ad Serenisſimum ac Potentisſimum Magnæ Britanniæ Regem, ut & Excelſos ac Præpotentes fœderati Belgii Ordines propediem expediendis, forte eo promptius ſe darent & ad uniendum hac in parte univerſum Orbem Evangelicum concurrerent. Cum itaque hoc emendatum Calendarium Julianum commoditati commerciorum aliisque multis uſibus haud parum ſit profuturum; Regiæ Majeſtati Veſtræ per univerſas ejus Regni ditiones introducendum, qua par eſt, humillima

ſub-

ſubmiſſione, enixiſſime commendamus. Et de cætero Deum calidiſſimis votis imploramus, ut Regiam Majeſtatem Veſtram ſuæ divinæ gloriæ, rei Evangelicæ incrementis, Regnique Sveciæ commodis ac ſaluti diu ſervet, omnique Regia proſperitate beet

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Ratisbonæ ex Comitiis die 30.
Dec. ſt. v. 1699.

humillimi

S. R. I. Electorum Principum & Statuum Auguſt. Confeſſioni addictorum Conſiliarii & Legati ibidem congregati.

Inſcriptio.

Sereniſſimo, Potentiſſimoque Principi ac Domino, Domino Carolo XII. Svecorum, Gothorum Vandalorumque Regi, ac Principi Hæreditario, Magno Principi Finlandiæ, Duci Scaniæ, Eſthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Principi Rugiæ, Domino Ingriæ & Wiſmariæ, ut & Comiti Palatino Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, Domino noſtro Clementiſſimo.

MLXVII.

Litera LEOPOLDI Rom. Imperatoris, ad CAROLUM Archiducem, filium ſuum, quibus ſe libenter a Præfecto ejus intellexiſſe teſtatur, ipſum

ipſum brevi a morbo, quo decumberet, liberatum iri, 1699.

Chare Carole.

A Præfecto tuo Principe a Lichtenſtein libenter ſane intelligo, te pro ſtatu tui morbi ſat bene valere, & in omnibus patientem & obedientem eſſe, quod multum juvabit, ut hoc morbo ſuperato, moleſtias, quas nunc patienter perfers, variis recreationibus recompenſare potueris, majori vero ſolatio mihi erit ab eodem percipere, quod in elapſa nocte Sacra Nativitatis Domini tuam confeſſionem & communionem tam devote peregeris quod ſane in me maximam ſpem excitat, Te ab hoc moleſto ſane morbo brevi liberatum iri, & vera poſtea fruiturum valetudine, quod dum tibi a recens nato Jeſulo, cui Te totum commendo, affectu paterno cordicitus apprecor, ſemper permaneo

Tui amantiſſimus Pater

Dabantur Viennæ die 26. Decembr. anno 1699.

Leopoldus.

MLXIIX.

Litera AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad MICHAELEM RADZEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, quibus Elbingam tam accurata & exacta Commiſſariorum ſuorum & præprimis ejus diligentia reſtitutam eſſe gratulatur, & a ſe tractatum retraditæ urbis ratificatum jam remiſſum Varſaviam eſſe nuntiat, 1700.

Literas

Literas Illuſtritatis V. hiſce diebus ad nos transmiſſas, incluſumque in eisdem retraditæ Elbingæ tractatum cum ſingulari animi noſtri voluptate accepimus, perlegimusque. Meretur profecto non minorem apud nos laudem quam apud totam Rempublicam applauſum tam accurata exactaque omnium noſtrorum & Reipubl. ex conſilio Lege Publica deſignato, Commiſſariorum, Plenipotentiariorum, præſertim vero Illuſtritatis Veſtræ in concludendo tractatu hoc cum commodo & dignitate Regni noſtri diligentia & applicatio. Cum itaque libenti animo, & non invita manu Ratificatorios ejusdem tractatus ſubſcripſimus, eos ad manus Illuſtritatis Veſtræ per Generoſum Franciſcum Szembek, Capitaneum Bochnenſem, Camerarium noſtrum, transmittimus, nulli dubitantes, quin ille citisſimis pasſibus Varſaviam ſit perventurus, prædictamque expeditionem Illuſtritati Veſtræ conſignaturus, Cui nos optimam a Deo optimo Maximo precamur valetudinem. Dab. 9. Jan. 1700.

MLXIX.

Literæ LEGATORUM STATUUM S. R. Imp. CATHOLICORUM ad INNOCENTIUM PAPAM XII. quibus pro Capitulo Wormatienſi injuſta Jacobi de Boville cauſa diu multumque vexato ſubmiſſe intercedunt, 1700.

Beatisſime Pater.

Expoſuerunt nobis Decanus & Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Wormatienſis, ſe per interdicta & Cenſuras gravisſimas ad Jacobi de

Boville

Boville, nobilitate quidem præditi, ſed Germanæ & ad Eccleſias Metropolitanas vel Cathedrales requiſitæ eminentioris ac vetuſtæ Nobilitatis gradu aliisque neceſſariis deſtituti Receptionem omnino cogi, neque ulla prorſus ratione exaudire velle, quidquid demum multa jam annorum ſerie contra emanatas in hacce cauſa deciſiones ſolidisſimis fundamentis circa obſervantiam, conſuetudines & Privilegia ab ipſismet Summis Pontificibus ſolennisſime & cum Clauſulis quarumcunque contrariarum diſpoſitionum irritatoriis & annullatoriis confirmata hactenus demonſtratum fuerit; Quin potius ſolo prætextu contumaciæ & contemptus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, ſublata omni contra ejusmodi obtrectationes defenſione Monaſterii Malmandarienſis Prior, Remaclus Fabri, præfati de Boville Conſobrinus non abſtinuerit, Decanum & Capitulum memoratæ Cathedralis Eccleſiæ novis cenſurarum declaratoriis, earumque aggravatoriis & Reaggravatoriis non absque notabili totius Patriæ ſcandalo plane innocentes implicare, cum tamen ex parte Capituli nulla mora multoque minus ulla culpa intervenerit, quin præfatus de Boville ad poſſesſionem præbendæ ſibi collatæ præſtitis præſtandis admiſſus, ſed potius eum in finem peremptorie citatus fuerit; Inhabilitatis autem ſuæ gnarus contumaciter emanſerit.

Multipliciter ſane illuſtri & perantiquisſimæ huic Eccleſiæ præterito bello tot miſeriis & afflictionibus exhauſtæ compatimur, & quamvis de immerito ac inſolito hoc procedendi modo

(ex

(ex quo non minus, Reliquorum inclytæ nationis Germaniæ apud Eccleſias metropolitanas & cathedrales receptorum jurium, privilegiorum, ſtatutorum, & conſvetudinum infractio & ſuppreſſio intendi perſpicue colligitur) præfatum Capitulum non indoluiſſet, inevitabilis tamen neceſſitatis fuiſſet, dolendas haſce innocentis Capituli vices propter inſeparabilem omnium aliarum Germaniæ Eccleſiarum cum illuſtri hac Wormatienſi cauſa connexitatem, privilegiorumque ſtatutorum ac conſuetudinum identitatem ad animum revocare. Juſtisſimæ hujus cauſæ merita Sanctitatem Veſtram eo minus latere poſſunt, quo magis urgentisſimæ deſuper querimoniæ, quibus manifeſta ſua conſtat æquitas, totam undique Germaniam impleverunt, nihilque adeo deplorandum, quam ex pervicacium quorundam hominum genio & indole prædictarum Eccleſiarum Privilegia, Statuta & immemoriales Conſvetudines proſtratum iri, indeque timendum eſſe, ne adverſarum Religionum aſſeclis ſcandalum & contra ſanctæ ſedis Apoſtolicæ tribunalia exclamandi anſa præbeatur, proindeque communi Catholicorum præjudicio & ingrato aliorum Regnorum ac Rerumpublicarum in ſimilibus exemplo majora mala enaſcantur. Quemadmodum ergo Capitulo Wormatienſi minime ſuccenſendum, dum humillima ſua obſequia ſanctæ ſedi Apoſtolicæ devotisſime profitetur, & ſimul Eccl. Suæ Conſvetudines & ſtatuta (ad quorum ſtrictam obſervantiam vigore ipſorum ſanctionum Apoſtolicarum ſolenni juramento divinctum eſt) illibata permanere contendat,

Digitized by Google

tendat, & cognitio ſuper habilitate & præſtatione præſtandorum ad ipſummet Capitulum ſpectare dignoſcitur, liceat & nobis per paternam Sanctitatis Veſtræ Clementiam non magis illuſtris Capituli Wormatienſis, quam propriæ & communis cæterarum Metropolitanarum & Cathedralium Eccleſiarum imo totius nobilitatis Germaniæ cauſæ patrocinium ac defenſionem ſuſcipere, unaque non levia ſanctæ ſedi naſcitura faſtidia ſollicite antevertere, juſtisque prægravati Capituli intentionibus ac votis tanta efficacia adſtipulari, qua impetrare mereamur, ut ſublatis ipſo jure quidem nullis cenſuris, quibus innocentes impediuntur, nec illud, nec illæ ulla via porro graventur. Quod dum a juſtitia & æquitate Paterna Sanctitatis Veſtræ juſſu & nomine clementiſſimorum Dominorum noſtrorum inſtantiſſime petentes impetrare plane confidimus, eidem diuturnam valetudinem & quævis proſpera animitus exoptamus atque poſt devotiſſima ſanctorum pedum oſcula permanemus

Sanctitatis Veſtræ

Ratisbonæ die 10.
Martii 1700.

humillimi & obedientiſſimi filii

S. R. I. Electorum, Principum & Statuum Catholicorum Conſiliarii & Legati Plenipotentiarii.

MLXX.

Literæ MICHAELIS RADZEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad FRIDERICUM III. Electorem

ctorem Brandenburgicum, quibus ipſum blande compellat, velit Svecis irruptionem e Pomerania in Poloniam meditantibus tranſitu per ſuas ditiones interdicere, ac in fœdere & amicitia erga Poloniam conſtanter perſeverare, 1700.

Sereniſſime.

QUod jam volitans per orbem fama ſparſit, ceu proſpera, ceu adverſa partium in Livonia, tædioſus forem, ſi ea, quæ diſtinctius aliunde Serenitati Veſtræ patent, repeterem. Bellumne hoc; an levius viciniæ diſſidium appellem? Quicquid ſit, ſolicitudinem tamen, curam ac vigilantiam meam provocat, ne quid ex inopinato adverſi Reipublicæ eveniat; & hinc fidæ ac amicæ compellationis meæ occaſio. Non vanus rumor, Svecos per Pomeraniam hoſtilia arma in ditiones majoris Poloniæ meditari. Id metuere, ſtante valido Serenitatis Veſtræ Electoralis robore &, quod validius, ſtante fœdere ac tot conſtantis in Rempublicam amicitiæ documentis, idem eſſet, quod de ejusdem affectu dubitare. Si tamen vel vi, vel tractatu aliquo illac a Svecis tranſitus aliquis tentaretur, id Serenitatem Veſtram Electoralem non modo impedituram, imo opportune Rempublicam præmonituram nullus dubito. Secus ſi quæ auxiliares copiæ in ſubſidium Reipublicæ vocatæ tranſitum per ditiones Serenitatis Veſtræ Electoralis expeterent, mutuo pactorum fœdere non denegaturam; Et in his omnem viciniæ illius ſecuritatem locans Serenitatem Electoralem obnixe rogo, ut candoris ſui

in Rempublicam continuati documenta Orbi producat. Dabantur die 24. April. Anno 1700.

MLXXI.

Litera PETRI, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ ad CAROLUM XII. Svecorum Regem, cui legationem ſuam jam in procinctu eſſe in Sveciam proficiſcendi nuntiat, ac unum ex legatis Reſidentis munia in aula ipſius impoſterum obiturum, velut Virum indubia fide dignum ſedulo commendat, 1700.

NOs Dei gratia Magnus Dominus Czarus ac Magnus Princeps, Petrus Alexii filius (tot. tit.) Vobis, Potentiſſime ac Sereniſſime Princeps, Domine Carole, Rex Svecorum &c. (tot. tit.) Regiæ Veſtræ Majeſtati ſalutem deferimus. Placuit Nobis Noſtræque Czaricæ Majeſtati ad Regiam Veſtram Majeſtatem mittere Noſtrum intimioris admiſſionis cubicularium & Knoſium, Andream Chilcovium, ut indicaret adventum Noſtrorum magnorum & plena potentia inſtructorum Legatorum, quos Nos magnus Dominus Noſtra Czarica Majeſtas, vigore perpetuæ pacis, adque eandem porro confirmandam, ad Veſtram Regiam Majeſtatem deſtinavimus, quorum adventum coram Veſtræ Regiæ Majeſtatis magnis & plenipotentiariis Legatis, per Noſtræ Czaricæ Majeſtatis Senatores in colloquio Moſcuæ habito jam tum ſignificavimus, nulli Nos magnus Dominus Noſtraque Czarea Majeſtas dubitantes, quin Veſtra Regia Majeſtas curet, ut iidem Noſtri magni Legati, juxta tenorem æternæ pacis pro dignitate excipi-

excipiantur in Veſtris finibus, & ad Regiam Veſtram Sedem debito modo deducantur. Eidem autem Noſtro Ablegato Nos magnus Dominus, Noſtra Czarica Majeſtas, in mandatis dedimus, ut poſtquam Noſtrorum magnorum & plenipotentiariorum Legatorum adventum ſignificaverit, ad aulam Veſtræ Regiæ Majeſtatis poſtmodo ut Reſidens permaneat, ſecundum conventionem Moſcuæ inter Regiæ Veſtræ Majeſtatis magnos & plenipotentiarios Legatos Noſtroſque intimos Conſiliarios factam. Quare Nos magnus Dominus deſideramus, ut ratione amicitiæ vicinæ mutuique amoris, velit Veſtra Regia Majeſtas hunc modo nominatum Reſidentem ad ſuam Regiam admittere, atque cum debito honore ibidem commorari ſinere, & præterea jubere ſuos ſubditos, ne ipſi faciant impedimenta in communicandis Nobiſcum omnibus, quæ ſcire Noſtra intereſt. Denique Nos magnus Dominus, Noſtra Czarea Majeſtas optamus Veſtræ Regiæ Majeſtati multorum annorum ſalutem & incolumitatem, atque in Veſtro Regno feliciſſimum Imperium. Scriptum in Noſtro Regno atque Regia, in magna Czarica urbe, Moſcua, anno poſt nativitatem Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti 1700. die 24. Aprilis, Imperii Noſtri anno decimo octavo.

MLXXII.

Litera AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad FRIDERICUM III. Electorem Brandenburgicum, quibus ſibi debitam tenore fœderum militum manum in auxilium adverſus Svecos ſubmitti petit, 1700.

Auguſtus Dei Gratia Rex Poloniæ &c.

Sereniſſimo Principi, Domino Friderico III. Marchioni Brandenburgenſi &c. Salutem!

Quemadmodum non dubitamus, Serenitatem Veſtram inita noſtra & Reipubl. cum eadem pacta & fœdera indiſſolubili vinculo manutenturam eſſe, ita, ut in contingenti Svecorum molimina, ſi forte quicquam contra nos & Regnum noſtrum Poloniæ attentaverint & excurrere in Poloniam & ex Pomerania per ditiones Serenitatis Veſtræ præſumpſerint, pro nexu eorundem pactorum obſtituram, omnemque hoſtilem impetum, pro virili impedituram, firmiſſime nobis pollicemur. Cum vero læſiones Regni noſtri & illatæ a Svecis injuriæ, orbi univerſo ſint manifeſtæ, ad quas repellendas cum tempus & rerum momenta favent, auxiliares Serenitatis Veſtræ copias, vigore prædictorum pactorum, ipſa poſtulet neceſſitas, fraterne Serenitatem Veſtram convenimus, quatenus mille & quingentos armatos in ſubſidium noſtrum & Reipublicæ ut præſto adſint, diſponere velit, quibus poſt acceptam ſuper id a Serenitate Veſtra declarationem ad limites Livoniæ deducendis Commiſſarios noſtros deſtinabimus. Porro & ex Saxonia certam militiæ noſtræ partem, pro tuitione & ſecuritate limitum Regni noſtri deſignare propoſuimus, cui, cum per territoria Serenitatis Veſtræ recta pateat tranſitus, facile & in hoc ipſam conſenſuram ſperamus Serenitatem Veſtram, dum viciſſim per Provincias regni noſtri

noſtri ſuum quandoque Serenitas Veſtra exercitum tranſire ex pactis licitum habeat, &c. Dabantur Varſaviæ die---Menſis Maji 1700.

Serenitatis Veſtræ &c.

MLXXIII.

Literæ AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad FRIDERICUM III. Electorem Brandenburgicum, quibus præproperatum militum ſuorum ex Saxonia per ditiones ejus tranſitum modeſte excuſat, 1700.

Auguſtus Dei Gratia Rex Poloniæ, &c. &c.

QUo fine in anteceſſum literis ad Serenitatem Veſtram exaratis eandem peramanter rogaverimus, ut in tranſitum militiæ noſtræ, qui hoſtium impetus per ditiones Serenitatis Veſtræ vigore pactorum noſtrorum & Reipubl. cum Serenitate Veſtra initorum aſſentire velit: Et ecce! diuturna in uno eodemque loco ſubſiſtentia pertæſus miles noſter anticipavit deſiderabiles Serenitatis Veſtræ reſponſorias, ut jam omnino Dominia Serenitatis Veſtræ ingrederetur, & ad deſtinatum ſibi locum tenderet, ne itaque citra transeundum ſibi locum tenderet, nec circa transeuntem eandem militiam noſtram aliquis apud Serenitatem Veſtram moveatur ſcrupulus, aut quæpiam exoriatur difficultas, repetitis literis apud eandem neceſſitatem præſentem excuſari cupimus, præcipue, cum ſæpe contingat, exercitum Serenitatis Veſtræ prævia ſola denunciatione per Provincias regni noſtri transgredi: Optima interim &c. Varſav. die 8. Maj. 1700.

MLXXIV.

Litera LEOPOLDI, Rom. Imperatoris, ad CAROLUM XII. Svecorum Regem, quibus ſe famam de exorto inter eum Regemqne Poloniæ bello perturbato excepiſſe animo, ſibique vindictam pactorum Olivenſium curæ cordique fore teſtatur, 1700.

Leopoldus.

EXhibuit Nobis Literas Serenitatis Veſtræ 14. menſis Martii nuper elapſi ſcriptas ejusdem in Aula noſtra ablegatus extraordinarius, quibus de Copiarum Saxonicarum, quæ ſub ductu Generalis Flemmingii circa Polangiæ oram ab aliquo jam tempore ſubſtiterant, inopinata in Livoniam irruptione & quorundam munimentorum expugnatione aliisque hoſtilibus cœptis, certiores reddimur, atque ad præſtandam contra inimicos hujusmodi inſultus opem congruam vigore Pactorum Olivenſium amice interpellamur. Feriit profecto graviter animum Noſtrum inauſpicatus adeo & repentinus nuntius, & dum partam non ita pridem tanto ſanguinis & auri impendio Chriſtiano orbi quietem univerſalem firmam & perennem fore, ſpe blanda fruebamur, non potuimus non ſummo commoveri dolore, duos tum Nobis, tum inter ſe conjunctos Potentisſimos Principes infeſtis invicem armis collidi, de quorum diſſenſione aut ſiniſtra voluntate nihil contigerat antea inaudiri: facile quippe cum Serenitate Veſtra proſpicimus & ſollicite conſideramus, fore ut malum hoc, niſi tempeſtive opportunis

tunis ſiſtatur mediis, graſſetur latius & tranquillitatem communem in priſtinas perturbationes conjiciat. Proinde non modo ſtatim ac primum ejus initium præcurrente fama percepimus, Serenisſimum Poloniæ Regem enixisſime hortari & ſollicitare non intermiſimus, quicquid id eſt, quod habere ſe putat offenſionis, omisſis armis, reductoque ex Serenitatis Veſtræ Provinciis milite, amicabili via ſopiri patiatur, ſed & nunc acceptis Serenitatis Veſtræ literis eundem in finem alium iterum miniſtrum ad dicti Regis Serenitatem ſpecialiter ablegamus, & tam ipſam, quam cæteros, qui ejus rationibus videntur impliciti, ab ulteriore vi & hoſtilitate retinere omni posſibili modo annitimur, nec porro quicquam relinquemus inexpertum, quo, ſi fieri poteſt, absque majore ſanguinis Chriſtiani effuſione priſtina, pax & amicitia extemplo reducatur, ſiquidem & pium Serenitatis Veſtræ animum ab hoc propoſito haud alienum fore jure merito confidimus. Interim quod pacificationis Olivenſis garantiam & evictionem concernit, cum illa ad plures ejusdem pacis conſortes pertineat, parati ſumus, noſtra cum iis conferre conſilia, & quemadmodum id eo magis neceſſarium eſſe ipſamet Serenitas Veſtra ſine dubio judicatura eſt, quo clarius nunc liquet, non conſiſtere intra Livoniam motus, ſed cum illis, qui nuperrime etiam in Saxoniæ inferioris finibus ſuborti ſunt, vix non indiſſolubili vinculo eſſe connexos, ideoque tam late ſeſe diffundente bello, mutuæ ſimul Imperii & Provinciarum Noſtrarum ſaluti & ſecuritati adverſus ſub-

ditos & incertos caſus proſpiciendum eſſe; Ita & hac & omni alia occaſione quam ſimus & pactorum religioſe ſervandorum, & fœderatæ amicitiæ jugiter colendæ ſtudioſi, operam dabimus, ut Serenitas Veſtra re ipſa cognoſcat, cui interea a Deo optimo maximo diuturnam incolumitatem proſperosque rerum & conſiliorum ſucceſſus animitus vovemus. Laxenburgi 13. Maji Anno 1700.

MLXXV.

Literæ PETRI, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad AUGUSTUM II. Poloniæ Regem, de bello Livoniæ inferendo agentes, 1700.

Frater dilectiſſime & Domine Vicine.

NOn dubium eſſe debet, quin propoſitum Noſtrum res arduæ hactenus moratæ ſint: quoniam tamen nunc, auxiliante Deo, pax cum Turcis triginta annorum ſancita eſt, & quidem conditionibus non pœnitendis, jam toti in eo ſumus, ut quam primum bellum Regi Sveciæ inferatur, & facta in hoſtiles fines irruptione, loca opportuna occupentur. Quem in finem legiones Noſtras, quanta poſſumus feſtinatione, præmiſſas, ipſi circa finem hujus menſis inſequi cogitamus, pleni ſpe & Dei auxilio confidentes. Speramus igitur Veſtræ Dilectionis Votis abunde ſatisfactum iri. Dab. Moſcuæ die 9. Auguſti 1700.

Veſtræ Majeſtatis

Bonus Frater

Petrus.

MLXXV.

MLXXVI.

Literæ FRIDERICI IV. Ducis Holſato-Gottorpienſis, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, a quo obnixe contendit, velit pacis Travendhalienſis capitibus, adjecta gvarantia ſua majus addere pondus & robur, 1700.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex.

QUod noviſſimis in his oris motibus, qui Regiam Majeſtatem Daniæ Meque inter fata temporum ſuborti, Septentrionis quietem per integrum fere quadriennium dubiam reddiderant, publicæque non ita pridem reſtitutæ tranquillitati interitum minari videbantur, Regia Veſtra Majeſtas pro affectu ſuo erga me Domumque Gottorpienſem conciliato accedere, ſuamque operam & autoritatem per variosMiniſtros eo impertiri non dedignata ſit,donec 18. Auguſti die Pax Travendhaliæ feliciter concluſa, & quo invitabat propinqua Sanguinis neceſſitudo ſolida animorum conjunctio ſubſecuta ſit,hoc utpote eximium,quo Regia Veſtra Majeſtas me amplectitur, Benevolentiæ argumentum grato animo veneror, perpetuaque commemoratione celebrabo. Cum igitur pace tandem reſtabilita omnia vota mea eo jam conſpirent, ne novis turbarum tempeſtatibus concuſſa tanquillitas amplius corruere, ſed potius reſtaurata amicitia inviolata impoſterum propagari poſſit. Idcirco Regiam Veſtram Majeſtatem ea, qua par eſt, & quam negotii gravitas requirit, obſervantia & opera enixiſſime rogatam volo, ut quemadmodum ejus autoritate Tractatus Fontebellaquenſis

quenſis quondam initus eſt, ita controverſiis tam exinde quam ex Altonavienſi Receſſu natis finem tandem imponentem opeque Regiæ Majeſtat. Veſtræ conciliatum & in commune orbis emolumentum vergentem Pacem Travendhalenſem Gvarantia & autoritate ſua munire, mihique deſuper conſvetam formulam impertiri non dedignetur, quo ſolito æquitatis & juſtitiæ fundamento ſubnixa illa Travendhalenſis Pax ſubjecto adhuc tam potenti fulcro ad poſteros intemerata transmitti queat. Faciet eo ipſo Reg. Veſt. Majeſt. non tantum quod juſtitiæ gloriæque ipſius & amori pro ſalute publica conveniens eſt, ſed etiam hoc nunquam intermorituro Benevolentiæ ſuæ argumento me Domumque meam in æternum ſibi devinciet, qui ceterum Regiam Veſtram Majeſtatem in longam annorum ſeriem gloriæque incrementum Divini Numinis curæ & tutelæ commendo. Dabantur Hamburgi die 17. Septemb. 1700,

Fridericus Dei gratia Hæres Norwegiæ, Dux Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt.

Regiæ Veſtræ Majeſtatis

ad quævis officia paratisſimus

Fridericus Dux Sleſv. & Holſat.

Inſcriptio.

Serenisſimo ac Potentisſimo Principi, Domino Ludovico Decimo quarto, Galliarum & Navarræ Regi Chriſtianisſimo, Domino Conſanguineo noſtro Charisſimo.

MLXXI.

MLXXVII.

Literæ GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad PETRUM, Czarum & Magnum Ducem Moſcoviæ, cui ſancitas cum Turcis ſumma cum laude & emolumento inducias gratulatur, & mediatoris officia, belli inter eum Regemque Sveciæ exorti compoſitioni adhibenda, modeſte offert, 1700.

Guilielmus Tertius, Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, Fidei defenſor &c. Altisſimo, & Potentisſimo & Illuſtrisſimo magno Domino Petro Alexiewitſo Czaro & Magno Duci &c.

Potentisſime, Charisſime & Dilectisſime Frater.

SIngularis obſervantia, perſonaliſque noſtra erga Veſtram Czaricam Majeſtatem amicitia nos ad omnes Veſtræ Czaricæ Majeſtatis res & utilitates curandi & promovendi occaſiones captandas impulit, omneque quod Veſtræ ſecundum nos quieti & ſatisfactioni favere poteſt, faciendi, ardensque noſtrum pro generali Europæ tranquillitate ſtudium, uti de optabilisſima posſibili re, non ſinit nos obvias ullas rejicere occaſiones, noſtra efficaciora impendendi officia in occurrendo publicæ Pacis turbationi, aut ad illam, ſi concuſſa aut fracta, tempeſtive reſtaurandam. Talia nos ad Czaricæ Majeſtatis Veſtræ res ut proprias aſſumendi in Tractatu Carlowizenſi induxerunt, ſemperque in tali manentes propoſito inque eadem propenſione, Veſtram

Digitized by Google

Veſtram Czaream Majeſtatem ejusque ſubditos pace, ſicuti & alios nunc Chriſtiani Orbis Principes, frui videndi, ad primam deſiderii Veſtri ſignificationem Veſtras cum Turcico Imperatore inducias protrahendi, & quod Legatus noſter Extraordinarius ad Aulam Ottomannicam Veſtræ Czaareæ Majeſtatis Miniſtris conſiliis & bonis officiis ad illas obtinendas præſto eſſet, ſine mora conſentientes immediatos miſimus Legato noſtro Conſtantinopolim ordines, ut ſecundum Veſtræ Czareæ Majeſtatis deſideria ageret, qua negotiatione longis concluſa induciis, ex toto corde Veſtræ Czareæ Majeſtati de hoc felici gratulamur ſucceſſu, ut de re, quæ ullo absque dubio Veſtræ Czareæ Majeſtati ejusque ſubjectis & regionibus omnem promittet proſperitatem. Et obviam habentes haud ita pridem occaſionem noſtrarum bellicarum Navium claſſem in Balticum mare mittendi, ſtricta Architalaſſo aliisque ductoribus noſtris mandata dedimus, ut omnes Veſtræ Czareæ Majeſtatis naves, quas obvias haberent, diſtinguerent, ergaque illas omni cum urbanitate, intimoque amoris ſenſu ſe gererent. Et in ulterius noſtræ erga Veſtram Czaream Majeſtatem obſervantiæ affectusque argumentum, a Legato Veſtræ Czareæ Majeſtatis apud confœderatarum Provinciarum Generales Status, audientes Veſtram Czaream Majeſtatem valde a Corona Svecia alienatam eſſe injuriarum, ab aliquibus illius coronæ ſubjectis Veſtræ Czareæ Majeſtatis Legatis ac Plenipotentiariis in tranſitu per Livoniam illatarum, cauſa & reſponſionis, querimoniis

niis Svecicæ Legationi ad Aulam Veſtram factis procraſtinatione Veſtræ Czareæ Majeſtati noſtram offerimus Mediationem, melioraque officia ad omnes amicabiliter componendum contentiones, quæ inter Veſtram Czaream Majeſtatem inſurgere potuerunt, & Regem Sveciæ, erga quem Tractatuum & confœderationum antiquarum & recentium inter noſtram & Svecicam coronas cauſa magnam habemus obſervantiam, nihilque penitus dubitamus, quin noſtris velit perſuaſionibus & admonitionibus aures præbere & Veſtræ Czareæ Majeſtati rationalem dare ſatisfactionem. Quapropter Veſtram Czaream Majeſtatem enixe rogamus, ut velit ex ſua parte compoſitioni indulgere dignari, & ut tali intentione de loco ad omnes terminandas modo amicabili diſcordias, absque aperta Pacis diſruptione conveniatur, utque Veſtra Czarea Majeſtas eodem velit tempore omnes hoſtiles ſuſpendere actus. Spe ducimur, diſcordias in illarum examine fore tales, ut media ad illas componendas invenire arduum non erit. Et tam magnum de Veſtræ Czareæ Majeſtatis juſtitia, æquitate & honore judicium habemus, ut cum cauſa credimus, ſe noſtris ſtudiis & amicabilibus obviam ire, & fore paratam, debitam excipere a Corona Svecica ſatisfactionem potius, quam bellum ſuſcipere, quod quando aliæ viæ nullo cum ſucceſſu ſe habent, extremum eſt remedium, & ut Veſtra Czarea Majeſtas ſua velit humanitate, ſuis taliter proſpicere ſubjectis, ut poſſint fructus colligere pacis, quam illis Veſtra Czarea Majeſtas poſtremo curavit, &

benefi-

beneficio frui commercii tam feliciter ſtabiliti & poſtremo inter ipſos & noſtros aliorumque vicinorum populorum ſubditos aucti, & quod, pacis continuatione excultum, floreſcens reddet Veſtræ Czareæ Majeſtatis Imperium, & nomen Veſtrum magna ſua moderatione fama celeberrimum, publicam tranquillitatem omnibus aliis præponendo reſpectibus. Sic longum & felix Majeſtatis Veſtr. Czareæ Regnum augurantes eandem omnipotentis protectioni commendamus. Datum Hagæ Comitis die 23. Octobris Anno Domini 1700. Regnique noſtri duodecimo.

affectionisſimus Frater

Guilielmus Rex.

MLXXVIII.

Litera LEOPOLDI Rom. Imperatoris, ad FRANCISCUM LUDOVICUM, ſupremum Ordinis Teutonici per Germaniam Magiſtrum, quem amice hortatur, ut impoſterum Commendas in Germania vacantes Nobilibus Natione tantum & vere Germanis conferat, 1700.

Leopoldus &c.

DEmiſſe Nobis expoſuerunt Equites Prioratus Allemannici, qualiter Devotio Veſtra ſuper quibusdam dicti Prioratus commendis nonnullas penſiones certis exteris Fratribus, Capellanis & Servientibus per Brevia Apoſtolica ad id prætenſe qualificatis nuperrime contulerit. Licet nunc noſtra mens nullatenus ſit Devotioni Veſtræ

ſtræ hac in parte quicquam præſcribere, quia vero Commendæ præfati Prioratus Allemannici non ſolum ad promovendum modo dicti Ordinis ſui laudabile inſtitutum & finem, ſed etiam & maxime ad majorem conſervationem & ſuſtentationem Nobilitatis totiusque Nationis Germanicæ ad inſtar omnium Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum a Prædeceſſoribus Noſtris, aliisque Germanis fundatæ dignoſcuntur, adeo etiam, ut obſtantibus expreſſe concordatis Apoſtolicis cum dicta noſtra natione initis ipſimet ſummo Pontifici ſuper Germaniæ Canonicatibus & Beneficiis Eccleſiaſticis, (inter quæ Commendæ cenſentur) penſiones exteris conferre non ſit integrum. Devotio Veſtra facile arbitrabitur, ejusmodi collationem penſionum ſuper Commendis Prioratus Allemanniæ toti Nationi Germanicæ tantopere damnoſam & Nobis diſplicere, præſertim cum in Germania copioſiſſima ſit Nobilitas Catholica, maxima vero pars Commendarum ab Acatholicis adhuc dum detineatur, & paucæ, quæ ſuperſunt, per noviſſimum bellum Gallicum non exiguum damnum paſſæ ſint. Quapropter a Devotione Veſtra benevole poſcimus, ut penſiones exteris collatas revocare, easque Equitibus vere Nationalibus conferre, ac præterea litem, ſi quæ deſuper inorta eſt, ſopire, ſicque prædictos Equites ulterioribus expenſis ad eam proſequendam neceſſariis liberare velit. Erit id Nobis apprime gratum & illos ad perpetuæ obſervantiæ ſtudia arctiore nexu Devotioni Veſtræ devinciet, cui gratiæ & benevolentiæ Noſtræ Cæſareæ affectum

perpetim confirmamus. Viennæ 15. Decembris 1700.

MLXXIX.

Literæ FRIDERICI I. Boruſſiæ Regis, ad MICHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, quibus ipſi ſuam in Regem Septentrionalis Boruſſiæ inaugurationem & coronationem nuper Regiomonti factam eſſe nuntiat, 1701.

P. P.

NOn dubito, quin hilari & grato animo Dilectio Veſtra, pro ea qua erga Nos pollet ſingulari benevolentia intellectura ſit, noſtram, quæ nuper Regiomonti contigit in Regem Pruſſiæ ſeptentrionalis, quam ſuprema poteſtate poſſidemus, inaugurationem & coronationem. Primatem quippe Regni potentiſſimi & Serenisſimæ Reipublicæ Præſulem, illumque tanta rerum experientia, peritiaque ſapientisſimum latere minime poteſt, tantundem inclytæ Polonæ genti decoris & gloriæ accedere, quantum amiciſſimo Principi Regique provenit ex avito ditionis ſuæ jam feliciter reſtaurato regalis faſtigii ornamento. Novum ſane dignitatis decus idcirco & præſertim acceptabile nobis fuit, eritque ut clarius omnium oculis exponatur inconcuſſa Noſtra in celeberrimam toto Orbe Polonicam Nobilitatem, devinctisſimaque voluntas, & clariora pateant noſtri erga illam amoris argumenta. Supereſt, ut Dilectio Veſtra, quam excelſus, quem in Republica tenet locus; aſt multo magis inſignia illuſtrant merita, crebras nobis ſuppeditet occaſiones, noſtræ erga ſe

&

& ſemper paratæ propenſionis luculenta ſpecimina exhibendi, quæ omnia dum illuſtrisſimus ſupremus Prusſiæ hujus Noſtræ Conſiliarius & Mareſchalcus, Ablegatus Noſter extraordinarius, ſincere Nobis fidelis atque dilectus Chriſtophorus Comes a Wallenrod, Dilectioni Veſtræ uberius exponet, eidem plenam & eandem, quam nobis ipſis ſtipulamur fidem. Dat. Regiomonto die 27. Januarii, Anno MDCCI. Regni vero Noſtri primo.

MLXXX.

Reſponſoria MICHAELIS RADZIEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad præinſertas FRIDERICI I. Boruſſiæ Regis literas, quibus ipſi de Regia, quam nuper conſecutus erat, devote gratulatur dignitate, 1701.

P. P.

NOn jam ex rumore, ſed ex diſtincta Majeſtatis Veſtræ recordatione, dum de peracta nuper Regiomonti Regali Majeſtatis Veſtræ inauguratione ac coronatione Nuntium accipio, non poſſum non lætari, affectum in contextu ejusdem literarum legens, Septentrionalis Borusſiæ temporum oblivione ſepultum Regale nomen primævæ luci a Majeſtate Veſtra reſtitutum, in majus vicinæ Poloniæ decus, amicitiæ ac inconcusſi cum Republica fœderis firmius gluten a Majeſtate Veſtra aſſumptum. Optaſſem equidem, ut glorioſa hæc priſcæ dignitatis exhumatio a congregata in unum Republica voto ac plauſu publico celebraretur, ſed cum temporis fors rationes

differre eandem non permiſerint, privati ſaltem obſequii, ac devotionis meæ cultu feſtivum hunc diem celebrari Majeſtas Veſtra patiatur. Uberius hæc deferet Majeſtati Veſtræ Illuſtrisſimus Comes Ablegatus ejusdem extraordinarius, dum ipſe proſpera æque ac glorioſa exoptans humillima Majeſtati Veſtræ inclinor veneratione. Dabantur Varſaviæ die 12. Februarii, Anno 1701.

MLXXXI.

Literæ AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad FRIDERICUM I. Boruſſiæ Regem, quibus ipſum pro Rege Boruſſiæ agnoſcit, & de aſſumta dignitate Regia amanter gratulatur, 1701.

P. P.

POſt notitiam nobis a Majeſtate Veſtra de aſſumpta Regia Dignitate in Pruſſia datam, & actu coronationis die 18. hujus menſis feliciter expedito, factamque per Ablegatum Majeſtatis Veſtræ in Aula noſtra degentem Extraordinarium, Liberum Baronem ab Hoverbek, certiorationem, per inaugurationem hanc & Regii nominis decus juribus ac prærogativis Nobis Regnoque Noſtro tam in Pruſſia, quam alibi competentibus, nullatenus præjudicium atque damnum futurum, ſed potius ea omnia ſarta tecta, illæſaque, ut antehac, ita & impoſterum, ſemper manſura eſſe, ambigendum Nobis haud eſſe duximus, quin amicam propenſamque erga eandem voluntatem Noſtram indeque pullulans gaudium, quo vere ſincereque perfundimur, teſtaremur. Majeſtatem

Digitized by Google

tem itaque vigore præſentium pro Rege in Pruſſia agnoſcentes, de hac Regia dignitate, qua nunc Majeſtas Veſtra coruſcat, ex intimo cordis affectu eidem gratulamur; Deum Optimum Maximum rogantes, ut hoc regale faſtigium Majeſtati Veſtræ Sereniſſimæque Domui Suæ perpetim glorioſum, ſubditis proſperum, Amicis fœderatisque proficuum eſſe, atque adeo ad infinitam Poſterorum ſeriem cum omnigenæ felicitatis incremento transmittere velit. Et ſicuti alia animi noſtri erga Majeſtatem Veſtram Documenta in recenti adhuc memoria apud eandem verſari confidimus; Ita quoque nulli dubitamus, hanc animi Noſtri Declarationem tanquam cumulum & inſigne augmentum præteritorum officiorum gratanter acceptum atque adeo quævis reciproci amoris amicitiæque ſigna a Majeſtate Veſtra uti jam ſæpius teſtata eſt, occaſione ferente, perlubenti animo Nobis exhibitum iri. Generoſus Tovianſky, Ablegatus noſter, ſinceri animi noſtri ſenſa Majeſtati Veſtræ uberius explicabit, cui utut plenam undiquaque fidem adhibere velit, etiam atque etiam rogamus. Quod reliquum eſt, valetudinem Majeſtati Veſtræ quam optimam inter proſperos rerum ſucceſſus ſerio apprecamur. Dabantur Varſaviæ die 28. Menſis Januarii Anno 1701, Regni noſtri quarto.

MLXXXII.

Reſponſoria FRIDERICI I. Boruſſiæ Regis ad præinſertas AUGUSTI II. Poloniæ Regis gratulatorias, 1701.

Literas Regiæ Veſtræ Majeſtatis die 28. menſis Januarii ad nos datas ejusdem ad nos Ablegatus extraordinarius Illuſtris & Magnificus Towianski rite nobis exhibuit, & de Regia, qua nunc gaudemus dignitate, amplisſimis verbis gratulatus eſt, quod cum non poterit nobis non eſſe non gratisſimum Regiæ Majeſtatis Veſtræ in Nos benevolentiæ argumentum, merito de eo eidem maximas perſolvimus gratias, Regiamque Veſtram Majeſtatem certisſimam eſſe volumus, nos ſi aliquid Noſtro in eandem affectui, & res commodaque ejusdem promovendi ſtudio ſuperaddi poteſt, id nos una cum diademate Noſtro aſſumpſiſſe & omni loco, tempore occaſioneque ita re & facto palam facturos eſſe, ut Regia Majeſtas Veſtra, quod in Nobis, qui tot ac tantis jam olim eidem alligamur vinculis, deſideret, profecto habitura non ſit. Prædictus Regiæ Majeſtatis Veſtræ Ablegatus extraordinarius ea de re mentem Noſtram eidem uberius exponet, adeoque nihil Nobis ſupereſt, niſi ut Regiæ Majeſtati Veſtræ optimam valetudinem & optatos ubicunque Rerum ſucceſſus toto corde apprecemur. Dabantur Regiomonti 21. Februarii, Anno 1701. Regnique noſtri primo.

MLXXXIII.

Literæ LEOPOLDI Rom. Imperatoris, ad CLEMENTEM PAPAM XI. quibus ſe legitimum defuncti nuper Caroli II. Regis Hiſpaniarum in Regno Neopolitano ſucceſſorem eſſe concinne & evidenter deducit, ſeque eodem inveſtiri reverenter petit, 1701.

Bea-

Beatiſſime Pater.

TRiſtis & fatalis caſus mortis Sereniſſimi & Potentiſſimi Hiſpaniarum Regis Caroli II. proximo ſanguinis, tam Agnationis, quam Cognationis vinculo Nobis conjuncti, piiſſimæ memoriæ, Europæ univerſæ jam innotuit, per quem ejus relicta Regna, Provinciæ & feuda, legitimo ſucceſſionis titulo & modo ex naturali Gentium & civili Jure Auguſtæ Domui Auſtriacæ noſtræ devoluta ſunt, ut non niſi per injuſtitiam & violentiam ab aliis occupari & jura noſtra inquietari poſſint. Cumque inter alia Regna ſic nobis aperta, & ad nos noſtramque domum pertinentia numeretur etiam regnum Neapolitanum, cujus dominium directum ad Sanctitatem Veſtram ſanctamque ſedem Apoſtolicam pertinet, inveſtitura autem jam ab ejusdem Prædeceſſoribus in Pontificatu, nempe felicis recordationis Papa Julio II. Anno 1510. Imperatoris Caroli V. Patri, eo, quod Regnum Neapolitanum ad avum Ferdinandum Regem Catholicum, & poſtea ipſimet Imperatori Carolo V. eo quod regnum Siciliæ hæreditario jure ad ipſum pervenerit, pro ipſo ipſiusque in Regno Arragoniæ hæredibus & ſucceſſoribus tam maſculis, quam fœminis, ita ut maſculi fœminis & natu majores minoribus in eodem Regno præferantur, a Papa Leone X. Anno 1521. collata, & deinceps ab omnibus ſubſequentibus Sanctæ ſedis Pontificibus, Prædeceſſoribus Sanctitatis Veſtræ, hæredibus& ſucceſſoribus Ferdinandi Catholici, usque ad Regem ultimo defunctum confirmata eſt; Evidens plane eſt, poſt hu-

jus e vivis diſceſſum dicti quoqueRegni Neapolitani ſucceſsionem una cum aliis defuncti Regis, Regnis,Provinciis,Ditionibus & feudis ad nos & domum noſtramAuſtriacam,utpotePhilippi I.&Joannæ Hiſpaniarum Regum, qui ejusdem Regni Neapolitani variis antea turbis, bellis & vicisſitudinibus agitati tranquillam poſſeſſionem legitimo ſucceſſionis titulo ſubſequentibus Hiſpaniæ Regibus, usque ad ultimum defunctum reliquerunt, legitimos hæredes & ſucceſſores, e Vaſallis antea inveſtitis recta ſerie deſcendentes omni jure, ſine ullo vel minimo dubio pertinere, neque ullo rationabili modo impediri poſſe; Quamvis enim apud Imperatoris Caroli V. inveſtituram hæc olim mota fuerit difficultas, quod in antiquis & novis Regni Neapolitani Inveſtituris lege expreſſa & a Regibus jurata caverint Romani Pontifices, ne Rex Neapolitanus, vel Rex Siciliæ citra Pharum ſibi Imperium vel Regnum Romanorum, Tuſciamve aut Lombardiam deferri procuraret, aut delata acciperet, ſub pœna amittendi Regni Neapolitani, tamen Pontifex Leo X. diſpenſavit, juramentique relaxationem Imperatori Carolo V. impertitus eſt, novasque citra præjudicium Jurium Ferdinandi Catholici, & ex eo Genitorum leges & Cenſus impoſuit, qua relaxatione, ſi pro Nobis denuo opus fuerit, eandem & nos a Sanctitate Veſtra obtinendam ſperamus, & pro Inveſtitura Sanctitatem Veſtram omni meliori modo & forma requirimus & imploramus. Neque etiam illi ullo modo obſtare poteſt, quod ſæpe memoratus Rex Carolus II. ſorori

rori ſuæ Mariæ Thereſiæ, conjugis modo regnantis Regis Galliarum, Ludovici XIV. filium Delphinum & ex eo Nepotes Ludovicum Ducem Burgundiæ, Philippum Ducem Andegavenſem, & Carolum Ducem de Berry, prætenſos, ſi inteſtatus deceſſiſſet, hæredes ab inteſtato reliquerit, inſuper vero modo-dictum Philippum Andegavenſem cum ſubſtitutione ejus Fratris Ducis deBerry,& tandem filii noſtro chariſſimi,Archiducis Caroli teſtamento ſuo quovis modo ab agonizante procurato ſucceſſores Regnorum, Provinciarum & Feudorum ſcripſerit & declaraverit.Notum quippe eſt, quod, quantum ad Succesſionem ab inteſtato attinet, omnia jura divina naturalia, & civilia, eam nobis, Domuique noſtræ Auſtriacæ Germanicæ, utpote directe deſcendentibus ex linea maſculina primorum acquirentium deferant; Extincta enim linea maſculina primogeniti ex Philippo I. & Joanna Regibus Hiſpaniarum filii per mortem ultimi Regis Caroli II. Succesſio Regni Neapolitani lineæ ſecundogeniti, ſcilicet fratri Imperatoris Caroli V. Ferdinando I. Imperatori feliciſſimæ memoriæ & ejus legitimis ſucceſſoribus, inter quos nemo præter nos Noſtroſque charisſimos filios connumerari poteſt, omni jure ipſoque ibidem ſemper uſitato ſuccedendi ordine debetur: Nullus hic patet aditus filiis vel nepotibus, ex ſorore poſtremo defuncti Regis prognatis, cum non ſolum ipſa caſum mortis non ſupravixerit, ſed & a fratre ſucceſſore fuerit excluſa, imo ſi qualiscunque reſpectus in hoc negotio haberi poteſt, nobis & noſtræ Domui ex

parte matris Noſtræ dilectisſimæ felicisſimæ recordationis, Mariæ, filiæ Philippi III. Hiſpaniarum Regis, ſicque ex primogeniali linea indubia præ Delphino Galliarum ejusque filiis competit Succesſio, atque ex hoc argumento etiam illud concidit, quaſi non posſit fieri tranſitus ad lineam ſecundogeniti, quamdiu aliqua perſona, etiamſi fœmina ex linea primogeniti ſupereſt, quia fœminam ſeu filiam Rex Carolus II. non reliquit, & ut modo dictum, etiam Mater Noſtra dilectiſſima, Maria, & per eam Nos & filii Noſtri deſcendimus, ex linea primogeniti filio & Nepotibus Mariæ Thereſiæ, filiæ Regis Hiſpaniarum Philippi IV. multis paſſibus eoque magis anteferendi, quod non tantum pactis matrimonialibus inter Ludovicum XIII. Franciæ Regem & Annam Auſtriacam, Philippi III. primogenitam præſente Legato Pontificio initis, renunciatio in omnia & ſingula Hiſpaniæ eidem connexa Regna & Provincias, pro ſe, & omnibus Deſcendentibus, tam fœminis quam maſculis, in infinitum expreſſe inſerta, & poſt conſummatum matrimonium ab utroque jurisjurandi (vinculi ſane inter mortales & imprimis ſupremos Principes fortiſſimi) religione roborata, nec non inter leges Hiſpaniæ Galliæque ſempiternas relata; E contra vero ejusdem Philippi III. filiæ ſecundogenitæ Matri Noſtræ chariſſimæ pro ſe & hæredibus ſuis per ejusmodi pacta connubialia cum Divo genitore Noſtro Ferdinando III. ſancita, jus ſuccedendi integrum ſervatum ſit, ſed etiam ſimilis renunciatio a moderno Galliarum Rege

ejus-

ejuſdemque piiſſime defuncta conjuge Maria Thereſia per actum non privatum, ſed publicum coram Deo juratum, fundatum ſuper legibus Regnorum renunciatorum fundamentalibus, pro eorum conſervatione & pace facta, & per tabulas pacificationis Pyreneæ a ſede Apoſtolica ardentiſſime promotæ, atque ab eodem Rege Chriſtianiſſimo ratihabitæ, velut præcipua ejusdem pars confirmata fuerit, & ſine qua renunciatione matrimonium non fuiſſet concluſum, ut taceamus, quod Reges Galliarum nullius Principiſſæ ex Hiſpanicis aut Archiducibus Auſtriæ nuptæ filios ad Regni Franciæ ſucceſſionem admittant, ideoque & ipſi jure talionis ſeu retorſionis omnibus Gentibus approbato, a ſucceſſione Regnorum Auſtriacorum viciſſim arceri poſſint & debeant. Exiſtimamus proinde omnes iſtas breviter deductas rationes ita ſtabilitas, ſolideque fundatas eſſe, ut ex iis ipſa Juſtitia pro Nobis Noſtraque Auguſta Domo primo ſententiam victoriamque pronunciet, nullatenus his omnibus obſtantibus teſtamento ſive Codicillo a Rege Carolo II. jam agonizante, ut fertur, condito, & in eo inſtitutione Succeſſorum, præterquam enim quod in dicto Teſtamento perperam aſſeratur, cauſam ſupratactarum renunciationum ceſſare in Duce Andegavenſi, cum tam ex tenore & verbis earundem, quam ex teſtamentis Philippi III. & IV. quæ iis innituntur, chariſſime pateat, non modo primogenitos, eorumque deſcendentes, imo & filias (in quibus certa illa prætenſa renunciationis cauſa, ſeu Regni Galliæ, cujus fœminæ

minæ incapaces ſunt, cum Hiſpaniæ & connexis Regnis conjunctio timeri non poterat) a Succesſione in ſempiternum excludi. Notisſimi profecto juris eſt, quod ſi ultimus de Majoratu teſtetur, tanquam ſi Succeſſio Agnatorum finita esſet, inſtitutus poſſeſſionem petens impediri & removeri posſit per Agnatos de jure ſuo docentes; Et hinc omnes ordinationes ultimi poſſeſſoris nullius ſunt momenti, ubi in præjudicium ſucceſſorum Regna deferuntur, ad ſecundogenitos proximiores, neque enim Rex teſtari poteſt in præjudicium eorum, ad quos Regnum pertinet jure ſanguinis, & in illis ſuccedunt primis Regibus, qui Regnum habuerunt, non autem ultimo moriente, qui proinde in præjudicium ſucceſſorum nihil diſponere poteſt, prout hoc ipſum etiam in omni materia feudali ubivis locorum obſervatur, ut proinde contra Nos & Domum noſtram nullum validum argumentum ex teſtamento ultimi defuncti Regis Caroli II. nulla ratione extrui & deduci poſſit, præſertim contra plus quam bis centum annorum quietam poſſeſſionem, qua Domus Noſtra in Regno Neapolitano quiete gaviſa eſt, & hucusque conſervata fuit; Cum vero in dubium vix vocari poſſit, quin Rex Galliarum & Philippus Dux Andegavenſis ſub prætextu ſuprafati teſtamenti ſive Codicilli aliarumque conglobatarum rationum Sanctitatem Veſtram inſtantiſſime pro Inveſtitura regni Neapolitani, rogaturi, & omnia in eum finem tentaturi ſint, hinc intermittere non potuimus, hac brevi informatione Sanctitati Veſtræ

jura

jura noſtra aliquatenus repræſentare, eamque amanter & filialiter requirere & eventualiter proteſtari, ut contra jura nobis & Domui noſtræ tam evidenter competentia nihil ad alienas preces & in præjudicium noſtrum reſolvere vel ordinare, prout nunquam de Sanctitate Veſtra nobis perſuadere poſſumus, verum omnia obiter ſupra deducta argumenta conſiderate ponderare, & ulterius deducenda expectare velit, Nobisque inveſtituram competentem impertiri, prout de rectitudine & juſtitia Sanctitatis Veſtræ in hoc plane confidimus & ſperamus, Deum precantes, ut Sanctitatem Veſtram ad Eccleſiæ ſuæ & Noſtrum ſolatium quam diutiſſime ſervet incolumem. Viennæ 29. Januar. Anno 1701.

Leopoldus.

MLXXXIV.

Literæ GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis ad FRIDERICUM I. Boruſſiæ Regem, quibus ipſi aſſumptum nuper Regiæ Majeſtatis nomen & ſplendorem ex animo gratulatur, 1701.

Guilielmus Tertius, Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defenſor &c. Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi, Domino Friderico, eadem gratia Regi Boruſſiæ, Marggravio Brandenburgenſi, Sacri Romani Imperii Archi-Camerario & Principi Electori Magdeburgi &c. tot. tit. Fratri Cognato, Affini & Amico Noſtro Chariſſimo, Salutem.

Sere-

Sereniſſime & Potentisſime Princeps, Frater, Cognate, Affinis, & Amice Chariſſime.

CUm ex literis Majeſtatis Veſtræ die (8) 19. menſis hujus, Regiomonti Boruſſorum ſcriptis, intelligamus, ipſam Regis nomen & inſignia ſumpſiſſe, Titulo & Honore, quibus ante plura ſecula Ducalis Pruſſia fulgebat, reſuſcitatis, quum ipſam Regiis virtutibus abunde ornatam, ſummoque illi faſtigio parem & maturam jam dudum noveramus, quin illa nobis ſignificatio fuerit gratiſſima pro ſanguinis propinquitate, pro egregio noſtro in Majeſtatem Veſtram Ejusque Domum, ſtudio, proque amicitia erga ipſam intemerata dubitare nequaquam debet; quibus effectum eſt, ut quæ Majeſtati Veſtræ feliciter eveniunt, eadem nos ſingulari voluptate perfundant, neque parum incrementi huic gaudio Noſtro accedit, quod ipſa hunc dignitatis gradum ut proximiores, ita conjunctiores Nos redditurum in ipſo limine regalis Majeſtatis ſpondet, cui præclaræ benevolentiæ mutuo reſpondere parati ſemper erimus, atque eidem nihil arctiſſima animorum & conſiliorum communione tempeſtivius difficillimo hoc tempore, aut Noſtris utrinque, aut publicis rationibus magis neceſſarium poteſt accidere; Supereſt ut optemus, ut in Septentrione ceu Sydus novum effulgeat Majeſtas Veſtra, & regionem benigno lumine illuſtret, quod ut auctius diutiusque fiat, Eandem Divini Numinis tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio Noſtro apud Ken-

Kenſington die 31. menſis Januarii, Anno Domini 1701. Regnique Noſtri duodecimo.

Majeſtatis Veſtræ

Bonus Frater, Cognatus & Amicus

Guilielmus Rex.

MLXXXV.

Literæ GEORGII TOWIANSKII, Palatini Lancicienſis, ad FRIDERICUM I. Boruſſiæ Regem, quibus ab eo ſubmiſſe contendit, velit omni cura ac opera impedire, quo minus Svecis quæſitus per ditiones ejus in Poloniam pateat tranſitus, 1701.

PAtiatur benigne Sacra Regia Majeſtas Veſtra humillimam interpellationem meam tam ex vi muneris mei Generalis Majoris Poloniæ, Palatinatibus debitam, quam etiam ex præterito nuper Conventu mihi recommendatam, ut nomine Palatinatuum aſſecuratam erga rempublicam in literis ad me clementer nuper datis experiar benevolentiam magisque Palatinatus Noſtri confirmentur, Regium Sacræ Majeſtatis Veſtræ ſceptrum eſſe legum, libertatum & ſecuritatis reipublicæ fulcrum. Percrebuit per Palatinatus fama, novum extraneum exercitum per ditiones Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ velle in majorem Poloniam quærere tranſitum, quod etiamſi non metuam, tam ex parte optimi Principis, Sacræ Regiæ Majeſtatis Domini mei Clementiſſimi, quam etiam ex tenerrima Majeſtatis Veſtræ erga Rempublicam

expreſſio-

expreſſione, ut tranſitum permittat, gratulor tamen ipſi, quod hic etiam, ut credo, rumor cedat in obligationem Reipublicæ erga Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram, nihilque respublica ex evectione in ſolium Majeſtatis Veſtræ habeat, quod obſervet, ſed tantum, quod revereatur. Expecto igitur profundiſſimo reſpectu benignum Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ reſponſum, cum plena optimi eventus fiducia, quæ majora dabit argumenta teſtificandi, ut ſim

Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Dabantur Varſaviæ die 4. Martii anno 1701.

humillimus & obſequentiſſimus Servus.

MLXXXVI.

Reſponſoria FRIDERICI I. Regis Boruſſiæ ad præinſertas GEORGII TOWIANSKII Palatini Lanoicienſis literas, 1701.

FIdeliter Nobis redditæ ſunt literæ Illuſtrisſimæ Dominationis Veſtræ die 4. Martii ad nos datæ, quibus de novo extraneo exercitu per ditiones noſtras in Majorem Poloniam tranſituro ad Nos perſcribere voluit; quod cum certisſimum nobis ſit documentum Illuſtrisſimam Dominationem Veſtram non minorem pro Reipublicæ ſalute gerere curam, quam de noſtro in eandem ſtudio concepiſſe fiduciam. Non eſt quod dubitet Illuſtrisſima Dominatio Veſtra, quin, ſi aliquod immineat Poloniæ periculum, Nos probe conſci-

conſcii eorum, quæ inter eandem & nos intercedunt, fœderum, omnem ſimus moturi lapidem, ne quidquam Reſpublica detrimenti capiat, ſed integra & illibata ſtet ſecuritas & libertas. Illuſtrisſimæ Dominationi Veſtræ interea hiſce ſignificandum eſſe duximus, ſpargi pasſim rumores, quaſi Serenisſimus & Potentisſimus Poloniæ Rex majores in Poloniam evocare copias neceſſum habeat, ut contra motus ibidem non aliam propter rationem, quam ob initam Regiam Noſtram dignitatem excitatos, melius faciliusque ſe tueatur, eaque propter certi ſumus, Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram cum reliquis Regni Senatoribus, Magnatibusque operam daturam eſſe ſedulam, ut hoc, quicquid eſt ſuſpicionis, quamprimum penitusque tollatur. Quod dum ab Illuſtriſſima Dominatione Veſtra etiam atque etiam contendimus, ei fauſta & felicia quævis toto corde apprecamur. Dab. Regiomonto 8. Martii, Anno 1701.

MLXXXVII.

Literæ JACOBI, Principis defuncti nuper Poloniæ Regis natu majoris, ad NUNTIOS & DEPUTATOS in Comitiolis, per Palatinatus majoris Poloniæ inſtitutis congregatos, quibus eos amanter requirit, velint ſedulo operam dare, ut ſibi ſuæque Sereniſſimæ Familiæ debita Regis & Reipublicæ nomine pecuniæ confeſtim reſtituatur ſumma, 1701.

PUpillæ domui noſtræ poſt fata piæ memoriæ Regis quid eſſe poteſt ſolatio? niſi hoc ſolum & unicum, quod in protectione & tutela hujus in-

clytæ, ex qua incrementa ſumſit, Reipublicæ ſpem reponat. Exulat illa quidem extra limites Patriæ conſtituta, at animo jugiter eidem præſens, æque bona ac mala ſentit, quæ huic dilectæ eveniunt Patriæ, gaudetque proſperis, ac pro conſervatione libertatis eam, quam hauſit in illa, vitam & ſanguinem fundere vovet. Viciſſim hac ſpe erigitur, Rempubl. ſua non defuturam ope, ſeu proſpera ſeu adverſa acciderint. Nec enim quidquam in tantum ambit, ac poſſe gloriari, quod totius Reipublicæ inumbretur protectione, quam generoſa civium pectora minime recuſare volent. Ceſſerunt in hypothecam Divo Parenti Noſtro per Conſtitutiones Regni Oeconomiæ Szaulenſis, Novodiſorſeicana, & Pacenſis, cautumque ſub tempus Electionis in pactis conventis erat, ut a Sereniſſ. Rege ſummæ nobis debitæ ſolverentur. Illatæ quidem diverſæ in hac materia proteſtationes fuere; verum nec in minimo Rex ejusmodi contrarius fuit redimibilitati. At modo contrarium cernimus: œconomia Szaulenſis per ſtativa exotici militis primum ad incitas redacta, deinde per inſtrumentum Commiſſionis Regiæ nec præſentata, nedum realiter præſtita ſatisfactione tam originalis ſummæ, quam etiam cenſuum partim antiquatorum, partim non ad plenum receptorum ſexennio, ob interregnum, tum conſiſtentiam biennio Saxonum, demum ſexto anno ob imperatam negationem proventuum poſtpoſitis Regni legibus, per Commiſſarios mihi eſt adempta, & in alienas manus reſignata. Idem Capitaneatui Pucenſi minantur exitium. Omni-

Omnibus Orphana domus noſtra contendit modis, qua mediationem Primatis & aliorum, qua autoritatem Cæſaris adhibendo; ut potuiſſet capitalem ſummam & retentam Proviſionem cenſusque ac proventus vindicare. Sed irrita fuere omnia. Prætenſio autem hæc eſt, inprimis ſumma Capitalis in hypothecam pro œconomia Szaulenſi data & lege publica aſſecurata centum millia imperialium ſunt, cenſus triennio retenti, anno ſcilicet ante fata divæ memoriæ Regis uno, duobus aliis poſt fata ad annum 1697. computando igitur in ſingulos annos pro cenſu viginti millia imperialium, conſurget ſumma millia ſexaginta, item ab anno 1697. ad annum 1700. conſiſtente Saxonico milite in prædicta œconomia, ægre tertia pars proventuum perſoluta: reſtant igitur ad complementum quadraginta duo millia imperialium. Idem reſiduum retardatorum cenſuum vivente adhuc Parente noſtro ab anno 1681. ad An. 1689. liquidarum, & a Sculteris œconomiæ Szaulenſis recognitum, ſubſcriptumque facit ſummam 45815. imperialium. Huc pertinent expenſa ex occaſione impedimentorum collectionis cenſuum 20000. imperialium: ſumma ſummarum excurrit ad 273815. imperialium. In tantis igitur injuriis alio recurſus eſſe nequit, niſi ad inclytam Rempubl. deponendo hunc dolorem in pientiſſima veſtrum omnium pectora, ea fiducia, quod excitaturus ſit, ſinceram erga nos compasſionem & zeloſum in tam manifeſta aggravatione affectum, quo juſtam in recenſita prætenſione obtineamus compenſationem, quorum protectioni

me commendans maneo. &c. Dabantur Olaviæ 1701. d. 5. April.

MLXXXVIII.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quem paterne precatur, ne Friderico I. Boruſſiæ Regi, Regiæ dignitatis tribuat honores, 1701.

Clemens Papa XI.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

ETſi Nobis perſuaſum ſit Majeſtatem tuam nullo modo probare conſilium deterrimo in Chriſtiana Republica exemplo, a Friderico Marchione Brandenburgenſi ſuſceptum, dum regium nomen publice uſurpare præſumit, in eo tamen, quod factum hujusmodi Apoſtolicarum Sanctionum diſpoſitioni contrarium, & hujus Sanctæ ſedis autoritati injurioſum eſſe dignoſcitur, ex quo ſcil. Sacræ Regalis Dignitatis honores ab Acatholico homine non ſine Eccleſiæ contemptu aſſumuntur. Et idem Marchio ſe Regem dicere non dubitat ejus partis Pruſſiæ, quæ ad militarem Teutonicum Ordinem antiquo jure pertinet; Nos rem ſilentio præterire non poſſumus, ne muneri noſtro deeſſe videamur. Quod itaque a perſpecta animi tui magnitudine alienum eſſe, ſatis ſuperque cognoſcimus, ab hoc ut noſtro quoque hortatu temperare velis expetimus, ut videlicet Regios honores illi tribuas, qui illorum numero nimis incaute ſe junxit, quos increpat ſimul & reprobat

ſermo

ſermo ille divinus: Ipſi regnaverunt, & non ex me, Principes extiterunt & non cognovi. Senſus autem ſuper hac re noſter venerabilis frater Philippus Antonius, Archiepiſcopus Athenarum, noſtro nomine fuſius exponet Majeſtati Tuæ, cui felicitatum uberem copiam a Deo precamur & Apoſtolicam benedictionem amantiſſime impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 16. April. 1701. Pontificatus noſtri anno primo.

Uliſſes Joſe.

MLXXXIX.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad MICHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, quo eum ſerio monet, ut Marchioni Brandenburgico Regium titulum & dignitatem uſurpanti competentes Majeſtati Regiæ honores nec ipſe tribuat, nec ab aliis tribui permittat, 1701.

Clemens Papa XI.

Dilecte Fili Noſter Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

ETſi dignam ſublimitate gradus, quem in Apoſtolico ſenatu obtines, de te opinionem gerentes arbitremur, te probe intelligere, in magnum catholicæ Religionis dedecus verti indebitos honores, qui Acatholicis Principibus deferuntur, cum eorum, qui a vera fide diſſident, conſortium frequentare, ne dum ambitum fovere ab eccleſiaſticæ diſciplinæ legibus diſtricte prohibeatur: Tibi

tamen reticere nequaquam debemus, quod coram ipſo Cardinalium Collegio in proxime habito ſecreto Conſiſtorio, Pontificia vigilantia nos admonente, duximus eſſe explicandum. Nos videlicet pro muneris Noſtri ratione diſſimulare nequaquam poſſe illud, quod publice attentatum fuerat a Friderico Marchione Brandenburgenſi, qui ſe Regem Pruſſiæ dicere, tantæque dignitatis, quæ ut ſingulare Dei munus agnoſci, veræque columen Religionis atque ornamentum eſſe debet, nomen & inſignia aſſumere, atque uſurpare præſumpſerat. Dein vero, prout rei momentum expoſcebat, late proſecuti ſumus, quanta inde Orthodoxi nominis & Apoſtolicæ Sedis dignitati illata fuiſſet injuria. Quæ omnia in præſens ſatis eſſe arbitramur ſpectatæ tuæ prudentiæ indicare, ut illos, qui ſignificationes honoris erga alios Reges adhiberi conſuetas eidem Marchioni deferre vellent, ab incœptis ea autoritate, quam tibi in Regno iſto eximia tua decora conciliant, retrahas, quemadmodum fuſius a Venerabili Fratre Archiepiſcopo Tarentino Nuntio iſthic Noſtro percipies, dum Tibi cum multæ felicitatis auſpicio Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ ſub annulo Piſcatoris die 23. Aprilis Anno Chriſti 1701. Pontificatus Noſtri vero primo.

Ulyſſes Joſephus Archiepiſcopus Theodoſienſis.

MXC.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad MICHAELEM

LEM RADZEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, a quo ſerio contendit, velit pro muneris ſibi concrediti autoritate impedire, quominus acatholici Principis Miniſtro, Varſaviæ Reſidenti, ſuæ Religionis ſacris vacare permittatur, 1701.

Clemens Papa XI.

Dilecte Fili Noſter Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EOusque proceſſit, ut accepimus, nonnullorum hominum hæreticæ pravitati adhærentium in iſtis Regionibus audacia, ut Varſaviæ apud acatholici Principis Adminiſtrum publice conventus ſuos agere, ac Lutheranæ ſectæ exercitiis operam palam dare non vereantur. Quæ res paternæ Noſtræ charitatis viſcera, ut par erat, commovit ac perculit, cum indignum eſſe arbitremur, quod impietas ſuos veluti triumphos agere in ipſo Catholicæ veritatis conſpectu præſumat. Perſpectam itaque pietatem tuam in præſidium Noſtræ vigilantiæ adhibemus, ac vehementer a te petimus, ut omni ſtudio Nobiſcum contendas, ut hujuſmodi licentia omnino coerceatur. Pluribus autem ea in re ſuperſedemus, cum ſenſus noſtros uberius ſis percepturus a Venerabili Fratre Franciſco Archiepiſcopo Tarentino, cui injunximus, ut prudentiæ ac zelo tuo, in promovendo memorati ſcandali remedio admodum innitatur; dum Tibi Dilecte Fili Noſter Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo

Piſcatoris die 12. Maji anno Chriſti 1701. Pontificatus autem Noſtri I.

Ulyſſes Joſephus, Archi-Epiſcopus Theodoſienſis.

MXCI.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad FRANCISCUM LUDOVICUM ſupremum per Germaniam Ordinis Teutonici Magiſtrum de aſſumta a Friderico I. Rege Boruſſia, Regia dignitate agentes, 1701.

Clemens Papa XI.

Dilecte fili, Nobilis vir, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Paterna illa Charitate, qua Nobilitatem tuam & militarem Teutonicorum Ordinem, cui præes, unice proſequimur, nos admonente ac prope impellente, ubi certo nobis innotuit, Marchionem Brandenburgicum, Regis Boruſſiæ nomen publice ac ſolenniter uſurpaſſe, quaſi præſumeret, ſpecioſa hujus tituli acceſſione jura legitimæ autoritatis acquirere, in ea provincia, quam memoratus Ordo ab infidelium manibus ſtrenua virtute olim receptam, tanquam firmiſſimum murum pro Domo Iſrael, quæ eſt Dei Eccleſia, contra ejusdem perpetuos hoſtes opponere ſtatuerat. Dedimus ad orthodoxos Reges accuratas literas, quibus ipſos vehementer adhortati ſumus, ne ulla Regii honoris ſignificatione Acatholici hominis ambitum fovere vellent, ac rejecto prorſus erga eundem omni officiorum conſortio propriæ digni-

tati

tati ac religioni proſpicerent, mox autem coram venerabilium Fratrum Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegio libera ac Sacerdotali voce factum ejusdem improbavimus, ac late proſecuti ſumus, quando Eccleſiæ Dei contemptu infectus hæretica labe Princeps, reclamante Apoſtolicarum Sanctionum autoritate, Regiæ dignitatis inſignia profano ritu occupata præferret, quam etiam incaute eorum numero ſe junxiſſet, quos increpat ſimul ac reprobat, ſermo ille divinus: Ipſi regnaverunt & non ex me, Principes extiterunt, & non cognovi. Imprimis autem ob oculos omnibus poſuimus læſæ militiæ veſtræ jura, quod in magnum univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ dedecus vertebatur. Ex quibus omnibus confidimus, te pro ſpectata tua prudentia facile intellecturum eſſe, nos, quantum in nobis erat, tantæ obſtitiſſe licentiæ, ac Pontificia vigilantia adfuiſſe, nec defuturos eſſe impoſterum, ubi e re fore arbitrabimur, piæ, æquæ ac juſtæ cauſæ, quam merito omni ſtudio tueri curat Nobilitas tua, cui in multæ felicitatis auſpicium Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud St. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 14. Maji M.DCCI. Pontificatus noſtri anno primo.

Ulyſſes. Joh. Archiepiſc. Theodorienſ.

Inſcriptio.

Dilecto filio, Nobili Viro, Franciſco Ludovico, Comiti Palatino Rheni, Adminiſtratori Ec-

cleſiæ Uratislavienſis, Ordinis Teutonici Magno Magiſtro.

MXCII.

Literæ LEOPOLDI, Rom. Imperatoris ad COſmum III. Magnum Etruriæ Ducem, quibus de commiſſo a Duce Mantuano feloniæ crimine graviter conqueritur, eumque ad conſtantem erga S. R. Imp. fidem clementer hortatur, 1701.

Leopoldus divina favente clementia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus.

Sereniſſime, Princeps Chariſſime.

NUlli ſane dubitamus, quin Dilectio Veſtra haud fieri potuiſſe Nobiſcum exiſtimaverit, ut Mantuæ Dux Ferdinandus Carolus rejecto, quod Sua Sanctitas ipſi promiſerat, auxilio militari, bellique nervo ac ſpretis ſalutaribus monitis & rationibus ipſi per Ablegatum illic Noſtrum uberius ſæpiusque demonſtratis, atque Exercitu Noſtro jam tum illuc properante, & eo ipſo quidem tempore, quo ſe ſine præſcitu, Conſenſuve Noſtro ne vel quicquam facturum, permiſſurumve jurato aſſeruerat, de tradenda Mantuæ feudi Noſtri Imperialis urbe & Caſtello cum Gallis & Andegavenſibus tractaret, imo nulla ſuadente ratione, ac ne unico quidem hoſtilis tormenti globo petitus illam re ipſa dederet. Verum cum aliter acciderit, isque omnis fidei Nobis ſacroque Romano Imperio juratæ immemor præ ſola auri Gallici Suæ ipſiusmet Patriæ totiusque Italiæ ſaluti præpoſiti cupiditate, tam nefan-

da & Principe plane indigna feloniæ labe ſe contaminare, ac in læſæ Majeſtatis Noſtræ Cæſareæ & rebellionis crimen præcipitare non erubuerit; profecto non potuimus, quin pro ſupremo, quo fungimur, officii Noſtri Cæſarei munere, ea quam tum communes Vaſallagii leges tum ſacri Imperii Conſtitutiones Nobis præſcribunt, ſeveritate in eundem illiusque Conſiliarios, imprimis autem N. Berettum & N. Fianum animadverteremus, eosque ad audiendum & videndum bona ſua reſpective caduca & Fiſco Imperiali delata eſſe, Fiſco Noſtro Imperiali ad id una officii ſui monito citaremus ſubditosque obedientiæ juramento abſolveremus, prout etiam hodierna die tum & illos ita citavimus, tum & hos ita abſolvimus. Quemadmodum igitur perſuaſi ſumus, Dilectionem Veſtram juſtiſſimæ ordinationi huic Noſtræ Imperiali facile aſſenſuram, ita etiam Nobis certo pollicemur fore, ut & ipſa pro noto Nobis alias ac debito ſuo fidei intemeratæ zelo, proque jurisjurandi, quo Nobis & Sacro Imperio obſtringitur, religione Nobis immota adhæreſcat, neque Gallicis vel Andegavenſibus, Hiſpanicisque Copiis Militaribus Ducatum Mediolanenſem aliaque feuda Noſtra Imperialia contra fas & nefas uſurpantibus ac depopulantibus vel minimo adminiculo aſſiſtat; quin illos potius a ſe terrisque ac finibus ſuis vi & armis avertat & propulſet; Exercitus vero noſtros omni benevolentia, hoſpitalitate atque Adjumento proſequatur. Cedet hoc ad majorem Dilectionis veſtræ gloriam & commune Imperii Rom. præſertim vero viciniæ ſuæ totiusque

Italiæ

Italiæ reſtaurationem & incrementum, utpote quod & Nos, qua poſſumus ac debemus, ſollicitudine & opera indefeſſe promovere divina, qua confidimus, ſub ope, non intermittemus. Qui quod reliquum eſt, gratiæ & benevolentiæ Noſtræ Cæſareæ affectu eandem complectimur, Laxemburgi 20. Maji 1701.

Nota. Pari ratione etiam ad Parmæ, Mutinæ, Chaſtallæ & Mirandulæ Duces ſcriptum eſt.

MXCIII.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad MICHAELEM RADZEIJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, quem ſerio monet, ut Reipublicæ Polonæ Proceres graviter hortetur, ne Svecis diſcordiarum ſemina ſpargere ſatagentibus aures præbeant, ſed potius Regi ſuo legitimo in rebus ad Catholicæ Eccleſiæ incrementum facientibus libenter pareant, 1701.

Clemens Papa XI.

Dilecte fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

IN tellexerit intimi aſſiduique Noſtri mœroris cauſas, quicunque ſerio perpenderit, quot & quam graves nunc temporis Chriſtianæ Reipublicæ impendeant calamitates, inter quas non poſtremo loco ob oculos Noſtros verſantur inſidiæ, quibus florentiſſimum Poloniæ Regnum appetitur, dum hæreticorum hominum audacia duplex forte edem bellum inferre parat, unum quidem palam vi & armis, quod certe minus timendum eſt, inſpecta

ſpecta eorum bellica virtute, quibus Rempublicam iſtam tueri tam facile erit, quam familiare eisdem profecto ſemper fuit triumphis propriam libertatem aſſerere, alterum eo periculoſius, quo magis occultum novimus, ſiquidem ab eisdem hæreticis, immitti in nonnullorum animos ſecretas diſcordiarum faces, quæ in proxime habendis Comitiis in publicum incendium, quod difficulter extingui poſſit, erumpant; Excogitari id ſine multa ſollicitudine a paterna noſtra charitate non poteſt, cum agi de Reipublicæ iſtius ſalute atque incolumitate, tum etiam de catholicæ Religionis integritate videmus: dum itaque divinam opem enixis precibus, quatenus ejusmodi pericula amoveantur, indeſinenter expetimus, te amoris Noſtri magnitudine complexi, quo majori poſſumus ſtudio, hortamur, ut eo, quo par eſt, zelo incenſus hoſtium fidei conatibus & publicæ tranquillitatis diſcrimini tempeſtive occurras, ac Dei cauſam fortiter propugnes, quod te feliciter aſſecutum eſſe confidimus, ſi pro ea, qua apud omnes præſtas autoritate, ſingulis periculum, in quo ſacræ res ac humanæ verſantur, detexeris eosque ſerio monueris, cæleſtem iram ac ſpiritualium anathematum fulmina in caput ſuum evocare illos, qui hæreticorum hominum vocibus aures præbere, nedum conſiliis adhærere præſumpſerint. Erit etiam perſpectæ prudentiæ tuæ, inclyti iſtius Senatus ſuffragia in eam ſententiam adducere, ut Chariſſimi in Chriſto filii Noſtri Auguſti Poloniæ Regis ſtudia ac deſideria in iis omnibus, quæ

ad

Digitized by Google

ad amplificandos catholicæ veritatis fines pertinent, promoveantur, ut inde etiam celeberrimæ Reipublicæ iſtius ſplendor & gloria augeatur. Prolixius autem de hac re ſane gravi diſſerentem Venerabilem Fratrem Franciſcum Archiepiſcopum Tarentinum, Nuntium iſthic Noſtrum ut libenter audias, eique, tuo præſidio adeſſe velis, cupimus, dum Tibi, Dilecte Fili noſter, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum ad Sanct. Petrum ſub annulo piſcatoris, 28. Maji Pontificatus Noſtri Anno I.

Ulyſſes Joſephus, Archiepiſcopus Theodoſienſis.

MXCIV.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad ANDREAM CHRYSOSTOMUM ZALUSKIUM, Epiſcopum Plocenſem, ejusdem cum præinſerto argumenti, 1701.

Clemens Papa XI.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

QUo majori zelo pro Catholicæ Religionis integritate, ac communi tranquillitate cuſtodienda flagrant illi, quibus adminiſtrandæ inclytæ iſtius Reipublicæ cura demandata eſt, eo audacius inſurgunt Religionis & Regni ipſius hoſtes, & inſidiis atque dolis publicam divini cultus obſervantiam, ac animorum unionem evertere meditantur. Propugnabit tamen, ut confidimus, fidei & Patriæ cauſam Fraternitas tua, cujus

inſula

inſula erit galea ſalutis ad propulſandos eorum conatus, quos exercere poſſe ſibi pollicentur in proxime celebrandis Comitiis, dum maligno diſcordiarum gladio ad ſcindendum in diverſa ſtudia Senatum accinguntur. Cumulabis itaque tuas laudes, ubi nedum molimina eximiæ tuæ prudentiæ uſu deteges, ſed alios etiam admonebis, ut a pravis hæreticorum conſiliis, imo ab omni cum eisdem commercio juxta ſacrarum legum autoritatem prorſus abſtineant. Quin etiam ad amplificandam Reipublicæ iſtius gloriam opportunum fore ducimus, ut omnes exemplo & unanimi conſenſu promoveant. De quibus omnibus Venerabilis Frater Franciſcus Archiepiſcopus Tarentinus fuſius differet cum Fraternitate tua, cui Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 28. Maji Pontificatus Noſtri Anno I.

Ulyſſes Joſephus, Archiepiſcopus Theodoſienſis.

MXCV.

Reſponſoria ANDREÆ CHRYSOSTOMI ZALUSKII, ad præimpreſſum CLEMENTIS PAPÆ XI. Breve, 1701.

Clementi XI. Pontifici Maximo.

Poſt oſcula beatiſſimorum pedum.

BEnedictus ſit Deus, quod ſecundum magnitudinem miſericordiæ ſuæ eo tempore Sanctitatem Veſtram Eccleſiæ ſponſæ ſuæ dono quodam pro-

providentiæ præfecerit, quo vix alius par tanto oneri ferendo inveniri poſſet. Non tantum nunc Roma Roma major ſed & disſita tot terris patria mea felicitate ipſa felicior, dum cura & ſolicitudo paterna totum implens Chriſtianum Orbem, & a fine usque ad finem intenſiſſima diligentia pertingens ſuaviter etiam ad illam extenditur tam ferventer. Docet cum aliis & me Sanctitas Veſtra facere voluntatem ſuam, in benigniſſimo brevi ultimis Maji exarato, & nuper mihi cum expreſſione deſiderii ab Illuſtriſſimo Domino Nuntio tradito. Exoſculor cum omni, qua par eſt, veneratione ſupremum nutum, quem exequi, non interpretari debiti mei duco. Et ut hactenus teſtimonium mihi reddente conſcientia memor potius officii, quam dignitatis, quærebam non quæ mea, ſed quæ Jeſu Chriſti; ſic dum ab Optimo Patre currenti additur calcar a via mandatorum ejus non declinabo, eoque dirigam ex gradu magis, quam merito conſilia mea; quo me Sanctitatis Veſtræ ducit voluntas non invitum. Deum patientiæ & ſolatii cum miſerrima nunc Diœceſi mea precabor, ut cum non poſſit eſſe immortale, diutiſſimum & felicisſimum reddat ad gloriam nominis ſui & bonum Eccleſiæ Sanctitatis Veſtræ Imperium. Spem interim meam in ſalvante nos, & privatum deſiderium in diligente Nos, repono, & ut ſuper mea quoque anima Paterna, dans vitam & Benedictionem, ſuperabundet gratia de genu humillime ſupplico & paternis ad-

volvor

volvor pedibus. Dabantur Varſaviæ 30. Auguſti Anno 1701.

MXCVII.

Literæ PETRI, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus ſe a pace cum Svecia Rege, interventu eorum ineunda, minime alienum eſſe, dummodo ſibi ob injurias Legationi ſuæ Rigæ illatas plene ſatisfiat, 1701.

P. P.

EX literis Celſarum ac Præpotentium Dominationum Veſtrarum Hagæ Comitis die 29. Sept. Anno 1700. datis intelleximus nos, Magnus Dominus, noſtra Czarea Majeſtas, quod Vobis, Celſis ac Præpotentibus Dominis, noſtra duplex confirmatio tam per Legatum Noſtrum Hagæ Comitum Reſidentem, quam etiam per Reſidentem Veſtrum, Dominum van der Hulſt, ad aulam noſtræ Czareæ Majeſtatis degentem, de conſervatione pacis ac fœderis cum corona Svecica auditu jucunda fuerit, ob commune fœdus, quod veſtris Celſis ac Præpotentibus Dominationibus tam cum noſtra Czarea Majeſtate, quam cum Regia Majeſtate Sveciæ intercedit, & quomodo deinde Legatus Noſter in colloquiis cum quibusdam Dominis Statibus ex congregatione Veſtra oretenus, ac deinde in ſcripto, declaraverit noſtræ Czareæ Majeſtatis bonam intentionem in ſuperiori propoſitione ac in violatione pacis cum præfata corona Svecica; ſed paulo poſt etiam, quemadmodum ipſæ reminiſci velint, cum hac conditione, ut noſtræ Czareæ Majeſtati in factis injuriis, præ-

ſertim Anno 1699. ſuperioris noſtræ ſolennis legationis in Livonia per Veſtram mediationem a Rege Sveciæ ſatisfactio, præſtetur, quod Veſtræ Celſæ ac Præpotentes Dominationes benigne acceperitis, atque de his, ſecundum ſcriptum Legati noſtri vobis traditum, Regiæ Majeſt. Sveciæ notificaveritis, nunc quoque reſponſum Regiæ Majeſt. Sveciæ in illud adepti, cum haſce ad noſtram Czaream Majeſtatem transmittatis, in quibus præfata Regia Majeſtas declarat, ſe prono ac propenſo ferri animo ad conſervandam bonam fidamque amicitiam atque vicinitatem cum Noſtra Czarea Majeſtate, nec ipſi in mentem unquam veniſſe juſtitiæ, in querelis inter utriusque miniſtros noſtros exortis, multo vero minus in iis ad honorem noſtræ Czareæ Majeſtatis pertinentibus, deeſſe; Adhæc quod præfatæ Suæ Regiæ Majeſt. mandatum transmiſſum ſit apud vos commoranti Legato ejus Domino de Lilienroot, ut ille cum Deputatis Veſtris de illo conferret & ſecundum poſſibilitatem omnia reconciliare anniteretur; nec Veſtras Celſas ac Præpotentes Dominationes dubitare, quin nos, Magnus Dominus, Noſtra Czarea Majeſtas, veſtrum arbitrium in negotio accipiamus, de quo Nos Vobis antea in ſcriptis demonſtravimus, quod etiam Veſtra Celſarum ac Præpotent. Dominat. officia in hoc noſtræ Czareæ Majeſtati haud injucundum foret, ideoque rogetis, ut ſicuti ſua Regia Majeſtas Sveciæ plenam dederit poteſtatem Legato ſuo apud Vos commoranti, ita etiam noſtro Legato apud Vos degenti plenaria daretur poteſtas, de his gravaminibus cum Dominis Ve-

ſtris

ſtris Deputatis conferre, quo Vos illam inconvenientiam pacificare poſſitis, cum affirmatione, quod omnia, quæ fieri poſſunt, huic negotio contribuere velitis, nec Vobis dubium eſt, quin noſtra Czarea Majeſtas, æque ac ſua Regia Majeſtas Sveciæ, ad hæc propenſo feratur animo. Præterea Veſtræ Celſæ ac Præpotentes Dominationes indicatis, quod Suæ Regiæ Majeſtatis Poloniæ Miniſter Vobis copiam literarum noſtrarum ad Regem ipſius datarum tradiderit de declaratione bellica nobis atque demiſſione exercitus adverſus coronam Svecicam, quod vobis ſummopere mutabile viſum ſit, ac iterum nos rogatis, ut hanc rem perpendamus, quot gravium eventuum & devaſtationum terrarum atque hominum ex bello exoriantur, ac quam moleſte inceptum bellum iterum terminetur, atque ut noſtra Czarea Majeſtas, noſtra æquitate & amore pacis cum Porta Ottomannica jam pridem exhibitis, nihil, quo transactio pacis contraveniri aut infringi poſſit, conaremur, ſed ſi quædam gravamina inter Nos ac Regem Sveciæ exorta eſſent, hæc potius medio amicabilis compoſitionis quam armis complanare velimus, ad quod Vos, Celſi ac Præpotentes Domini, Veſtra officia ac munera conferre promittatis, ad quod etiam Vos nihil aliud, niſi amor pacis ac communis quietis induxerit, ac præoptetis, ne ulla inter Noſtram Czaream Majeſtatem interque Regiam Majeſtatem Sveciæ controverſia, multoque minus bellum, exoriatur, ideo quod Vobiſcum utrique noſtrum bona amicitia intercedit, atque hac in re a Nobis bonam inclinatio-

nem expectaturi ſitis. Et quoniam Veſtræ Celſæ ac Præpotentes Dominationes in literis Veſtris nobis, Magno Domino, noſtræ Czareæ Majeſtati indicatis dubium Veſtrum ex his duabus rebus: primum, quod duabus vicibus a Nobis ſecuri redditi in amicitia cum corona Sveciæ, nunc etiam declarationem belli cum iſta corona, de quo nos, Magnus Dominus, noſtra Czarea Majeſtas, Veſtris Celſis ac Præpotentibus Dominationibus notificamus, quod hæc noſtra confirmatio non adeo injuſta fuerit. Legati enim Regiæ Majeſtatis Sveciæ Nos in hoc valde ſecuros reddiderunt, ut in noſtris injuriis, multoque magis in eo, quod Rigæ nobis contigit, Sua Regia Majeſtas plenariam præſtaret ſatisfactionem, confeſtim, ex quo nos, Magnus Dominus, Noſtra Czarea Majeſtas, ſecuri redditi, illam quoque expectavimus per quosdam menſes; ſed cum poſt longiorem expectationem loco gratæ ac amicabilis ſatisfactionis nos, Magnus Dominus, Noſtra Czarea Majeſtas, reſponſum Regia manu ſubſcriptum accepimus per Commiſſarium Svecicum Kniperum, in quo non quædam ſatisfactio exhibita, ſed potius juſtificatio autoribus illarum injuriarum, ſive gravamina iſta transmutata ſunt in virtutem. Quamobrem Nos Magnus Dominus, noſtra Czarea Majeſtas, in hoc aliter procedere atque injuriam cum injuria vindicare coacti fuimus; Attamen Chriſtianam non detrectamus pacem ſufficientem, & veſtrum conſtans arbitrium, ſed absque tali conditione & violentia, quæ exhibita fuit parti Danicæ in negotio Holſatico. Inſuper Veſtræ Celſæ ac Præpoten-

poten-

Digitized by Google

potentes Dominationes recordamini Nos, de vehementibus eventibus belli atque de inſperatis finibus ejusdem, ſed hi adverſus æquitatem nihil ſunt; Siquidem quoque eventus non adeo pridem factus oſtendere poteſt in Pace cum Porta, quomodo nos, Magnus Dominus, Noſtra Czarea Majeſtas, relicti fuimus ab omnibus, attamen auxilio ſummi ac Chriſtianæ intentionis non inſalubrius, quam reliqui adepti ſumus, maxime autem Veſtrarum Celſarum ac Præpotentium Dominationum petitionem, utpote antiquitus amicabilius, Nos, Magnus Dominus, Noſtra Czarea Majeſtas, contemnere non poſſumus, optantes, ut per Veſtrum arbitrium pax felix cum Corona Sveciæ reparetur. Quamobrem nos inſtanter Legatos Veſtros expectabimus. Dabantur Anno 1701.

MXCIIX.

Literæ PETRI, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, de pacis ſe & Regem Sveciæ inter conficiendæ negotio agentes, 1701.

P. P.

NObis, magno Domino, noſtræ Czareæ Majeſtati, Veſtrarum Celſe-potentum Dominationum literis conſignatum reſponſum ſecundum deſiderium mediationis veſtrorum celſe-potentum Statuum, de compoſitione præſentis belli inter Nos & Coronam Svecicam, allatum eſt, in quo autem declaratis Nobis, magno Domino, inclinationem Veſtram, quod Veſtræ Celſepotentes Domi-

Dominationes, cum Corona Sveciæ in defenſivo fœdere ſitis, de tempore belli, quod non putaſtis, quod inter utramque partem nunc inſtat, doleatis, cujus autem ad compreſſionem ante ſuſceptum illud Mediatores in conciliatione utriusque partis eſſe non valeatis, ſed deſideretis, & polliceamini variis veſtris ſtudiis nobis, magno Domino, Noſtræ Czareæ Majeſtati, ad reſtitutionem felicis pacis ex ſua parte, juxta aliorum mediationem, ad ſatisfactionem intentionis noſtræ apud contrariam partem, quoniam Vos illorum confœderati eſtis, conſilio atque auxilio ſuccurrere; ob quam etiam intentionem Veſtræ Celſæ ac Præpotentes Dominationes extraordinarium ſuum Ablegatum Saltenum in Poloniam & Livoniam miſeritis, ut propius negotio intereſſet omnesque occaſiones obſervaret; de quo etiam Reſidenti Veſtro van der Hulſt, apud Aulam noſtram commoranti, nobis magno Domino deferre juſſiſtis, aſſecurantes firmiter, quod Veſtræ Celſæ ac Præpotentes Dominationes, pro Veſtra erga nos deſideranda inclinatione ad tollendum bellum, & componendam decentem atque proficuam pacem in ſatisfactionem noſtræ partis, quoad in viribus Veſtris poſitum eſt, veſtra accepta ſtudia præſtare promittatis. Qua de re etiam Reſidens veſter van derHulſt deſiderium veſtrum ad avertendum præſens bellum cum ſatisfactione noſtra nobis, magno Domino, noſtræ Czareæ Majeſtati, retulit & nos magnus Dominus, noſtra Czarea Majeſtas, illum veſtrum, Celſarum ac Præpotentum Dominationum deſideratum favorem & Reſiden-

tis

tis Veſtri van der Hulſt relationem benevole accepimus, & peramice Vobis antea demonſtravimus & demonſtramus, quod ſecundum obligationem communis Fœderis cum fratre noſtro, magno Domino, ſua Regia Majeſtate Poloniæ, ſecundum deſiderandam propoſitionem Veſtram, ad compoſitionem illius pacis cum corona Sveciæ ad communem noſtram utilitatem, utriſque noſtris magnis regnis convenientem & ad tollendum bellum nos, magni Domini, ſufficientem pacem more Chriſtiano antea, & nunc non recuſemus, & ad mediationem Veſtras Celſas & Præpotentes Dominationes jam pridem accepimus, quemadmodum quoque antea declaravimus in noſtris, Czareæ Majeſtatis, ad Vos datis literis, & deſideramus, ut Veſtræ Celſæ ac Præpotentes Dominationes, ſecundum ſuam erga nos aſſecurationem, ſicuti nobis promiſiſtis, coronam Svecicam nobis, magnis Dominis, propter conſilia & officia veſtra ibi confœderata & nobis peramica, ob multas nobis illatas ab illis injurias, in omni re juſta ſatisfactionem præſtituram eſſe. Ob illam noſtram ſatisfactionem atque acceptam a Vobis Mediationem deſignaretur ad congreſſus idoneus locus, ibi omnes controverſiæ in conſilio Veſtro & in præſentia communium Plenipotentiariorum & noſtrorum, ex utraque parte benevolorum, felici ſufficienti pace cum Corona Svecica definiantur, confidentes in Veſtra perconſtanti ad hoc mediatione abſque aliis adjiciendis cuilibet parti quibusdam adjuvandi gratia ad bellum; quandoquidem ſecundum acceptionem mediationis nunquam juſte

hæc eſſe poſſunt; de quo & Reſidenti Veſtro ſecundum acceptationem Veſtrarum Celſarum ac Præpotentum Dominationum, ſecundum noſtram Vobis propoſitionem peramicum reſponſum, & e Livonia per extraordinarium Ablegatum Veſtrum de præſenti progreſſu communicationem & Reſidentis Veſtri relationem nobis ſemper expectavimus & expectamus. Ex noſtra autem parte ad deſignatum idoneum ad hoc locum Plenipotentiarios noſtros ad compoſitionem pacis mittere ſicut de hoc nobis indicaturi ſint, vel Vos Nobis ſignificabitis. Nos, Magnus Dominus, noſtra Czarea Majeſtas, volumus & confidimus, ut Veſtræ Celſæ ac Præpotentes Dominationes, ſecundum acceptionem mediationis ſuæ, inſuper apud alios Mediatores erga nos in conciliatione pacis, quemadmodum ex parte noſtra in felicitate ad ſatisfactionem promittitis, benevolentiam veſtram exhibeatis, ipſaque veritate impleatis. Dab. Moſcoviæ die 19. Menſ. Auguſti ſtyl. vet. 1701.

MXCIIX.

Literæ FRANCISCI MENEGATI, Sac. Cæſ. Majeſtatis Confeſſionarii, ad CAROLUM Haſſiæ Landgravium, quibus Cæſaream Majeſtatem nihil unquam mali de ipſo ſuſpicatam eſſe exponit, eumque gratiæ Cæſareæ ſecurum eſſe jubet. 1701.

Sereniſſime Princeps, Domine Clementiſſime.

QUæ Serenitati Veſtræ ad me 5to labentis ſcribere placuit; debita Reverentia excepi, & accepta pari fide Auguſto Cæſari expoſui; qui mihi reſpondit, nullam unquam vel minimam ſuſpicio-

Digitized by Google

ſuſpicionem de Serenitatis Veſtræ fide habuiſſe, nec de conjuratione Ragoziana ipſam participem aut conſciam fuiſſe, cogitaſſe: Neminemque de hac re unquam mentionem feciſſe, cui tam luculento Auguſti teſtimonio nihil quod addam habeo, quam ut Serenitatem Veſtram rogem, ne ſimilibus male fundatis rumoribus ullam fidem adhibeat, ſed de Auguſti Cæſaris gratia ſecurus in ejusdem fide, uti hactenus perſtitit, etiam impoſterum perſeveret. His me Serenitatis Veſtræ favori demiſſiſſime commendo. Viennæ 6. Julii 1701.

Serenitatis Veſtræ

ſervus minimus

Franciſcus Menegati,

MC.

Literæ GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad S. R. IMP. ELECTORES, PRINCIPES ET STATUS, quibus ipſis imminentia a Galliæ Regno Hiſpanica potentia aucto pericula diligenter exponit, eosque ut ad fœdus Sac. Cæſ. Majeſtatem, ſe & Generales fœderati Belgii Ordines inter initum prompte accedant, amanter hortatur, 1701.

Guilielmus Tertius, Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, Fidei defenſor &c. Reverendisſimis, Sereniſſimis Celſisſimis, Illuſtrisſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, Generoſis & Spectabilibus, Romani Imperii Electoribus, Principibus & Statibus reſpective Conſanguineis & Amicis Noſtris Charisſimis, ut & nobis ſincere grateque dilectis ſalutem & proſperos rerum ſucceſſus!

Reverendiſſimi, Sereniſſimi, Celſiſſimi, Illuſtriſſimi, Reverendi, Illuſtres, Magnifici, Generoſi & Spectabiles Romani Imperii Electores, Principes & Status reſpective Conſanguinei & Amici Chariſſimi ut & ſincere grateque dilecti.

CUm Sacri Romani Imperii commodis & utilitatibus peculiari ſemper ſtudio faverimus, eaque omnia, quæ membrorum ejusdem Statuumque emolumentum ſpectare videbantur, promoverimus, tum certe per annorum aliquot decurſum rationes ipſius a noſtris non modo non diſcrepantes, ſed & communes easdemque omnino eſſe duximus. Non potuimus itaque Celſitudines Veſtras Electorales, Dilectiones Veſtras, & Vos, animum noſtrum de præſenti, in quo verſamur omnes, diſcrimine celare; neque dubitamus, quin pro ſumma veſtra ſolitaque prudentia periculi, Principibus omnibusStatibusque & ſpeciatim Sacro Romano Imperio ejusque membris imminentis gravitatem ſerio perpendatis, atque omnibus modis enitamini, quibus ingruenti malo tempeſtive occurratur. Perſpicaci Veſtræ prudentiæ notius eſt, quam ut enarrando immoremur, quo pacto Rex Chriſtianiſſimus poſt obitum Majeſtatis ſuæ Catholicæ integram Monarchiam Hiſpanicam, Regna ejus ditionesque occupaverit, ſpreto, neglectoque Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Domusque ſuæ Auguſtæ in Succeſſionem illam jure, ſpreta inſuper illa, qua ſolenni aſſenſu data ſeſe adſtrinxerat fide; Belgium univer-

univerſum Hiſpanicæ ditionis, contra fidem tractatus, quo fœderato Belgio repagulum ſive propugnaculum conſtitutum eſt, armata vi invaſit; Ducatu denique Mediolanenſi aliisque Imperii feudis armis itidem potitus eſt; Quod Sacri Rom. Imper. quanti intereſt, ſummam qua polletis, prudentiam non fugit. Sperabamus, poſtquam a Majeſtatis ſuæ Catholicæ deceſſu Rex Chriſtianisſimus eo ſeſe animo in poſſesſionem Monarchiæ Hiſpanicæ veniſſe profeſſus eſt, ut publicam Europæ tranquillitatem intemeratam conſervaret, ad optatum iſtum ſcopum amicabili via & compoſitione pervenire potuiſſe, quam quidem ſpem majorem fecit a Rege Chriſtianisſimo Legatus ſuus, Comes d' Avaux, eo nomine Hagam, uti ferebatur, miſſus, ut de bono publico & pacis in Europa conſervatione ageret. Verum enim vero res longe aliter evaſit, dejecitque nos de brevi iſta ſpe revocatus ſubito idem Legatus. Interim videre eſt, Regnum Galliæ cum Hiſpania intimiore in dies nexu conjunctum, & uno eodemque Dominatu & conſilio duo regna regi atque gubernari; ita ut ſi Cæſareæ ſuæ Majeſtatis in Monarchiæ Hiſpanicæ ſucceſsionem jus penitus eludi contigerit, non ſit dubitandum, quin Gallorum potentia Hiſpanica aucta, eousque demum creſcat, ut brevi tempore Dominationi ſuæ reliquam Europam facile ſubjiciat, ipſiusque Principibus, Statibus & vicinis præprimis certum portendat excidium, quod artibus, quibus Galli Imperium ſuum proferre atque dilatare ſemper ſategerunt, nequaquam eſt incongruens. His

itaque

itaque rationibus & Circumſtantiis adducti; Nos Celſique ac Præpotentes fœderati Belgii Ordines ſumme neceſſarium duximus, tam publici Europæ commodi & præſertim Sacri Romani Imperii, quam propriæ ſecuritatis intuitu Cæſareæ ſuæ Majeſtatis ad partes tandem venire, & ſociale cum eadem fœdus ſancire, quod poſt mutatas utrinque ratificationes cum Sacro Rom. Imperio, cujus periculoſo hoc rerum concurſu tanti intereſt, communicandum duximus; Dicti itaque fœderis exemplar hiſce adjungi fecimus, ſpem certam alentes ſingula dicti Sacri Romani Imperii membra, quibus publica Europæ ſalus cordi eſt, nutantem non ſolum & labefactum Imperii ſed & Univerſæ Europæ ſtatum, impendensque certum ab immenſa Gallorum potentia cum Hiſpanica conjuncta periculum, æqua judicii lance perpenſura, ingraveſcent malo uno nobiſcum conſenſu obviam itura, eaque omnia cum efficacia promotura, quibus firma & ſecura in Europa quies redintegrari atque ſtabiliri poſſit. Cum eo unico conſilio fœdus iſtud a nobis concluſum ſit, in eandem porro ſententiam promptis atque alacribus animis ventura. Amice itaque Celſitudines Veſtras Electorales, Dilectiones Veſtras, & vos rogamus atque invitamus, juxta articulum dicti fœderis decimum tertium, ut in iſtius ſocietatem accedere & acceſſione Veſtra robur eidem & firmitatem addere velitis. Quo facto adjungetis Vos Cæſareæ Sacræ Majeſtati, Sacri Rom. Imperii capiti Ordinibus fœderati Belgii, boni publici ſtudioſiſſimis, & nobis denique, qui in eo ſemper pro

viribus

viribus noſtris elaboravimus, quo communem Europæ cauſam & libertatem a vaſta illa Gallorum veram orbitam omnemque modum excedente potentia defendere atque vindicare poſſemus. Non eſt igitur, quare dubitemus, quin ſinceros noſtros pro bono publico & avertendo impendenti periculo conatus, benigna Dei Opt. Max. Providentia, optato eventu, ſecundet. Quid interea a Celſitudinibus Veſtris Electoralibus, Dilectionibus Veſtris & Vobis ſtatutum fuerit, expectantes, Celſitudines Veſtras Electorales, Dilectiones & Vos ſupremæ divini Numinis tutelæ ex animo commendamus. Quæ dabantur in Aula noſtra apud Loo in Geldria 13. die Menſis Oct. Anno Dom. 1701. Regnique noſtri 13.

Celſit. Veſtr. Electoralium, Dilectionum Veſtrarum & Veſtrum

Bonus Conſanguineus & Amicus

Guilielmus Rex.

Inſcriptio.

Reverendisſimis, Serenisſimis, Celſisſimis, Illuſtrisſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, Generoſis & Spectabilibus Romani Imperii Electoribus, Principibus & Statibus, reſpective Conſanguineis & Amicis noſtris Charisſimis, ut & nobis ſincere grateque dilectis.

MCI.

Literæ CONSILIARIORUM ET LEGATORUM CIRCULI FRANCONICI, ad LUDOVICUM XIV.

XIV. Galliæ Regem, quibus ſerium cum ipſo retinendæ pacis ſtudium conteſtantur, 1701.

Sereniſſime, Potentisſime ac Chriſtianiſſime Rex.

Domine Domine Clementisſime.

VEre Regium & conſtantem Regiæ Veſt. Majeſtatis animum de ſincere colenda cum Sacro Romano Imperio, ejusque incorporatis Provinciis, amicitia & pace, per tractatus Ryswicenſes, non ita pridem recuperata, maximopere autem cum inclyti Circuli Franconici Principibus & Statibus, quorum nomine in Conventu generali hic congregati fuimus, firmiter cuſtodienda ac propaganda, denuo non ſolum ex literis de Fontebellaqueo, vigeſima nona menſis proxime elapſi huc emanatis, & qua par eſt reverentia a nobis acceptis, ſed inſuper per ea quæ Regiæ Veſtræ Majeſtatis apud comitia Ratisbonæ Plenipotentiarius Dominus de Chamoy, oretenus heri expoſuit, abundantisſime cognovimus, & quemadmodum priſtini honoris affectus & gratiæ, quibus Regiæ Veſtræ Majeſtati hunc conventum in eadem materia, jam ante hac dignari complacuit, non ſumus immemores, ſic eandem quam tunc pro pariter ſerio retinendæ pacis ſtudio conteſtati ſumus mentis ſinceritatem hiſce repetimus, & Regiam Veſt. Majeſt. perſuaſam eſſe enixe precamur, non fore ex præfatis Principibus & Statibus hujus Circuli quempiam, qui hanc, de qua modo diximus, Ryswicenſem Pacem quocunque modo turbatam vel violatam velit, ſed potius quan-

quantum in iis eſt, omnem operam & curam eo intendi, ne ea, prout exoptata venit, ad calamitatem ſubditorum in diſpendioſum degeneret bellum, prout prædictus Regiæ Veſt. Majeſtatis Plenipotentiarius, Dominus de Chamoy, pluribus indubie referet, & quæ hactenus hic locorum pro communi defenſione Circulorum aſſociatorum vel adhuc aſſociandorum vel acta vel ſuſcepta ſunt, pro integritate ſua explicabit uberius, ad quem nos, ne Reg. Veſt. Majeſtati longa ſerie moleſti ſimus, cauſa brevitatis remittimus. Deum ter Opt. Max. ſtrenue rogantes, ut Reg. Veſtram Maj. diu ſanam ſinat eſſe ac incolumen, cujus Regio Clementiſſimo favori & gratiæ nos humillime devovemus & ſumus.

Regiæ Veſtræ Majeſtatis Chriſtianiſſimæ

Dab. Norimb. die 23. Oct. 1701.

humillimi

Principum ac Statuum S. R. I. Circuli Franconici Conſiliarii ac Legati in Conventu Generali congregati.

MCII.

Litera CONSILIARIORUM ET LEGATORUM CIRCULI SVEVICI, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus ab eo ſubmiſſe contendit, velit omni ſtudio allaborare, ut reſtituta per Pacem Ryſvicenſem quies & concordia in Imperio ſarta tectaque ſervetur, 1701.

Literæ

LIteræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ die 11. Auguſti anni currentis ad nos clementiſſime exaratæ, ab ipſius Ablegato extraordinario Domino deGergy, nobis in conventu Deputatorum, ut vocant, ordinariorum, non verò omnium ſingulorumque Principum ac Statuum hujus Circuli hic congregatorum, fuere exhibitæ, & a nobis ea, qua decet, veneratione acceptæ, exindeque conſtantem Regiæ Majeſtatis Veſt. animum, pacem cum Imperio & hoc Circulo, ut & cum in & adjacentibus terris Auſtriacis conſervandi, uberius perſpeximus; nec deerimus, clementisſimis ac gratioſis Dominis Principalibus & Committentibus noſtris rationem de iisdem eo magis reddere, quo non dubitemus, ipſis hæc pergrata acceptaque fore, nullique hæreamus, ex ſatis nobis cognita illorum intentione & animo ſinceras iſtas declarationes, quæ memorato Regiæ Majeſtatis Veſt. Miniſtro iteratis vicibus ore & calamo fuerunt factæ, viciſſim & hic repetere, inſimulque de eductione militis circularis verſus confinia Rheni deſideratam explicationem ei dare, illam unice ad defenſionem Circuli & conſervationem tranquillitatis publicæ ſpectare, tabuliſque pacis Ryſwicenſis & ejus Articulo 54. omnino conformem eſſe. Quapropter plane nobis perſuaſum eſt, ſequiorem interpretationem id haud admittere, quod a Regia Majeſtate Veſtra proprio Exemplo in altera Rheni parte nulla hactenus a Sac. Cæſarea Majeſt. & Imperio facta interpellatione quotidie comprobatur, certa ſpe freti, Regiam Majeſtatem Veſtram omni ſtudio eo allaboraturam,

ut

Digitized by Google

ut reſtituta per ſupradictam Pacem Ryswicenſem, quies & concordia conſtans & perpetua eſſe & permanere poſſit, Principesque & Status hujus Circuli Regiæ propenſioni & gratiæ ſibi ſemper commendatos habituram. Quo ut officia ſua conferat, Regiæ Majeſtatis Veſtræ Ablegatum Extraordinarium pluribus requiſivimus, & pro perenni Regiæ Majeſtatis Veſtræ incolumitate devotas ad Deum Optimum Maximum preces fundere nunquam intermittemus. Dabantur Heilbronnæ die 9. Sept. Anno 1701.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ Chriſtianiſſimæ

humillimi

Principum ac Statuum Sac. Rom. Imperii Circuli Svevici Conſiliarii & Legati in Conventu Deputatorum ordinariorum hic congregati.

M CIII.

Litera AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus ipſis deteſtanda & inter Chriſtianas gentes minime uſitata conſilia Regis Sveciæ exponit, eorumque auxilia contra vaſta ipſius deſtinata modeſte efflagitat, 1701.

Nos Auguſtus II. Dei Gratia Poloniæ Rex, Dux Lithuaniæ, Pruſſiæ &c. Dux Saxoniæ, Cliviæ, Juliæ, Montium, Angriæ & Weſtphaliæ, Sacri Imperii Romani Archi-Mareſchallus & Elector &c. Celſis & Præpotentibus Dominis

Digitized by Google

Generalibus Ordinibus Provinciarum Fœderati Belgii Amicis noſtris chariſſimis, ſalutem.

Celſi & præpotentes Domini noſtri chariſſimi.

CElſitudines Veſtras latere non volumus, Nos contra Regem Sveciæ animo & intentione arma cepiſſe, ut tam in favorem Regis Daniæ vi initi fœderis, vires Svecicas per diverſionem diſtraheremus, quam patratas contra ſanctam pacem Olivenſem injurias vindicaremus, & quamvis victricia noſtra arma ulterius proferre, optatosque Nobis exinde polliceri potuiſſemus ſucceſſus, id tamen Inſtantiæ Mediatorum dedimus, ut paci amicitiæque priſtinæ cum Rege Sveciæ reſtituendæ præterlapſo jam anno promptiſſimos Nos declaraverimus, eumque in finem a devaſtatione Urbis Rigæ per injectionem ignis, quorſum jam omnia parata erant, aliisque hoſtilitatibus ceſſare, ad promovendam reconciliationem evitandamque majorem animorum exacerbationem, operationes bellicas defenſive ſaltem proſecuti fuerimus, adeoque ſedulam ubique paci reducendæ adhibuerimus operam, quæ vero e contrario Rex Sveciæ animo volverit, & quam longe ejuſdem intentio ab æqua ineunda pace remota ſit, exinde manifeſtum eſt, quod non ſolum omnium Exterorum Principum Ablegatis, more plane hactenus inuſitato, aditum & audientiam denegaverit, & hoc ipſo iſtorum vilipendium palam teſtatus ſit, ſed & alia inhoneſta ſummisque Principibus indecentia excogitaverit media, adeo, ut

poſtquam e Cancellariis Svecicis totus fere Orbis libellis famoſis, quos hactenus contemptu vindicandos eſſe duximus, jam tum repletus ſit, eo quoque proceſſerit, ut literis hiſce in copia junctis, ad Cardinalem Regni noſtri Primatem transmiſſis imputationibus, ſeditiones in regno noſtro concitare non erubuerit. Nec dubitandum eſt, ea quæ ratione abſoluti alicujus a Nobis prætenſi Dominii contra Nos a Rege Sveciæ finguntur, e dogmatibus ſui parentis Anteceſſorumque præceptis ortum traxiſſe, quorum tyrannica principia non adeo longo abhinc tempore in iſtis Regionibus executioni mandata, omnium adhuc memoriæ infixa hærent, cum e contrario Nos etiamſi optima forte occaſione deducendi talia ad effectum exoptatum haud deſtituti fuerimus, nihilominus exponendo propriam ſalutem, noſtrasque fortunas perennem Reipublicæ hujus felicitatem indefeſſe quæſiverimus, libertatisque ſubinde rigorem modis omnibus foverimus, quorum ſcopus foret, facta & actiones in teſtimonium vocare, & reliqua Regis Sveciæ figmenta leviter ſpernere poſſemus, niſi eousque impudentiæ progreſſus fuiſſet, ut quod apud Barbaras Gentes turpe & inhoneſtum, apud Chriſtianos vero Principes inauditum eſt, deturbationem Noſtræ perſonæ de ſolio ſollicitare, horumque contra nos attentatorum præmium conſtituere non abſtinuerit; Nos equidem Dei omnipotentis auxilio freti, & de Polonorum Noſtrorum fide erga Reges ſuos ſingulari ſecuri, hæc & alia tanti non curamus, & ſi opus fuerit, malo iſti remedia ſuffi-

Digitized by Google

cientia inveniemus ; Cum tamen inſidioſi hi conatus cum omni ſocietate humana, & communi Gentium Jure e diametro pugnent, ita prudentiſſimo aliorum Principum judicio illos ſubjiciendo, ſpem fovemus certiſſimam, fore, ut graves haſce machinationes tanquam communem cauſam & pullulantes exinde cuilibet Regimini ſumme nocivas conſequentias, facile conſideraturi, cum non ſit dubitandum, in quolibet Regno inveniri refractarios & perfidos ſubditos, qui talismodi criminum protectorem amplectendo, omne genus malitiæ explere non intentatum relinquent. Et cum certo confidimus, Celſitudines Veſtras præprimis hancce Regis Sveciæ intentionem deteſtaturas, & ut quies hiſce Regionibus reddatur, nec incendium illud, quod jam proprias Celſitudinum Veſtrarum invaſit oras, latiſſimas undique flammas, deinceps nonniſi maximo cum periculo extingvendas concipiat allaboraturas, inſimulque ex indigna & inconvenienti exceptione Ablegati Celſitudinum Veſtrarum vilipendium ingratumque Regis Sveciæ animum pro præſtitis hactenus officiis, ſatis perſpectum habituras, indeque facile judicaturas eſſe, quid de vaſto illius deſtinato & tumida ſpe, niſi in ipſo ortu ſuffocetur, impoſterum expectandum ſit, tum Celſitudines Veſtras pro ea, quæ hactenus cum iisdem nobiſcum interceſſit, amicitia, enixe requirimus, ut ſuis hac parte conſiliis, & benevola, ſi opus eſſet, aſſiſtentia Nobis haud deeſſe velint, ne alias ad ejusmodi media, quibus tamen hactenus abſtinuimus, contra Regem Sveciæ, ejusque

que perſonam procedere cogamur, quæ quævis occaſio Nobis ſubminiſtrabit, quæ ad ſecuritatem perſonæ & Regni Noſtri ab omni vi injuſta conſervandam, idonea & juſta judicabimus. Quibus Celſitudines Veſtras Divinæ Protectioni commendamus, & proſpera quævis animitus apprecamur. Dabantur in arce Noſtra Varſavienſi die 9. Sept. Anno 1701.

Celſitudinum Veſtrarum

Bonus Amicus

Auguſtus Rex.

MCIV.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad MICHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, quo eum ſerio hortatur, ne turbulentis Svecorum conſiliis aures præbeat, ſed ea potius, aliis in laudabilem imitationis normam, generoſe rejiciat, 1701.

Clemens Papa XI.

Dilecte Fili Noſter Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

ETſi perſuaſum plane habemus, irritos ſemper fore eorum conatus, qui ſpectatam, invictamque animi tui conſtantiam, in his, qui ad nominis Tui famam pertinent, ſubdolis promiſſis, aut inani terrore oppugnare auſi fuerint, aut expugnare temere præſumpſerint, quos tu veros publicæ regni iſtius tranquillitatis eſſe hoſtes vel ex eo facile cognoſces, quia fidem, quam Deo per verum cultum exhi-

Digitized by Google

bere negligunt, effuſe nimium hominibus pollicentur, zelo tamen charitatis, quo flagrare nos oportet, incenſi, ac de religionis cauſa, quæ ea in re involvitur, ſolliciti, volumus compellere & currentem, ut ajunt, incitare, teque hortari, ut non parva hujusmodi conſilia excludas, id enim te ſponte facturum eſſe confidimus; ſed ut tam nefarios auſus ita compeſcas, ut exemplo tuo omnes iſtius Regni Ordines intelligant, in ſola animorum concordia ac mutuo membrorum cum capite conſenſu, ſalutem Reipubl. contineri. Nec ambigimus, quin pro ſpectata tua prudentia intelligas referre hæc ad ea, quæ audacter nimium a Svecorum Rege adverſus chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Auguſtum Poloniæ Regem ad te perſcripta fuiſſe dicuntur, quæque a te fortiter rejecta fuiſſe non dubitamus, atque ita plane congruebat tui muneris amplitudini, tuæque fidei inconcuſſo zelo, præſertim vero ad hoc, ut confunderentur in cogitationibus ſuis illi, qui parvi pendi poſſe a Polon. Regni Proceribus tum jusjurandum, tum Regii honoris dignitatem, tum etiam ſacrorum Canonum leges, ſevera anathematum interminatione fidelibus indictas, opinantur. Fuſius interim ſenſus noſtros & ſpem, quam in tua virtute conſtituimus, tibi nomine noſtro explicabit, Venerabilis Frater, Franciſcus Archiep. Tarentinus, Nuncius Apoſtolicus, dum nos tibi, dilecte Fili noſter, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Maj. ſub annulo Piſcatoris d. 15. Nov. 1701. Pontificatus noſtri, anno primo.

MVI.

MCVI.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad ORDINES PAGORUM PER HELVETIAM CATHOLICORUM, quo ipſos ſerio hortatur, velint omni ſecum ſollicitudine contendere, ut priſtina Italiæ pax & tranquillitas quam primum reſtituatur, 1701.

Clemens Papa XI.

Dilecti filii ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

FLagravit deſiderio publicæ pacis cor Noſtrum, ab eo usque die, quo Pontificium ſolium trepidantes equidem, ſed Deo obſequentes conſcendimus, & tunc quidem ad eam continendam, quam fluctuare in Chriſtianorum Principum animis ſatis conſtabat, Paternis Noſtris officiis ſumus eos magnopere hortati, ut impendentium diſſidiorum cauſas communis ſalutis atque tranquillitatis ſtudio poſthaberent, easque amice componerent. Metuebamus enim ea, quæ non multo poſt (facientibus Chriſtiani populi peccatis) evenerunt, ne ſcilicet exitiale bellum aliquando illos etiam, qui earum rationum aut impii aut certe innoxii ſunt, abſumeret; nunc autem cum undique afflictæ Italiæ calamitates ad Nos continenter perlatæ, Paterna Noſtra viſcera diſcrucient, ad Pontificiam vigilantiam pertinere duximus, deligere Extraordinarios Noſtros & ſanctæ ſedis Nuntios, qui hoc ipſum Pacis negotium apud ſupremos Principes noſtro nomine promoveant, quod munus eximiis pietate atque inte-

gritate, nec non præclaris genere Præſulibus demandavimus. Id quod Vobis hoc præſertim intuitu ſignificamus, ut ſollicitudini Noſtræ ſtudia Veſtra, & ubi in rem erit conſilia, quæ ad pacem conciliandam tendant, jungatis, quod Vos pro ſpectata veſtra pietate ſedulo facturos eſſe confidimus. Senſus Noſtros a venerabili Fratre Julio, Archiepiſcopo Rhodienſi, Nuncio iſthic noſtro fuſius percipietis, Dilecti Fili, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud ſanctam Mariam majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 26. Novembr. 1701. Pontificatus Noſtri anno primo.

Ulyſſes Joſephus, Archi-
Epiſcopus Theodor.

MCVI.

Literæ LEOPOLDI, Rom. Imperatoris, ad CAPITULUM LEODIENSE, quibus ejusdem membra conſtanti fortique animo in præſenti bellorum tempeſtate & gratiæ ſuæ ſecuros eſſe jubet, 1701.

Leopoldus.

REdditæ nobis ſunt literæ veſtræ, quibus de ingreſſu copiarum Gallicarum in urbem & arcem Leodienſem juſſu Epiſcopi & Principis Veſtri a Gubernatore Berlo, reluctantibus vobis, & prohibentibus admiſſarum nos certiores facitis. Ingratæ illæ quidem & moleſtæ ob rei narratæ turpitudinem & infelicis patriæ miſerandam ſortem, gratæ tamen vel eo nomine, quod tam fœdi perniciosi-

niciofique facti nullatenus vos fuiſſe participes ex eis cognoverimus. Committenda autem Deo & tempori, quæ nec infecta fieri, nec confeſtim emendari queunt, neque deſperandæ meliores rerum viciſſitudines, & diverſæ recte maleque factorum mercedes. Vos ſane manebit tanta intemeratæ fidei gloria, quanta alios violati officii ignominia, & proinde in præſenti calamitate conſtanti fortique animo vos eſſe jubemus, nihil omiſſuri, quo & oppreſſos ſublevare, & vos omnes ac ſingulos priſtinæ libertati juribusque reſtituere valeamus, quin interea vobis gratiam noſtram Cæſaream benigne confirmamus. Viennæ 12. Decembr. 1701.

MCVII.

Literæ LEOPOLDI, Rom. Imperatoris, ad CAPITULUM LEODIENSE, quibus ſe abominandum Epiſcopi Leodienſis factum valde deteſtari aſſerit, illudque ad inconcuſſam fidem ſibi Sacroque Rom. Imperio ſemper præſtandam ſerio hortatur, 1702.

Leopoldus &c.

NObis relatæ ſunt literæ Veſtræ, quibus ingreſſum Gallicarum copiarum in Civitatem & Fortalitium Leodienſe, ſub nomine militis Burgundici, per fortalitii ſuperioris Gubernatorem Berlo, eodem, quo ſcripſiſtis, mane, ex improviſo & clandeſtine per Portam contiguam ac militari ipſius præſidio commiſſam introductarum Nobis ſignificaſtis, conteſtantes, vos rei illius

nullatenus participes fuiſſe, imo potius reluctantibus & prohibentibus Vobis, Magiſtratuque Civico contigiſſe, eoque caſu vos ita perculſos fuiſſe, ut dolorem Veſtrum ſatis exprimere ac teſtari non valueritis. Certe quam gratum hoc fidei & obſequii Nobis ſacroque Imperio debiti ſignum fuerit, vel ex eo ſatis intelligitis, quod præter benignas, quas ea de re vobis reddimus gratias, Vos quoque de conſtanti benignitatis noſtræ Cæſareæ affectu atque omni, quam poſſumus & debemus adjuvandi & ſuccurrendi promptitudine certos eſſe cupiamus, utpote qui nihil omiſſuri ſumus, quod eam in rem juris juſtitiæque ratio & paterna ſollicitudo noſtra in fidelium Vaſallorum ac ſubditorum noſtrorum Imperialium ſolatium & ſublevamen nobis, pro officii noſtri Cæſarei munere dictaverit. Neque defuimus, quin ſtatim attentatum hoc conſilio noſtro Imperiali Aulico probe matureque conſiderandum committeremus. Quod itaque cum illud omnibus Imperii legibus & conſtitutionibus, ac fidei nobis ſacroque Imperio a memorato Epiſcopo & Principe per ſacroſanctum jurisjurandi ſacramentum tam religioſe promiſſæ turpiſſime adverſari compererit, juſtiſſimam quidem contra eundem ejusque conſiliarios ad cœpta ejusmodi deteſtanda cohortantes, graviora ſtatuendi cauſam haberemus, prout reſolveramus, pro eo tamen ad mitiora ſemper inclinamus, ſolummodo mandatum de abducendo milite abdicandoque cum Gallis & Andegavenſibus fœdere hodierna die decrevimus, neque minus omnes belli officiales

ac

ac milites inde avocavimus, ac omnibus porro etiam ditionum Leodienſium Magiſtratibus & ſubditis, ne quicquam eo contribuant, nec obedientiam ullam præſtent, quin noſtris potius juſſionibus obtemperent, gravi ſub pœna præcepimus, prout ex annexis Mandatorum & Patentium exemplaribus uberius intelligetis. Quod itaque, tametſi non dubitemus, quin vos ipſimet officiis veſtris & debito fidei & obſequii ſtudio ſitis proſecuturi, non potuimus tamen non & noſtros quoque ſtimulos addere, benigne confiſi, certo fore, ut qua cœpiſtis erga nos fidelitatis & fiduciæ via deinceps pergatis, dicto autem Epiſcopo eatenus & donec reſipuerit allegatoque Mandato noſtro paruerit, nec obedientiam reſpectumve exhibeatis, nec operam nec conſilium, nec pecuniam commeatumve ſuppeditetis, nec ab ullo Leodienſium ditionum ſubdito ſuppeditari patiamini, ſed nobis potius noſtriſque officialibus confœderatiſve omnem opem & adminiculum præſtetis facturi in eo ſeriam voluntatem ac juſſionem noſtram Cæſaream. Viennæ 9. Jan. 1702.

MCIIX.

Literæ AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad DOMINOS SAPIEHAS, quibus eos amanter hortatur, velint novercantis fortunæ infelices impetus patienter ferre, ſibique rerum ſuarum omnimodam curam ea, qua deceat fiducia, committere, 1702.

IN tam gravi innumeræ infelicitatis caſu & durante domeſtici ignis in Lithuania flamma vix

Paternum noſtrum non fatiſcit cor, vix ſufficit caput inter tot faſtidia laborum & alterationum, quæ vires noſtras exhauriunt. Dies & horas Regni noſtri triſtibus his poſſemus diſtinguere curis. Si vobis gravis & inſupportabilis eſſe debet hæc novercantis fortunæ adverſitas, atque ſuos patientia queſtus exonerat, certe & nos ſenſibiliter ingemiſcimus, penitius conſiderando, quod per hanc ad intra diſunionem non tantum Majeſtas noſtra in opprobrio eſt hoſtibus, ſed decora, immunitates & gloria gentium noſtrarum in deriſu eſt & contemtu exteris, ita ut dicere queamus: Fine quo ſtabunt mala! Et hinc ab initio infelicium harum colliſionum, quæ utinam nunquam apud nos fuiſſent, occurrebamus omnimoda applicatione illis, faciebamus ea omnia, quæ tantum humanitus fieri poterant, omnia media & gradus poſſibiles, & in libera gente practicabiles pertentavimus. Nihil intentatum omiſimus, quæ huic melius nota patent, qui profunda cordium noſtrorum penetrat. Et nunc in eo deſudant omnes curæ & ſollicitudines noſtræ, conjunctis ſtudiis cum Senatu & conclavi Nuntiorum, ad eum finem maximis collimamus conatibus, quatenus hanc molem ſalutiferi operis ad ultimam reducamus determinationem. Non dubiam ſpem in Dei bonitate habentes, quod benedicet operi ſancto, & concordem voluntatem, unanime cor, & felicem animorum combinationem in defenſionem Patriæ largiatur. Agnoſcant tantum ita vere, ut eſt ſincera applicatio noſtra, recedant ſiniſtræ interpretationes, neceſſariam in nos non evertant

tant

tant confidentiam, quia hæc ſolita infelicitas innocenter actiones noſtras ſub alio palliat colore, & rectiſſimas intentiones ſemper carpere ſolet, monſtrando in perſona noſtra duo difficillima Principatus, prodeſſe Reipublicæ & placere. Verbo igitur Regio Sinceritates Veſtras ſecuras reddimus, de firmiſſima manutentione hujus concordiæ ſanctæ, hoc unicum deſideramus, ut quantocius ſine mora ulla huc acceleretis, ubi cuivis ex publico jure ad latus noſtrum omnimoda proviſa Securitas. Et dum veneritis, ſpes & vota omnium adimpleturos nos non dubitamus. Dabantur A. 1702. d. 1. Januar.

MCIX.

Literæ GUILIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis, ad CIRCULI SVEVICI CONSILIARIOS ET LEGATOS, Ulmæ congregatos, quibus eos, expoſito ipſis imminente ab immoderato Gallorum faſtu ſubjugationis periculo, ſedulo hortatur, ut Principes & commitentes illorum fœderi Sac. Cæſaream Majeſtatem, Se, & Generales fœderati Belgii Ordines inter ſancito volentes lubentesque ſubſcribant, 1701.

Guilielmus Tertius, Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei defenſor &c. Iluſtribus & Magnificis Viris, inclyti Circuli Svevici Principum ac Statuum Conſiliaris, Legatis ac Deputatis, in Conventu generali Ulmæ congregatis, ſalutem.

Illu-

Illuſtres & Magnifici Viri,

CUm in communibus illis curis, quas in hoc periculoſiſſimo rerum concurſu pro totius Europæ & libertate & ſalute conſtanter gerimus, plurimum Nobis cordi ſunt, inclyti Circuli Veſtri commoda, non potuimus, quin ad Vos ea de re animi Noſtri ſenſa perſcriberemus, pro certo & indubitato habentes, Vos, quæ Veſtra eſt ſumma prudentia, ſerio perpenſuros diſcriminis magnitudinem Chriſtiano Orbi impendentis, ſpeciatim vero Sacro Romano Imperio ejusque membris & nervis omnibus, ac in eo diligentes conniſuros, ut mala ingruentia tempeſtivis remediis depelli posſint; Notoria ſunt, quam ut iis prolixe enarrandis immoremur, quæ Rex Gallicus poſt obitum nuperæ Majeſtatis ſuæ Catholicæ perpetravit, quæque ambitoſe moliatur incepta, conculcata fœderum fides, ſpretum Jus Cæſareum in Succesſionem Hiſpanicam; Nepos ſuus in Solio Hiſpanico collocatus, armis occupatæ Provinciæ Hiſpano-Belgicæ, armis itidem obſeſſus Ducatus Mediolanenſis, ac etiam ipſa Imperii propugnacula vi & fraude uſurpata, ſatis demonſtrant, quam gravis hoſtis omnium cervicibus immineat, quasque in anguſtias non pax modo & tranquillitas, ſed etiam libertas publica redacta ſit; Cum vero videamus, Galliæ Regnum cum Hiſpanico intimiore in dies nexu conjungi, & uno eodemque conſilio & arbitrio utrumque regi ac gubernari non eſt dubium, quin cunctando Cæſareæ ſacræ Majeſtatis jus in Monarchiæ Hiſpanicæ ſucceſſionem penitus eludatur,

tur, Gallorumque Potentia Hiſpanica aucta eo uſque demum creſcat, ut brevi tempore Dominationi ſuæ reliquam Europam facile ſubjiciat & Principibus ipſius ſtatibusque præcipue autem circum vicinis, certum importet exitium, quod Veſtram ſane perſpicaciam nequit latere, cui adeo cognitæ ſunt Gallorum inſidiæ, & quibus artibus imperium ſuum proferre & dilatare ſemper ſategerunt. Nos itaque & Celſi & præpotentes Fœderati Belgii Ordines Generales, quo tam publico Europæ commodo, quam propriæ ſecuritati in tantis periculis; quam optime proſpectum foret neceſſarium duximus, Cæſareæ Sacræ Majeſtatis ad partes venire, & ſociale cum eadem fœdus ſancire, quod vobiſcum etiam, quorum tanti intereſt, quosque præſentia mala propius ſpectare videntur, communicandum cenſuimus, ſpem certiſſimam habentes, ſingula Sacri Romani Imperii membra promptis & alacribus animis ea omnia efficaciter promotura, quibus ambitioſæ Gallorum molitiones reprimantur, atque eo pacto firma & ſecura in Europa quies redintegrari ſtabilirique poſſit; Amice igitur vos rogamus atque invitamus, juxta articulum dicti Fœderis 13. ut in ejus ſocietatem accedere & acceſſione veſtra robur eidem & firmitatem addere velitis. Quo facto vosmet adjungetis Cæſareæ Sacræ Majeſtati, Ordinibusque Fœderati Belgii boni publici ſtudioſiſſimis, Nobisque inſuper, qui in eo ſemper omnes curas opesque impendimus, ut communem Europæ libertatem ab immodica Gallorum potentia vindicare poſſemus; Nulli itaque

ambigen-

ambigentes, quin conſilia veſtra publicis rationibus, & difficili huic temporum conſtitutioni libenter accommodaturi ſitis; Vos Veſtraque omnia ſupremi Numinis tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Aula noſtra apud Kenſingthon 20. die menſis Febr. Anno Domini 1702. Regnique noſtri decimo quarto.

Veſter bonus Amicus

Guilielmus Rex.

Jacob Vernon.

Inſcriptio.

Illuſtribus, & Magnificis Viris, Inclyti Circuli Svevici Principum ac Statuum Conſiliariis Legatis & Deputatis in Conventu Generali Ulmæ congregatis.

MCX.

Literæ Recredentiales, Domino de Ricourt Ablegato Gallico Extraordinario a CIRCULI FRANCONICI CONSILIARIIS ET LEGATIS, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem traditæ, 1702.

Sereniſſime, Potentiſſime, ac Chriſtianiſſime Rex, Domine Clementiſſime.

EX quibus cauſis Regia Veſtra Majeſtas a nobis contenderit, ut Principum ac Statuum Circuli hujus Franconici mentem declararemus, an iis, quæ ab aliquo tempore ad turbandam pacem Ryswicenſem & tranquillitatem publicam

alicubi

alicubi locorum vel ſuſcipi vel geri viſa ſunt, approbationem vel aſſenſum ſuum præbeant, non ſolum ex literis de die 20. Jan. nuper exacti, nobis in conventu generali, quo hic congregati ſumus, per legatum ſuum Extraordinarium ad partes Germaniæ, Dominum de Ricourt, traditis, ſed etiam exinde abundantiſſime cognovimus, quæ modo dictus Dominus de Ricourt inſuper ore latius expoſuit. Fatentur equidem præmemorati Principes & Status, Regiæ Veſtræ Majeſtati pro denuo nobis propoſito continuandæ pacis ſinceræ ſtudio gratias & laudem deberi, cum & ipſi votis ſuis hactenus ad id unice collimarint, & adhuc nil magis exoptent, quam ut, quæ vix apparuit, & nuper modo tam caro venit pax, conſtans permaneat ac inviolata; ſibi autem (dum ea, quæ Regiæ Veſtræ Majeſtatis patientiam vel defatigare, vel lædere, dicuntur, ipſi Imperatori imputari, eundemque a prædicto Domino Ablegato pro turbatore & contraventore pacis aperte denunciatum eſſe intellexerunt) falcem ſuam in alienam meſſem ponere, & declarando ſenſum ſuum ſuper actionibus ſupremi Imperii Germanici Capitis, cui potius omnem debitum reſpectum exhibere devincti ſunt, quaſi judicium ferre, nec convenire, nec licere exiſtimant, donec ſaltem communicatio vel cum toto Imperio, vel cum circulis iis præceſſerit, qui cum Franconico aſſociationis fœdere juncti & mox jungendi ſunt, niſi inconſiderate & nimis præpropere peracti, adeoque non excuſandi operis notam velint incurrere, de Regiæ Veſtræ Majeſtatis Clementia omnino perſuaſi,

ſe incommoda & damna, quæ in caſum ſequiorem huic Circulo facile poſſint contingere, non deſideraturam; ſed potius pro ipſius ſalute & incolumitate ſemper allaboraturam, & pro Regia ſua in toto Orbe deprædicata prudentia allegatas in præſenti rerum facie excuſationis cauſas benigniſſime interpretaturam eſſe, prout pariter ſæpe nominato Regiæ Majeſtatis Veſtræ Ablegato easdem fuſius remonſtrari curavimus, non dubitantes, quin ad Regiam Veſtram Majeſtatem deſuper relaturus ſit, dum eandem continuis beari felicitatibus ex intimis precamur, ſuoque Regio clementiſſimo favori & gratiæ nos humillime devovemus, & ſumus

Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ Chriſtianiſſimæ

Dabantur Noribergæ die 4. Martii, 1702.

humillimi

Principum ac Statuum Sacri Romani Imperii Circuli Franconici Conſiliarii ac Legati in Conventu generali congregati.

MCXI.

Literæ ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad LEOPOLDUM, Rom. Imperatorem, cui Guilielmum III. Magnæ Britanniæ nuper Regem ſupremam obiiſſe diem nuntiat, inconcuſſumque in fœderibus & amicitia conſervandis conſtantiam ſincere pollicetur, 1702.

Sere-

Sereniſſime, Potentisſime & Invictiſſime Princeps, Frater Conſanguinee & Amice Charisſime.

MOeſte admodum literas haſce damus ad Cæſaream Veſtram Majeſtatem, nuncias ſcilicet mortis luctuoſiſſimæ Fratris noſtri chariſſimi, Sereniſſimi Principis Domini Guilielmi III. Dei Gratia Magnæ Britanniæ &c. Regis, fidei defenſoris &c. qui paucorum dierum morbo conſumtus 8. hujus menſis, ſupremo rerum omnium Dominatore ita volente, ex hac vita mortali ad æternam emigravit; Haud nos latet, quantum Cæſareæ Veſtræ Majeſtati, quantumque univerſo penes orbi Chriſtiano ſui deſiderium relinquat, ut regiarum omnium virtutum ſplendore ornatiſſimus & boni publici propugnator indefeſſus. Verum cum nobis Imperii Britannici Gubernacula obvenerint; enitimur etenim usque nervis omnibus, ut non tam ſubductum quam mutatum cauſæ communis columen confœderatorum quisque perſentiſcat, imprimis vero Cæſaream Veſtram Majeſtatem certam eſſe cupimus de amicitiæ noſtræ proſperitate ſtabili & perennata, quam bonis omnibus teſtatiſſimam ipſi facere non ceſſabimus. Illa enim nobis ſtat ſententia, ſtabitque immota fœderum quorumcunque leges & conditiones omnes ab Anteceſſore noſtro cum Cæſarea Veſtra Majeſtate initas & concluſas ſancte inviolateque præſtare. Huc tendunt omnes cogitationes noſtræ, huc curas penitus convertimus, & ne minimus dubitandi locus ſuperſit, quin ſtudium opesque

noſtras conſtantiſſime collaturæ ſimus ad provehendam cauſam illam publicam a nuper fratre noſtro chariſſimo tam præclare inchoatam perducendamque ad finem exoptatum, quo Europæ ſalus & libertas in tuto ſint, Gallorumque potentia enormis intra debitos cancellos circumſcribatur. Quod ſupereſt, Cæſaream Veſtram Majeſtatem divini Numinis Tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio noſtro Divi Jacobi, 10. Martii Anno 1702. Regnique noſtri primo.

Cæſareæ Veſtræ Majeſtatis

Amantiſſima Soror & Conſanguinea

Anna Regina.

J. Vernon.

MCXII.

Litera ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad PAGOS HELVETIORUM EVANGELICOS, quibus ipſis Guilielmum III. Magnæ nuper Britanniæ Regem Naturæ debitum ſolviſſe, ſeque in locum ejus ſucceſſiſſe exponit, 1702.

Anna Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regina, Fidei defenſor &c. Illuſtribus atque Ampliſſimis Dominis Conſulibus, Scultetis, Landmannis & Senatoribus Cantonum Helvetiæ Confœderatorum, amicis noſtris chariſſimis, Salutem!

Illuſtres & Ampliſſimi Domini, Amici noſtri Chariſſimi.

CUm ſummo rerum omnium moderatori viſum fuerit, die octavo menſis hujus, maximo

mo noſtro cum dolore, vi febris, ex hac vita tollere Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem, Guilielmum Tertium glorioſiſſimæ memoriæ Regem, cumque Nos in Imperialem horum Regnorum Coronam Dei benignitate ſucceſſerimus, eventuum horum notitiam primo quoque tempore vobis dandam cenſuimus, ſimulque occaſionem primam arripere voluimus certiores vos reddendi, nos Prædeceſſoris noſtri, principis prudentiſſimi, veſtigiis inſiſtere, & ejusdem conſilia pro communi Europæ Bono, proſequi in animo habere, adeoque amicitiam, quæ inter Illum & vos vigebat, non ſolum colere inſtituimus, ſed eandem augere conabimur, nec ullam occaſionem, quæ quanti vos faciamus, manifeſtum reddat, prætermittere decrevimus. Quod reliquum eſt, vos ac res veſtras divino numini ex animo commendamus. Dabantur in Palatio noſtro a Sancto Jacobo nominato die 13. menſis Martii Anno Domini 1702. Regnique noſtri primo.

Veſtra

bona amica

Anna Regina.

Comes de Mancheſter.

Inſcriptio.

Illuſtribus atque AmpliſſimisDominis Conſulibus, Scultetis, Landmannis, & Senatoribus Cantonum Helvetiæ Confœderatorum, amicis noſtris Chariſſimis.

MCXIII.

Reſponſoria CANTONUM HELVETIÆ EVAN-

 GELI-

GELICORUM ad præinſertas ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, literas 1702.

Sereniſſima ac Potentiſſima Regina, Princeps & Domina Clementiſſima.

QUod ſummo rerum omnium moderatori pro ſanctiſſima Ipſius, nobisque imperſcrutabili voluntate viſum fuerit, Sereniſſimum potentiſſimumque Principem Guilielmum III. glorioſisſimæ memoriæ Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regem, ſtrenuisſimumque Fidei Defenſorem ex hac vita præmature tollere; maximo animi mœrore, univerſa cum Reformata Eccleſia percepimus, ardentisſima ad Deum mittentes vota, ut intimos pectorum exaudiat gemitus, dolorem leniat, animos conſolationum divinarum rore circumfundat, atque ſalutari ſancti Spiritus gratia erigat: Dein ex Serenisſimæ Veſtræ Majeſtatis gratioſisſimis ad nos exaratis literis debita cum reverentia, atque incredibili animorum lætitia intelleximus, Eam, (quæ ineffabilis eſt Dei benignitas) in Imperialem Britannicorum Regnorum Coronam ſuccesſiſſe, Prædeceſſoris quoque Principis, dum viveret, prudentisſimi & felicisſimi conſilia in commune totius Europæ emolumentum proſequi in animum induxiſſe, quin etiam amicitiam quæ inter glorioſisſimæ memoriæ principem & nos vigebat & colere & omni occaſione augere decreviſſe; Quo lætisſimo nuncio ſummam percipientes animi voluptatem, pro clementisſima & propenſisſima, quam erga Nos teſtatam facit benevolentia, humillimam gratiarum actionem, ac veram & ſinceram congratulationem offerimus,

ferimus, fauſtisſimaque Regni auſpicia appreca- mur, Deum Ter Opt. Max. flagitantes, ut Sereniſ- ſimam perſonam Regiæ Majeſtatis Veſtræ longa annorum felicisſimorum ſerie beet, conſtanter tueatur, conſilia exoptato ſemper ſucceſſu ſecun- det, quo inde & venerationem præſens & admi- rationem futura ætas concipiat, & confiteatur, Regem Regum Britanniæ Magnæ Principes cura ſingulari fovere, quum in Regia Majeſtate Veſtra non animum, non gloriam, ſed perſonam dunta- xat Regis Guilielmi mutatam conſpiciat. Quod reliquum eſt, nos noſtrasque Reſpublicas pro ar- ctisſimo Religionis communis vinculo, poſt De- um, curæ atque ſollicitudini Sereniſſ. Majeſtati Veſtræ etiam atque etiam commendamus, vicisſim omnia noſtra officia, ſtudia, curas, quæ ad Regiæ Majeſt. Veſtræ gloriam pertinebunt, candide pol- licemur; Datæ & Communi Noſtrum nomine ſi- gillo fœderatæ Nobis Civitatis Tigurinæ munitæ die 20. Maji, Anno 1702.

Majeſtatis Veſtræ

obſervantiſſimi & ad omnia officia paratiſſimi

Conſules, Sculteti, Landamanni & Se- natores Cantonum Helvetiæ Evangelico- rum, Tiguri, Bernæ, Glaronæ, Baſileæ, Schaffuſii, Abbatiſcellæ, St. Galli, Müll- huſii & Biennæ.

Inſcriptio.

Serenisſimæ & Potentisſimæ Principi ac Dominæ, Dom. Annæ, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hi- berniæ Reginæ, Fidei Defenſori, Dominæ noſtræ clementisſimæ.

Digitized by Google

MCXIV.

Literæ ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad GEORGIUM WILHELMUM, Ducem Brunſvico-Luneburgenſem, quibus ipſi Guilielmum III. magnum Magnæ Britanniæ nuper Regem fato functum, ſeque in orbatum ipſo ſolium evectam eſſe refert, $170\frac{1}{2}$.

Anna Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regina, Fidei defenſor &c. Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi, Domino Georgio Wilhelmo, Duci Brunſvicenſi & Luneburgenſi, Avunculo & Amico Noſtro Chariſſimo, Salutem.

Sereniſſime & Celſiſſime Princeps, Avuncule & Amice Chariſſime.

Moeſtæ admodum & invitæ Celſitudinem Veſtram nuncio acerbitatis pleniſſimo per literas interpellamus; ſed Supremus Regum Dominator, cujus Decretis opes humanæ omnes fruſtra renituntur, pro Divino ſuo Arbitrio ita voluit juſſitque, ut Frater Noſter Chariſſimus, Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps Dominus Guilielmus Tertius, Dei Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei defenſor &c. Octavo hujus Menſis æſtu Febrili intra Dies pauciſſimos conſumptus ex hac vita mortali ad ſempiternam in Cœlis excederet. Omnes procul dubio ubique Cauſæ publicæ ſtudioſi caſu tam funeſto plurimum commovebuntur, cum lumen Europæ Clariſſimum in mediis illis, quas pro ſalute communi ſuſceperat, curis extinctum ſit; Celſi-

Celſitudinem autem Veſtram etiam teneriores affectus transfodient, quippe qui & ardore & vetuſtate amoris invicem fuiſtis charisſimi. Nos vero jam in ſolium Britannicum evectæ, ita in easdem curas cogitationesque incubituræ ſumus, ut licet amiſſum Principem amicisſimum merito defleat Celſitudo Veſtra; tamen quod ad Boni Publici propugnationem attinet, Fœderumque fidem, in Nobis velut redivivum exiſtimet, operamque conſtanter dabimus, ut Celſitudini Veſtræ imprimis perſpectisſimum ſit, etiam in nos a nupero Fratre Noſtro Chariſſimo abunde derivatam eſſe ſingularem illam ſtudii amicitiæque propenſitatem, qua ipſam ferventisſime proſecutus eſt. Quod ſupereſt autem Celſitudinem Veſtram ſupremi numinis tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio noſtro Divi Jacobi, 10. die Menſis Martii Anno Domini 170$\frac{1}{2}$. Regnique Noſtri Primo.

Celſitudinis Veſtræ

amantisſima Neptis

ANNA Regina.

Ja. Vernon.

Inſcriptio.

Sereniſſimo & Celſisſimo Principi Domino Georgio Wihelmo, Duci Brunſvicenſi & Luneburgenſi, Avunculo & Amico Noſtro Chariſſimo.

MCXV.

Reſponſoria GEORGII WILHELMI, *Ducis Brun-*

ſvico-Luneburgenſis, ad præinſertas ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ literas, 1702.

Sereniſſima &c.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ literas honoratiſſimas die 10. Martii nuperi ad nos perſcriptas reddidit nobis Ablegatus Ipſius Extraordinarius Dominus Creſſet. Aperuere nobis eædem caſum funeſtum, mortem ſc. præmaturam Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis, Domini Guilielmi Tertii, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ, glorioſiſſimæ memoriæ Regis, Fidei Defenſoris &c. Domini cognati Noſtri ſumme colendi. Deplorabunt ſane jacturam hanc non ſolum quotquot regna & ditiones Britannicas incolunt, ſed & in ſocietatem luctus abripiet maximam Europæ partem, cui indefeſſæ tanti Principis pro publico impenſæ curæ æque ſaluti fuerunt; Quantus noſter de caſu hoc luctus ſit, exprimere non permittit dolor, qui tanto nobis eſt acerbior, quod præter opinionem eo tempore accidit, cum de recuperanda mox valetudine non ambigua ſpes eſſet; Et facillimum nobis eſt judicare triſtitiam, quæ in Regiam Majeſtatem Veſtram exinde redundavit, & cui merito ex animo condolemus; Singularem vero Dei O. M. in hoc afflicto rerum Statu agnoſcimus providentiam & ſimul benignitatem, dum in ſolatium tot acerbiſſimo hoc caſu afflictorum voluit Regiam Majeſtatem Veſtram in Britannicum evehi ſolium, nec ſolum Angliæ populo, ſed & Europæo reliquo orbi ſpem dare, fore, ut quæ ſub auſpiciis Magni Wilhelmi pro

bono

bono publico feliciter cœpta ſunt, ſub Regimine Majeſtatis Veſtræ ex voto terminentur, quibus ut ſummum Cœli Numen annuat, eſt quod intimo cordis affectu precamur, ſimul voventes, ut Regiæ Majeſtatis Veſtræ regimen omnigena proſperitate & ad poſteros tranſeunte geſtorum gloria illuſtretur; Et quoniam Regiæ Majeſtati Veſtræ, cujus ſingularem in nos benignitatem merito veneramur, placuit, iiſdem literis nos reddere certiores de propoſito, quod velit fœderibus inhærere, & ſuo nomine rata habere, quæ inter glorioſiſſimæ memoriæ Regem Wilhelmum, & Nos Domumque noſtram pacta inita ſunt; nos itidem hiſce reciproce pollicemur, nihil nobis pactorum fide antiquius & inter præcipuas curas fore, ut Regiæ Majeſtati Veſtræ animum addictiſſimum ſemper comprobemus. Deus O. M. Regiam Majeſtatem Veſtram ſervet incolumem. Dabantur in oppido Noſtro Burgdorff die 3 April. 1702.

Georg. Wilhelmus.

MCXVI.

Literæ GEORGII LUDOVICI, Electoris Hannoverani, ad ANNAM Magnæ Britanniæ Reginam, quibus gravem animi ſui dolorem ex præmaturi Guilielmi III. glorioſiſſimæ memoriæ obitus Nuncio conceptum teſtatur, eique habenas rerum Britannicarum animitus gratulatur, 1702.

Sere-

Sereniſſima atque Potentisſima Regina, Domina Cognata & Soror plurimum colenda.

TAm graves univerſalis in Europa luctus cauſas præbet inſperatus obitus Sereniſſimi atque Potentisſimi Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regis, Guilielmi III. glorioſiſſimæ memoriæ, quam univerſalis fuit ejus, dum viveret, heroicarum virtutum & ſublimium animi perfectionum, meritorum inſuper erga publicam ſalutem, & libertatem, ultra avitam famam ſeſe porrigentium honos atque admiratio. Quam acerbe funeſtus hic caſus afficiat Regiam Majeſtatem Veſtram, facile judicatu eſt, & ſicuti quidquid ſecundi vel adverſi Regiæ Majeſtati Veſtræ evenit, ad nos etiam pertinere, diverſæ rationes poſtulant, ita ſincere teſtamur, præſentis Regiæ Majeſtatis Veſtræ doloris ſenſum maxime & noſtro ſe inſinuaſſe animo, & auxiſſe vehementiam propriæ & particularis noſtræ afflictionis ob jacturam Regis perceptæ, qui nos Domumque noſtram amore plane paterno complexus eſt, & illuſtribus decoravit beneficiis, quorum grata recordatio in nobis & poſteris noſtris nunquam intermorietur. Non ſatis autem venerari poſſumus Sacro-Sanctam divini Numinis providentiam, quæ per inexhauſtam ſuam bonitatem, malo, quod irreparabile primo intuitu videri poterat, tam mirificum paravit atque applicuit remedium, ut luctui immenſo æquale ſubito ſuccedere videamus gaudium & ſolatium, dum ſolium Magnæ Britanniæ vacans per

mortem

Digitized by Google

mortem optimi Principis conſcendit optima Princeps. Nos acclamationibus & gratulationibus feſtivis ad Regiam Majeſtatem Veſtram undique affluentibus minime differendum cenſuimus jungere etiam noſtras, ex imis cordis penetralibus depromptas, Deum O. M. ſupplices orantes, ut Regiam Majeſtatem Veſtram ſoſpitem quam diutiſſime ſervet atque incolumem, & tam proſperis ſucceſſibus ornet magnanimas & vere Regias, quas pro ſalute publica promovenda jam publice declaravit, intentiones, ut hoc ære perennius eam maneat gloriæ monumentum: ſe arduum a Magno ſuo Prædeceſſore feliciter cœptum & Solido fundamento ſuperſtructum opus libertatem & ſalutem publicam vindicandi, & res in Europa ad juſtum æquilibrium redigendi pari fortuna non continuaſſe ſolum, ſed & abſolviſſe. Quod reliquum eſt, longe majores ſunt quam verbis exprimere poſſumus, gratiæ, quas Regiæ Majeſtati Veſtræ habemus, pro generoſis & benevolentiſſimis erga Nos, Domumque noſtram inclinationibus, quas dignata eſt explicare Ablegato noſtro extraordinario Baroni de Schüz.

Hoc ſolum promittere poſſumus, & ſancte promittimus, quod qvemadmodum noſtri erga Regiam Majeſtatem Veſtram devoti animi affectu nihil perfectius; ita ſi quid in noſtra poteſtate erit, quod vel pro publico & Regnorum cumprimis Regiæ Majeſtatis Veſtræ inclytæque Nationis Britannicæ commodo & ſecuritate fieri, vel Regiæ Majeſtati Veſtræ ullo alio modo acceptum eſſe poſſit, nos ad id arripiendum & pro viribus

viribus exequendum ſemper fore promptisſimos atque paratisſimos.

Supradictus Noſter Ablegatus in mandatis habet, argumento harum literarum plura coram addere, ad quæ nos referimus, & Regiam Majeſtatem Veſtram almo Dei O. M. patrocinio toto ex animo commendamus. Dabantur in oppido Burgtorff die 31. Mart. 1702.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

GEORG. LUDOV. Elector.

MCXVII.

Literæ Credentiales, quas GEORGIUS LUDOVICUS, Elector Brunſvico-Luneburgenſis, Lib. Bar. a Schüz, Internuntio ſuo Extraordinario, ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ exhibendas transmiſit, 1702.

Serenisſima &c. &c.

QUandoquidem viſum nobis fuerit Illuſtrem fidelem nobis ac Dilectum Ludovicum Juſtum Sinold Baronem de Schüz, Serenisſimi Patrui noſtri Dni. Georgii Wilhelmi Ducis Brunſvicenſis & Luneburgenſis Conſiliarium Status, qui apud Serenisſimum ac Potentisſimum Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regem nuper defunctum glorioſisſimæ memoriæ vices Ablegati Noſtri Extraordinarii geſſit, in eadem qualitate apud Regiam Majeſtatem Veſtram tanquam fidum & perpetuum noſtri erga eam ſtudii interpretem habere, Regiam Majeſtatem Veſtram officioſisſime rogamus, dignetur, quæ hic noſter Ablegatus

tus Extraordinarius, dum in aula Regiæ Majeſtatis Veſtræ commorabitur, noſtro nomine proferet, benignis auribus excipere & omnimodam iis fidem impertiri, præſertim quoties ſermo ipſi erit de zelo noſtro & deſiderio ardentiſſimo, Regiæ Majeſtati Veſtræ comprobandi, quam reverente eam cultu proſequimur & proſequi nunquam ceſſabimus, Sacro Sancto divini numinis patrocinio eam devoto animo commendantes. Dabantur in oppido Burgtorff die 31. Martii 1702.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Georg. Lud. Elector.

MCXVIII.

Literæ GEORGII LUDOVICI, Electoris Brunſvico-Luneburgici, ad ANNAM, Magnæ Britanniæ Reginam, quibus ipſi ingentes gratias perſolvit, quod Jacobum de Creſſet, virum ob ſummam probitatem ac conſummatam prudentiam ſibi chariſſimum, Ablegati in Aula ſua extraordinarii munere ornare dignata ſit, 1702.

Sereniſſima &c.

SIngulariter jucundæ nobis fuerunt literæ, quibus Regiæ Majeſtati Veſtræ placuit, nobis ſignificare, ſe illarum exhibitorem Nobilem Dominum Jacobum Creſſet Armigerum conſtituiſſe, ut Regiæ Majeſtatis Veſtræ apud Nos Ablegati Extraordinarii munere fungatur, qui, quum multorum annorum uſu experiri nobis licuerit ſolidam ejus in rebus agendis prudentiam & dexteritatem in promovendo bono publico & rite

exe-

exequendis negotiis ipſi mandatis candorem & zelum, ut & erga nos optime affectum animum, magno ſuo merito noſtrum penitus in ſe derivavit amorem & æſtimationem. Gratias igitur Regiæ Majeſtati Veſtræ agimus, quod virum adeo nobis charum honoratisſimæ Regiæ Majeſtatis Veſtræ in nos benevolentiæ nobis dare voluerit fidum internuncium, qui ſemper nos deprehendet devotisſimos Regiæ Majeſtatis Veſtræ Cultores & vigilantisſimos omnium occaſionum obſervatores ad faciendum ea, quæ Regiæ Majeſtati Veſtræ grata & accepta eſſe poſſunt, quam almæ divini numinis tutelæ ex intimo corde commendamus. Dabantur in oppido Burgtorff die 3. Aprilis. 1702.

Georg. Lud. Elector.

MCXIX.

Literæ credentiales, quas ANNA, Magnæ Britanniæ Regina, Georgio Stepney, Ablegato ſuo, ad LEOPOLDUM Rom. Imperatorem dedit, 1702.

Anna, Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Regina &c. Sereniſſimo, Potentisſimo & Invictisſimo Principi & Domino, Domino Leopoldo, divina favente Clementia electo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto &c. Fratri Conſanguineo, & Amico noſtro chariſſimo ſalutem & perpetuum felicitatis incrementum.

Sere-

Digitized by Google

Sereniſſime , Potentiſſime & Invictiſſime Princeps, Frater , Conſanguinee & Amice chariſſime.

CUm viſum fuerit, divino Numini, Fratrem noſtrum chariſſimum, Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem Dominum Guilielmum III. Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ glorioſiſſimæ memoriæ Regem & fidei defenſorem ad ſe ſe ex hac vita evocare, nobisque Imperii Britannici ſceptrum in manus tradere, inter primas regnandi curas nihil firmum magis magisque fixum habuimus, quam fœdera, conſilia & rationes omnes cum Cæſarea Veſtra Majeſtate ab Anteceſſore noſtro in publicum Europæ commodum inſtitutas ſumma fide obſervare, conſtantiaque indefeſſe perſequi, ideoque nobilem, fidelem & dilectum nobis Georgium Stepney, armigerum, qui Ablegati Extraordinarii partes apud Cæſaream Majeſtatem Veſtram feliciter & cum laude ſuſtinuit, jam noſtra etiam autoritate præditum in munere eodem obeundo pari diligentia pergere juſſimus, atque ei in mandatis dedimus, ut nulla non occaſione arrepta operam ſuam ſedulo impendat amicitiæ confœderationique inter nos ſancitæ nexibus intimioribus conſtringendæ, nihilque prætermittat, quod conſiliis pro ſalute & tranquillitate communi ſuſceptis efficaciter ex noſtra parte promovendis animandisque conducere poſſit.

Rogamus enixe Cæſaream Veſtram Majeſtatem, ut dicto noſtro Ablegato Extraordinario

Digitized by Google

benignum expeditumque, uti ante hac, aditum indulgere velit auribusque pronis & fide integra excipere, quicquid noſtro nomine cum ipſa communicet, maxime vero ubi ſtudii noſtri erga Cæſaream Veſtram Majeſtatem resque ſuas univerſas ſummi documenti proferat, atque ipſam faciat certiorem nos fœderum conventionumque tenacisſimas eſſe, atque in iisdem conſtanter permanſuras. Quod supereſt Majeſtatem Veſtram Cæſaream Dei optimi maximi tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio noſtro Divi Jacobi die 18. Menſis Martii Anno Domini noſtri 1702. Regnique noſtri primo.

Majeſtatis Veſtræ Cæſareæ

Amantisſima Soror & Conſanguinea

Anna Regina

J. Vernon.

MCXX.

Literæ CONSILIARIORUM ET LEGATORUM *Circulorum Franconici & Suevici ad Congreſſum Nordlingenſem deputatorum ad* LUDOVICUM XIV. *Galliæ Regem, quibus Principibus & Dominis ſuis conſtans quidem hærere propoſitum, pacem Ryſwicenſem ſtrenue conſervandi, ſed nec minimum etiam in præjudicium libertatis Germanicæ admittendi, 1702.*

Sereniſſime, Potentisſime & Chriſtianiſſime Rex, Domine Clementiſſime.

LIteras Regiæ Majeſtatis Veſtræ die prima menſis currentis ex loco Meuden exaratas & ad nos

nos Circulorum Franconici & Svevici nomine cum aliis Circulorum invitatorum Deputatis, modo hic Nordlingæ congregatos Directores datas exhibuit Nobis Regiæ Veſtræ Majeſtatis ad partes Germaniæ Ablegatus Extraordinarius Dominus de Gergy, & expoſuit: Poſtquam easdem humillimo (prout par eſt) reſpectu recepimus & perlegimus tam ore quam ſcriptis latius, quæ ipſi a Regia Majeſtate Veſtra de ſincere continuanda pace Ryſwicenſi, & de indaganda prædictorum Circulorum intentione ac pariter in id ipſum pro moderna rerum obſervanda cura commiſſa ſunt. Nobis quemadmodum Regia Veſtra Majeſtas innata ſua perſpicuitate facile dignoſcet, in negotio tam arduo a Principibus noſtris & Committentibus in præſenti congreſſu non inſtructis reſpondere quidem eſt difficillimum, dum in id ſolum operam noſtram intendimus, quæ Nobis hic gerenda ex præſcripto demandata ſunt. Quantum tamen de præfatorum Principum ac Statuum mente tam ab iis, quæ a longo jam tempore actitata vel ſuſcepta ſunt, vel adhuc indies aguntur, nobis conſtat, nil magis exoptant ipſi, quam ut quæ vix apparuit, & nuper modo tam caro vendita pax conſtans permaneat ac inviolata, & ut eæ, quæ adhuc hinc & inde pro diverſitate negotiorum ſubeſſe diſſenſionis cauſæ videntur, ſi poſſibile eſt, amicabili compoſitionis remedio venient aſſopiendæ, quæ ratio fuit, quod hactenus ſumma cum induſtria ſolummodo ſuæ ſecuritati proſpicere judicaverint. Quod ſi autem per generalia Imperii Comitia vel neceſſitas con-

ſervandæ Patriæ libertatis vel alia cauſa ſufficiens aliud conſilium pro futuris temporibus ſvaderent, credimus iis a communi Imperii ſenſu recedere, nec fas eſſe, nec indultum iri, prout jam ante hac ipſos ſe erga Regiæ Veſtræ Majeſtatis Ablegatos iteratis vicibus declaraſſe meminimus, cæteroquin certi, nullum ex iisdem a debito Regiæ Veſtræ Majeſtatis reſpectu, aut a publica tranquillitatis, ac ſecuritatis via velle deflectere. Nos vero nihilominus in reditu abhinc, quam nunc meditamur, ad præmemoratos Principes & Committentes noſtros de Regiæ Veſtræ Majeſtatis vere Regio ſenſu & continuandæ pacis ſincero animo fideliter referemus, & de eo, quod ſuper hoc oretenus prolatum eſt, præfatum Dominum de Gergy non minus fideliter relaturum eſſe confidimus; Regiam Veſtram Majeſtatem ſupremi Numinis protectioni ex intimis committentes, Nos vero Regio ſuo Clementiſſimo favori & gratiæ humillime devoventes.

Regiæ Veſtræ Majeſtatis Chriſtianiſſimæ

Dabantur Nordlingæ d. 23.
Martii Anno 1702.

humillimi

Principum ac Statuum Sacri Romani Imperii Franconici & Svevici ad Congreſſum Nordlingenſem Deputati Conſiliarii ac Legati.

M CXXI.

Literæ JOSEPHI CLEMENTIS, Electoris Colonienſis, ad CAROLUM XII. Svecorum Regem,

quibus

quibus ab ipſo obnixe contendit, velit ſupremus pacis Ryſvicenſis vindex & aſſertor, ea, qua valeret autoritate quoſdam ejuſdem ſtudioſiſſimos turbatores eo adigere, ut pacatiora bellicis præferant conſiliis, 1701.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex, Domine & Conſanguinee Chariſſime.

Ita recens Majeſtatis Veſtræ per pacificationem Ryſwicenſem collatum Sacro Romano Imperio, imo orbi univerſo, beneficium, ut nunquam ſatis digna memoria celebrari queat, meritoque boni omnes in ejuſdem conſervationem conſpirent. Cumque fructus inde in Germaniam derivatus periclitari poſſe videretur, ſi Electores, Principes & Ordines Imperii ſe Hiſpanicæ Succeſſioni immiſcerent, niſi quatenus ad id obſtringerentur ex ſui muneris debito, ſi quid fortaſſis a Succeſſore nuper Regis Catholici circa reliquias Circuli Burgundici vel circa Ducatum Mediolanenſem juribus Sacro Romano Imperio damnoſum geri contingeret: Ego tam ante quam poſt præfati Regis obitum ſinceram hanc intentionem meam, Partibus eam hinc inde explorantibus integerrime patefeci, & ad hujus deſiderii adeo juſti luculentius teſtimonium toti Europæ perhibendum, cum Circulis & Statibus ad eundem retinendæ tranquillitatis publicæ ſaltem in Germania ſcopum tendentibus jungi per ſocialem Tractatum optavi, exploſis jugiter eorum conatibus, qui alio me deflectere niſi ſunt: Quemadmodum conſtat ex iis, quæ primo Lohnſteinii ſecreto cum Eminentiſſimis Dominis Electo-

ribus Moguntino & Trevirenſi, tum coram Imperii facie Francoforti & Heilbronnæ palam acta fuerunt, ea fiducia fretus, fore, ut hac etiam ratione ac via ditiones meas in his Imperii finibus periculo graviori expoſitas imminenti novorum motuum tempeſtati ſubducerem, & prout fidelem Imperii Ephorum decet, pro viribus concurrerem ad publicam Germaniæ quietem, & ſecuritatem conſervandam. At cum id ſtudiis eorum, qui ſibi ac ſuis ampliorem e bello proventum, quam a proſecutione pacis vix dum deguſtatæ promittunt, nequaquam congrueret, Majeſtas Veſtra ex adjecta literarum ad Auguſtiſſimum Imperatorem noviſſime a me ſcriptarum copia diſpicere non gravabitur, quibus cuniculis, mediis atque modis id tum a vicinis Potentiis (annitentibus eo potiſſimum Sereniſſimo Domino Electore Palatino & Epiſcopo Javarinenſi ex Hungariæ Regno in hujus Patriæ malum conſulto ad nos miſſo) ardentiſſime procuratum fuerit, ut poſthabitis Electorum, Principum & Ordinum imperii Juribus, per Pacis Weſtphalicæ, Noviomagenſis & Ryswicenſis operoſiſſimos Tractatus feliciter qua reſtitutis qua corroboratis, unius Serenisſimæ Domus, junctique eidem confœderati Belgii commodis, cæterorum Imperii Statuum, vellent, nollent, ita conſecrarentur, ut qui in id placitum coire renuerent, tuendisque rebus ſuis per vim ad ſibi competentes animos admoverent, dum vel maxime paci ſervandæ intendunt, perturbatores publicæ ſalutis Imperii, quod tamen hactenus ea de re ne quidem auditum fuit, a Conſilio Imperiali Aulico

facul-

facultatum ſuarum ſphæram indies magis ac magis transgrediente declararentur, quod an tabulis & menti tertio firmatæ pacis conveniat, Majeſtas Veſtra, tanquam ejusdem Conſors, Aſſertor & Vindex pro æquanimitate ſua ad trutinam revocare maximique ponderis partes ſuas, me ipſam enixe rogante, eatenus interponere dignetur, ut ſua conſtet tam proficuæ pacis integritas, nec ad privatos quorundam fines aliorum pro ejus conſervatione laborantium ſtudia opprimantur. Augebitur per hoc Majeſtatis Veſtræ gloria, univerſumque Imperium, cujus plurimi intereſt, propenſiſſimam Majeſtatis Veſtræ pro manutenendis ejus Ordinum prærogativis ac juribus ad normam Weſtphalicæ pacis, cæterarumque fundamentalium Germaniæ Legum voluntatem grata, ut non dubito, mente agnoſcet. Ego autem meis erga Majeſtatem Veſtram officiis demereri non deſinam. Bonnæ 6. Aprilis 1702.

MCXXII.

Litera ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad S. R. IMPERII PROCERES, per delegatos in Comitiis Ratisbonenſibus congregatos, quibus eos obnixe rogat, ut in fœderis inter Sac. Cæſar. Majeſtatem, ſe & fœderati Belgii Ordines initi ſocietatem accedere, eidemque ſua acceſſione robur addere velint, 1702.

Anna Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Regina, Fidei Defenſor &c. Ampliſſimis & Conſultiſſimis Viris Electorum, Principum Statuumque Sacri Romani Imperii Conſiliariis

ſiliariis & Legatis ad Comitia Ratisbonenſia Deputatis ibidemque Congregatis, Amicis noſtris perdilectis Salutem.

Ampliſſimi & Conſultiſſimi Viri, Amici perdilecti.

CUm morte funeſtiſſima nuperi fratris noſtri Guilielmi III. glorioſisſimæ memoriæ, Magnæ Britanniæ Regis &c. in noſtras jam manus ex voluntate divina tradita ſint Regnorum ditionumque Britannicarum gubernacula, ſtatim atque imprimis toto penitus animo in id incubuimus, ut tam gravem tamque improviſam jacturam communis Europæ cauſæ ſtudioſi quam minime ſentirent. Fuit certe acerrimus boni publici Propugnator; fuit ingens libertatis Chriſtiani orbis periclitantis Columen, firmisſimumque confœderationum omnium vinculum. Nos vero in eodem ſolio jam collocatæ, ita commodis Europæ ſuſtentandis, ita conſiliis ſuis tam præclare inchoatis etiam ſtrenue provehendis, factionumque quarumlibet legibus ſanctisſime præſtandis, operam omnem ſtudiumque addicturæ ſumus, ut, cum curas illas molitionesque egregias anteceſſoris noſtri in nobis quaſi redivivas cernant Amici noſtri fœderatique, non tam defleant amiſſum Principem fortisſimum, quam mutatum ſalutis publicæ præſidium cogitent. Cumque perilluſtre adeo exemplar quotidie ob oculos habentes ſedulo nobis effingendum propoſuerimus, nulla tamen in parte idem accuratius imitari conabimur, quam in ſollicita illa vigilantia, qua velut

excu-

Digitized by Google

excubabat usque pro Sacro Romano Imperio ſuus ſibi ſplendor & Auguſta dignitas conſtarent, ac jura quævis ſarta tecta conſervarentur. Nos igitur multum ſerioque in animo expendentes magnitudinem periculorum, quibus Europa quidem univerſa, maximeque Sacri Romani Imperii Principes ac Status præ nimia Gallorum potentia tanquam circumſepti jam tenentur, nequivimus ſane, quin de iis perſcriberemus ad ampliſſimum Veſtrum conſeſſum, & prudentiſſimis Veſtris conſiliis ſententiæ noſtræ momentum adjiceremus. Supervacaneum eſſet, apud vos prolixe commemorare Regis Gallici inſitam atque effrænatam dominandi libidinem, percenſere veteres injurias, atque artes & inſidias omnes enumerare, quibus Imperii ſui fines proferre irrequietus usque moliebatur. Hæc olim pertractata ita commoverunt Europæ Principes, ut non niſi conſociatis viribus ambitioni Gallicæ occurrendum eſſe exiſtimarent. Nuperrime vero Dominus Burboniæ Nepos in Solium Hiſpanicum ingeſtus; Spreta juris Cæſarei in illam ſucceſſionem toties & tam ſancte confirmata æquitas, fœderum fides conculcata; armis occupatæ Provinciæ Hiſpano-Belgicæ; armis itidem obſeſſus Ducatus Mediolanenſis; ac etiam ipſa Imperii propugnacula vi & fraude uſurpata, tantum & potentiæ Gallorum & injuriis cumulum adjecere, ut non jam pax & tranquillitas, ſed ipſa libertas publica periclitari videatur. Quippe cum Galliæ regnum Hiſpanicumque magis magisque indies veluti coaleſcant, & unius plane conſilio atque arbitrio utrumque

Digitized by Google

jam gubernetur, palam omnibus eſſe putamus, cunctando fore, ut non ſolum Cæſareæ Suæ Majeſtatis jus in ſucceſsionem Hiſpanicam penitus eludatur; Sed Gallorum immodica jam potentia eo faſtigii porro evadat, ut in Europæ totius dominationem, cui tam diu inhiaverunt, demum involare non dubitent, atque adeo Sacri Romani Imperii Principibus, Statibusque funeſtisſimum præ cæteris importent exitium. Quo autem calamitoſisſimis hiſce Galliæ conatibus quam optime matureque foret proſpectum, nuperus frater noſter charisſimus Ordinesque uniti Belgii Generales perneceſſarium duxere, Cæſareæ Suæ Majeſtatis ad partes venire, & ſociale cum eadem fœdus ſancire. Quod nos quidem pro ea fide, religione, conſtantiaque indefeſſa, qua fœderis tam ſalutaris conditiones quaslibetcunque & tueri ipſæ, tuendasque ab aliis curare ſtatuimus, Vobiſcum (quorum tanti intereſt, quique pro ſalute Germaniæ tanquam in excubiis poſiti eſſe videmini) communicandum cenſuimus, ſpem habentes certisſimam, cuncta Sacri Romani Imperii membra promptis & alacribus animis eas penitus rationes ſuſceptura & ſtrenue efficaciterque promotura, quibus Imperii ipſius honor & ſecuritas conſerventur, Gallorum ambitioſæ molitiones reprimantur, atque eo pacto quies firma & perennatura in Europa redintegretur, ſtabiliaturque. Rogamus itaque Vos atque invitamus amicisſime, juxta articulum dicti fœderis decimum tertium, ut in ejus ſocietatem accedere & acceſſione Veſtra robur eidem, & firmitatem maximam addere velitis. Quo

facto

facto Voſmet adjungetis Imperatori Veſtro Auguſtisſimo, Ordinibusque fœderati Belgii ſummis, boni publici ſtudioſisſimis, nobisque inſuper, quæ eo jam curas unice intendimus, nervisque omnibus anniſuræ ſumus, ut labentem Chriſtiani Orbis libertatem ſuſtinere, & a pernicioſis Gallorum inceptis vindicare posſimus. Nullatenus itaque ambigentes, quin ſuffragia veſtra publicis Europæ votis, & periculoſisſimæ huic temporum conſtitutioni paratc fortiterque accommodaturi ſitis, Vos & Conſiliorum Veſtrorum felices exitus ſupremi Numinis curæ ac moderamini enixe commendamus. Dabantur in Palatio noſtro Divi Jacobi 10. die Menſis Aprilis Anno Domini 1702. Regnique noſtri primo.

Veſtra

bona amica

ANNA Regina

Ja. Vernon.

MCXXIII.

Literæ credentiales, quas ANNA, Magnæ Britanniæ Regina, Carolo Whitworth, Ablegato ſuo extraordinario, ad PROCERES S. R. IMP. per Delegatos in Comitiis Ratisbonenſibus congregatos dedit, 1702.

Anna Dei gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Regina, Fidei defenſor &c. Amplisſimis & Conſultisſimis Viris Electorum, Principum, ſtatuumque Sacri Romani Imperii Conſiliariis & Legatis ad Comitia Ratisbonenſia

nenſia Deputatis ibidemque congregatis, Amicis noſtris perdilectis ſalutem.

Ampliſſimi & Conſultiſſimi Viri, Amici perdilecti.

CUm oculi non Germaniæ ſolummodo, ſed totius etiam orbis Chriſtiani in Ampliſſimum veſtrum Conventum jam converſi ſint, utpote ubi res maximi momenti agitandæ, rationesque ineundæ, quibus turbidiſſima hac tempeſtate Sacro Romano Imperio æqualibus ſerenitas reducatur, cumque Comitia Veſtra Ratisbonenſia, tanquam Sacri Romani Imperii compendium habeantur, nequivimus, quominus in ſtatione tam opportuna, virum aliquem prudentia, & fide nobis probatum collocaremus, qui prout ſeſe tulerint occaſiones, Vos adeoque quaſi ſummatim Electores, Principes ac ſtatus Imperii cunctos, certiſſimos redderet, quam promptæ paratæque ſimus ad amplectendas ejusmodi rationes, quæ aſſequendæ firmandæque Europæ vacillantis quieti ac libertati potiſſimum conducere poterint: Conſtituimus itaque fidelem & dilectum nobis Carolum Whitworth, Armigerum, qui Ratisbonæ Reſidentis noſtri charactere ornatus, commoretur, & tum Sacri Romani Imperii tum noſtris junctim curationibus inſerviat. Rogamusque amice omnes & ſingulos Conſiliarios & Legatos ibidem congregatos, ut tanquam Reſidentem noſtrum accipiant tractentque, auresque ei accommodent benignas, fidemque integram impertiantur, quoties adeat communi-

municetque cum ipſis, quicquid noſtro nomine communicandum habuerit. Atque eo pacto nobis gratiſſimum facient, & benevolentiam noſtram ſingularem ſibi ſuisque demerebitur, quam data opportunitate teſtatiorem exhibere conabimur. De cætero autem ſupremum rerum Moderatorem ex animo precamur, ut vobis adeſſe & conſilia veſtra in publicum Chriſtiani orbis emolumentum ſecundare velit. Dabantur in Palatio noſtro divi Jacobi 14. die Menſis Aprilis, Anno Domini 1702. Regnique noſtri primo.

Veſtra

bona amica

Anna Regina.

Inſcriptio.

Ampliſſimis, & Conſultiſſimis Viris, Electorum Principum Statuumque Sacri Romani Imperii Conſiliariis & Legatis ad Comitia Ratisbonenſia Deputatis ibidemque congregatis, Amicis noſtris perdilectis.

MCXXIV.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quem paterne & graviter hortatur, ut Eccleſia ſine mora priſtinas libertates & læſa jura in integrum reſtituat, 1702.

Clemens Papa XI.

Dilecte Fili nobilis Vir Salutem. Apoſtolicæ ſervitutis ſarcinam ſua ſatis mole oneroſam & ſpiculorum plenam, graviorem certe, & moleſtio-

leſtiorem ſtatim ac ad ſupremum hoc catholicæ Eccleſiæ culmen evocati fuimus, nobis effecerunt, quæ ab aliquot annis adverſus Eccleſiæ jura in quibusdam Nobilitati tuæ ſubjectis locis a ſeculari poteſtate perpetrata fuiſſe deprehendimus. Cum enim Te atque inclytam Domum tuam eximiis in orthodoxam religionem & in hanc S. ſedem meritis præditam & illuſtrem præcipuo quodam Paterni amoris ſenſu complecteremur, plurimum doluimus eo nos rem adductam comperiiſſe, ut graviſſima Eccleſiæ autoritati a Magiſtratibus tuis inflicta vulnera non levi jam nec lenta manu tractare cogeremur. Vicit nihilominus ſenſus & vivida vis accenſæ noſtræ erga Te Charitatis, qua ſvadente æquum profecto, atque a Pontificia lenitate non alienum duximus de his primum omnibus cum Nobilitatis tuæ apud nos Adminiſtro pluries agere, ſingulis quoque ei violatarum Eccleſiaſticarum legum capitibus ſcripto traditis: quin etiam dilectum filium noſtrum Card. Sperellum, qui eundem adminiſtrum id rogantem prolixius audiret, deputare non recuſavimus; ut tandem tota re ad Nobilitatem tuam delata, ex ipſa qua præſtas animi æquitate ac magnitudine omnium perperam geſtorum emendationem aſſequeremur. Verum concepta ſpe, non ſine maximo cordis noſtri dolore fruſtrari nos vidimus; quodque ægrius ac plene acerbius tulimus nova interim & gravia ab iisdem aliisque Magiſtratibus tuis adverſus Eccleſiaſticam libertatem, Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtitutam, debitamque huic

S. ſedi

S. ſedi obſervantiam attentata eſſe, atque indies attentari cognovimus: quemadmodum ex iis, quæ tibi nuper per dilectum filium noſtrum Card. Barberinum ſignificari curavimus; ſi rem ſerio tecum ipſe pro tua ſingulari prudentia reputaveris, facile conjicies. Quamobrem, dilecte fili, cum tot tantaque mala, quibus eccleſiæ autoritas læditur, ſacrorum canonum norma contemnitur, hæc ipſa Beati Petri ſedes injuria afficitur, traditæque a Domino Eccleſiæ claves (quod nefas eſt) impetuntur, diutius absque animæ noſtræ periculo divinæque indignationis incurſu disſimulare nequeamus, illaque pro viribus implere ſtatuimus, quæ paſtoralis officii ratio poſtulat, quæque enixis precibus imploratum cœleſtis gratiæ lumen oſtenderit; Nobilitatem tuam paternis hiſce literis prius admonendam, hortandam, rogandam obſecrandamque judicavimus, per egregiam illam, qua ad magna quæque & præclara propenſam ſortitus es animi indolem, perub erem erga Te Domumque tuam divinæ beneficentiæ fontem, per veterem denique & conſtantem noſtram in te voluntatem; cupidisſimam laudum atque ornamentorum tuorum ut auferas malum de domo Iſrael omnique mora poſtpoſita, quæ injuſte acta ſunt ſceleri ac magnanima retractatione revoces Eccleſiæ priſtinas dignitates & læſa jura reſtituas, nosque ipſos a tam gravi qua angimur, ſollicitudine liberes. Auſculta igitur Fili ſermones noſtros, Patris videlicet tui amantisſimi, veram ſolidamque gloriam ac felicitatem tuam ſummopere exoptantis, ejusque voces illorum ſuggeſtionibus antepone, qui amplificandæ

dæ temporalis tuæ dignitatis obtentu æternam tibi perniciem parare non dubitant. Læta nobis læta Eccleſiæ Tibique ipſi decora & ſalutaria conſilia amplectere. Hæc pollicetur cauſæ juſtitia, tuaque pietas & religio fida cuſtos & tutela dominorum. Hæc nos, qui in tantæ rei curam dies noctesque incumbimus, a Patre miſericordiarum accurata prece flagitare illique eas omnes lacrimas, quas præſens Chriſtianæ Reipublicæ perturbatio nobis reliquas facit adjungere non deſinemus: dum Nobilitati tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ die 15. Maji 1702.

MCXXV.

Literæ CAROLI XII. Sveciæ Regis, ad ANNAM Magnæ Britanniæ Reginam, quibus ſe præmaturam Sereniſſimi Anteceſſoris ejus mortem animo mærore ferme confecto accepiſſe nuntiat, animitusque precatur, ut ipſi rerum Britannicarum moderamen e voto & cum gloria ſemper ſuccedat, 1702.

Nos Carolus &c.

QUanto pluris amicitiam & heroicas prorſus virtutes Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis, Fratris conſanguinei, Amici & fœderati Noſtri Chariſſimi, Domini Guilielmi Tertii, Dei gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Regis & fidei defenſoris, ſemper fecimus, tanto graviori percuſſi ſumus dolore, cum primum ex fama publica, nuper etiam ex literis Majeſtatis Veſtræ in Palatio divi Jacobi die 16. Martii exaratis

ratis luctuoſum tanti principis obitum percepiſſemus. Equidem ille, qui Orbem fama rerum geſtarum dudum impleverat, potuerit videri ſatis gloriæ aſſecutus eſſe, ſatis etiam vixiſſe ſibi. Cum tamen ad turbidum Europæ ſtatum reſpiciamus, cui pacando non feliciter minus, quam ſapienter ingens illa anima totam ſe impenderat, tum etiam fœderatum magnæ Britanniæ Regnum intueamur, quod ornamento tanto & præſidio divinitus ſibi commodato ſpoliatum eſt, hoc præſertim tempore, cum illius quam maxime videbatur indigere, non poſſumus mortem illius, ex cujus ſpiritu tot hominum ſalus dependebat, non acerbam nimis ſentire, nobis ſimul ereptum eſſe amicum, qualem raro admodum exemplo imperantibus datur experiri, quemque ob integerrima in nos ſtudia obque ſingularem plane animi propenſionem Fratris loco & amavimus & ſuſpeximus, vehementer indolemus. Eſſet hæc jactura eo intolerabilior, niſi ſupremi Numinis arbitrio, quod humana cuncta impenetrabili nobis conſilio regit & gubernat, pie obtemperandum cogitaremus, atque ſimul auſpiciis Majeſtatis Veſtræ, quam non Regiæ minus virtutes, quam naſcendi ſors in avito ſolio collocarunt, in meliorem paulatim ſpem erigeremur. Quæ ſicut facit, ut ægritudinem hanc moderatius ferre poſſimus, ita Majeſtati Veſtræ ſupremos hos fortunæ auctus eo impenſius gratulamur, quo perſvaſiores ſumus, non tam amicitiam in morte Guilielmi Regis eſſe mutatam, quam perſonam, quæ vetuſtiſſimam inter Regna Sveciæ & Britanniæ animorum con-

junctionem, nec ulla rerum viciſſitudine in hoc usque tempus interruptam, pari ſinceritate ac ardore conſervatura ſit. Optamus Majeſtati Veſtræ proſperrimos rerum ſucceſſus, ut Britannia, quæ per fœminei Sexus Principes immenſum viguit, in Majeſtate Veſtra apicem felicitatis ſuæ attingat, utque perfici videat illa, quæ præmatura Anteceſſoris mors deſtituit, ut uberiorem gloriæ materiam Majeſtas Veſtra haberet. Nos cunctis modis allaborabimus, ut neceſſitudo, quæ Nobis cum Anteceſſore Veſtræ Majeſtatis erat arctisſima, non modo non relaxari, ſed fortiori potius nexu in poſterum adſtringi Majeſtas Veſtra ſentiat. Quam Dei omnipotentis tutelæ commendatam quam diutiſſime ſoſpitem & florentem eſſe ex animo vovemus. In ſtativis noſtris ad Warſaviam, die 19. Maji 1702.

Majeſtatis Veſtræ

Bonus Frater, Nepos, Amicus & Fœderatus

Carolus.

MCXXVI.

Literæ PAULI ESTERHASII, Palatini Hungariæ, ad VICE-COMITEM COMITATUS VESPRIMIENSIS datæ, quibus vetat, ſublato ex Urbe Papa præſidio, Exercitium Reformatæ Religionis aut aliquem verbi divini miniſtrum ibidem amplius tolerari, 1702.

Generoſe Domine & Nobis obſervande.

Salutem & Noſtram benevolentiam.

Cum per Suam Majeſtatem, Dominum, Dominum

num Noſtrum Clementiſſimum præſidia jam ſublata ſint, conſequenter etiam Papenſe præſidium ſublatum eſt. In hoc autem Præſidio conceſſit tantiſper ſua Majeſtas Exercitium Religionis Hæreticorum, donec præſidium ſtaret: hoc autem jam ſublato, exercitium quoque eorum tolli debeat; Quamobrem voluimus Dominationi Veſtræ autoritate Noſtra Palatinali, ſerio mandare, quatenus correſpondendo, cum Domino Archiepiſcopo Vralockenſi, virtute præſcriptæ rationis Calviniſtas Prædicantes amoveat, ita quidem, ut nulla eorum permanſio, & exercitium Papæ amplius fieri poſſit: Scripſimus hoc in paſſu Domino Antonio Eſterhaſi Fratrueli Noſtro, ut mandet ſuis officialibus, quatenus hanc Noſtram intentionem ſecundent. Ipſi autem Radonay noluimus ſcribere, quia & ipſe Hæreticus eſt. Interim tamen Dominatio Veſtra has Noſtras literas Dominationi ſuæ poterit oſtendere, quod ſecundum hoc debet fieri. Sua quoque Dominatio his ſe accommodare non intermittat. In hoc autem Veſtra Dominatio ſecus non faciat, dantes eatenus Dominationi Veſtræ quaſi Vice-Comiti plenariam poteſtatem. Deſiderantes in reliquo, ut Deus conſervet Dominationem Veſtram in bona ſalute

Generoſæ Dominationis Veſtræ

Datum Kiſmartonii die 16. Junii Anno 1702.

benevolus
Paulus Eſterhaſi
Palatinus.

MCXXVII.

Litera AUGUSTI II. *Poloniæ Regis, ad* MICHAELEM RADZIEJOVIUM, *Regni Poloniæ Primatem, cui potiores cladis exercitui ſuo a Svecis ad* Pinczovam *illatæ circumſtantias exponit, eumque blande compellat, ut convocata totius Regni nobilitate Poloniam ab excidio vindicet,* 1702.

P. P.

EXiſtimo jam per famam publicam innotuiſſe meam cum exercitu Svecico infelicem transactionem. Clades quidem non tanta (nam qua cæſorum qua captivorum & vulneratorum non niſi mille ducentos amiſimus, prætereaque mille pedites) ſed ſequelæ longe majores, ut ex relatione latoris plenius informaberis. Sincere dicendo, culpa tota in ſinceritate & metu Panico meæ dexteræ alæ cauſato per inſperatam deſertionem exercitus Poloni, qui primi ignis & impetus hoſtilis impatiens opinione citius de ſtatione receſſit, timentibus interim meis magis deſertores, quam hoſtes; quod putarent ſe a tergo circumveniendos: unde non tam ante ſe exiſtentem inimicum reſpiciebant, quam poſt ſua terga. Poloni vero ajunt, ſibi perſuaſum fuiſſe, ac ſi Sveci & Saxones ex condicto perniciem illis inferre ſimul & ſemel voluiſſent. Hæc diffidentia mutua utriusque partis prædictam cauſavit cladem; in qua maximum eſt, nos omnia mobilia & tormenta bellica amiſiſſe, ob vada & teſqua, quæ illis tranſitum negabant. Modo iterum legiones noſtras colligimus, quæ duplici via ſibi conſulere nolentes diſſipatæ fuerant, verſus-

que

que communem motum iter intenderant. Generalis Rubren cum octo novis legionibus approximat Cracoviæ. Interea exiſtimo, ſi te interpoſueris, juncta manu cum tota nobilitate communi motu convocata citius hoc incendium extingui poſſe, antequam univerſa Respubl. in ſuo ſanguine naufraget. Perſuaſi ſumus, te honeſti rationem eam habiturum, ut debiliorem non deſeras & oppreſſum, & innixi tibi expectamus eam ab activitate tua efficaciam, qualem æſtimatione noſtra præconcepimus.

Dabantur Anno 1702.
die 18. Julii.

Auguſtus Rex.

MCXXIIX.

Literæ PROCERUM S. R. I. CATHOLICORUM per Plenipotentiarios in diæta Ratisbonenſi congregatorum ad CLEMENTEM P. P. XI. quem ſubmiſſe precantur, ne Lib. Baronem a Neſſelrode ſpeciali Apoſtolicæ ſedis gratia ſub- & obreptitie emendicata proviſum, Lib. Baroni a Plettenberg, communi Capituli conſenſu in Præpoſitum Eccleſiæ Monaſterienſis canonice electo præferendo, concordata Nationis Germaniæ, ſummo cum omnium Eccleſiarum detrimento & præjudicio, patiatur convelli, 1702.

Beatisſime Pater, Domine Clementiſſime &c.

DEcanus & Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Monaſterienſis, quæ a primæva fidei orthodoxæ, felicibus auſpiciis per regiones Weſtpha-

liæ facta propagatione, in ſuſcepta religione erga ſanctam ſedem Apoſtolicam inter quascunque præteritorum Archi-Epiſcopatibus & *Diœceſibus* funeſtorum temporum injurias & fluctuantes procellas, præ cæteris Diœceſin & Eccleſiam Monaſterienſem graviter ſæpe concutientes, inconcuſſa & fidelisſima ac obedientisſima filia ſemper perſtitit, & in pari fidelitatis & obedientiæ conſtantia ad extremum usque, Deo propitio, perſiſtere jugiter allaborat, non ſine gravi mœrore & moleſtia Dominis Principalibus noſtris Sacri Romani Imperii Electoribus, Principibus & Statibus expoſuerunt, quod licet ipſi eorumque Anteceſſores a pluribus retro ſeculis, ante dignitatum & Beneficiorum Eccleſiaſticorum reſervationes Sede Apoſtolica in Gallis Avinioni collocata, introductas, quin imo etiam ſubſequenter poſt Sanctam ſedem ad Urbem Romanam Eccleſiæ univerſalis auguſtam Metropolim per Gregorium Papam II. feliciter poſtliminio jure reductam, & poſt ſubſecuta inter eandem Sanctam Sedem ex una, ac inclitam Nationem Germanicam ex altera partibus Concordata, tempore Eugenii Papæ IV. per Auguſtisſimum Imperatorem Fridericum Auſtriacum, ac Sacri Romani Imperii Electores & Principes, reliquosque Status eundem Eugenium poſt Conſilium Baſilieenſe denuo recognoſcentes & ipſi obedientiam ſolemni legatione deferentes inita ac ſubſequenter Eugenio e vivis præmature ſublato, per ejus Succeſſorem Nicolaum V. Sanctæ memoriæ, Pontificem Maximum, pro pace, unione & tranquillitate inter

Sanctam

Sanctam Sedem, dictamque Nationem Germanicam perpetuo ſolidandis & conſervandis Anno 1447. laudata & approbata in continua a prima fundatione nunquam interrupta poſſeſſione ac conſuetudine ad Præpoſituram Cathedralis Eccleſiæ, unum ex gremio Canonicorum Capitularium actu Præbendatorum eligendi, absque ullo Apoſtolicarum reſervationum obſtaculo hactenus ſemper exſtiterint. Et licet etiam Sanctæ memoriæ Paulus V. Pontifex Maximus, expoſita ſibi per Decanum & Capitulum tali conſuetudine immemoriali Anno 1618. per ſpeciale indultum hujusmodi poſſeſſionem & conſuetudinem immemorialem, dum ea illo tempore per proviſionem Apoſtolicam ſub-& obreptitie obtentam, absque tamen effectu turbari intentaretur, de Apoſtolica benignitate non ſolum approbaverit, & perpetuæ firmitatis robore confirmaverit, ſed inſuper, ne memorati Decanus & Capitulum in dicta ſua tranquilla poſſeſſione & conſuetudine libere eligendi Præpoſitum, ſub prætextu Concordatorum, conſtitutionum Apoſtolicarum vel regularum Cancellariæ Apoſtolicæ, aut quarumlibet reſervationum Apoſtolicarum impoſterum perturbarentur, & ne deinceps ullo unquam tempore lites & controverſias occaſione proviſionum Apoſtolicarum, quæ in reſervationibus Apoſtolicis fundari poſſent, ſuſtinere denuo cogerentur, & ut gravia quæ exinde pullulare poſſent incommoda, jurgia, diſſidia & ſcandala, in maximum tam Eccleſiæ Cathedralis, quam ipſius Præpoſituræ, earumque ſtatus detrimentum, & diſpendium etiam cum ſeditionis

 periculo

periculo tam in Civitate, quam in Principatu Monaſterienſi redundantia, in perpetuum evitarentur, & de medio radicitus exſtirparentur, expreſſe voluerit ac ſtatuerit, & tanquam omnium ſibi ſubditarum Eccleſiarum ac fidelium, quarumlibet perſonarum communis pater ſuprema diſpoſitione conſtitutus, provida ſolicitudine, mediante ſpeciali & perpetuo ex tam prægnantibus inibi expreſſis rationibus, conceſſo indulto ordinaverit, ut vacatione dictæ Præpoſituræ in quibuscunque menſibus per dicta Concordata, aut quascunque Conſtitutiones Apoſtolicas, vel Cancellariæ regulas Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ex cujuscunque Perſona extra Romanam Curiam eveniente, & quandocunque & deinceps quovis modo occurrente, ipſi Decanus & Capitulum perſonam habilem & idoneam ex Canonicis Capitularibus aut actu præbendatis, intra tempus inibi in favorem Sedis Apoſtolicæ reſtrictum & definitum, Canonice eligere libere & licite valeant, a Sancta Sede Apoſtolica & non amplius a Diœceſano Monaſterienſi, uti a prima fundatione absque interruptione factum, benigniſſime confirmandam; & licet etiam prædictus Paulus ſanctæ memoriæ Papa V. in eodem indulto ſpecialiter ulterius ſtatuerit & decreverit, quascunque collationes, proviſiones & diſpoſitiones de eadem Præpoſitura, præter & contra formam ac tenorem ſuæ conceſſionis, indulti ſtatuti, ordinationis hujusmodi, etiam cum illorum ſpeciali & expreſſa derogatione, deinceps quibusvis perſonis autoritate Apoſtolica faciendas, cum inde ſecutis quibuscunque, nullas & invalidas, nullius-

nulliusque roboris & momenti fore & eſſe, ac pro nullis & infectis haberi & cenſeri, nullumque per eas jus vel poſſidendi titulum cuiquam tribuere neque perſonis ad ipſam Præpoſituram Canonice infra tempus præſcriptum electis, ullum omnino præjudicium adferre poſſe aut debere, irritumque & inane futurum, quidquid ſecus a quoquam quavis autoritate judicari aut definiri, vel ſcienter aut ignoranter contigerit attentari, & quamvis etiam prætacti Decanus & Capitulum in ſequelam & conformitatem prætacti indulti Apoſtolici continuatam ſuam, tam ante quam poſt inita Germaniæ Concordata, eligendi poſſeſſionem & conſuetudinem, citra ullam interruptionem, turbationem aut moleſtiam, in quocunque demum vacationis caſu, qui extra Curiam Romanam ex cujuscunque Perſona contigit, hactenus in ſumma tranquillitate continuaverint, ac noviſſime Wilhelmo Barone a Furſtenberg, olim ſub ſanctæ memoriæ Alexandro VII. & Clemente IX. Pontificibus, Camerario, abinde vero poſt ceſſans ultra triginta annos actuale officium & familiaritatem in menſe Apoſtolico extra Romanam Curiam Salisburgi in ſolita Decanatus ſui reſidentia, diem extremum claudente, alium ſuæ Eccleſiæ Canonicum Capitularem, condictum Baronem a Vehlen in Præpoſitum Canonice elegerint, ac illius confirmationem a Sancta Sede humillime petierint, illo autem præmature e vivis ſublato, alium pariter Canonicum Capitularem, magnæ rerum Eccleſiaſticarum & Publicarum Imperii experientia multis modis commendatum, variisque Legationibus ad

Imperatorem, ad Reges, Electores, & Principes Imperii, ac denique ad Tractatus Pacis Generalis Riswicenſis Catholicorum Statuum Imperii delegatione clarum, Ferdinandum Baronem a Plettenberg, ad prætactam ante & poſt Concordata inconcuſſam & per indultum Paulinum Canonizatam eligendi poſſeſſionem & conſuetudinem continuanda ac juſtitia ſuffragante in antea conſervandam canonice pariter elegerint, ac pro ejusdem Apoſtolica confirmatione humillime ſupplicaverint. Nihilominus tamen, non ſine ipſorum Decani & Capituli acerbo mœrore, illius confirmatio hactenus dilata manſerit, & quidem ſub prætextu proviſionis Apoſtolicæ per alium dictæ Eccleſiæ Canonicum Capitularem Baronem a Neſſelrode parum conſervationi Jurium & Privilegiorum Eccleſiæ intentum, ad ſiniſtra narrata ſub- & obreptitie a Sanctitatis Veſtræ immediato Prædeceſſore felicis recordationis Innocentio XII. nulliter impetratæ, in qua pro fundamento gratiæ cum evidenti & perpetuo inclytæ nationis Germanicæ, omniumque ſub ea comprehenſorum Cathedralium Capitulorum, aliorumque ordinariorum collatorum, vel jus eligendi & præſentandi ex jure communi, aut ſpeciali conſvetudine habentium, irreparabili præjudicio perperam expoſitum fuiſſe perhibetur, quod Præpoſitura poſtPontificalem prima, vigore Concordatorum, aliæque dignitates & beneficia quæcunque Eccleſiaſtica per ſummorum Pontificum Officiales familiares & veros Commenſales aliquando poſſeſſa, etiamſi ab ipſo officio & actuali familiaritate receſſiſſent, in quibus-

quibuscunque locis decedentes, ubicunque vacantia, ſolius ſummi Pontificis collationi & diſpoſitioni in omni menſe reſervata eſſent,imo dictaPræpoſitura Cathedralis Eccleſiæ Monaſterienſis,ex eo potisſimum motivo,quod illius ultimus aCapitulo, in vim prætactæ immemorialis per indultumPaulinum agnitæ &confirmatæ poſſeſſionis ante hac electusWilhelmus Baro a Fürſtenberg,AlexandriVII. & Clementis IX. Sanctitatis Veſtræ Prædeceſſorum ſanctæ memoriæ,Camerarius familiaris &continuus Commenſalis olim extitiſſet ac propterea præpoſitura prætacta, non obſtante, quod ab omni ſervitio, familiaritate & vera commenſalitate jam pridem receſſiſſet & extra Romanam Curiam de Menſe Majo 1699. in loco, ubi concordata vigent, diem extremum clauſiſſet, pro hac vice reſervata permanſerit. Cum autem, Beatiſſime Pater, hujusmodi narrativa, quod dignitates & beneficia quæcunque Eccleſiaſtica per obitum olim familiarium, etiamſi ab officio, familiaritate aut vera commenſalitate receſſerint, & tempore obitus in ea amplius non exſtiterint, in locis, ubi concordata Germaniæ vigent, in quocunque menſe vacantia, ſolius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ proviſioni & diſpoſitioni reſervata eſſe debeant, nimis illimitata ac toti Nationi Gernanicæ,omniumque ſub ea Natione comprehenſorum Collatorum vel jus eligendi vel præſentandi habentium, nimium quantum diſpendioſa exiſtat Convulſio, totalemque concordatorum prætactorum ſubverſionem & deſtructionem involvat, probe conſiderato, quod in §. 3. Concordatorum hujusmodi

modi reſervationes perſonales modificatæ ſunt, adeoque expreſſe ac diſerte quaſi generali regula & pacto perpetuo cautum fuerit, quod eæ ſolæ duntaxat Officialium, familiarium & verorum Commenſalium dignitates & beneficia Eccleſiaſtica absque ulla diſtinctione in Imperio in quibuscunque menſibus ubique extra Romanam Curiam vacantia, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni reſervata eſſe debeant, quæ obtinebuntur ab iis, qui tempore ſui obitus adhuc in actuali officio, ſervitio aut vera commenſalitate extiterint, non vero illorum, qui ab officio, familiaritate aut vera commenſalitate ante obitum jam pridem receſſerunt, & familiares eſſe deſierunt, uti in caſu præſenti memoratus Wilhelmus ultra 30.annos ante obitum ab omni officio, vera commenſalitate & familiaritate receſſit, & extra Roman. Curiam intra Imperii Romano-Germanici viſcera Salisburgi in humanis eſſe deſiit, adeoque citra læſionem & ſubverſionem Concordatorum ex ejus perſona & illius jamdudum ante triginta vel plures annos ceſſante actuali officio, familiaritate & vera commenſalitate, aliquod gratiæ & proviſionis Apoſtolicæ fundamentum in imperio nullatenus deſumi potuerit, præſertim cum omnes Sanctitatis Veſtræ Prædeceſſores, quotquot a tempore erectorum Concordatorum ſummi Pontificatus thronum conſcenderunt, in diverſis Bullis & Declarationibus expreſſe conteſtati fuerint, ſeſe per nullas omnino reſervationes, gratias aut diſpoſitiones ſub quocunque prætextu, verborum forma vel tenore expeditas, vel expediendas, ullo unquam tem-

pore

pore impedire velle, quo minus ordinarii intra Nationem Germanicam ſuo jure libere fruantur, ſemperque declaraverint, quod proviſiones vel gratiæ contra vel præter tenorem Concordatorum, etiam cum eorundem ſpecifica & individuali derogatione (qualis tamen derogatio in præſenti caſu facta non fuit) obtentæ vel obtinendæ pro mere ſub-& obreptitiis contra mentem Summorum Pontificum impetratis, adeoque pro nullis, invalidis & infectis reputari nec executioni demandari deberent; Et cum inſuper ad tollendam omnem in præſenti caſu dubitandi occaſionem ſanctiſſimæ & glorioſiſſimæ memoriæ Paulus V. Pontifex expreſſe voluerit, provide decreverit & perpetuo ſtatuerit, quod memorati Decanus & Capitulum ex quacunque vacatione ex cujuscunque perſona extra Romanam Curiam in quibuscunque menſibus non obſtantibus regulis Cancellariæ, Concordatis, quibuscunque aliis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, deinceps quandocunque ſeu quovis alias modo eveniente ex gremio Canonicorum liberam Præpoſiti Electionem, ſublatis quibuscunque reſervationibus, ſive ex qualitate Præpoſituræ, uti majoris poſt Pontificalem dignitatis, ſive ex alternativa menſium ſive ex cujuscunque Perſonæ (cujus dignitates & beneficia poſſeſſa alias diſpoſitioni reſervata & affecta eſſent) extra Romanam Curiam decedentis vacatione reſultantibus, habere deberent, excepta ſola & unica duntaxat reſervatione per obitum apud ipſam Sanctam Sedem contingente, utpote quæ in Corpore Juris clauſa, & ab omni

indulto

indulto regulariter exempta cenſetur, adeoque ex ipſa Indulti Paulini lectura & verbis ejus perſpicuis, quæ otioſa eſſe non poſſunt, nec debent, evidentisſime appareat, ſolum & unicum reſervationis ex obitu apud Sedem in corpore Juris clauſæ caſum ab indulto excluſum, reliquas vero reſervationes omnes qualescunque, ſive ex alternativa temporis & menſium, ſive ex qualitate dignitatis ſive ex familiaritate Perſonarum, in omni caſu vacationis omnino ſublatas eſſe, & verba indulto inſerta, ex cujuscunque perſona extra Romanam Curiam, quæ clauſula in reſcriptis brevibus ſeu Indultis Apoſtolicis fruſtranea dici non poteſt, ſed effectum neceſſario operari debet, nihil aliud indicare poſſe, quam reſervationes perſonales ex quibuscunque Conſtitutionibus Apoſtolicis vel Cancellariæ regulis, aut alias undique reſultantes, omnino ſublatas exiſtere, & omne obſtaculum Apoſtolicarum reſervationum tam realium, quam perſonalium, in omni menſe remotum fuiſſe, dictosque Decanum & Capitulum in primævo jure eligendi, quod ante originem Apoſtolicarum reſervationum & ante Concordatorum prætactorum, pro pace & unione Eccleſiæ, Concilium Baſileenſe ſolenniter initorum, erectionem, ac etiam poſt concordata per immemorialem poſſesſionem & conſuetudinem a Paulo V. Canonizatam obtinebant, plenarie & illimitate manutentos fuiſſe, prout indultorum ordinariis Collatoribus Electoribus vel Patronis a ſancta Sede Apoſtolica conceſſorum ea natura eſt, ut omnia omnium reſervationum, tam realium quam per-

ſonali-

ſonalium obſtacula tollant, & beneficia etiam duplici reſervatione affecta comprehendant, ac jus ordinariorum Collatorum, Electorum ac Patronorum ad primævum ſtatum, qui fuit ante exortas reſervationes Apoſtolicas, integraliter reducant, ſola & unica reſervatione in Corpore Juris clauſa excepta, quæ firmat regulam in caſibus non exceptis, proinde exiguo judicio noſtro, nihil toti Nationi Germanicæ, nec non tam illuſtri ac de religione ſingulariter bene merito Capitulo prætactis acerbius accidere poſſe videatur, quam ſi, tali indulto perpetuo poſtpoſito, contra illius clarum & diſertum tenorem, ſub prætextu reſervationum perſonalium per Concordata abolitarum aut modificatarum,& per ipſummet indultum ſpecialiter & perpetuo ſublatarum, in poſſeſſione ſua immemoriali, per Paulum Pontificem ſummum, in quocunque vacationis caſu & modo, ſpecialiter confirmata, absque ulla neceſſitate vel utilitate Eccleſiæ aut boni publici perturbarentur, ſine ullo demerito innocentes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ devoti & obedientes filii, tam amare prægravarentur,& id ipſum,quod ad tollendum omnem litium,diſcordiarum, diſpendiorum, ſcandalorum & ſeditionum fomitem,tam ſalutari Pauli V. intentione, voluntate & paterna provida ordinatione tunc perpetuo ſublatum fuit, nunc ad unius particularis Canonici memorati Baronis a Neſſelrode ab Eccleſia ſe ſeparantis, & perperam ſupplicantis favorem, in totius Germanicæ Nationis & omnium ordinariorum Collatorum perpetuum gravamen, dictique indulti Paulini totalem abolitionem,

nem, atque in Cathedralis Eccleſiæ Monaſterienſis, ejuſque Præpoſituræ diſpendioſam convulſionem, animorum quoque exulcerationem, nec non ad novarum litium & contentionum ac ſcandalorum perpetuum fomentum ſiniſtre torqueretur: Cum autem Domini principales noſtri Sacri Romani Imperii Electores, Principes & Status, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientiſſimi filii, omnino ſibi polliceantur, quod Sanctitas Veſtra proviſionem Apoſtolicam ad talem erroneam narrativam, toti Germanicæ Nationi adeo exitialem & funeſtam, imo in Imperio inexequibilem, cum totali non tantum jurisdictæ Eccleſiæ & in perpetuam ejus confirmationem dati Paulini Indulti, ſed & ipſorummet Concordatorum ſubverſione, executioni nunquam patietur demandari, neque etiam indulgere intendet, ut dicto impetranti per gratioſam ſub-& obreptitie, doloſe in præjudicium Capituli ſuppreſſum, nihil tranſeat, duobus ultra menſibus poſt obitum Electi de Vehlen, obtentam ſubrogationem in nudo poſſeſſorio ſummariſſimo, cum ſuſpenſione petitorii, ullatenus ſubveniatur, conſtito & probe conſiderato, quod hæc lis omnino calumnioſa & frivola non ſuper titulo beneficiali inter duos a Sede Apoſtolica proviſos, aut a Capitulo in diſcordia electos conteſtata, ſed tantum ſuper executione proviſionis Apoſtolicæ agitata fuerit, & ſola duntaxat vertatur principalis quæſtio de conſervanda immemoriali & hactenus nunquam interrupta poſſeſſione & conſuetudine, Præpoſitum in omni menſe, ſublatis omnium tam realium quam perſo-

perſonalium reſervationum & alternative menſium aut aliis obſtaculis, eligendi, per Indultum Paulinum canonizata, ad cujus & Concordatorum everſionem ſubrogationum gratioſarum, in quantum illæ concordatis conformes non ſunt, regulæ nullo modo procedunt, cum contra easdem memorati Decanus & Capitulum, pro conſervando jure & poſſesſione ſua, legitimi Contradictores & ad hanc litem citati Principales Collitigantes eſſe dignoſcantur, ita ut neque per executionem gratiæ principalis ſub-& obreptitie impetratæ, neque per ſubſidiariam gratioſæ ſubrogationis viam, hoc in caſu inapplicabilem, dictus impetrator, Baro de Neſſelrode, audiri poſſit; præterquam quod indiſtincta introductio talium ſubrogationum, non attenta proviſionis in ſubſiſtentia & frivola lite, contra Capitulum, ſuper Juris eligendi pertinentia & poſſeſſione immemoriali indulto canonizata, Collitigans pendente, ad ſurrogationem penitus inqualificata, magis toti Nationi Germanicæ, & omnibus Collatoribus, quam principalis quæſtio familiaritatis & prætenſarum perpetuarum reſervationum perſonalium præjudicaret, & infinitis fraudibus, litibus & ſcandalis in præjudicium Concordatorum & omnium ordinariorum Collatorum januam aperiret, nec unquam ſecuri, ſed ſemper periculo expoſiti eſſent, nec ex erronea narrativa & ſub-& obreptitie beneficia impetrantes absque ulla juſtificatione gratiæ legitime electis aut proviſis eo fine tantum litem moverent, ut, caſu vacationis per mortem vel alio quovis modo eveniente,

niente, in jura eorum ſurrogarentur, & hac via ordinarii Collitigantes ſuo jure conferendi aut eligendi privarentur, novusque hic reſervandi modus introduceretur. Idcirco ad Sanctitatis Veſtræ pedes Beatiſſimos ea, qua par eſt, filiali fiducia provoluti, ſupplices rogamus, quatenus Sanctitas Veſtra graviſſimis, quæ ex hac proviſione, utpote concordatis & perpetuo Indulto contraria, toti inclytæ Nationi Germanicæ, contra intentionem paciſcentium, adeo præjudiciali pullulabunt diſſidiis, contentionibus, ſcandalis, & plurium malorum ſequelis opportune & paterne providere & hujusmodi proviſione, per ſub-& obreptionem notorie impetrata ac ſubſecuta in locum defuncti electi Baronis de Vehlen, prætenſa gratioſa ſubrogatione, motu proprio penitus ſublata, electionem prætactorum Decani & Capituli de Perſona memorati Ferdinandi Baronis a Plettenberg, de religione, ac de Monaſterienſi, Paderbornenſi & aliis vicinis Epiſcopatibus optime meriti, tribus ſeptimanis ante ſub-& obreptive impetratam ſubrogationem canonice celebratam, Apoſtolica autoritate confirmare, & hac in parte æquiſſimis & devotiſſimis Dominorum Noſtrorum Principalium, Sacri Romani Imperii Electorum, Principum & Statuum Catholicorum votis & deſideriis in juſtitia & æquitate undequaque fundatis, clementiſſime annuere, & ulteriorum litium ac contentionum anfractus Apoſtolica benignitate & paterna ſua providentia mature præſcindere, atque inclytam Germaniæ Nationem, non minus ac cæteras Nationes, ab omni gravamine exonerare, & hoc modo

modo benigne conſolari non dedignetur; inſuper ſibi ſpondent futurum, ut ſi per ſpontaneum ceſſum vel deceſſum ultimo electi, dicta Præpoſitura denuo vacaret, Sanctitas Veſtra non ægre ferat, ſi pro conſervandis concordatis & continuanda indubitati juris ſui poſſeſſione, dicti Decanus & Capitulum ad novam Electionem, usque dum inter ſacram Sedem Apoſtolicam & inclytam Nationem Germanicam, tanquam partes ipſas compaciſcentes, juxta clarum concordatorum tenorem, in Concilio generali aliter conventum fuerit, Canonice progrediantur. Juſtitiam hanc & gratiam demereri non deſinent omnes, quotquot ſunt, Domini Principales noſtri, quorum nomine cum devotiſſimo ſacrorum Pedum oſculo perpetuo permanemus

Sanctitatis Veſtræ,

Ratisbonæ die 28.
Julii 1702.

humillimi & obedientiſſimi
filii

S. R. I. Electorum, Principum & Statuum Catholicorum ad Comitia Ratisbonæ Conſiliarii, Legati & Plenipotentiarii.

MCXXIX.

Literæ PROCERUM S. R. IMP. CATHOLICORUM per Plenipotentiarios in Comitiis Ratisbonenſibus congregatorum, ad FABRITIUM PAOLUZZI, S. R. E. Cardinalem, quibus ipſi, ut

præinſertis literis, ſua commendatione, & rei geſta diſtincta enarratione pondus apud ſummum Pontificem addere dignetur, amanter injungunt, 1702.

Eminentiſſime Domine &c.

VEſtræ Eminentiæ jam aliunde ſatis conſtare non dubitamus, qualiter vacante anno 1698. per obitum Domini Wilhelmi de Furſtenberg &c. Cathedralis EccleſiæMonaſterienſis Præpoſitura de eadem ſanctæ memoriæ Pontifex Innocentius XII. Baronem de Neſſelrode dictæ Eccleſiæ Canonicum & Theſaurarium, ad ejusdem erronea, tum ex concordatis Germaniæ, tum ex Regulis Cancellariæ, aliisque reſervationibus Apoſtolicis, ſiniſtra ſane interpretatione detorta narrata, atque per meram ſub-& obreptionem apoſtolice providerit, eo autem non obſtante, Decanum & Capitulum Monaſterienſe, fundantes ſe in immemoriali & nunquam interrupta conſuetudine ac poſſeſſione juris eligendi, ſpeciali inſuper Indulto Pontificio Pauli V. cum ampliſſima derogatione quorumcunque obſtantium (prout ex tenore adjuncti exemplaris luculenter apparet) firmisſime roborata & munita, intra tempus Indulti, ad novam electionem proceſſerint, utendoque jure ſuo de gremio Capitularium primo Dominum Baronem de Vehlen, dein hoc etiam die 3. Octobris Anno 1700. e vivis ſublato, Dominum Baronem de Plettenberg, Decanum Paderbornenſem, virum maxime habilem & idoneum, in PræpoſitumCanonice elegerint. Cumque proinde hiſce concurrentibus, iſthic nimirum Apoſtolice proviſo, hic canonice electo, graves

graves lites & controverſiæ ſuboriantur, dum ille executionem literarum apoſtolicarum proviſionis & ſubſecutæ ſurrogationis ſub-& obreptitie ad erronea narrata impetratarum inceſſanter urget, atque ita contra juramentum ſuum canonicale, jura & Privilegia ſuæ Eccleſiæ impugnare & omnino evertere annititur, Decanus vero & Capitulum Monaſterienſe ſe & Eccleſiam vi juramenti, quo eidem ſe aſtrictos ſciunt, in antiquisſimo & nunquam hactenus interrupto ſuo jure & poſſesſione immemoriali conſervare merito & laudabiliter ſatagant, eumque in finem electionis ſuæ confirmationem Apoſtolicam impetrare contendant; Hinc Domini Noſtri Principales, acceptis deſuper juſtisſimis gravaminibus Capituli Monaſterienſis, pro parte ejusdem cauſæ juſtitiam & æquitatem moderno ſanctisſimo Domino noſtro ſummo Pontifici, per noſtras in copia adjunctas humillimas literas decenter remonſtrari neceſſarium eſſe judicarunt, ne ſub prætextu ejusmodi reſervationum Apoſtolicarum eadem mala, diſſidia, ſcandala & ſeditionis pericula, quæ glorioſiſſimæ memoriæ Pontifex Paulus V. prætacto ampliſſimo ſuo indulto, tam paterna ſollicitudine avertere voluit, ibidem reſuſcitentur, & in unius privati favorem tam illuſtri Capitulo & integro cœtui, tantò zelo & conſtantia de fide & religione, adeoque de ipſa ſede Apoſtolica per tot ſecula optime merito, antiquiſſima ſua jura, Privilegia & Indulta, in ſummum ejusdem Monaſterienſis, omniumque aliorum Capitulorum Cathedralium, totiusque inclytæ nationis Germanicæ præjudicium adimantur,

 atque

atque ita quies & tranquillitas publica, quæ tamen omnibus privatorum commodis mille paſſibus eſt præferenda, absque omni neceſſitate aut utilitate Religionis & boni publici, imo potius in ſummum ejusdem detrimentum interturbetur: & hoc quidem ſub ſolo prætextu concordatorum & reſervationum Apoſtolicarum, attamen contra omnem verum & genuinum earundem ſenſum: cum per concordata Germaniæ nulla beneficia officialium Pontificiorum in Imperio absque ulla diſtinctione, niſi illa officia actualiter teneant, ſanctæ ſedi reſerventur, neque per regulas Cancellariæ, aliasque reſervationes Apoſtolicas concordatis, in terris, ubi ea vigent, ſummum Pontificem derogare velle præſumatur. Proinde etiam de ſpeciali noſtrorum Principalium mandato Eminentiam Veſtram enixe rogamus, ut ad avertendum ejusmodi incommoda & graviora, quæ alias facile exinde conſequi poſſent mala, in hoc negotio ſuam autoritatem interponere & apud ſanctiſſimum Dominum noſtrum eo efficaciter contribuere velit, quatenus ſua Sanctitas dignetur hanc ex parte Capituli Monaſterienſis, vigore antiquiſſimi ſui juris & ampliſſimi Indulti Pontificii nunquam hactenus revocati & abrogati, de perſona Domini Baronis de Plettenberg canonice factam electionem, pro paterna ſua benignitate, confirmare, iſtam vero proviſionem & ſurrogationem Apoſtolicam Domini Baronis de Neſſelrode ad notorie erronea narrata contra verum & proprium ſenſum Germaniæ concordatorum, aliarumque reſervationum Apoſtolicarum, pro nulla & infecta aut ſaltem

pro

pro tali habere, quæ executionem non mereatur, & ita quies & tranquillitas publica, præſertim hiſce periculoſis & temporum & Statuum conjuncturis, pro Catholicæ Religionis bono, ac pro majore ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gloria conſervetur, altememorati noſtri Domini Principales plurimum confidunt in circumſpecta Eminentiæ Veſtræ prudentia, ſumma autoritate & æquanimitate. Et nos eidem a divina bonitate omnia feliciſſima apprecantes, ejusdemque favori nos officioſiſſime recommendantes ſemper permanemus

Eminentiæ Veſtræ

Ratisbonæ die 2. Octobr. 1702.

obſequioſiſſimi

Sacri Romani Imperii Electorum, Principum & Statuum Catholicorum ad Comitia Ratisbonæ Conſiliarii, Legati & Plenipotentiarii.

Nota. Ejusdem tenoris literæ etiam ad Cardinalem Sacripanti exaratæ fuerunt.

MCXXX.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad ARCHIEPISCOPOS & EPISCOPOS REGNI POLONIÆ, quibus eos ſerio hortatur, ut infucata in Deum pietate & inconcuſſa in Regem ſuum fide animabus conſcientiis ſuis concreditis in laudabile exemplum praeant, 1702.

Venerabiles Fratres ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

AFflictum inclytæ hujus Reipubl. Statum, & parata adverſus eundem, ut vide re eſt, divinæ iræ flagella paternis oculis, non ſine intimo dolore ſpectantes, expendentesque, quanto olim zelo fidelium iſtorum, præſertim vero Eccleſiaſticorum, corda incenderentur, ubi vel hi in minimum diſcrimen cum Patriæ tranquillitate Catholicæ Religionis cultum adduci viderent; perpendentes vero vicisſim, quam in præſens eorundem charitas in communi iſto ac graviſſimo periculo refrigeſcere videatur, poſtquam diu multumque præſentium malorum cauſas nobiſcum perſcrutati ſumus, fateri coacti ſumus, diem tandem advenisſe, quo Deus ſtatuit viſitare in verberibus peccata populorum, eo, quod dereliquerint legem ejus, & mandata ipſius non cuſtodierint. Porro licet hæc ipſa cogitatio amaritudinem animæ noſtræ ſupra modum cumularet, de miſericordia tamen illius, qui propitiabilis eſt ſuper malitia hominum, merito confiſi vigilantiam ac zelum veſtrum, venerabiles fratres, adjungere ſolicitudini noſtræ decrevimus, quatenus fideles curæ noſtræ crediti, Paſtorali veſtra voce, admoniti intelligant adeundum ſibi thronum omnipotentis Clementiæ, ad exorandam inprimis peccatorum veniam, mox etiam ad implorandam Regni iſtius neceſſitatibus cœleſtem opem, ſine qua fruſtra ſemper conſilia humana laborant; verum quia nemo magis hortatione ſua proficit, fructumque

uberiorem colligit, quam qui cæteris ſuo exemplo præire non renuit, pertinet inprimis ad uniuscujusque veſtrum officium ad eam morum pietatem atque integritatem vos ipſos confirmare, quæ eos, qui autoritati veſtræ ſubſunt, vel ſolo intuitu erudire, & per viam ſalutis poſt ipſa veſtra veſtigia, facile perducere posſit. Quodſi hac occaſione omnes zeli veſtri partes implere non ſategetis, earum calamitatum, quibus regnum iſtud in præſens tam vehementer impetitur, illarumque etiam, quæ impendere eidem facile poſſent, Autores quodammodo dicimini, multo acrius multoque æquius hanc notam ſubituri, ubi quis veſtrum (quod Deus perpetuo avertat) zizania ſuperſeminantibus adſtipulari quoquo modo videretur. Quod ne cogitare quidem de ullo eorum, qui venerabili iſti ordini adſcribuntur, patitur virtus veſtra & charitas, qua Fraternitates veſtras in Domino complectimur, ſed imo commune bonum ſingulis cordi fore confidimus, & vos inſimul curaturos eſſe, ut in hunc ſcopum populorum omnium ſtudia, preces ac vota dirigantur. Hinc ad incendendos eo magis eosdem Regni Poloniæ, & Mag. Duc. Lith. populos, ad conquirendam per ſalutarem pœnitentiam opportuna in his urgentiſſimis neceſſitatibus Divina ejus remedia cœleſtium gratiarum diſpoſitioni noſtræ divinitus creditarum Theſauris larga manu proferre decrevimus, quemadmodum ex alio diplomate, quod expedire juſſimus, agnoſcent Fraternitates Veſtræ, quarum interim partes erunt, greges ſibi commiſſos hortari, ut hujusmodi Theſauros lu-

crandi occaſionem non dimittant; noſque idem a Deo humiliter aſſiduis precibus expoſtulabimus, & Fraternitatibus Veſtris Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Dabantur Romæ 28. Octobr.

(L. S.) Annulus Piſcatoris.

Fr. Oliverius.

MCXXXI.

Litera PROCERUM S. R. IMP. AUGUSTANÆ CONFESSIONI ADDICTORUM, per Ablegatos in Comitiis Ratisbonenſibus præſentium, ad ANNAM, Magnæ Britanniæ Reginam, cui quo in arcto res Evangelicorum per Germaniam & imprimis in ditionibus Palatinis ſint ſtatu, diligenter referunt, eorumque ſublevationem ſollicite commendant, 1702.

Sereniſſima ac Potentiſſima Regina, Domina Clementisſima.

CUm Regiæ Majeſtati Veſtræ de Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Throni aſcenſione, ſubmiſſe gratulamur, Divinumque Numen invocamus, ut Regiam Majeſtatem Veſtram pro boni publici commodo ſubditorumque ſuorum incolumitate feliciſſimam ſoſpitemque diutisſime conſervare velit, ſimul & nobis gratulamur cum ex augeſcente Regiæ Majeſtatis Veſtræ gloria atque potentia communi cauſæ, imprimis autem Religioni noſtræ, magnum præſidium atque auxilium accreſcere compertum habeamus. Cæterum ut univerſo orbi jam innotuit, ita & dubio procul

procul conſtat Regiæ Majeſtati Veſtræ, quibus undique calamitatibus res noſtræ religionis præſertim in Palatinatu Rheni Electorali premuntur. Ex juncta tamen informatione ad amuſſim vero conformi ſpeciatim patet, quomodo Sereniſſimus Elector Palatinus paucis abhinc annis ſibi ſumſerit ſtatum Palatinatus Eccleſiaſticum tanta majorum prudentia, tantaque Chriſtiani Sanguinis effuſione conſtitutum intervertere, & ex neceſſario precarium efficere. Hinc eſt, quod uſus inibi quorundam templorum Noſtratibus plane interdicatur, conceſſo illo ſolis Romano-Catholicis, quibusdam quidem relinquatur, aſt ſub ſpecioſo concordiæ prætextu, communis eſſe jubeatur. Sacra inde turbantur, aditus ad illa præcluditur, Collegia Antiſtitum Evangelicorum, quibus Eccleſiarum cura & redituum commiſſa, impediuntur vel abrogantur, numerus Paſtorum minuitur, plurimis Salaria acciduntur, reditus Eccleſiaſtici contra majorum inſtituta cum Catholicis communicantur: Idem eſt de Ludimagiſtris & cæteris Eccleſiarum Adminiſtratoribus Seminariisque. Hinc officia vacant, Scholæ clauduntur, cum adultis efferatur juventus, & hæc tanto impetu, ut clamori oppreſſorum nullus detur locus. Manifeſta hæc nec ullo tempore excuſabilis oppresſio Religionis noſtræ in Palatinatu Rheni, cum ad aures Statuum Imperii Evangelicorum non potuerit non pervenire, omnis lapis a noſtris equidem motus eſt, Serenisſimo Electori Palatino tam per ablegationes & literas, quam per Legatum Serenitatis Electoralis ſuæ in Comitiis

tiis degentem mitiora perſuadere. Sed fruſtra. Confugimus inde ad Sacram Cæſaream Majeſtatem, vellet malis his mederi, eoque conferre curam & autoritatem, quo Sereniſſimus Elector Palatinus a tam inauditis hucusque innovationibus deſiſteret, & innovata jam ad normam in Imperio præſcriptam reſtitueret, ſed & hic preces, licet ſæpius reiteratæ hactenus effectu caruerunt. Præter hæc, Sereniſſima ac Potentisſima Regina, adhuc alia ſunt, quæ Status Evangelicos ſollicitos tenent. Nam, ut taceamus, quæ in Hungaria aguntur, Regiæ Majeſtati Veſtræ ſatis nota, res ſane Evangelicorum in Sileſia adeo afflictæ ſunt, ut curam noſtram ſingulariter excitent. Nolumus ampliori & ſpecifico malorum recenſu, quibus premuntur, moleſti eſſe Regiæ Majeſtati Veſtræ, res ipſa loquitur, de illis brevi actum fore, niſi Evangelicorum intercesſionibus ad normam Inſtrumenti Pacis Weſtphalicæ locus detur. Quid nobis factum ſit, cum pax Ryswicenſis conficeretur, & qua ratione, quibusve artibus clauſula illa articulo 4. tabularum pacis contra omnem expectationem inſerta fuerit, ejus rei memores illi maxime adhuc ſunt, quorum oculos & vigilantiam iſtæ machinationes non effugere. Quantopere in Circulo Rhenano Superiori e Statibus utriusque religionis mixto Catholici hactenus Condirectorio Evangelico, quod tanta ratione poſtulatur, adverſentur, id vel ipſæ in dicto Circulo contentiones inde exortæ ſatis demonſtrant. Urbs Wormatienſis, Civitas Imperii antiquiſſima, in cineribus ſuis vix reſpirans, multis modis,

dis, imprimis per inſolitas contraque privilegia Civitatis manifeſta illimitate prætenſas, ceu nominant, proceſſiones angitur. Abbas Campidunenſis non ita pridem ſubditis ſuis Reformatis, integrum templum ſupra ſeſqui ſeculum, ſine ulla interruptione, etiam mediis Germanici belli temporibus, poſſeſſum, manifeſta Weſtphalicæ Pacis violatione extorſit; Princeps Swarzenburgicus exercitium Religionis Catholicæ in templa quædam Evangelicorum in Franconia pari injuria introducere non veretur. Quin imo nec ipſæ executiones Pacis Weſtphalicæ autoritate Circulorum publica & ad præſcriptum mandatorum executorialium factæ a vafris aſſultibus hominum, quibus reſtituendum aliquid ex illa pace fuerat, tutæ ſatis munitæque ſunt. Teſtis eſt cauſa inter Comitem Lippiacum & Jeſuitas Paderbornenſes, de dimidietate Cœnobii Falckenhagen vertens, cujus poſſeſſionem manifeſta pacis diſpoſitione prædicto Comiti reſtitutam, ut patres illi auxilio Judicii Imperialis Aulici indebite recuperarent, omnia hactenus tentarunt, cum lis hæc coram Deputatis ad punctum reſtituendorum diu inſtructa, ſalvis Imperii legibus avocari ad aliud tribunal nulla ratione poſſit. Hæc ſane multaque alia gravia & indigna omnes Weſtphalicæ Pacis ſponſores atque Conſortes procul dubio ad animum revocabunt, quorum intereſt his dubiis temporibus, cum ingens belli decretorii metus omnes circumſtat, pacatam præſtare Germaniam ſolidamque inter Status Imperii utriusque religionis firmari amicitiam; Quod ne ſperandum

randum quidem, ni propere extinguantur odia illa & tranquillentur ſtudia partium nimium quantum incenſa per intentatam tot locis religioni noſtræ vim, prætextu illius juris reformandi, quo nunc Catholici per omnem fere Germaniam miro quodam conſenſu & aſſiduitate abutantur. Humillime itaque Regiam Majeſtatem Veſtram ex ſpeciali mandato compellamus, ne pro innata ſua pietate, & quæ cum Cæſare & Electore Palatino ipſi intercedit amicitia, nobis deſit, ſed eo nobiscum laboret, Cæſaremque permoveat, ut enumeratis malis, quibus noſtræ Religioni addicti in Palatinatu aliisque Imperii terris premuntur & opprimuntur, obex ponatur, turbati aut quocunque modo deſtituti ſine ulla exceptione ad normam Inſtrumenti Pacis ubique plenarie reſtituantur. Neque dubitamus, quando Regia Veſtra Majeſtas dignabitur in cauſa hac Dei precibus his noſtris annuere, ſerioque rem agere, omnia ex votis ceſſura. Regiam Majeſtatem Veſtram Divinæ tutelæ commendantes omnigenam felicitatem apprecamur.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Ratisbonæ ex Comitiis
die 18. Nov. 1702.

humillimi

Sacri Romani Imperii Electorum,
Principum & Statuum Auguſtanæ
Confeſſioni addictorum Conſiliarii & Legati ibidem congregati.

Inſcriptio.

Inſcriptio.

Sereniſſimæ ac Potentisſimæ Principi ac Dominæ Annæ, Magnæ Britanniæ & Hiberniæ Reginæ Fidei Defenſori, Dominæ noſtræ Clementisſimæ.

MCXXXII.

Litera LEGATORUM REGUM ET REIPUBLICÆ EVANGELICAM RELIGIONEM PROFITENTIUM, in Aula CÆSAREA commorantium, ad LEOPOLDUM Rom. Imperatorem, a quo ſupplices contendunt, velit pro commiſſo ſibi a Deo ſupremi honoris munere in id ſedulo eniti, ut incolis per S. R. Imperium, Sileſiam & Hungariam Aug. Confeſſioni addictis, Religionis ſuæ Sacra, juxta genuinum Pacis Weſtphalicæ ſenſum, tuto & libere exercere liceat, 1702.

Serenisſime, Potentisſime atque Invictisſime Cæſar,

Imperator ſemper Auguſte!

Quantopere depreſſus ille afflictisſimusque rerum Status, in quo tum in Imperio Romano-Germanico, tum in hæreditariis Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ terris conſtituti deprehenduntur, qui Evangelicæ ſeſe Confesſioni addictos profitentur, jam etiam pridem ſenſus ipſos animosque Potentisſimorum Europæ Regum, nec non fœderati Belgii Ordinum, qui eadem Sacra ſequuntur, perſtrinxerit pariter, atque tot acerbisſimorum caſuum eventu intime contriſtarit, vel inde manifeſtum eſt, quod iidem, pietate & mi-

ſeratione ducti a longo jam tempore mitiora quæque conſilia ſolicite circumſpexerint, quibus & radix tam late ſerpentis mali, quod hinc naſciturum videbatur, tolli, & infauſtæ offenſionis lapis, ad quem mutua illa prorſusque neceſſaria voluntatum & ſtudiorum conſenſio toties ab utriusque Religionis partibus alliſa eſt, eo ſemoveri ſucceſſu denique poſſet, quominus dehinc æterni imperii & Archi-Ducalis Domus Auſtriacæ hoſtes ex tricis illis disſidiisque, quæ iſthinc progenerata ſubinde fuerant aſperrimis perpetuisque ſua ſibi commoda ulterius comparare, ne dum id conſequi valerent, ut quod unice dederunt hactenus operam, poſtremo non iis duntaxat, qui maxime fuere afflicti, quam & cæteris, qui afflixere, jam ſuis, quod dicitur, jumentis perniciem adducerent, certisſimumque exitium determinarent. Equidem conſultum huc usque viſum haud fuit, Cæſaream Majeſtatem Veſtram uno velut Regum, communique Dominorum Statuum, quos cum ſubmiſſa honoris præfatione nominavimus, noſtrorum ore animoque ea de cauſa compellare, dum ſpe ſubinde ampliori ſubnixi, nullatenus utique dubitaverimus, quin Cæſarea Majeſtas Veſtra pro divina, qua inter mortales excellit, clementia, propitias aures præbitura ſit deſideriis, precibus ac obteſtationibus flagrantiſſimis, conſociatis interceſſionum ſtudiis, nec minore juxta pietatem & reverentiam, quibus convenit, factis expoſitis, crebroque repetitis! Atque ideo magis quoque futurum exiſtimavimus, quo luculentius deinceps non tantum univerſo humano generi,

ſed

ſed imprimis compendio Orbis, Imperio Romano-Germanico, hæreditariisque Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ regnis ac provinciis, hoc etiam tam illuſtri experimento planum fieret, atque teſtatum, nullum unquam Principem excelſo Imperio præditum extitiſſe, qui vel majori ad juſtitiam & clementiam amore vel aliis quibuscunque virtutibus ſummis & maximis, quales a ſupremo harum conditore in rectores terrarum conferri ſolent, exſplenduiſſe, parique cultu & gratia easdem exercuiſſe viſus ſit? Atque conſignatæ hæ in animis hominum notiones ejus etiam fiduciæ fructum, quem nemo non ſpe votoque jam præceperat, uſum indulſiſſent, niſi ſiniſtriore tunc fato ex eorum numero, qui alioquin Principum aures oculique & oracula dici conſveverunt, & cum quorum miniſterio, ubique locorum præſente, illi etiam ſummi & omnia gubernantis Numinis immenſitatem & omnipræſentiam in terris referre creduntur, aliunde interveniſſent, ac cœco quodam impetu zelove abrepti, luci veritatis fulgentiſſimæ velum tenebroſum obduxiſſent, eoque obfuſcare eandem deteriorem in modum ſategiſſent. Quapropter, Auguſtiſſime Cæſar ac Domine, nobis omnibus ac ſingulis, qui Regum Europæ Evangelicam Religionem profitentium & fœderati Belgii Ablegati hic ſumus, & eo munere fungimur, id negotii datum graviſſimisque verbis injunctum eſt, ut excelſo throno Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ, obtutu venerabundo admoti ea, qua par eſt, ſubjectione devotiſſima Eorum nomine exponeremus, quod, quemadmodum commemora-

moratæ ſuæ Majeſtatis Regiæ partim Vades & Compaciſcentes Pacis fuerint Weſtphalicæ, ita easdem pariter ac Præpotentes Belgii Status Generales firmiſſima ſpe ac fiducia teneri, fore, ut omnino Cæſarea Veſtra Majeſtas laudatum illud Inſtrumentum Pacis, velut Palladium quoddam, quo convulſo ſimul patriæ ſalus convellatur neceſſe eſt, reſpiciat, nec vel ullo iſtud modò actuumque contravenientium injuria laceſſi, multoque minus infringi vel labefactari ſinat. Quin potius apparet juxta præſumtam hanc ipſam de Cæſarea Majeſtate Veſtra æquisſimæ mentis optimam voluntatem, quam Deus velit eſſe perpetuam, validisſimum videri fundamentum, cui ſincera illa & integerrima fide culta amicitia, fœderaque bono publico promovendo cum ipſa ſubinde inita ſint undiquaque ſuperſtructa. Quid? quod & Clementisſimi Reges & Domini noſtri ſe plane habeant perſvaſos, id convenire inter Cæſaream Majeſtatem Veſtram & ipſos, conſpirantibus pridem ſententiis, ſolam nimirum illam pactionem Weſtphalicam eſſe, quæ pro baſi cæterarum pacificationum ſubſecutarum omnium haberi retinerique debeat, atque ſic digne & ex merito ſuo æſtimari. Sane in Neomagenſi pro tali, &, quod magis, pro regula ipſa cujuscunque pacificationis & ſtabilimenti tranquillitatis publicæ clarisſimis agnoſcitur verbis. Quare dolendum vehementer eſt, tantam ab ea ſeceſſionem per infeſtam clauſulam, quæ Articulo quarto Pacis Ryswicenſis ſubnexa eſt, & de Religionis negotio agit, factum eſſe, ut quemadmodum iſta tunc [illegible] ipſis

ipſis Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ Legatis inauſpicata & importuna novitate ſua fœcunda litium materia viſa, & cujus uno vitio tot bona alia deformata aliquando apparitura ſint; ſic iidem defugere ejusdem autoritatem ac contractæ inde culpæ invidiæque dedecus a ſe amoliri atque declinare maluerint, quam, quod ex conſenſu eventurum ominabantur, hujus præſentis ac futuræ ætatis opprobriis ſeſe onerare: Etenim neque Gallicani, quod nemo non novit, alio eam fine condiderunt, atque velut quoddam Eridos pomum in medium projecerunt, niſi ut hoc pacto prorſus ſubdolo, diſcordi cum membris capite colliſo, compages utrinque ſoluta peſſum iret, & poſt multa denique ingruentia rerum diſcrimina penitus ſubverſa concideret. Sicut autem facilius eſt apta diſſolvere, quam diſſipata connectere, ita ex plurimorum voto deliberatum ab eo jam tempore fuit, quo potiſſimum modo imminenti huic periculo a diſſonis ſermone & corde gentibus oblato excitatoque, & ex quo, velut a radice ſua, infinita propullulatura mala forent, mature poſſet occurri reſiſtique? Sed in ipſo multiplicis conſultationis æſtu prævaluit ultimo ratio ſervandæ clauſulæ, eo obtento argumento futurum alias eſſe, ut ſicuti vel maxime etiam iſta, conſiderata nempe morali ſui impoſſibilitate, ne dicamus, turpitudine, qua inquinata eſt, expugnatur; Gallus, qui prætextuum ſubinde fingendorum ac inveniendorum mirus ac famoſiſſimus architectus ſit, arrepta inde occaſione, nova Imperio negotia licentius faceſſere & publicam tur-

bare rem pergat. Enim vero poſtquam belli flamma undique jam ſuccenſa exarſit, metus utique ille evaneſcit, & Gallia, quæ una ejus & præcipua cauſa extitit, jure, quod pace ſibi Ryswicenſi acquiſitum deputat, excidit, ſimulque eo ſe fruſtrata ipſa eſt, ut taceamus, noviſſimam pacis pactionem nequaquam Monaſterienſi, ex quo illa a ſemi ſeculo inde pro lege Imperii fundamentali, quam appellant, habita eſt, derogare poſſe aut præjudicare. Conſtat præterea, & undiquaque in recenti hominum memoria omnium verſatur, quotquot civilium notitia actorum ſunt imbuti, quo violento impulſu & ſuaſionum ſtudio illa ſæpius dicta clauſula, quaſi quædam Herculi clava, ſit extorta, & tametſi jure ex gentium conſenſu orto, in pactis publicis metus, qui etiam in conſtantem cadit, conſenſum non ſemper excludat, quia nunquam pax aliqua cenſetur facta, in qua non vel ex una vel ex altera belligerantium parte, vel ex utraque etiam ſimul, metus adfuerit urſeritque; tamen illud non de metu injuſto, qui cauſam promiſſo dedit, & quem jus Gentium improbat, intelligi debet, qualis eſt, qui turpitudinem involvit, & pactum honeſtati haud conſentaneum producit. Atqui vero nihil minus licitum fasque eſt, quam ſpondere ac conventione certa, eaque turpi, addicere illud, quod ſacroſancta & in ſe prorſus indiſſolubilia vincula, quibuscum & patriæ communis, & capitis ejus atque membrorum ſtructura in univerſum pulcherrime invicem colligata cernitur, diſſecare ac perrumpere potis ſit. Jus Gentium ad talem metum ſuam vim non porrigit

rigit & præbet, ſed verius eſt rem conſtitutam eſſe intra jus naturale. Quod ſi ergo Gallia ex funeſta illa clauſula jus nullum capere quæſitum poteſt, id minus certe Status Imperii poterunt Catholici, quorum tantum intereſt, quantum Evangelicorum, ut pax Monaſterienſis, qua utrique Religioni de ſua cavetur ſecuritate liberoque exercitii uſu, eousque integra conſervetur & illibata, quousque Imperium Romano-Germanicum ex Decreto Dei, hactenus abſcondito nec ſenſibus obvio, duraturum in Orbe eſt. Quapropter quod ſubmiſſima devotiſſimi cultus veneratione facere par eſt, uno jam animo (poſteaquam ſingulatim id efficere nobis non licuit) ac eodem concordique verborum tenore majorem in modum a Cæſarea Majeſtate Veſtra petimus, rogamus ac contendimus, dignetur denique ipſa apud Status Catholicos Auguſtam ſuam interponere autoritatem, atque efficaciſſimo identidem ſtudio pertendere, ut prædicti Status rem tanti momenti, imisque repoſitam ſenſibus, pari, id eſt, ſevera æſtimatione expendant, ſicque eadem ratione operave vaferrimæ illæ artes, quibus tot ſimultatum ac diffidentiæ ſemina hinc inde ſunt inſperſa, ornatu ſuo adſcititio nudatæ proſtituantur, deteſtabilique odio exterminentur. Quod ſi vero præter ſpem ac expectationem omnem impetrari nequeat, ut Status Catholici & Evangelici tali animorum conſenſione & voluntatum conſpiratione coaleſcant, qua nempe & communibus conſiliis & unitis virium facultatibus nixi ſuffultique impendentibus nunc ac minitantibus periculis ſuperandis ſufficere, iis-

 que

que ſingulis lætabundo ac forti ſpiritu obviam ire poſſint, reliquum eſt, idque neceſſarium quoque, ut CæſareaMajeſtasVeſtra ad tranquillandos Evangelicorum motus animoſque, re & ſententiis clementisſimis quantocyus declaret, neque ſe poſthac unquam, neque poſteros etiam ſuos in Imperio ſucceſſores vel in æternum permiſſuros eſſe, ut in ejusmodi Tractatibus Pacis, qui futuri ſunt deinceps aut ſequentur, quicquam inſeratur, addaturve, quod cum Monaſterienſi pugnaturum aut contrariam in partem conſtitutum videatur, neque adeo Cæſaream Majeſtatem Veſtram vel interim, vel deinde comprobaturam aut admiſſuram quodcunque, quod iis ſit adverſum, actum & transactum, vel ſtipulatum & contractum, quocunque modo viſum, dictumque fuerit, aut videri etiamnum, dicique poſſit, debeatve, atque ideo eandem eodem nomine ac titulo pro nullo nihiloque omnia illa declarare ac pronunciare, quæcunque hujus generis ſint, ac ejusdem vel naturæ vel qualitatis cenſeantur, & tam conſtanti quidem id ac tenaci propoſito, ut quæ pace Weſtphalica concluſa & ſtatui Anni 1624. conformia ſunt, Cæſarea Majeſtas Veſtra incorrupte obſervata velit, nec porro, quod præcipuum eſt, unquam patiatur concedatve horum in præjudicium clauſulam iſtam articulo IV. Pacis Ryswicenſis adjectam obverti, vel quidquam ejus allegari poſſe aut debere. Quin imo, quæ hucusque contra Statum anni 1624. in rebus ad Religionem pertinentibus innovata fuerant, potius jam reſcindantur. Quod dum fiat peculiari interim conſtitutione cum Cæſareæ Majeſt. Veſtræ conſen-

fu

ſu inter ſtatus Imperii promulgata cavendum, idque ſub pœna fractæ pacis publicæ, ne quidquam poſthac in rebus de religione immutetur, donec delatis hactenus gravaminibus eo modo atque ratione, quæ ſigillatim inſtrumento pacis eſt definita, medela ſit juſte & ex ordine undique pariter facta. Atque ejusmodi declarationem literis conſignatam a Cæſarea Majeſtate Veſtra anxio deſiderio & humillima mente expectamus, quam deinceps identidem Reges etiam noſtri ac Domini Clementisſimi, tum in Comitiis Ratisbonenſibus, quantum ad Corpus Evangelicum attinet, tum in reliquis Principum, quos vocant, Proteſtantium Germaniæ Aulis tam rite exponi & deprædicari curabunt, ut Cæſarea Majeſtas Veſtra amplisſimum ejusdem uſum fructusque uberrimos etiam atque etiam re ipſa ſentire & cum voluptate reguſtare queat, Catholicorum declarationem ejusdem vel ſimilis forte contextus ac tenoris poſtmodum eo facilius expectare licebit, & committimus interea Nos curæ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ, qua fas eſt, devotione ſanctiſſima, gravamina Ratisbona eidem jam nuper ſubmiſſa, quæ ſicut typis publice exſcripta & ex veritate cum circumſtantiis ſuis probe ſunt expoſita, ita eadem pietate, qua intaminatum Dei cultum proſequimur, religioſe nunc obteſtamur, velit Cæſarea Majeſtas Veſtra ſententiam ſuper iſtis ſuam, uti ſæpius & ante biennium fere in ſolenni Tractatu Boruſſiæ Regi illud promiſit, clementiſſime nobis impertire & gratiam tanto Cæſare dignam iisdem commodare. De tantum non oppreſſa fere Religione noſtra in Si-

leſiæ Ducatibus, quæ Civium ibi ac Municipum & ſubditorum Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ omni fide, candore & obſequiis addictiſſimorum querimoniæ, & plenæ lamentorum voces ſint, ex appoſito ſub Lit. A. pateſcit, in quo poſt expoſita gravamina a Nobis hinc & inde ac de die in diem congeſta, deſideria eorundem ardentisſima & ſupplicia omnium vota maxima, longa ſerie contenta exhibentur. Nihil autem prorſus in iis reperitur, quod paci Pragenſi & §. Sileſiæ autem Principes nec non ſequentibus §. §. Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ, in quo ſingulariter Religioni proſpectum eſt, quin imo & ipſis declarationibus Cæſareis, quæ iteratis poſtmodum vicibus prodierunt, non in univerſum conforme ſit & adæquatum. Verum enim vero id jam unice tantum & omni, ceu apparet, contentione agitur, ut commemoratæ ſcilicet leges & declarationes non ſecundum mentem accipientium, ſed ſolummodo ſecundum mentem proferentium explicentur, vix advertentibus qui ſic ſtatuunt, hoc ipſo propriæ ſecuritatis munimenta convelli, & anſam adeo præberi, ut pax, quæ olim tanto iis impendio conſtitit, perimatur undique & obfuſcetur. Ne dicamus, quod, quoad §. Sileſiæ autem Principes, Ferdinandus III. in literis, ad Electorem Saxoniæ die 7. Maji 1654. datis, declaraverit, mentem ſuam haud eſſe, ac ſi §. ille reſtringendus vel aliter interpretandus ſit, quam cum pacificatione ipſe Pragenſi conveniat. Et ſane inane eſt effugium, ſi, quod fit, ab aliquibus opponatur, ſummam paragraphi: Sileſiæ autem

tem Principes &c. id indigitare duntaxat, quod ex gratia nempe Cæſarea & Regia conceſſum erat, atque ita non diutius valere eundem, quam ipſa gratia Cæſarea & Regia duret; At vero manifeſtum eſt, quod quicquid Cæſarea Majeſtas Veſtra Vaſallis ſuis ac ſubditis ex gratia conceſſit, vel etiamnum concedit, id intuitu Compaciſcentium pro irrevocabili pacto ſine dubio habendum eſſe. Cæſarea Majeſtas Veſtra tot tantisque curis ac negotiis gravisſimis undique involuta & quaſi circumſepta eſt, ut propterea omnino jam mallemus, non minus a percenſendis, ac etiam confutandis iſtis technis & ſophismatibus, in quibus quidem effingendis illud hominum genus ſibi mirifice placet, hic abſtinere prorſus, niſi Clementisſimi Reges ac etiam Domini Noſtri, quorum quod diximus, aliqui vades & compaciſcentes Pacis Weſtphalicæ fuere, Chriſtiano amore impulſi, ſe quodam nexu crederent obſtrictos, ut fructus pariter illius ad eos, qui ejusdem ſecum fidei conſortes ſunt, ipſo perinde uſu pervenire facerent atque traduci, validisſime perſuaſi inſuper, Cæſaream Majeſtatem Veſtram, pro perpetuo ſincerisſimo eorum animi affectu officiorumque aſſiduitate, qua ipſi conſtanter eandem proſequuntur, facile hanc iis gratiam vicisſim impertituram, ut pro ſolita clementia ſua patiatur, per Nos, illorum Ablegatos, talia Cæſareæ Majeſtati Veſtræ intercedendo proponi ac commendari, quæ quocunque modo ad referendam animorum tranquillitatem, hinc majorem conſcientiarum libertatem anxie

 admo-

admodum crebriſque hactenus interciſam gemitibus anhelantium, inde novas earundem oppreſſiones, inter tot & tanta formidinum prodigia magis magiſque extimeſcentium, quicquam conferre poſſe videntur. Nec vero quiſquam eſt, qui propterea Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ jura circa Sacra vel infringere, vel, quod identidem a Nobis alienum, diminuere ſaltem in animum inducat, quemadmodum neque iſta vel minimo etiam modo dici poterant infracta aut diminuta, per ſanctiora illa decreta & orbi publicata, quæ antehac & Cæſareæ Maj. Veſtræ Divi Majores (quorum memoria in benedictione ſempiterna viget) & ipſa quoque, tum alibi, tum in conſtitutionibus Pacis Pragenſis atque Weſtphalicæ, pro liberali Sacrorum uſu cultuque & horum exercitio innoxio ac perpetuo ſanciverunt, ſuaque ſponte & liberrima voluntate ſubditis ſuis benigniſſime indulſerunt. Quæ cum ita ſe habeant, utique duriter videtur factum, Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ ſubditos, ab Evangelii diſciplina cognominatos in crimen vocari, quotiescunque a Clementisſimis Regibus, ut & Dominis noſtris, ſupplicibus hactenus libellis impetrarunt, ut ipſi deprecationes ſuas, ex vero amicitiæ ſtudio profectas, pro eorum tutela ac religionis ſuæ immunitate, exigente ſic flagitantium neceſſitate, interponerent. Quas tamen ipſas (quod ex veritate teſtari poſſumus) quum hoc jam tempore petere, aut quærendo exambire non ſint auſi, idcirco Clementisſimi Reges, ut & Domini Noſtri motu proprio & tot caſuum funeſtisſimorum documentis, quæ nec

omnb medio-

mediocrem conſcientiis vim inferre videbantur, excitati, uno velut mentis & vocum conſenſu decreverunt, vexatiſſimæ cauſæ patrocinium denuo ſuſcipere, ejusque impoſitam ſibi neceſſitatem Cæſareæ Majeſtati Veſtræ pio affectu & innocuo zelo repræſentare, quemadmodum etiam eorum aliqui in Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ facultatem interveniendi diſertis ſibi verbis reſervarunt. Et ſi vel maxime hæc, de qua nunc ſermo eſt, reſervatio Inſtrumento Pacis non fuiſſet inſerta, non tamen apparet, quomodo Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ ſubditis id velut cujusdam delicti nomine imputari queat, ſi quando in tot, quæ ſe circumſtant, anguſtiis, ad Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ amicos præcipuos eosque conjunctiſſimos ſe vertant; ut propitias horum advocationes in auxilium allegent, utpote quas ex merito ſuo tale omnino pondus apud Cæſaream Majeſtatem Veſtram habituras ſperant, quale ab æquitate & juſtitia, quibus præſtant, expectare fas eſt. Alioquin enim, ſi ſecus, quam confidunt, accidat, ut illac nimirum interceſſiones iisdem ac deprecationes (hoc enim vero flebile emigrandi beneficium ſupremum quaſi ex naufragio tabulare) deinceps omnimode ſuſtollantur, ſine dubio miſeri mortales ad ultimam inde deſperationem ab oſoribus ſuis perducti, neſciant denique, ubinam in ſuo conſiſtant. Etenim ex una dehinc parte infinitis calamitatibus & terriculamentis abyſſum conſpicient quandam ab offenſionibus ſuis ipſis inevitabilem; dicimus inevitabilem, quia

exiſti-

exiſtimamus, vix unquam futurum eſſe, ut homo, quam ille libenter alias etiam, quamque conſtanter & ſevero voluntatis propoſito id agat, tantum a ſe impetrare poſſit, ut quicquam credat aut ſibi perſuaderi vi precariove patiatur, quod longe aliter eidem præcognitum eſt, & cujus adverſantem ſententiam neque capere vult neque comprehendere potis eſt. Unde præſtat etiam, hæc talia unius Dei digito relinquere in ſolidum, quippe qui ſolus hominum pectora novit inflectere. Ex altera autem parte viam ſibi & occluſam animadvertunt, & obſeſſam, qua per patientiam & fugam, unica alias remedia licita, reluctari ejusmodi malis & quomodocunque infeſtam propitiari fortunam licet. Fuga equidem remedium eſt, quod divinæ & humanæ, quin & Sacri Romani Imperii leges omnimode permittunt, comprobantque. Matthæi cap. X. æternum pronuntiat verbum: ſi vos proſequuntur in una civitate, fugite in aliam. Tam præclara multa a S. S. patribus imprimis Athanaſio in Apologiá ſua de fuga, nec minus a juris naturæ Scriptoribus de jure emigrandi, &, quod hinc profluxit, jure recipiendi exules fidei ſocios annotata ſunt, ut Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ Principis, omni doctrinarum lumine mirifice illuſtrati, patientia videremur abuti, ſi recenſendis iſtis has implere chartas vellemus. Quantum autem ad Leges Sacri Romani Imperii attinet, haud neceſſarium arbitramur, recentiores adducere, (nempe art. 5. §. 39. Inſtrum. Pacis Weſtphalicæ & quæ Reces-

Receſſui Pragenſi ſubjunctæ ſunt, in quibus jus emigrandi & venditio bonorum liberaliſſime conceduntur; ſed inſiſtere potius decet ſanctioni Pacis religioſæ, quæ ipſa jus reformandi ſubditos hoc minus reſtrinxit, quo magis in eadem caputque ac membra tam arctis adeo vinculis ſe ſe mutuo obſtrinxere, ut jam integrum illis aut liberum haud ſit amplius, ſubditis ſuis, qui religionem eorum amplecti detrectaverint, emigrandi licentiam cohibere, aut penitus eam ſublatam iri. Rudolphus II. imperator in Republica ſua ad Principes ac Status Sileſiæ Anno 1604. facta profitetur, ſe non ſolum Imperii Electorem, ſed & NB. Statum, & quod Sileſia etiam inter membra Imperii, quæ pari cum cæteris jure gaudeat, ſit referenda. Jam autem ex pace Religioſa inter Status Imperii civilis circa Religionem & imprimis circa emigrationem intercedit obligatio, & ſic non modo per naturalem, ſed etiam per civilem obligationem flebile illud, quod diximus, emigrandi beneficium ſtabilitur & firmatur, & cavillatio eſt, iſtud beneficium ſaltem tunc concedi, cum propter religionem patiantur ſubditi in Sileſia autem illos nihil pati, adeoque nec illud iis indulgendem eſſe? Quis autem (cum exceptio hæc facto ſit contraria) non percipit dulce eſſe ſolum patriæ, ubi primum hauſimus aërem, ubi primos edidimus ejulatus, & quis unquam credere poteſt, illos, ſi non dira cogat neceſſitas, patriam, lares, propinquos & amicos ſuos deſerere velle. Cæterum hiſce omnibus quæ generatim huc usque

que Cæſareæ Majeſtati Veſtræ de Sileſia propoſita ſunt, ego, Ablegatus Pruſſicus, ſingularem mihi veniam peto, adjungendi ſubmiſſim preces pro Svibuiſii incolis, ut iis ſcilicet ademptum tenuique ornatu exædificatum templum ſuum tum ex gratia Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ tum ex voto & exiſtimatione Regis etiam mei clementisſime reſtituatur, quippe qui in reddendo diſtrictu Svibuiſienſi hoc libentius eſt gratificatus, quo magis eidem complacuit, ædem ibi Sacram, quam indigitavi, ex ſui nominis appellatione Fridericianam dictam, atque eo titulo Evangelicis aliquot per annos relictam fuiſſe. Quod ſupereſt, non poſſumus denique non Statum quoque Evangelicorum in Regno Hungariæ hic attingere. Principio quidem leviculam exceptionem ſuo loco repoſitam volumus, qua nempe aſſeritur, Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ nequaquam ad res, Sacra Regni Hungarici reſpicientes, exporrigi poſſe, illato hinc argumento, quod in Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ de illis Regnis & Provinciis Suæ Sacræ Cæſareæ Majeſtatis & Domus Auſtriacæ ſolummodo ſermo ſit, in quibus eidem ita dictum jus reformandi non minus, quam aliis Regibus & Principibus competebat: Quo jure autem in Regno Hungariæ eo tempore Ferdinandus III. felicisſimæ memoriæ, haud voluerit uti, ita prohibente pace, anno 1647. cum Ragozio erecta, quæ pacem Osnabrugenſem unico tantum anno antecesſit, omnemque Religionis libertatem, templis reſtitutis, omnique reformatione

ſecluſa

ſecluſa, per diplomata publicatam fecit: Quæ ergo tum, ut textus Inſtrumenti Pacis Weſtphalicæ ait de majori Religionis libertate, ejusque exercitio in reliquis ſuæ Majeſtatis & Domus Auſtriacæ Regnis ac Provinciis agitata fuerunt, nullo modo ad Regnum Hungariæ applicari poſſe; ubi tunc temporis major Religionis libertas nec peti nec ſperari poterat, ſumma ibidem tum libertate exiſtente & vigente. Sed quod hujusmodi conſcientiarum libertas, hac maxime tempeſtate ibi non amplius exſtet, emineatque, documento ſunt ſubnata inde gravamina plurima, quorum ex præcipuis liberæ Civitatis Gunzienſis indicantur, de cujus querelis haud ita pridem Cæſ. Majeſt. Veſt. libellum ſupplicem cum ſumma reverentia animi exhibuimus, & cujus deſcriptum exemplum ſub Lit. B. inſignioris notæ cauſa denuo appoſuimus, ſub Lit. C. multa alia gravamina enarrata ſunt, & ex articulis Sopronienſibus luculenter demonſtratum eſt, quam ægre, maligne & injurioſe nimium quantum Evangelicis in Hungaria fiat. Fons autem horum malorum, quæ inde derivata, omnium putantur, illi ſic dicti Domini terreſtres, qui jus, quod vocant, reformandi, ſibi maxime vendicant; Quod autem verba art. Sopronienſ. 25. Salvo tamen jure Dominorum terreſtrium &c. huic opinioni eo usque faveant, ut iis etiam præter jura alia, quæ Dominis terreſtribus cenſentur propria, jus reformandi ſacra conſtitutum credi & ſubintelligi debeat, nemo, ceu exiſtimamus, facile adduci poteſt, ut aſſentiatur, niſi qui ex perverſo ingenio patriæ rebus male cupiat.

Siqui-

Siquidem ipſa compages, cui tranquillitas patriæ ſalusque ejus præcipua innititur, uno velut concuſſu ſubruitur, ſi illa indecora non minus quam ex iniqua prætextus formula prævaleat, Dominorum ſcilicet terreſtrium ſic nominatorum, poteſtatem tam arctis in Hungariæ cancellis nequaquam eſſe concluſam, ut diplomata Regia aliæque ordinationes hinc profectæ, modum iisdem præſcribere, aut limites certos ponere queant: Quod vero huic ſententiæ maximopere eſt contrarium, id manifeſtum fit ex clauſulis diverſis, quæ in Extractu articulorum, typis expreſſo, quem ſub Lit. D. adjunximus, continentur: Dicitur *ibi*, haud obſtare debere, vel contradictiones Dominorum Clericor. vel aliorum quorumvis ſecularium Catholicorum &c. & ſive ſint confinarii ſive oppidani ſive Villani, in quorumcunque Dominorum terreſtrium, & fiſci bonis commorantes in libero ſuæ Religionis exercitio ac uſu modoque a ſua Majeſtate Regia vel ejusdem *Miniſtris* aut Dominis ſuis terreſtribus quovis modo, aut quovis ſub prætextu non turbentur, aut impediantur. Qui hactenus autem impediti, coacti & turbati ſint, liberum Religionis ipſorum uſum reaſſumere, exercere & continuare permittantur. Quæ omnia Imperator Ferdinandus III. in pacificatione cum Principe Georgio Ragozy inita, non ſolum promittit, ſed ſecuros jubet eſſe, præfatum Tranſylvaniæ Principem, eique adhærentes, ac etiam univerſos & ſingulos inclytæ Regni Hungariæ Status in verbo ſuo Regio & bona fide Chriſtiana, quod eos omnes & ſingulos articulos, in omni-

omnibus eorum punctis & clauſulis tam ipſemet ſancte & inviolabiliter obſervaturus, quam etiam per alios omnes ſubditos ſuos, quorum intereſt, vel intererit, cujuscunque ſtatus ac conditionis fuerint, obſervari facturus ſit. Quæ vero tam deliberato animo gravisſimisque verbis expreſſe ſtatuuntur, nonniſi expreſſe paribusque argumentis revocantur, & clauſula, quæ ſalva vult jura Dominorum terreſtrium, non tollit jura aliis quæſita, uti ſuperius indicatum. Sane etiam tam diſſona ratione congruerent illa, quam alienum a Regia Majeſtate foret, dicere aut ſtatuere, plus Dominum terreſtrem in Hungaria, quam ipſum ejusdem Regem poſſe. Illi Domini terreſtres, hoc non contenti, ſibi arrogant, quæ Deus ſibi uni reſervata vult, quippe qui ſolus eſt, qui conſcientiis imperat & moderatur. Hinc ſcriptura ſacra longe alia nobis & præcepta ſuppeditat & exempla oſtendit, quibus vel ſecundum quæ homines rite convertere deceat, qualia equidem cum dominis terreſtribus ad ſcopum, quem propoſitum ſibi habent, minus exiſtimentur conducentia, apparet utique, omnia ea, quæ ex adverſo fiant, inſtruanturque atrocibus & acerbiſſimis perſecutionibus Gallicis, vel non omnino diſſimilia, vel talia certe videri & judicari debere, quibus nihil aliud profectum hactenus ſit, niſi quod homines magis pervertant, & in extremam denique perniciem animas eorundem detrudant; ſi enim ſuffecerit Velites vel Dragones & Huſaros ad obeunda & exequenda Apoſtolorum munia abegaſſe, ſane haud amplius illud Chriſti locum ha-

 bebit:

bebit: mitto vos uti agnos inter lupos, ita iſti haud ſunt piſcatores animarum. Qui enim animam ratione præditam contulit, vult pariter, ut & illa eadem regatur, & ſi qua in re aſſenſum præbere ſuum debeat, argumentis perſuadeatur oportet ac convincatur, minime omnium vero violento impulſu, velut fidicola, adducatur, ut cultu externo rituve id teſtetur & ore profiteatur, quod in animo nec credidit unquam nec deinceps credere conſtituit: Cleri omnino inconſultæ ſuaſiones, ſuggeſtiones & obteſtationes Dominos terreſtres ad talia impellunt, & quemadmodum olim Themiſtocles Andriis minabatur duobus ſe Diis comitatum venire, Suada nempe & violentia, Clerus militibus ſtipatus, plus certe illis ad finem ſuum, quam rationibus, a prudentia, juſtitia & æquanimitate mutuo ſumtis, utitur, atque ſic non operantur in vinea Domini, ſed regna & provincias Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ his inſultibus devaſtat ac depopulatur, nec meminit, eos, quos exturbat inde, tametſi religionis formulis ab aliis diſcrepantes, Chriſtianos tamen eoque nomine proximos ſuos, quin imo liberos identidem homines eſſe & ſuæ religionis aſſeclas in idem diſcrimen una eademque opera conjicere; Si enim res in nervum erumpat, & iſtæ temporum incidant converſiones, cum Clerum pœnitere deinceps poſſit, ſe eo Evangelicos Reges & Principes vi & facti acerbitate adegiſſe, & in viam quaſi deduxiſſe, ubi his æquabile in Catholicos jus exercere, & iis, qui ſub poteſtate eorundem degunt, par pari referre liceat, erit in propatulo,

patulo, iſtum certe non ſpiritu perſecutionis odiique fuiſſe ductum hactenus & exſtimulatum. Nos ſubſcripti Ablegati Extraordinarii haud raro advertimus Cæſareæ MajeſtatiVeſtræ ipſiusque Miniſtris nefarias ejusmodi perſecutiones ſubinde vehementer fuiſſe improbatas, interjectis in hanc ſententiam graviorum etiam verborum aſſeverationibus, quibus fidem obligabant ſuam, de iis quantocyus ſevera in harum autores animadverſione abolendis dummodo indubitatis prius experimentis clarum teſtatumque eſſet factum, tales perinde atrocitates pati ac ſufferre, qui in hæreditariis Cæſ. Majeſtatis Veſt. regnis ac provinciis Evangelicorum nomen & doctrinam ſuſtinent atque ſequuntur. Sicut autem in his argumentis convenimus, ita id unum jam reliqvum videtur eſſe, ut facinora illa, quæ tot querelas voces totque lamentationes miſeras excitarunt, æquabili juris juſtitiæque norma diſcutiantur examinenturque. Enimvero quoties hoc animi propoſito ad eos, qui Cæſ. Majeſtati Veſt. a Sanctioribus intimisque Status Conſiliis ſunt, nosmet convertimus, toties illi ad Hungaricas & Bohemicas Cancellarias, quas vocant, nos remittunt, hæ autem obtendunt ſui rem arbitrii haud eſſe, ut in eo negotio quidquam nobiſcum agant, aut conſultationem ſuſcipiant, niſi id expreſſo Cæſ. Majeſtatis Veſt. mandato indictum ſit; Quo utique modo nos in gyro quaſi circumagi fateamur neceſſe eſt. Quare, ſi gravaminibus iſtis ſeria tandem medela quocunque modo fieri, aut in ſpeciem ſaltem effingi debeat, minime omnium illis declinationibus, quas nunc

 dixi-

diximus effugia, quæ fine careant, quæri, conſequens eſt, idque prorſus neceſſarium, ut Cæſ. Veſt. Majeſtas ex ordine ſecretioris ſui Conſilii Commiſſionem clementiſſime deſignet, ad quam quotiescunque Hungariæ aut Sileſiæ gravamina fuerint propoſita, & ſuper quibus colloquia nobiſcum miſcere æqvum juſtumque viſum ſit, ſemper eo unus alterve ex Cancellaria vel Hungarica vel Bohemica una advocetur, ut iſta ratione prædicta Commiſſio Cæſ. Majeſtati Veſt. rem, quemadmodum ex veritate geſta eſt, decenti veneratione proponat, & latam ſuper ea ſententiam ſuam & æſtimationem Clementiſſimam nobis conſignatam literis notam faciat atque teſtatam, quæ, quod ab eadem ſperare fas eſt, afflictis denique in tutelæ & ſecuritatis locum ſuccedere, eosdemque in incorrupta erga Cæſaream Maj. Veſt. obſequii fide confirmare & ad omnia ſervitiorum genera, quæ quidem in ingenuos cadunt, ſubeunda promptos ac expeditos magis magisque reddere, ſed & porro noſtros quoque Reges Clementiſſimos, ut & præpotentes Dominos ad paria & mutua officiorum ſtudia, qualia pro horum remuneratione ullo modo ab iis præſtari aut exoptari poterunt, obſtringere atque obligare queat. In quo bonæ ſpei omine finem libello facimus, & Dei omnipotentis tutelæ Cæſ. Majeſtatem Veſtr. devotiſſimis votis ac precibus commendamus, obteſtati maxime, ut idem propitium Numen Cæſ. Maj. Veſtram, ſicut hactenus ſvevit, porro undique victoriis & tempora ſua lauris viridiſſimis circumdet, vitæque ſuæ annos ultra menſuram & numerum Majorum

jorum ſuorum glorioſiſſimorum productos aliis felicitatum argumentis lætisſimis extollat, atque ita in tantum eandem ad firmamentum Imperii, ſuorumque ſubditorum, ſine diſcrimine omnium conſervet, in quantum & ipſa certisſimum ac inæſtimabile divinæ benedictionis pignus ab omni mortalium genere merito ſuſpicitur ac colitur, & quamquam nihil in terris duraturum perpetuo eſt, tamen recordatio exoptatisſimi Cæſaris, qui non delicium minus, quam ſolatium humani generis extitit, in fama rerum & temporum memoria, nunquam intermorituris laudibus vigebit. Quibus expoſitis Cæſ. Majeſtatis Veſt. gratiæ eo, quo par eſt, cultu religioſo ſtudiisque & obſequiis devotisſimis obſtricti, nullo non tempore futuri ſumus

Sacræ Cæſ. Majeſtatis Veſtræ

Dabantur Viennæ Anno Domini 1702.

humillimi

Regum Evangelicam Religionem profitentium, ut & Dominorum Statuum Generalium Fœderati Belgii, Ablegati Extraordinarii, quotquot in hac Aula commorantur.

MCXXXIII.

Literæ AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad HIERONYMUM LUBOMIRIUM, Supremum Exercituum Regni Poloniæ Ducem, quem ſerio & amanter monet, ne ſe a partibus ſuis & fide ſibi data ullis unquam artibus patiatur avelli, 1702.

P. P.

AD probatum tuum fiducialiter recurrimus affectum in præſentibus conjuncturis, in quibus non ſolum innati in Patriam amoris, verum etiam conſtantis erga Nos fidelitatis dare poteris documenta. Nunc certe, ut nunquam magis quisque cernit, cœlum hoc non poſſe unius humeris inniti, ideoque cum nihil ex parte noſtra omittamus, quicquid ad integritatem & conſervationem publicam utile eſſe judicamus, nihil quoque magis optaremus, quam omnes ſincere ſuam amantes Patriam ad efficacem applicationem, ſeriamque circa bonum ejus cogitationem excitare. Agimus Nos quicquid videtur in præſenti ſtatu proficuum & neceſſarium, verum occulta quædam nequitia ſperantibus hactenus meliora, non aſſecutas optimas turbat intentiones, omnesque pro bono publico meditationes parum amica manu & animo impedit vel corrumpit. In hodierna ergo devotione humiliati Neonato Deo, dolore noſtro & injuriis illi tanquam innocentiæ Protectori & vindici commiſſis, & ſincere alta inter ſuſpiria precati, ut tandem aliquando obſcuras has & tenebris dignas malevolorum nequitias in lucem producat, occultos & pro feritate, & conſuetudine, revelet latratus, oſtendatque Polono Orbi integerrimas intentiones & actiones Noſtras, qui nunquam egimus, nec agere intendimus, niſi quod utilitatem afferret bono publico: firmam in Deo moderatore Regnorum habemus fiduciam, qui liberabit timentes gratis ab eo metu, quo Nos pertinax iniquitas,

quitas, varia publicando commenta percellit, quæ nec in cor noſtrum unquam aſcenderunt. Manifeſtabit etiam illos autores & fomentatores, qui rebellionem Coſaticam in perniciem Patriæ vel concitarunt, vel hactenus fovent, cui nos nec directe, nec indirecte unquam ſumus cooperati, imo nihil intermiſimus, quod ſuffocandæ exſurgenti flammæ utile videbatur. Expedivimus ad Czarum Moſchoviæ cum ardenti poſtulatione, quatenus pro poteſtate ſua hos auſus cohiberet, nec ipſi gravaremur in perſona Noſtra, quam libenter pro defenſione hujus Reipublicæ omnibus opponimus periculis, etiam in illas excurrere partes, optando, ſi fieri poſſet etiam per replicationem in omni eo loco eſſe & agere, in quo exigit neceſſitas, & quo nos promptitudo ad defenſionem omnium & ſingulorum trahit. Indolemus ſincere gemitibus pauperum querelisque auxiliaris Noſtri exercitus, quem antea in ſpem inveniendæ domeſticæ defenſionis libenter remiſeramus, ſed hac per malevolos deficiente, iterum ex ſenatus conſiliis & indiſpenſabili neceſſitate induximus, ſeveras dando ordinationes, ut quam arctiſſime militaris diſciplina ſervaretur, nihilque magis nobis in votis eſt, quam ut pauperes promptam a preſſura habeant liberationem, Regnumque hoc diu optata fruatur pace, & niſi occultæ machinationes, factionesque in cauſa eſſent, jam pridem occaſio & radix gemituum & querelarum tolleretur. In hoc quoque aſſecuramus omnes & ſingulos, quod ubi Deus optatam pacem Regno huic contulerit, nemini

ullum amplius milites Noſtri facturi ſint incommodum. Quo fiducialiter delato ad probatum tuum iterum iterumque recurrimus affectum, ut in omni occurrente occaſione, honorem noſtrum & intereſſe tueri velis, osque loquentium iniqua obſtruere, Nos quoque qui a nemine ſuperari Nos affectu patimur, noſtrum tibi in omnibus occurrentiis, domuique tuæ reſpectum promittimus, cui omnia bona, a bonorum largitore Deo precamur. Dabantur die 25. Decembris, Anno 1702.

Nota. Ejusdem tenoris literæ etiam ad reliquos Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ Senatores ſcriptæ fuerunt.

MCXXXIV.

Litera FRANCISCI HONORII, COMITIS DE TRAUTMANSDORF, Legati in Helvetiam Cæſarei, ad NUNTIUM APOSTOLICUM ibidem commorantem, quibus ipſi vanum eſſe rumorem, quod Sac. Caſ. Majeſtas conſilia arcana de Succeſſione Neocomenſi cum Bernatibus agitaverit, explicat, idemque juſtitiæ ſervor ut circa Succeſſionis Hiſpanicæ cauſam in urbe adhibeatur optat & ſuaſor eſt, 1703.

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine, Patrone Colendiſſime.

Dum novus & difficilis me corripuit morbus pergratas tuas ſecundo hujus menſis ad me exaratas accepi literas, ex quibus non ſine admiratione intellexi rumores de arcanis quibusdam Cæſa-

Cæſarem inter & Bernates de decidenda Neocomenſi ſucceſſione agitatis conſiliis Romæ percrebuiſſe; profecto vanus eſt, vagus & ſine fide rumor. Etenim Auguſtisſimus Imperator non ſolum neminem ſuorum, cum hac de re deliberaretur olim Neocomum miſit, ſed pro innata genti Auſtriacæ æquanimitate, nihil ſibi prius, nihil antiquius habuit, quam ut omnibus, ita & hæreditatis Neocomenſis legitimo prætendenti, jura ſua ſalva & illibata ſervarentur; Non hujus me commenti vera latet origo, tanti mihi viſum fuit ſemper, ut reſponſum ſuper hac re ne familiarisſimis quidem dederim, rumor eſt, quem peperit immoderata Gallorum regnandi cupiditas, & ut imprudentum animos captarent tanto facilius, religionis colore rês tingi debuit, cum tamen ut improba fame lupi ovibus, iſti regioni inhient. Eſt ergo cur nomine Auguſtisſimi Imperatoris te, Illuſtriſſime & Reverendisſime Domine, rogem enixius, id operam huic locorum etiam des ſedulo, ut cum Roma ſuum cuique tribuendum eſſe clamitat, Helvetiæ Pagi Catholicæ Religioni addicti Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ jura in Monarchiam Hiſpanicam, non meo ſolum, ſed multorum docto adumbrata penicillo, & evidentisſimis aſſerta argumentis cognoſcant ſerio, Juſtitiam diſcant moniti, nec gliſcente ſævo inter Europæ Principes bello partium ſtudium temere ſequantur, id Sacra ſedes Apoſtolica curæ ſibi cordique deberet habere ſollicitius, cum ipſæ renunciationes in Hiſpaniæ regna & ditiones ſolenniter factæ & jurejurando ſancitæ, Pontificia auto-

Hhh 5 ritate

ritate ſint confirmatæ, impunitas illecebre peccandi & Pontificis eſt coercere errantes, ſecus verendum eſt, fore, ut Gallorum animos licentia pridem efferatos Capitolium oppugnandi cupido denuo inceſſat, & ni ſint, qui anſerum vigilantiam imitati ab interitu periclitantem Pontificiam poteſtatem a Gallis temere tantoties violatam vindicent, ſedi Apoſtolicæ non niſi flebile beneficium Polyphemi relinquatur, ſic fides Germanica & libertatis amor eum ſcribere cogunt, qui ſe tibi, Reverendiſſime & illuſtriſſime Domine, etiam atque etiam commendat, quique dum vivit, erit

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ

Badenæ Helvetiorum 8. Idus Januarii 1703.

Obſequentisſimus & Paratisſimus Servus

Franciſcus Honorius, Comes de Trauttmansdorff.

MCXXXV.

Literæ PETRI, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad AUGUSTUM II. Poloniæ Regem, quibus firmam fixamque ſibi ſtare ſententiam, pacem perpetuam eo cum & Republica Polona initam ſancte ſervandi ſeque ſuæ ditionis Coſacis ſevere interdixiſſe aſſerit, ne ſe Rebellibus in Polonia Coſacis adjungant, 1703.

Poſt

Poſt titulos utriusque Monarchæ.

HOc præſente anno 1703. die 12. Januarii nobis magno Domino, noſtræ Czareæ Majeſtati, a Fratre noſtro magno Domino, Veſtra Regia Maj. reddidit gratioſas literas ablegatus Ludovicus Daſecki, in quibus ſcriptum, Rempubl. conſiderantem diverſas circumſtantias in difficultatibus ſuis confidentiale colloquium cum Legato noſtræ Czareæ Majeſt. ad aulam Veſt. Reg. Maj. exiſtente habuiſſe, quodque vos Frater noſter conſiliariis & officialibus veſtris ad latus Veſtrum exiſtentibus cum noſtro eodem Legato imperaſtis conferentiam, & id poſtulaſtis, ut ſi acceſſus pateret ad conficiendum tractatum pacis, præfato Legato noſtro plenipotentiam concederemus. Quod vero proclamatum fuit, quaſi noſtri Zaporovienſes Coſaci perduellem Samusſium eique adhærentes contra Rempubl. adjuviſſent; hæc delatio falſa eſt; uti & illa, ac ſi per noſtram indulgentiam id contigiſſet, cui quod Veſt. Regia Maj. fidem non adhibeat, aliosque ab ejusmodi ſenſu abducat, præclare facit. Nec enim id vel cogitare potuimus, ut concluſæ paci in ævum duraturæ cum Veſt. Majeſtate & tota Republ. contrarium aliquid attentare vellemus, aut cuipiam alteri indulgere quid ſimile faciendum, & ideo inſtanter Veſt. Reg. Majeſtas me fratrem ſuum obligat, ut non tantum Coſacos noſtros, ſi forſan huic rebellioni cooperati ſunt, coërceamus, ſed etiam operam & auxilium compeſcendis rebellibus opportunam ſubmittere velimus. Additum fuit in prædictis literis Ablegatum

gatum Daſecki oretenus fuſius de Palejo relatu-
rum, cui ut fidem demus, rogamur : Nos ergo Magnus Dominus, Noſtra Czarea Majeſtas, vobis Fratri noſtro deſideratum reddimus reſponſum : nos Vobiſcum & Republ. juxta tractatum perpetuæ pacis in amicitia & affectu perſeveraturos conſtantisſime, ſine ulla labefactatione, quod nos unice optamus. Quod vero ad illud attinet, quod vos Frater noſter Senatoribus & officialibus Reipubl. ad latus Veſt. Majeſtatis exiſtentibus commendaſtis, ut cum Legato noſtro ad Aulam Veſt. Majeſtatis reſidente conferrent, de faciendo tractatu pacis plurimum gratias agimus ; jamque plenariam poteſtatem Legato noſtro in hac materia dedimus, habentes firmam ſpem Veſtram Majeſtatem pro fraterno erga nos amore cum Senatoribus & Republ. Polona Lithuanaque, Eccleſiaſticis & ſecularibus contra communem hoſtem Svecum, amicum & ſocium in hac conferentia ſe probaturam & juxta contractam per colligationis nexum obligationem, ubi & quando nobis opus fuerit, ſecundum affectationem per Legatum noſtrum ad contentationem nobis declaraturam. Quod vero ad aulam Veſtræ Majeſtatis delatum eſt de Coſacis Zaporovienſibus, quod ex parte noſtra ſeu potius indulto Rebellibus contra Rempub. & Samusſio ſeſe adjunxerint ; nos candide fatemur, nobis hanc rem cordi fuiſſe, miſſaque a nobis ſevera mandata eſſe ad Ducem exercituum Zoporovienſium, Joannem Mazeppa imperando, ut ad Boryſthenem in omnibus locis in quibus appareret

reret opportunitas ad trajiciendum, firmas & frequentes cuſtodias conſtitueret, inhiberetque, ne ullo modo ex noſtra parte ad Samusſium tranſirent Coſaci perduellibus adjutorio futuri, nec illis aggregarentur, quo ita tractatus perpetuæ pacis inviolatus conſervaretur. Mandavimus inſuper, ut hanc voluntatem noſtram ſub pœna Capitis omnibus manifeſtaret, nec non, quamvis nec Palejus nec Samuſſius ad me attinerent, eo quod ſint Subditi Veſtræ Majeſtatis & Reipub. expedivimus nihilominus mandata noſtra etiam ad eos Coſacos, ut ab ea rebellione deſiſtant. Ad delationem vero oretenus factam, qua Palejus inſimulatus fuit, viciſſim oretenus prædicto Ablegato reſponſum amplum ſatis cum magna contentatione reddidimus. Quod ille Veſtræ Majeſtati totum, non dubito, referet. Ad hæc precamur Veſt. Regiæ Majeſtati a Deo longævam ſanitatem felicemque per ditiones veſtras dominationem. Datum in Metropoli noſtra Czarea urbe Moſcuæ die 12. Jan. Anno 1703.

MCXXXVI.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad ANDREAM CHRYSOSTOMUM ZALUSKIUM, Principem & Epiſcopum Varmienſem, Supremumque Regni Poloniæ Cancellarium, quo ipſi de Suprema Cancellariatus dignitate nuper obtenta gratulatur, 1703.

Cle-

Clemens Papa XI.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CONtigit fraternitati tuæ inſignis occaſio explicandi propriam virtutem, & zelum publici boni atque Salutis ſupremi in Regno Poloniæ Cancellarii, quod tibi Regia benignitate collatum fuiſſe nobis ſignificaſti; Nos certe qui de incolumitate & tranquillitate iſtius Reipublicæ vehementer ſolliciti ſumus, Deum enixe precamur, ut ea quæ tuæ pietatis atque prudentiæ conſilio, egeris, tam feliciter tibi cedant, ut præter cumulatum apud Deum meritum laudem quoque præcipuam perpetuamque apud homines aſſequaris, atque his auſpiciis reſpondemus iis, quæ recurrente Dominici Natalis ſolemnitate obſequenter ad Nos detuliſti, Tibique, venerabilis Frater, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 13. Januarii, Pontificatus Noſtri anno tertio.

MCXXXVII.

Literæ AUGUSTI II. Regis Poloniæ, ad FRIDERICUM IV. Daniæ Regem, a quo amanter efflagitat, velit ea ſecum & Republica Polona amplecti conſilia, quibus Rex Sveciæ ad ſanciendum æquæ & honeſtæ pacis leges quam primum obligari poſſit, 1703.

Auguſtus II. &c. Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi, Domino Friderico IV. eadem gratia

tia Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumque Regi &c. ſalutem &c.

Sereniſſime, & Potentisſime Princeps &c.

IN quo ad præſens rerum ſtatu verſemur, tam bene cognitum Majeſtati Veſtræ exiſtimamus, quo minus eandem latet, quam impenſis conatibus cœlo & orbe teſtibus ad reſtabiliendam tranquillitatem & ineundam honeſtam ac ſecuram pacem cum Rege Sveciæ in hunc usque diem allaboraverimus. Aſt videntes in irritum cadere omnes ſollicitas curas & applicationes Noſtras, mature colligimus, quod optimæ intentiones Noſtræ exoptato ſint cariturae effectu, nec ſpes jam fœderis aut pacis extet. Hinc omni meliori modo proſpecturi ſaluti publicæ nuperrimo tempore magnum conſilium ex omnibus Provinciis integre coadunatis congregavimus ad providenda media, expurgandi hoſtibus Poloniam, & hiſce periculis liberandi. In quo conſilio magno tandem poſt maturas deliberationes ad attingendum hunc ſcopum nihil expeditius viſum fuit, quam ſi conjunctis viribus arma & ſtudia cum vicinis Principibus ſociarentur taliterque concluſum & determinatum eſt, nemine contradicente, ut eo nomine externas poteſtates ſine mora invitaremus, cum iisdemq; medio tractatus conveniremus, qualiter Rex Svec. obligari poſſit ad amplectendam pacem & reſtituendam publicam quietem. Porro cum ſerenisſimis Anteceſſoribus noſtris totiq; Reipubl. Sanctæ ſemper fuerunt leges amicitiæ & vetuſtiſſima fœdera ex communi intereſſe, quod nos natu-

naturaliter connectit ad mutuam utilitatem, commodum & ſecuritatem ſincere procurandam & promovendam; in hac itaque optima fiducia minime dubitamus, quin & anteriorum temporum memoranda exempla, & ſingularis Sereniſſimorum Majeſtatis Veſtræ Anteceſſorum pro integra Reipublicæ hujus conſervatione attendentia, & ita conjuncta ab omni ævo communis habita cauſa, quæ inter utraque Regna intercedit, & Majeſtatem Veſtram inclinatura ſit, ut ipſamet opportunis remediis ſuccurrere & obviare velit, ne Corona Sveciæ vaſta deſtinata ſua, quæ altius, quam par eſt, intendit, perducat ad effectum. Commoveant pectus Majeſtatis Veſtræ & præteritæ reflexiones & præſentisſima Nobis impendentia pericula, ut tales tempeſtive adinveniat rationes, quomodo conjunctim nobiſcum ac Republica Majeſtas Veſtra hunc torrentem malorum ſiſtere poſſit. Indicatura Nobis ſine mora intentiones & diſpoſitiones ſuas, quarum communicatio in his circumſtantiis nullam moram patitur. Augebit perinde Majeſtas Veſtra tanto magis Jura amicitiæ, cumulabit gratas obligationes, quas omni tempore debito cultu & affectu hæc recognoſcet Respublica, quæ & anteacta ſubſidia ſibi a Corona Daniæ exhibita triſti illorum temporum fato, quo jam conclamatum erat Poloniæ exitium, perenni recolit memoria, nihilque deeſſe patietur; quod ad demonſtrandam mutuis officiorum teſtimoniis gratitudinem neceſſe fuerit. Præſtolabimur igitur avidiſſime indilatam

a Ma-

a Majeſtate Veſtra certitudinis notitiam. Cui de cætero bonam valetudinem & proſperrima quæque a Deo precamur. Dabantur Thorunii die 27. Januarii, Anno 1703.

MCXXXIIX.

Reſponſoria Friderici IV. Daniæ Regis, ad præinſertas AUGUSTI II. Poloniæ Regis literas, 1703.

Fridericus IV. Dei Gratia Rex Daniæ &c.

Sereniſſime & Potentiſſime Princeps, Domine Frater, Conſanguinee, & Vicine Noſter Chariſſime.

TRaditæ ſunt nobis literæ die 27. præteriti menſis Majeſtatis Veſtræ & Reipublicæ nomine ad nos exaratæ, Sigilloque majori Reipublicæ munitæ, ex quibus haud absque animi mœrore intelleximus, mala Regno Poloniæ per aliquod tempus jam ſat gravia indies graveſcere, nec ullam fere ſpem ſupereſſe eadem firma & æqua pace cum Sereniſſimo Rege Sveciæ ſublatum iri, ita ut Conſilio magno Majeſtatis Veſtræ ex omnibus provinciis integre coadunatis congregato e re viſum fuerit, externas poteſtates deſperatis rebus ad auxilium ferendum ſine mora invitare, cum iisdemque, mediante tractatu, convenire, quomodo Rex Sveciæ induci poſſit ad amplectendam pacem & reſtituendam publicam quietem. Haud equidem dubitamus, Majeſtatem Veſtram & Proceres Reipublicæ ex ante actis ſatis ſuperque perſuaſos eſſe, nos pacem illam & quietem

publicam ſincero animo reduces optare, cum in eo non ſolum univerſæ Europæ jam ſat fatis afflictæ, ſed & ſpecialis Majeſtatis Veſtræ conjunctiſſimi nobis ſanguinis & amicitiæ nexu Regis ſalus verſetur, ipſaque Respubl. & Generoſiſſimi Proceres Regni Poloniæ omnes & ſinguli tanta ſemper nos & Reges Prædeceſſores noſtros coluerint obſervantia, ut malis eorundem non niſi ſummopere afflicti eſſe queamus, nihilque in iis optandum nobis relictum ſit, quam ut ſepoſitis contentionibus privatis, unitis & animis & conſiliis utilitati publicæ conſulere velint. Non ſinit nos de eo deſperare ſolita eorum prudentia & innatus amor Patriæ. Hinc ſi misſis cum ſufficienti mandato Majeſtatis Veſtræ & Reipubl. Legatis, de commodis tranquillitatis mediis nobiscum conſulere, ut mediante tractatu eodem, quo cum aliis externis poteſtatibus modo convenire volent, quo ſimul tempore antiqua fœdera nos inter & inclytam Rempubl. Poloniæ renovari poterunt; omni ſtudio allaborabimus, ut plene Majeſtati Veſtræ & Reip. conſtet, nullius rei in nobis eſſe moram, quæ ad ſalutarem hunc finem perducere poſſit. Majeſtati Veſtræ de cætero bonam valetudinem & proſperrima quæque a Deo precamur. Dabantur in arce Noſtra Regia Hafniæ 3. die Martii 1703.

Majeſtatis Veſtræ

Bonus Frater Conſanguineus & vicinus

Fridericus Rex.

MCXXXIX.

MCXXXIX.

Litera LEGATORUM a PROCERIBUS EUROPÆ AD AULAM CÆSAREAM MISSORUM, ad LEOPOLDUM, Rom. Imperatorem, quibus iteratis precibus, prò Incolis Auguſtanæ Confeſſioni per Provincias ipſius hæreditarias addictis ſollicite intercedunt, 1703.

Sacra Cæſarea Regiaque Majeſtas, Domine Clementiſſime,

RÉcordabitur procul dubio Cæſarea Regiaque Majeſtas Veſtra in infra ſubſcriptos Regum Auguſtanæ & Helvetiæ Confeſſioni addictorum, nec non fœderati Belgii Statuum Ablegatos Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ afflictisſimam illam ac deplorandam conditionem eorum, qui in Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ Regnis & Provinciis hæreditariis, præcipue vero in Hungaria Evangelicorum nomen ac doctrinam profitentur, demisſiſſime expoſuiſſe, atque ſimul eo, quo maxime conveniret, modo, nomine altisſime & alte memoratorum Dominorum Principalium noſtrorum enixiſſime rogaſſe, ut Sacra Cæſarea Majeſtas Veſtra miſerorum ipſorum ſtatum altius ad animum ſuum admittere atque eorundem afflictioni remedia prompta clementiſſime adhibere velit. Equidem arbitrati ſunt Domini noſtri Clementiſſimi, Sacr. Cæſar. Majeſt. Veſt. æquiſſimo huic ipſorum petito benignas aures præbituram facileque aſſenſuram, ut in miſeros illos homines ex nimio quodam & intempeſtivo

Religionis zelo eorum, qui poteſtate aliqua in Re Eccleſiaſtica pollent, variis & inauditis atrocitatum generibus expoſitos, fructus quidem impenſiſſime hujus intercesſionis redundaret. Verum præter ſpem atque omnem expectationem Domini noſtri Clementiſſimi non ſine animi dolore perceperunt, ſacram Cæſaream Majeſtatem Veſtram nos ne quidem hactenus reſponſo aliquo dignatam eſſe; Teſtantur quotidianæ lamentationes, loco ſperati & efficacis remedii gravamina & querulabundas voces indies augeri, Communitatibus non paucis, templis & Scholis orbatis, diverſa Sacra obtrudi, atque exercitium Evangelici cultus variis modis violari atque infringi. Certe neque ſinceræ illi amicitiæ, quam cum Sacra Cæſarea Majeſtate Veſtra Domini noſtri Clementisſimi colunt, neque fœderibus, quibus cum eadem Majeſtate Veſtra arcto nexu junguntur, minime vero illorum dignitati convenit intercesſiones ipſorum adeo parvi ac neglectui haberi, ut ne quidem reſponſione quadam, nedum vel minima cura adhibendæ medelæ dignæ ſint viſæ. Ipſi ſane altisſime & alte memorati Domini noſtri Clementisſimi nullam e manibus ſuis elabi paſſi ſunt occaſionem, qua Sacr. Cæſareæ Majeſtat. Veſtræ optima ſua ſtudia non apprebarent atque oſtenderent, quam curæ cordique ipſis ſit, non modo communis boni ſalutem & emolumentum, ſed etiam præ cæteris ſingularia commoda & incrementa Cæſareæ Veſt. Majeſt. procurare ac firmare. Hac ergo ipſorum intentione

tione confiſi Domini noſtri Clementisſimi in mandatis nobis dederunt, Sacr. Cæſareæ Majeſtatis Veſtr. faſtigium adire; atque eandem nomine ipſorum eo, quo decet, modo rogare, ut patiatur ſibi ea a nobis iterata vice inſtantius intercedendo proponi atque commendari, quæ ad refovendam animorum tranquillitatem & conſcientiarum libertatem Sacr. Cæſar. Majeſtatis Veſtræ ſubditorum anxie gementium quicquam conferre poſſe videntur; De quo quidem dubitare nefas foret, cum manifeſtum ſit, id ſaltem expedi, quo Sac. Cæſar. Majeſt. Veſt. pro benignisſima ſua erga ſubditos & indefeſſos Maj. Veſt. Cultores humillimos propenſione animi ſponte fert divina ſua, qua inter mortales excellit, clementia. Hiſce, Auguſtiſſime Cæſar, humillime addere neceſſe viſum fuit, Dominum Cardinalem Collonitſch Prædicanti cuidam Helveticæ Confeſſioni addicto, olim Eccleſiæ Veſtræ Premienſis in Hungaria Paſtori, Samuel Hodoſy nominato, poſtquam Albæ Regalis ac Strigonii per integrum fere anni ſpatium in duriſſima captivitate detentus fuit, jam ſupplicio ad triremes comminari adeo, ut ſi has miſerias effugere mallit, flebile beneficium emigrandi eligere, & relictis omnibus bonis ſuis, ſolum natale vertere atque in exilio ſalutem quærere debeat. Commovit ergo Clementisſimos cum pietas, tum Religionis, quæ ipſis cum dicto verbi divini miniſtro intercedit communio, ut hocce pietatis officium pro Salute ejus efficaciter intercedendo ſu-

ſciperent, juſſerunt nos Ablegatos ſuos, ut nomine ipſorum SacramCæſaream Majeſtatem Veſtram enixe obteſtemur, ut commiſſionem illam tam quoad totum negotium Religionis benignisſime promiſſam, quam quoad detegendam hujus viri innocentiam tandem clementiſſime decernere dignetur, quo, cauſa cognita, dictus Samuel Hodoſy ex carceris ſqualore tandem relaxetur, & priſtinæ libertati reſtituatur; firmiter perſuaſi Sacram Cæſaream Majeſtatem Veſtram pro innato illo vere Cæſareo amore Juſtitiæ, ſi forte ipſi in veteri quondam Parochio Veſt. Premienſi commorandi locus ob cauſas urgentes denegandus foret, facile conſenſuram, ut bona ſua qualiacunque illic locorum ſita plus licitanti prius vendere, atque in alium quietæ ſuæ manſionis locum tuto migrare poſſit. Cæterum Sac. Cæſ. Majeſt. Veſt. glorioſæ erga ſubditos ſuos clementiæ tum imprimis luculenta benevolentiæ & amicitiæ cum Dominis noſtris Principalibus Clementisſimis arctiori nexu adſtringendæ edita ſigna dubitare nos non ſinunt, quin Sacr. Cæſar. Majeſt. Veſt. ſubditorum ſuorum devota & fideli ſubjectione ſceptra ejus venerantium votis ac lacrymis propitias aures præbere, atque huic noſtræ, nomine altisſime & alte memoratorum Dominorum noſtrorum Principalium, ſuſceptæ intercesſioni gratificari libentisſime velit. Nos vero Dei omnipotentis tutelæ Sacram Cæſ. Majeſtatem Veſtram devotiſſimis verbis ac precibus commendamus, & ut Reip. bono longe, diuque ſalva & incolu-

incolumis vivat, religioſiſſime vovemus & optamus.

Sac. Cæſar. Regiæque Majeſt. Veſtræ.

Dab. Viennæ d. 8. Menſ. Febr. 1703.

Regum Europæ Auguſtanæ & Helveticæ Confeſſionis nec non fœderati Belgii Ablegati Extraordinarii.

MCXL.

Literæ AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad MICHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, quibus eum ad generale conſilium Mariæburgi habendum invitat, 1703.

Quamvis poſt tot, ſtudio an fato inverſos, ad fundamentalem Reipub. tranquillitatem conatus, applicationes & curas noſtras, nolumus nihilominus, de ſorte Patriæ hujus deſperare, quam exteræ gentes, coacto quantumvis reſpectu, invictam & nullis caſibus ſuperabilem ſemper colebant. Non diminuet certo laudabilem hanc famam quærens exitium ſui hoſtilitas, quæ usque dum terret, ne paveat, ubi pertimuerit, contemnetur, & auxilio Dei, ad nitorem gladiorum Polonicorum extingui poterit, & animos cadere in pedes, prægravante fortuna. Si ſaniora ſtabiliendæ Pacis non acceptabunt conſilia, & ulterius ſpecie rerum nos decipere volent. Quæ quoniam tu altisſimo tuo ingenio concipere,

re, & rerum exitus prudentia tuo metiri, & immediatas & ultimas intelligere potuiſti intentiones perfrequentes conferentias & communicationes; ita te hiſce compellamus, & non tantum pro informatione noſtra & ſtatuum in conſilio futuro congregatorum, ſed etiam in partem curarum, circa conſervationem integritatis boni publici, conformando ſe ad ſenſus Palatinatuum Majoris Poloniæ Siradienſis & aliorum pro proxime imminenti 16. Martii Magno conſilio, hic Mariæburgum invitamus, ut felicius & efficacius pereuntem Patriam tecum, cui ſub manu conſilium naſcitur, ſociatis animis & ſtudiis juvare queamus. Expectamus proinde avidiſſime præſentiam tuam. Dabantur Mariæburgi A. 1703. d. 25. Februar.

MCXLI.

Reſponſoria, MICHAELIS RADZIEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad præimpreſſas AUGUSTI II. Poloniæ Regis literas, 1703.

GRatias refero Majeſtati Veſtræ pro hac dignatione, quod me ad deſtinatum 16. præſentis invitare dignetur conſilium Mariæburgum, nunquam neglexi ad claſſicum publicæ Salutis canere, nulla intermiſi comitia, conſilium, ad quod vocatus eram, nunquam neglexi, & quod in ultimo Varſavienſi infirmitate preſſus non adfuerim, ſatis dolere nequeo: Supplicaſſem enim Majeſtati Veſt. ut circa Regiam Varſavienſem manſiſſet, quæ propter abſentiam ejus Majeſtate vacua

vacua æmulam Majeſtatem eo citius attraxit. Commodior fuiſſet & celerior in publico præſenti motu concurſus, frequentiores curules & efficaciora conſilia. Quanquam a tam longo itinere deberet me brevitas temporis excuſare, reſolutio & incommoditas in menſe Martio, res familiaris poſt tribulationem anguſtior. Superaret hoc nihilominus promptitudo mea, ad obſequia Majeſtatis Veſt. ſemper parata. Sed quomodo ego Varſaviam deſerere poſſum ſine periculo Varſaviæ, quomodo defenſiones Eccleſiarum pro quibus laboro, quomodo hoſce Palatinatus & diſtrictus relinquere, qui publicis inſtrumentis & legationibus hæc a me exigunt, ne ſtationem deſeram, tanquam nidum meum proprium, diſcretioni manus militaris relinquam cuſtode remoto. Ad extremum, quomodo inceptum opus ſalutis publicæ, obſequio Majeſtatis Veſt. projicerem, quod quamvis Cancellaria Majeſt. Veſtræ conventiculi nomine baptizavit, tempus rerum magiſter monſtrabit, quod dignius vocabulum togata Majeſtas, aliumque plauſum conatus noſtri merebantur. Placuerat præſenti Senatorio conſilio, deferre toti Reipubl. & omnibus Palatinatibus id, quod ſub tempus conſilii a Rege Sveciæ venerat, celerrimam tranquillitatem optante, intererat ut ceremoniale abbreviaretur, & uno eodemque tractu ac conſilium convocaretur. Palatinatus more comitiorum ad diſtinctionem tribunalis, in quo ex Palatinatibus tantum Deputati, & pluralitate res deciduntur. Deferre Majeſtati Veſt. concluſum Senatus non intermiſiſſet debita obſervantia, ſed

tempus imminentium comitiorum non permiſit, quia nec in aliquibus locis pervenire poterant, tempeſtive miſſi, ſufficit, quod antequam expeditio miſſa fuiſſet, habuit ejus copiam, & Nuntius Apoſtolicus & Legatus Cæſareus, vigiles pro intereſſe Majeſtatis Veſtræ cuſtodes.

Sive hoc in majori ſive in minori choro fiat, modo ſymphonia ſit conſona, auribus grata, falſus conatus omnium aures lædit. Sciunt novi recentesque Catones aliorum cenſurare facta, & tamen nihil adhuc ipſi præſtiterunt, ſeu laudabile ſeu imitandum. Pacem exoptant quæ abundantiam & divitias affert, & tamen devaſtationem & pauperiem canunt, queri etiam non permittunt, eripiunt lacrymas, non conſolando, ſed minando; fulgor armorum Polonicorum erat terribilis hoſtibus, ſed illo tempore, dum illum implebat confidentia, amor, zelus, gloria; ſed quando edax livor rubiginem inducit, citius lingua quam armis agimus, ex vagina gladius acutus linguæ eorum. Deſperandum tamen non eſt, ſumma calamitas proſperitatis indicium. Duæ res adferre poſſunt malaciam, minor Majeſtatis Veſt. confidentia ad nonnullos, minor diffidentia ad alios, pronior ad ſolida, quam ad fabulas auris. Quod ad me pertinet, quanquam non habeam niſi ad querelas occaſionem, memor characteris charitate cuncta operio, quicquid ſalva conſcientia, ſalvis juribus humanitus practicari poteſt, ad pondus & menſuram adimplere conor. Regis Sveciæ experiri poſſum æſtimationem, ſed arcana ejus, dubito, an alicui etiam viciniori ſint manifeſta.

Literis

Literis ultimis, quæ mihi ſcripſit, credere debeo, non habendo rationem, ut ipſis diffidam, cum hactenus nullam notam duplicitatis, omnem vero firmitatis in eo advertam, quando poſt primas de Busk adhuc datas, hanc primam recipio, in qua mitiora loquitur. Si proinde in hoc loco facere aliquid poſſum, laborem, curam & obſequium meum offero. Loquere Domine, cui humillima inclinor veneratione. Dabantur Varſaviæ die---Martii Anno 1703.

MCXLII.

Litera PETRI, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad REMPUBLICAM POLONIÆ, quibus eam ſerio hortatur, ut Regem ſuum legitimum, contra nefanda quorundam publicæ quietis turbatorum molimina defendere, refractarioſque & errantes ad ſaniora perducere conſilia contendat, 1703.

Nos Petrus Dei gratia Imperator ac magnus Dux Moſcoviæ, totius Magnæ, Parvæ & Albæ Ruſſiæ Autocrator, quin & multarum aliarum Orientalium, Occidentalium & Septentrionalium Provinciarum atque Regionum antiquus Hæres, Dominus atque Monarcha &c.

PErcrebuit quidem ab aliquo tempore per univerſam fere Europam conſtans fama, eſſe in Sereniſſima Republica Veſtra non paucos, qui ex inveterato odio omnes cogitationes in id defigunt, ut Regia ſua Majeſtas Poloniæ, dilectus nobis ſanctiorique fœdere junctus Frater amicus

&

& Vicinus noſter, Throno dejiciatur, ipſique eo melius, quæ mente conceperunt, perficere, ac res novas moliri poſſint ; Ea tamen noſtra ſemper fuit de æquanimitate, fide atque prudentia eorum, quos tanquam hujus conſilii fautores publica fama haud obſcure deſignavit, opinio ac judicium, ut fidem his rumoribus adhibere vix potuerimus. Exiſtimavimus enim, etſi hujusmodi perverſa Conſilia inter Ordines Seren. Reipubl. Veſtræ gliſcerent, bonos cives, ac Religioſos officii erga Deum ac Patriam obſervatores, malevolos, qui partium privatique quod ſibi fingunt commodi ſtudio excœcati omnia miſcere cupiunt, neque quid agant, aut cœptorum finem reſpiciunt, & autoritate & numero longe ſuperare, nobisque perſuaſimus, hos quorundam conatus domi etiam ſine interventu Potentiæ exteræ facile extingui poſſe. Poſtquam vero pro certo cognovimus malum hoc indies latius ſerpere, præ omnibus aliis Principibus, qui hac re merito commoveri deberent, officii noſtri eſſe putavimus partes noſtras interponere ac publice teſtari, nos intellectis iis, quæ ad hoc propoſitum gentibus Chriſtianis indecens tendunt, valde conturbatos penitius omnem hanc rem examinaſſe tandemque decreviſſe interveniendo id agere, quod & Deum & honeſtos quoscunque probaturos exiſtimamus ; Excitati ad id imprimis vi officii, quod in terris gerimus, & obligatione illa generali, qua quilibet Chriſtianus Princeps, Deo totique Societati humanæ eſt adſtrictus ad coercendam vim & injuſtitiam, aliaque prava conſilia refrænanda, quibus jura & vincula

ſocie-

ſocietatis humanæ convelluntur, & publica Chriſtianitatis pax turbatur, ut ita jus & juſtitia ubivis rite adminiſtretur, innocentes protegantur, inprimis vero cauſa Principum communis Regumque jura integra conſerventur, ne in locum honeſtæ ac legibus Divinis humanisque conceſſæ libertatis, qua gentes liberæ jure meritoque gaudent, Regum Principumque contemptus invaleſcat, majeſtas coronatorum Capitum, quæ immediate a ſolo Deo eſt, pedibus quaſi conculcetur, undique Domini turbulentorum libidini, qui res novas cupiunt, exponantur, leges denique fundamentales, quas ipſa natura ad conſervationem ſocietatis humanæ ſancivit, convellantur, homines vero ad Dei imaginem formati in belluas, quæ ſine legibus vivunt, degenerent. Verum alia adhuc eſt ratio particularis, quæ nos movet, ut huic negotio Nos immiſceamus, Pax videlicet cum Regno Poloniæ an. 1686. inita, qua expresſis verbis cautum eſt, uti ex adjuncto ſub Lit. A. apparet, ut inter Nos & Seren. Regem Poloniæ Art. 1. Fraternus amor & inviolabilis Pax colatur, Art. 5. quilibet alterius commoda & utilitatem curet, ac tanquam Fratres ſibi invicem auxilia præſtent, denique Art. 23. ambæ Majeſtates ab una & altera parte, uti fratres inter ſe omnia humanitatis, amicitiæ ac Fraternæ benevolentiæ officia, quæque ad commoda utriusque ſpectare poſſunt, ſibi invicem præſtent, efficiantque, ne inimicitia vel aliqua occaſio violandæ Pacis, multo minus bellum inferendi, ſanguinem humanum effundendi, terras utriusque devaſtandi

di ſuboriatur, quin potius omni ſtudio hæc omnia declinent, atque impediant, omnem, quæ Chriſtianos Principes decet, curam adhibentes, ut Pax integra conſervetur, neque ob quamcunvis emergentem cauſam nova bella ac diſſenſiones ſuſcitentur. Quæ omnia ſolenni juramento in Sacro-Sanctum Evangelium præſtito utrinque corroborata vim indiſſolubilem obligandi *Succeſſores* quoscunque in utrisque Regnis acceperunt. His fundamentis præcipue nixi fœdere arctiori cum moderno Serenisſimo & Potentisſimo Poloniarum Rege anno 1699. cuſo ſtatim in primo articulo ſub lit. B. hic adjecto Nos Nobismet invicem fidem dedimus, quod, quamdiu ſupremo Numini placuerit nos in Regnis noſtris, quæ Deus fauſta eſſe jubeat, conſervare, ſinceram amicitiam ac omnia vicinitatis jura ſancte ac conſtanter inter Nos colere, nunquam illa violare, verum potius contra quoscunque hoſtes noſtros Nosmet invicem juvare defendereque velimus. Auget vero hanc obligationem præſenti Veſtro negotio Nos immiſcendi cura, quæ Nobis incumbit, pacem ac ſecuritatem terris Noſtris ad Limites Poloniæ ſitis, quovis meliori modo præſtandi. Quamdiu enim hic ignis inter Vos gliſcit, & proximus ardet Ucalegon, Noſtram quoque rem agi exiſtimare vererique debemus, ne flamma ad terras usque Noſtræ ditionis ſerpat, illæque commodis priventur, quibus, Polonia pacata, gaudere ſolent. Denique non ignoramus, quid nonnulli e medio Veſtrum monſtri in ſinu contra Nos alant, eosque non dubitaſſe tam nefaria

faria conſilia ſuſcipere ac palam fere profiteri, quod, obtento adverſus ſacratisſimam Perſonam Regiæ Poloniarum Majeſtatis propoſito, ſe cum hoſte noſtro conjungere Nosque hoſtilibus armis aggredi velint. Quod ſupra memoratæ æternæ Paci tanta cum ſanguinis humani effuſione partæ expreſſe repugnat, ubi Art. 23. diſertis verbis Regia Sua Majeſtas ejusque Succeſſores, vel poſt eandem electi Reges & Magni Duces Lithuaniæ, imo univerſa Reſpublica Coronæ Poloniæ Magnique Ducatus Lituaniæ, tam Eccleſiaſtici quam ſeculares utriusque Nationis ordines, promittunt nolle ſe, nec ipſos, nec per alios ſubordinatos, hoſtes Noſtros, vel apertos vel tectos fovere, commercium cum illis habere, vel denique hoſtile quid illis permittere. Sic facile quisque videt, quanti Noſtra interſit, ut ignes hi cineri doloſo ſuppoſiti, antequam in flammas erumpant, tempeſtive ſupprimantur. Quoniam ita ex adductis jus noſtrum negotio veſtro interveniendi coram facie totius mundi ſatis ſuperque evictum eſſe credimus, ad Seren. Rempublicam Polonam ante omnia Nos convertere eandemque amice requirere voluimus, dignetur in hoc frangenti illos, qui tam exitioſa ac bonis omnibus deteſtanda conſilia agitant, monere, ut ad ſaniorem mentem redeuntes cogitent, quid moliantur, & quantis periculis non ſe, honorem atque exiſtimationem, verum etiam totius Patriæ ſalutem exponant. Cauſæ enim, quas habere putant legitime electum & ab omnibus etiam infenſiſſimis hoſtibus agnitum Regem ſolio deturbandi, tam frivolæ minusque legales

cuivis

cuivis a ſtudio partium alieno videntur, ut artifices hujus conſilii nomen Perduellium ac Perfidorum, quod a propriis eorum fratribus in diverſis & laudis & concluſis ipſis imponitur, effugere impedireque nequeant, quo minus omnes Chriſtiani Principes, inprimis illi, quibus vel per fœdera, vel ex aliis cauſis politicis, Regiæ Poloniarum Majeſtati ſuppetias ferre incumbit, ne in locum ejus Rex alius bono publico adverſus ſubſequatur, ad negotium hoc omnibus viribus accedant, ac impia hæc conſilia infringant. Neque enim perturbatores iſti cogitant S. Regiæ Maj. tanquam Electori Saxoniæ tot vires ſupereſſe, ut inimicos hoſce facile confundere, bonamque cauſam & jus ſemel quæſitum tueri poſſit, inprimis, quia major Seren. Reipubl. pars officii ſui & jurisjurandi memor proRege ſanguinem libenter effundere, omniaque pro defenſione ejus immolare paratam ſe eſſe glorioſe admodum declaravit. Cum hæc ita ſint, quid ex perverſis, de quibus egimus, inceptis provenire poterit aliud, quam quod Patria Veſtra Theatrum belli futura maximo periculo ac Vicinorum deprædationi exponetur, Authores vero hujus propoſiti eorundemque fautores meritas pœnas luent, ſibi ac poſteris indelebilem notam inurent, ac exitium proprium pœnitentia nimis ſera deplorabunt? Sed demus, unum alterumque ex gremio Veſtro, (probe enim ſcimus non omnem Seren. Rempubl. hæc conſilia ſuſcepiſſe, potiorem vero ac ſaniorem ejus partem Regi optime velle) cauſas aliquot querendi habere; illud tamen certum eſt, etiam Jovem ipſum,

ipſum, optimosque ac prudentiſſimos Principes non omnibus æque placere poſſe; reprehenſiones vero ac gravamina quorundam privatis affectibus, qui voces calamumque dirigere ſolent, & ſtudio partium privatique commodi ortum ſuum debere. Demus etiam querelas aliquas juſtas eſſe, quales quidem hic nondum videmus; illud tamen conſiderandum foret, morbos hos politicos Reipublicæ tantum detrimenti non inferre, quam ſolent remedia, quæ in præſenti caſu adhibere quidam nituntur, quæque Legibus divinis & humanis repugnant, dum neglectis viis amicabilibus ac lenioribus, quas tamen leges Poloniæ fundamentales læſis præſcribunt, ſtatim ad extrema eaque violenta proceditur. Sed etſi tandem iſti novarum rerum ſtudioſi, providentia Dei propter cauſas occultas ita volente, (cujus rei non deſunt exempla) propoſitum ad finem perduxerint, quid quæſo lucrabuntur, niſi quod tardius ocyus pœnas privatas luent, ac maculam, quam ſibi totique genti adſpergent, diluere nunquam poterunt? Videtur quidem ſpes auxilii cujusdam externi Principis animum calcarque eis addere, verum exitus acta redarguet tempusque docebit, in arena eos ædificaſſe, ac fundamentum, cui ædificium tam vaſtum ſuperſtruere conati, nimis debile fuiſſe, arundini tantum eos innixos talem cauſæ ſuæ Patronum elegiſſe, qui ad mercedem navatæ operæ ſumptusque repetendos jus ſibi ipſe cum Internecione Patriæ dicturus erit. Pluribus hac de re tot periculis plena hic agere ſupervacaneum eſſe judicamus, confidimusque

 illos,

illos, qui Seren. Rempublicam ſalvare cupiunt, inter quos multi prudentes Senatores bonique cives exiſtunt, ſua ſponte id acturos, ut fratres ſeducti ac errantes prudenti commonſtratione alioque meliori modo & dexteritate in rectam viam reducantur. In præſens illud tantum declarabimus, quomodo ac in quantum Officia Noſtra interponere decrevimus, ut non tantum boni Cives, qui Regem ſalvum eſſe cupiunt, ſed etiam *illi*, qui officii Deo Regique debiti immemores perverſa fronte Regiæ Majeſtati adverſantur, omnemque lapidem movent, ad propoſita perficienda, mentem ac intentionem Noſtram cognoſcant. Notum ergo ſit, Nos ex ſincero animo ad ſopiendas querelas ac diſſenſiones, ſi quæ inter S. R. Majeſtatem & Sereniſſimam Rempubl. ſubortæ, tanquam a ſtudio partium alienum reſpective fratrem, amicum ac bonum vicinum, omnia bona officia offerre, Nobisque perſuaſiſſimum habere, Nos, Deo juvante, aliisque, ſi viſum fuerit, amicis ac fœderatis Noſtris, quos hæc res tangere poteſt, cooperantibus, ad beneplacitum & ſatisfactionem utriusque partis, & ad commoda Regni Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ internam concordiam, pacem ac tranquillitatem reducere poſſe. Neque dubitamus, quin hæc Noſtra e ſincero animo profecta officiorum oblatio eadem ſinceritate ſine ſuſpicione inſidiarum accipiatur. Prout enim S. R. Majeſtas Poloniæ de Amicitia Noſtra ac fraterno amore abunde certa eſt, ſic ſereniſſima Respublica hanc non fucatam intentionem noſtram, quia libertatem ejus ſartam tectam ob ante allegatos

tos ex pace æterno articulos propriumque noſtrum noſtrorumque ſtatuum intereſſe ſervare ſtudebimus, ſibi promittere poteſt. Deſideramus igitur, ut, quamprimum fieri poteſt, reſponſum categoricum Nobis mittatur, an hæc oblatio eodem affectu, pacis amore & tranquillitatis in Regno Poloniæ & Magni Ducatus Lituaniæ reſtituendæ deſiderio acceptabitur, quo a nobis, (Deus teſtis ſit) in præſenti facta eſt. Interim non intermittemus omnes eos apparatus facere, quibus, ſi adverſarii in propoſito perſiſtant, S. R. Majeſtatem in ſolio, quod legitime occupat, contra quoscunque tueri ac confirmare valeamus. Eos quidem, qui partes Sereniſſimi Regis ſequuntur, vel tempeſtive ad officium redeunt, tam ſingulari gratia ac benevolentia complectemur, ac ſi Nobis ipſis noſtriſque propriis commodis gratificati eſſent, neque deerimus omni ope & auxilio ad ſedandos hos motus illis adeſſe. Eos vero, qui Serenisſimo Poloniarum Regi obnituntur, neque ab exitioſo propoſito reſilire volunt, pro hoſtibus Noſtris, quos una cum iis, qui eorum partes ſequuntur, flamma, ferroque ubivis aggrediemur, declaramus, neque ceſſabimus hoſtilia quævis in eos exercere, donec hi pacis publicæ perturbatores & hoſtes Patriæ (quæ nomina eis in laudis ac decretis præſentium motuum occaſione factis ab ipſis eorundem Fratribus imponuntur,) in exemplum aliorum dignis pœnis affecti e Regno Poloniæ & Magni Ducatus Lituaniæ, quorum tranquillitas curæ cordique Nobis eſt, Zizaniæ inſtar extirpentur, Noſtraque vicinia a ſimilibus exitioſis

hominibus purgetur. Ut vero eo major vis hiſce literis Noſtris inſit, & non ſolum Sereniſſimæ Reipublicæ, ſed univerſo terrarum orbi innoteſcat, hanc eſſe ſeriam voluntatem Noſtram, præſentem declarationem cum omnibus, qui cauſæ noſtræ favent, Principibus communicabimus, ut extet paſſim eventualis eorum, quæ geſturi ſumus, juſtificatio. Vicinos vero, quibus cauſæ eæque juſtiſſimæ ſunt hanc rem tanquam communem Nobiſcum conſiderandi, ad conjunctionem & conſiliorum & virium invitabimus, nihil cæterum intermiſſuri, quod ad dignitatem & defenſionem S. R. Majeſtatis Poloniarum, cujus cauſam Noſtram facimus, quovis modo ſpectare poterit. Quod ſupereſt, omnibus illis, qui Sereniſſimæ Reipublicæ Veſt. commodis ac integritati conſervandæ ſtudent, gratiam ac benedictionem Omnipotentis, utque conſilia, quæ ſuſcipient, in gloriam Dei, tutelam Regis, Patriæque decus & emolumentum feliciter cedant, ex animo optamus, eosque bene valere cupimus. Datum Sloſburgi in Ingria 12. April. Anno 1703.

Sereniſſimæ Reipublicæ

bonus ac benevolus Amicus

Petrus,

MCXLIII.

Literæ AUGUSTI II. Regis Poloniæ, ad MICHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, cui amanter injungit, ut exoptatiſſimum, cui manus admoviſſet, pacis opus, ad finem perducere ſedulo conetur, 1703.

Jam

IAm tibi innotuerunt rationes, propter quas conſilium more Comitiali intimatum placere nobis, & præſenti conſilio nullatenus potuit. Tractatus vero pacis, ſicuti apud nos inter prima deſideria & vota, ita nullus, nec inveniri poteſt, qui tam pio & deſiderabili operi poſſit aut velit contrarius eſſe, tanto minus impedire, & invertere optimas pro pace intentiones, quinimo omnes ad hunc finem modos & media adhibemus, & in eo fundamento præſentibus te compellare viſum eſt, ut cum Commiſſariis ad Tractatum cum Corona Svecica a Republ. deſtinatis tecum ſecundum Inſtructionem ſibi datam conſilia juncturis, quibus ut auxilio adſis, ferventiſſime deſideramus, obteſtando per communem amorem univerſi, ut exoptatum hocce opus omni meliori modo in rem Patriæ continuare, & perficere velis, ut & nos particularem obligationem & Patriæ debitam pro bene operato gratitudinem & poſteritas memorem nomini tuo rependat recordationem; a quo ſicuti optatum optimorum intentionum noſtrarum exitum præſtolamur, ita optimam ex animo precamur valetudinem. Dabantur Mariæburgi 1703. die 18. April.

MCXLIV.

Litera ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad PROCERES S. R. IMPERII, per Delegatos in Comitiis Ratisbonenſibus ſubſiſtentes, quibus ipſis valde exprobrat a Statibus S. R. Imp. præſtanda hactenus non fuiſſe præſtita, eosque ad majorem impoſterum rerum ſuarum curam amice hortatur, 1703.

 Anna,

Anna, Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regina, Fidei defenſor &c. Ampliſſimis & Conſultiſſimis Viris Electorum, Principum, Statuumque Sac. Romani Imperii Conſiliariis & Legatis ad Comitia Ratisbonenſia Deputatis, ibidemque congregatis; Amicis noſtris perdilectis, ſalutem.

Ampliſſimi & Conſultiſſimi Viri, Amici perdilecti.

UT e ſtrenuo conſilio veſtro de delectu centum viginti mille hominum in præſidium Imperii habendo multam animo voluptatem percepimus; ita non absque magno dolore quam parum inde commodi profectum ſit, propterea, quod ad effectum modo debito perductum non ſit, obſervavimus, & licet e circulis quidam, qui hoſti propiores ſunt, ſuum militum numerum contulerint, alii tamen, qui ſe a periculo remotiores exiſtimant, eo minus tangi videntur, quaſi non imperium totum ſemper & hac tempeſtate Fœderati omnes unum corpus eſſent, adeo ut ſi unum aliquod ex iis membrum incommodi quid patiatur, reliqua cuncta ſerius aut citius dolore & damno pariter afficiantur, neceſſe ſit. Munimenti Kehlenſis a Gallis expugnatio & univerſum per Imperium trepidatio ex illo infortunio nata, tam curam quam vires defuiſſe, recens & locupletiſſimum teſtimonium exhibent, & cujusvis partis neglectæ detrimentum acceptum ad cæterarum incommodum pertinere demonſtrant, ac ſi plus curæ in contrahendo formandoque Imperii exer-

exercitu ſerio adhibeatur, nihil aliud cum ratione expectari queat, quam ut hoſtis induſtrius & rebus omnibus inſtructus ulteriores in Imperio mox progreſſus faciat, & loca alia deinde alia capiendo totius demum, antequam bellum hoc finitum ſit, potiatur, neque fieri poteſt, ut nos aliique in hac cauſa ſocii, qui ad immodicam Galliæ potentiam minuendam, & ad conſervandam Europæ libertatem bellum ſuſcepimus, fines illos præclaros aſſequamur, niſi omnes, quorum res agitur, præcipue autem grande Imperii corpus, junctis animis opibusque, ad propriam publicamque ſalutem procurandam vehementer conſpirent. Nos una cum Dominis Ordinibus Generalibus uniti Belgii pro noſtro in bonum publicum ſtudio copias noſtras in Belgio militantes numero, viginti mille hominum adjecto auximus, ita ut exercitum illic quinquaginta mille militum conſtantem impenſis propriis nunc alamus. Præterea claſſem numeroſam ingenti duorum millionum librarum monetæ noſtræ diſpendio annuo inſtructam tenemus, quæ jam vela facere parata eſt, ad damnum hoſti, ubi dolorem maxime ſentire poſſit, inferendum. Cæſaream ſuam Majeſtatem rogandam duximus, ut exercitus ſuos in Italia & alibi locorum militibus, aliisque rebus neceſſariis ſuppleri quam primum juberet, ita, ut graviter agendi facultatem habeant, verum quod ad exercitum ab Imperio conſcribendum attinet, cum ea res veſtri arbitrii ſit, a vobis, qui totius Imperii Majeſtatem repræſentatis, poſtulandum judicavimus, id quod etiam atque etiam facimus, ut

animos vobis & egregia, quam defenditis, cauſa dignos ſumatis, easque rationes ineatis, quibus ſingula Imperii membra ſuam quotque hominum commeatuum & armorum portionem quam primum & absque ulteriori temporis jactura, re ipſa conferre inducantur, cum anni tempus, ut hæ copiæ in campum deducantur, & conſiliis & progreſſibus hoſtis communis obviam eant, omnino flagitet. Quod ſupereſt, vos & Conſiliorum veſtrorum felices exitus Divini Numinis curæ ac benignitati plurimum commendamus. Dabantur in Palatio Noſtro a Sancto Jacobo nominato die 7. Menſis Maji, Anno Domini 1703. Regnique noſtri ſecundo.

Veſtra

bona amica

ANNA Regina

E. Hedges.

Inſcriptio.

Ampliſſimis & Conſultiſſimis Viris Electorum Principum Statuumque Sacri Romani Imperii Conſiliariis & Legatis ad Comitia Ratisbonenſia Deputatis, ibidemque Congregatis, Amicis noſtris perdilectis.

MCXLV.

Literæ Dn. SPANHEIMII, *Legati Generalium fœderati Belgii Ordinum, ad* PROCERUM S. R. IMPERII LEGATOS, *in Diæta Ratisbonenſi ſubſiſtentes, quos ſerio hortatur, ut Hannibale h. e. Gallis jam intra portas exiſtentibus,*

tibus, eas ſedulo rationes ineant, quibus S. R. Imperium ab imminente Gallicæ ſervitutis jugo vindicari poſſit, 1703.

Reverendiſſimi, Illuſtrisſimi, Nobilisſimi, Amplisſimi, Doctiſſimique Sacri Rom. Imperii Electorum, Principum ac Statuum Legati, Conſiliarii ac Deputati, Domini plurimum honorandi.

PErſuaſum quidem omnino habuerant Celſi ac præpotentes Belgii fœderati Ordines, fore ut Sacri Romani Dominis Electoribus, Principibus, Statibusque, ſi non urgens jam antea atque atrox periculum, certe nupera Gallicorum cum Bavaricis armorum cis ſylvam Hircyniam perpetrata conjunctio in viſceribus totius Germaniæ, ad præſtiturum in his Comitiis a Sacra Cæſarea Majeſtate Imperioque militum numerum propere contrahentium, moram omnem tolleret. Spes fuerat, ſic ſaltem promota jam in ipſa Germaniæ viſcera hoſtili exſuperante vi alte memoratorum Dominorum Ordinum fœderatorum precibus atque obteſtationibus libello, quem infra ſcriptus eorundem ad hæc Imperii Comitia Ablegatus Ordinarius ſub initium Menſis Aprilis nuperi via ſolita exhibuerat, eique adjuncto Dominorum Ordinum Conſulto] comprehenſis attentionis, quod pro rei gravitate ac ultima propemodum necesſitate par eſſet, acceſſurum.

Eo acerbiore autem cum animi ſenſu ac dolore re ipſa atque evidentia monſtrante didicerunt, tam ſincero affectui ſuo, juſtæque ſollici-

tudini tot ſuis ac fœderatæ Magnæ Britanniæ operoſiſſimis atque orbi notis præſtationibus nec infeliciter hactenus comprobatæ nequaquam pari aut connixu, aut celeritate, ex parte Imperii tum reſponſum hactenus eſſe, tum etiamnum reſpondéri, nec tamen manum a cura avertendi communis exitii retrahentes conſultum iterato duxerunt, Miniſtris ſuis, cum alibi, tum hic Ratisbonæ reſidentibus eam mandatis dare, quæ adjunctum folium ex vernacula lingua inGermanicam Superiorem fideliter tranſlata, fuſius *exhibebit.* Tametſi vero Hannibal jam non ante portam, ſed intra ipſa mœnia ſvaſor ipſe & Conſul & urſor, quid ſub hac rerum periclitantium mole agendum ſit, abunde clamet; Noluit tamen infra ſcriptus Ablegatus Ordinarius committere,quin ſuas etiam preces adjiceret, velint, jubeant & Sacra Cæſarea Majeſtas & Sacri Romani Imperii Proceres atque Ordines per Dominos Legatos ac Miniſtros ſuos in hiſce Comitiis congregati nec deeſſe Dominorum Ordinum fœderatorum tam fido conſilio, tam juſtæ petitioni, nec omittere eorum quicquam, quæ in rem præſentem in hoc tam ancipiti cauſæ communis articulo ad avertendum, quam e proximo totius Germaniæ, tam deinde univerſæ Europæ jugum ac ſervitutem ultima jam poſtulat neceſſitas, præcipue autem, ut miles Imperii numero bene magno alicubi adhuc reſidens quanta maxima feſtinatione neceſſariis omnibus bellicis inſtructus atque itineri commisſus, vires Germaniæ, ubi maxime urgens eſt periculum, tandem integret, memores, & calvam

a tergo

a tergo occaſionem eſſe, & poſt rem actam ſingulatim jam pugnantibus, univerſim deinde victis, remedium ſero venturum. Datum Ratisbonæ die 3. Menſis Junii 1703.

Reverendisſimorum, Illuſtrisſimorum, Nobiliſſimorum, Ampliſſimorum, Doctiſſimorumque Sacri Romani Imperii Electorum Principum ac StatuumLegatorum, Conſiliariorum ac Deputatorum Dominorum honoratisſimorum.

Ad quævis Officia paratisſimus

Spanheim.

MCXLVI.

Literæ Commiſſariorum Reipubl. Polonæ ad CAROLUM XII. Sveciæ Regem, quibus ſe ad pacem ipſocum in honeſtas & juſtas leges ineundam Regis & Reipublicæ nomine deputatos eſſe nuntiant, 1703.

Sacra Regia Majeſtas.

REmpublicam noſtram etiam in Comitiis generalibus felici nuper exitu rationem habuiſſe & naturalis defenſionis amplectendæ, nihil tamen magis deſiderare, quam cum Sacra Regia Majeſtate Veſtra Regnoque Sveciæ honeſtam firmam & ſtabilem pacem reſtaurandi, manifeſtum faciunt & evincunt, tum obtentum ſolenne diploma a Sacra Regia Majeſtate, Domino noſtro Clementisſimo, illam nunquam impoſterum & in ævum ſine conſenſu Reipublicæ ullum bellum inchoa-

inchoaturam & renovanda concluſaque fœdera ſacroſanćte ſervaturam, tum nullius Principis Vicini accepta armorum ſocietas, denique iterata noſtrorum jam antea deſignatorum ad tractatum Pacis Commiſſariorum approbatio. Spem itaque animis noſtris concipimus certam, motus hos, quibus Provinciæ noſtræ concutiuntur, monſtrata hacce ſecuritatis via brevi ſedari poſſe, tanto fiducius, quanto uberiorem in ultimis Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ habeamus declarationem, eam nimirum pacem ac tranquillitatem harum Regionum vindicta quavis potiorem ducere, & Reipublicæ noſtræ æqua poſtulata Regio animo judicaſſe. Recurrimus igitur ad Sacram Regiam Majeſtatem ſummopere exoptantes, quando citius pietatis juſtitiæ populorumque Votis expeditum negotium per Commiſſarios a Sacra Regia Majeſtate Veſtra, ad mutuum congreſſum nominandos, inchoari & divina cooperante gratia concludi poſſe, d. 18. Julii 1703.

Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ

Obſequentisſimi & ad Servitia paratisſimi

Stanislaus Morſztin, Palatinus Maſoviæ

nomine reliquorum.

MCXVII.

Literæ ejusdem cum præinſertis argumenti a COMMISSARIIS REIP. POLONÆ, ad COMITEM A PIPER, Supremum Regis Sveciæ Cancellarium exaratæ, 1703.

Ad

AD ultimas Sacræ Regiæ Majeſtatis literas debita cum veneratione perpenſas Reſpublica noſtra in Comitiis generalibus ſuper concluſis reſpondere gratisſimam nobis impoſuit neceſſitatem, quam libenti animo exſolvendo Excellentiæ Veſtræ enixe obteſtari volumus, quatenus circa indicatam præſentiam eidem Sac. Reg. Majeſt. redditionem ſinceram ſtatuum Reipublicæ noſtræ intentionem pacisque ſtudium ſolito eloquio ad ea, quæ pacis ſunt, inclinatione inſinuare non dedignetur. Securitati & tranquillitati utriusque regni fœderati ſatis proviſum eſſe conſtat, cum Diploma a Sacra Regia Majeſtate Domino noſtro Clementisſimo ne ſimilia in futurum eveniant, in manus ordinum Regni in latiori forma datum eſt, nec ulla armorum cum Vicinis Principibus inita ſocietas. Cæteris ad ipſum negotii tractatum reſervatis minime dubitamus, Excellentiam Veſtram ſtudiis ſuis ad conficiendum hoc ſalutis opus non defuturam allaboraturamque, ut univerſi negotii ſucceſſus Magni nominis ejus cedat gloriæ. Dab. die 18. Julii 1703.

Illuſtrisſimæ Excellentiæ Veſtræ

Addictisſimi & ad obſequia paratiſſimi

Stanislaus Morſztin, Palatinus Maſoviæ.

nomine reliquorum.

MCXLIIX.

Literæ HASZAN BASSÆ, Supremi Turcarum Imperatoris Vicarii, ad AUGUSTUM II. Poloniæ

loniæ Regem, quibus ipſi Achmedem III. in ſolium Turcicum ſucceſſiſſe, paciſque, quam cum anteceſſore ipſius fecerat, confirmandæ cupidiſſimum eſſe nuntiat, 1703.

IN præclara Chriſtiana gente religionis Chriſti Cuſtodi Noſtro Amico valde nobis Dilecto, Sereniſſimo Regi Poloniæ, Ducatus Lituaniæ, & Ruthenarum Regionum Monarchæ, immutabilem valetudinem omniumque ſublimium fortunarum Succeſſus, & ſemper optata ſolatia a Domino DEO ,¦ amicitia noſtra optantes ſciendum deferimus. Gratia ſummi DEI illius, qui omnia Dominia & Monarchias diſtribuit, anno 1115. (*ſcilicet* 1703.) menſe Rebigilachyr, die 9na (*ſcilicet mediis diebus Auguſti*) Majeſtatis Cæſareæ, Coronæque ejus Sereniſſimæ, potentiſſimæ, fortisſimæ, Dominus meus, magnificentia amplæ Monarchiæ Præcelſus Cæſar, Sultan Achmet Rex (cujus incolumitatem & Dominia & in felicitate Dominus DEUS quam diutiſſime conſervet) corona, omnibusque ab altitudine Divina promanantibus benedictionibus, dignitatibus, divitiis totius Monarchiæ Imperio privilegiatus Dominus & Hæres factus, rem dignam eſſe judicavit ut omnes Tractatus, qui intervenerunt ante Imperium ejus cum Porta Otthomannica & variis Nationibus, ſub tempus Imperii ejus approbarentur. Quapropter cum tali declaratione ad Veſtram Regiam Majeſtatem cum literis Majeſtatis ſuæ Cæſareæ, in officio magnæ autoritatis exiſtentem antea Nobis fideliter dilectum Hrabin, Agam, mittit, per quem etiam nos, teſtantes noſtram

Veſtræ

Veſtræ Regiæ Majeſtati ſpecialem amicitiam, ſimul literas mittimus: DEUS ipſe id efficiet, ut omnia juſte conſtituta pacta, in nullo labefactentur, quin imo approbationem firmam, ſolidamque obtineant, quamdiu ex parte Veſtræ Regiæ Majeſtatis contra Tractatum non delinquetur ex hac quoque Imperii Turcici parte, non habendo ullam rumpendi Suppoſitionem, nec eam apprehendendo, in omni reverentia & arcta pacis amicitia juxta circumſcriptionem Tractatus & punctorum ejus colentur. Erit id tam toti Dominio Veſtræ Regiæ Majeſtatis, quam Incolis ejus, non ſine quiete & non ſine fructu aſſecuramus. Opto interim valetudinem a Domino Deo & fortunam immutabilem & feliciter efficacem. Datum Conſtantinopoli Anno 1115. h. e. mediis diebus Auguſti Anno Chriſti 1703.

Haſan Baſza, Magnus Vezyr Imperii Turcici.

MCXLIX.

Literæ ACHMEDIS III. Turcarum Imperatoris, ad AUGUSTUM II. Poloniæ Regem, cui ſe nuper in avitum ſolium evectum eſſe refert, ſuumque Legatum pacis confirmandæ bonæque vicinitatis ſtabiliendæ ergo ad eum miſſum impenſe commendat, 1703.

Sultanus Achmed Chan, Filius Sultani Mechmet Chan, ſemper Victor. In præclara natione Chriſtiana & inclyta religione pie degenti, ſumme Nobis fideli & ſincere dilecto Regi POLONIÆ, Domino Lituaniæ, totiusque Ruſſiæ, aliorumque

rumque omnium pertinentium ad eorum Dominia Monarchæ, AUGUSTO II. incolumitatem, ejusque ſucceſſus optans, hiſce meæ Cæſareæ præcelſæ Majeſtatis defero ſciendum literis.

TOtius Orbis Supremus Dominus, Hæres æternus, qui moderatur cœlum, terram & fortunam, eamque largitur juxta ſuum beneplacitum, cui & quomodo vult de liberali clementique dextera ſua, primo tritam viam & veſtigium dilecti ſui, magni & ultimi Prophetæ Mahomet Muſtaffi contemplatione & miraculis beati, poſtquam me fecerit imitari, in ſublimis Monarchiæ thronum evexit & Imperii late dominia extendentis diademate decoravit, Anno 1115. Menſe Rebigilachyr die 9. feria quarta: Sit Deus benedictus, quod me extulerit ad tam ſublimiter Magnificum thronum, qui orbis eſt prima maximaque columna, usque ad admirationem; quod factum non ſine ſpeciali prædeſtinatione divina, ubi obtenta ab omnibus fidelibus Adoratoribus Turcis oratione & benedictione ex ambone publice in omnium devotionum fanis, nominis mei coram Deo commendationem conſecutus, moneta ea, quæ in quavis Monarchia ſub nomine ſui Domini eſt & eſſe debet, ſub meo titulo & nomine, propter contentationem omnium Statuum, cudi juſſa, ſolitaque ejus in ditionibus meis, coæquatione ordinata injuriis omnibus & diſſenſionibus in Monarchia mea ſublatis, proviſa ubique in Regionibus meis, non ſuſpecta juſtitia, ubi velut ſol inter ſplendores remanſiſſem Sereniſſimus, placuit mihi, ut

ut omnes Tractatus Nationum quicunque cum Sereniſſima Porta mea de recenti ſunt concluſi juxta conditiones circumſcriptorum pactorum, more antiquo a Majeſtate Monarchiæ meæ, non tantum conſervarentur, verum etiam approbarentur. Quapropter poſt felicem coronationem Imperii in Monarchia mea, cum hujusmodi notitia & declaratione ad Regnum tuum a latere Majeſtatis meæ, Terſanu Emirri (ſcilicet Commiſſarium Navis Turcicæ) nominis magni & exiſtimationis apud me, valde dignum virum Hrabinum, & cum eo literas mitto, quibus feliciter redditis, & honorifice acceptatis, intelliges, quod, ut debitæ nobiſcum, ſummeque omnibus neceſſariæ pacis conſtitutus Tractatus fideliter, ſine ulla violentia in infallibili integritate, ſacroſancte manuteneatur & obſervetur, approbando, Regno tuo, Miniſtris, uti & Officialibus omnibus, dominii tui, denuntio ſtrictæ inter Nos amicitiæ pacem, quæ recenter ante Imperium meum ſtetit, & jurata eſt, ut tempore Monarchiæ meæ, in nullo quo ad omnes conditiones lædatur, imo omni ſolidaque integritate & amore ſacroſancte colatur & approbetur, cum hac declaratione proteſtor, quamdiu ex parte Regni Tractatus in obſervatione erit, tamdiu ab Imperio meo, nullam dando rumpendi occaſionem, debitæ pacis affectus ſolita amicitia exhibebuntur. Hujus pacis & tractatus approbatio adfert ſecuritatem, & ſubditis ſine omni ſuſpicione quietem. Opto interea felicem ſucceſſum & optatum a Deo finem. Datum Adrianopoli, Menſe Rebigilachyr mediis diebus 1115. in Palatio

Cæſareo Adrianopolitano ; id eſt ultimis Septembris 1703.

Titulus a tergo conſpicuus.

Sereniſſimo in Natione Chriſtiana, & Potenti ex Principibus in Religione Jeſu, Amico mihi Fideli, Regi Poloniæ, AUGUSTO II. ut feliciter reddantur literæ Cæſareatus Noſtri.

MCL.

Literæ credentiales, quas AUGUSTUS II. Poloniæ Rex, Stanislao Antonio a Szczuka, Legato ſuo, ad FRIDERICUM I. Boruſſiæ Regem, tradidit, 1703.

Auguſtus II.

Poſt Tit.

POſteaquam nobis, ac univerſæ Reip. cognitum eſſe potuit Majeſtatem Veſtram non ideo nuper Regium in Pruſſia aſſumpſiſſe titulum, ut veteribus atque recentibus cum Sereniſſimis Prædeceſſoribus noſtris Regibus Poloniæ atque Republ. demptum aliquid imminutumque fœderibus queri poſſit, quin potius, ut auctus hic Regius Splendor uberiorem in vicina, fœderataque Regna ac provincias noſtras utilitatis commodorumque explicet ſphæram, poſitis demum qui hucusque liberam Remp. fatigavere ſcrupulis; quo firmiori nexu vetera & recentia conſtabiliantur Pacta, obortæque difficultates omni meliori modo aſſopiantur; atque contra communem olim hoſtem, nunc Regni noſtri ſub fucato amico nomine graviſſimum vaſtatorem, mutuis viribus deſide-

ſiderata ſecuritas, promptaque periculi propulſandi media pro nexu fœderati perpetuo Principis adinveniri, & exequi valeat, extraordinarium Legatum noſtrum magnum & Plenipotentiarium ſufficienter inſtructum, Illuſtrisſimum Stanislaum Antonium in Szczuczyn & Radzin Szczuka Procancellarium M. D. Lithuaniæ, Caſtrenſem, Lublinenſem & Vechenſem Gubernatorem, ad Majeſtatem Veſtram deſignari fecimus. Huic itaque tam publice quam privatim eandem accedenti, quatenus benignas & faciles concedere admisſiones, plenamque, quicquid nomine noſtro & Reipubl. propoſuerit, fidem tribuere velit, quemadmodum a Majeſtate Veſtra enixe contendimus, ita eidem a nobis vicisſim redhibitum iri omni occaſione pollicemur, ac interim fauſtisſimos auſpicati regiminis cum longæva valetudine, a Deo T. O. Maximo animitus precamur ſucceſſus. Dab. Varſaviæ die menſis Octobris 1703.

MCLI.

Literæ AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad PETRUM Czarum & Magnum Ducem Moſcoviæ, a quo enixe contendit, velit Oratori ſuo in Polonia degenti plenam impertiri poteſtatem, quo cujuscunque generis tractatus tute cum ipſo concludi posſint, ſibique contra ſeditioſos Coſacos auxilio adeſſe, 1703.

Poſt titulos utriusque Monarchæ.

CONſiderans tota Respubl. varias in his difficillimis temporibus circumſtantias cum Legato tuo ſub tempus præſentis Conſilii, conferenti-

am habuit, & ulterius conferendi ad latus noſtrum exiſtentibus Miniſtris licentiam dedit. Quapropter libenter haberemus, ut dicto legato tuo in aula noſtra exiſtenti plena poteſtas, ne quid deſit, ſi ad concludendum aliquem acceſſerimus tractatum, mitti posſit. Publica fama tulit, quod Coſaci Zaporovienſes ex dominiis tuis ſe immiſcuerint rebellioni Samuſii, aliorumque rebellium contra hanc Rempubl. ſiniſtre publicando, quod hoc fiat cum plena notitia tua, imo & permiſſu. Non adhibemus unquam rei huic fidem, imo ſimiles impresſiones a quovis amovemus, quia nunquam hoc fieri poſſe credimus, ut tu æternam pacem nobiſcum & cum hac Republ. habens, contraria facere, aut permittere velles. Diligenter proinde & ferventisſime te compellamus, precamurque, ut non tantum Coſacos tuos, ſi in ea inveniuntur rebellione, revocare, ſed etiam ad puniendam rebellionem, auxilio nobis velis adeſſe. Dab. die 13. Dec. Anno 1703.

MCLII.

Literæ ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad GEORGIUM WILHELMUM, Ducem Brunſvico-Luneburgenſem, cui ſedulo injungit, ut quosdam Sac. Rom. Imperii Principes Calamitatis Patriæ nimis incurios graviter hortetur, quo majori impoſterum ſolicitudine communis cauſæ utilitati proſpiciant, 1704.

Anna Dei gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regina, Fidei defenſor &c. Sereniſſimo & Celſisſimo Principi, Domino Georgio

orgio Wilhelmo, Duci Brunſvicenſi & Luneb. Avunculo & Amico noſtro charisſimo ſalutem.

Sereniſſime & Celſiſſime Princeps, Avuncule & Amice Chariſſime.

FOedus, quo cum Celſitudine Veſtra, aliisque Imperii Principibus & Statibus, ad tuendam Europæ libertatem adverſus unitam Galliæ & Hiſpaniæ Potentiam, conjunctæ ſumus, facit, ut Imperii Statum pro Noſtro proprio habeamus, adeoque res ibi tam infelici conditione eſſe, reperientes, haud mediocriter dolemus, ut cum merito exſpectare poſſemus, adeo grande & validum corpus ſummis viribus hoſtem communem propugnaturum, ille majores ibi magisque pernitioſos, majori etiam cum facilitate & celeritate, quam in alia quacunque parte, progreſſus fecerit, quod malum nulli magis cauſæ tribuere poſſumus, quam deſidiæ, & ſupinæ quorundam Principum & Statuum in Imperio incuriæ, qui a periculo, ut ipſi putant, cum remotiores ſint, ita parum moventur, ac ſi diſcrimen ad ipſos pervenire non poſſet, & quaſi illi, qui belli calamitate, & miſeria premuntur, non ejusdem, cum ipſis, Imperii pars eſſent, cum omnes qui patiuntur, Germani nominis & gentis ſint, qui fraterna charitate & miſeratione mutua commoveri deberent, ſeque conatu plusquam ordinario exerere, cum videant exterorum exercitum in ipſis Patriæ ſuæ viſceribus Hyberna conſtituiſſe, diverſas urbes magni momenti, & bene munitas, uno vere expugnatas & captas, atque Imperii copias omnibus in locis

aut profligatas, aut ita oppugnatas, ut nullam rem memoria dignam, toto hoc anno præſtiterint, quod quidem adeo triſtem rerum in poſterum faciem Nobis videtur exhibere, ut niſi conſilia majori cum cura capiantur, & ſtrenue magis executioni mandentur, quin Sacr. Rom. Imperium armis Gallicis funditus evertatur, nullo modo vitari poſſe, Nobis videtur. Illi interim Principes extra Imperium, qui vi rationis, & proprii commodi argumentis ducti, cauſæ communi favent, eæque ſe adjunxerunt, ut Luſitaniæ Rex, & Sabaudiæ Dux, inauſpicato rerum in Imperio ductu, & infauſto exinde ſucceſſu, haud mediocriter commoventur. Nos igitur modo vehementiſſimo a Celſitudine Veſtra contendimus, uti ipſi videatur, ſeſe hoc tempore, cum omnia in ultimum diſcrimen adducantur, erigere, ac alios adhortari, id quod Nos facimus, ut eo animi conatu, iisque viribus agant, ut nos cæterique Fœderati, aliquid ſerio tandem præſtari gaudeamus, & ſperemus, annuente divino numine, præclaros illos fines *libertatis* & tranquillitatis aſſecuturos, quos propoſitos nobis ante oculos habuimus, cum hoc bellum ſuſciperemus, in quo nihil, quantumvis oneroſum, omiſimus, quod Noſtro, aut Fœderatorum Noſtrorum judicio, poſſet, vel delectu militum habendo, vel ſubſidia largiter ſuppeditando, vel claſſem numeroſam inſtruendo, ad finem promptum & felicem huic bello imponendum facere. Cum igitur Nos tanto ſtudio ac diligentia uſi ſimus, tanto magis fas eſſe Nobis alios Principes & Status ad idem ſtudium excitare, & adhortari tam privati cujus-

cujusque commodi, quam cauſæ communis gratia, perſuaſum prorſus habemus. Quod ſupereſt, Celſitudinem Veſt. divini numinis tutelæ ex animo commendamus; Dabantur in Palatio Noſtro a Sancto Jacobo nominato, 14. die Menſis Januarii Anno Domini 1704. Regnique Noſtri ſecundo.

Celſitudinis Veſtræ

amantisſima Neptis

ANNA Regina.

MCLIII.

Literæ MICHAELIS RADZIEJOVII, Regni Poloniæ Primatis, ad SENATUM CIVITATIS GEDANENSIS, quibus eum ad confœderationem Varſavienſem invitat, 1704.

P. P.

FIdem Dominationum Veſtrarum, quam in proſperis & adverſis æque conſtanter experiri conſvevit hæc Reſpublica, nunc vel maxime ſolicitat, cum de vindicandis libertatibus, & reinducendo priſtinæ tranquillitatis ſtatu agitur, ad quem ſcopum unice collimare Generalem confœderationem noſtram nemini non notum aut rarum, niſi quos turbo, vel privatorum ſtudia delectant. Quid enim hucusque fuiſſeRempublicam niſi appellationem tantum ſine corpore & ſpecie cuncta, civilibus diſcordiis concuſſa, jura everſa, calcata, bellorum incommoda, populi gementis lachrymas, nihilque propius ad perniciem liberæ gentis accidere, quam mutationem Status antiqui & figuram novi. Quapropter adimendo amplius ſævi-

 enti-

entibus malis intumeſcendi licentiam, confœderationem eandem, typis impreſſam authentice communicandam cenſui & communico; obligando teneritudines earundem ad ſtatum hunc, ad quem ſe determinarunt Palatinatus & terræ confœderatæ, etiam Dominationes Veſtræ ſuſcipere non abnuant, conformique ad intentiones Noſtras ſenſu nexibus confœderationis ſatisfaciant, & ab aliis ſatisfieri curent; quibus ex gradu Primatiali meo delatis circa votum proſperrimorum ſucceſſuum maneo,

Dominationum Veſtrarum

Varſaviæ Menſ.
Maji—1704.

MCLIV.

Literæ PETRI, Portugalliæ Regis, ad FRIDERICUM I. Boruſſiæ Regem, cui de Regio, quo ante triennium ornatus eſt, gratulatur honore, 1704.

Petrus, Dei Gratia Rex Portugalliæ & Algarbiorum citra & ultra mare in Africa, Dominus Guineæ, Conquiſitionis, Navigationis & Commercii Æthiopiæ, Arabiæ, Perſiæ, Indiæque &c.

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi Friderico, eadem Gratia Dei, Regi Boruſſiæ, Marchioni Brandenburgenſi tot. tit. Fratri & Conſanguineo noſtro chariſſimo, ſalutem ac felicitatem.

Sere-

Sereniſſime ac Potentiſſime Princeps, Frater & Conſanguinee Chariſſime.

PEr literas XIV. Calend. Februarii anno milleſimo ſeptingenteſimo primo a Majeſtate Veſtra datas intellexi, ipſam gravibus adductam cauſis ratione Ducalis Boruſſiæ, cujus jam olim Principes Regio titulo claruere, regium ſibi nomen ac ſtemma aſſeruiſſe; Idque probantibus ac plaudentibus nonnullis Regum, Principum ac Rerumpublicarum feciſſe. Qui quidem nuntius pergratus mihi accidit, cæterorumque principum plauſui libentiſſime accedo, quod mutuus inter nos animus, arctæque neceſſitudines ſuo quaſi jure poſtulant, ut Majeſtatem Veſtram omnibus fortunæ bonis auctam cupiam. Voveo autem & ſpero, ut Majeſtas Veſtra in communi cauſa acriter tuenda ita de tota Europa bene mereatur, ut regium nomen ac dignitatem poſt longam annorum ſeriem ad poſteros tranſmittat, inſigni gloria cumulatam. Interim ſi quid erit, in quo Majeſtati Veſtræ gratum facere poſſim, diligenter curabo, ut intelligat, nihil mihi jucundius aut optabilius accidere poſſe, quam ſi ei ſæpiſſime gratificari poſſim. Deus Optimus Maximus Majeſtatem Veſtram diutiſſime ſoſpitet, ac fortunet. Datum Olyſſippi poſtridie Idus Jun. anno Domini MDCCIV.

MCLV.

Litera LEOPOLDI, Rom. Imperatoris, ad JOHANNEM MARLBOROUGHIUM, Supremum copiarum Anglicarum Ducem, quibus mirum

ipſius ardorem & conſtantiam in conflictu cum Gallis ad Donawerdam habito oſtenſam, præcellenti mactat elogio, eumque ut victoriam ſtrenue fortiterque obtentam, pari alacritate proſequatur, amanter inſtigat, 1704.

Illuſtris, ſincere dilecte,

Multa ſunt & eximia Veſtra in me, Domumque meam & rem communem merita, interque ea non poſtremo loco cenſenda, ſingulare ſtudium, cura & diligentia, quæ in promovendo feſtinandoque validiſſimo auxilio a Sereniſſima & Potentiſſima Magnæ Britanniæ Regina, & Generalibus Fœderati Belgii Ordinibus mihi ad Danubium ſubmiſſo teſtati eſtis. Nullum vero adhuc dum illuſtrius, quam quod illico poſt exercitus veſtri cum meo conjunctionem in celeberrima fortiſſimaque caſtrorum hoſtilium ad Donawerdam aggreſſione expugnationeque die hujus labentis menſis ſecunda vobis comparaſtis; hujus enim ſucceſſus, quo mihi vix gratius, atque hoc quidem tempore opportunius quidquam accidere potuit, potiſſimam partem conſilio, prudentiæ & executioni veſtræ, nec non copiarum ſub ductu veſtro militantium miro ardori, & conſtantiæ deberi, ipſimet belli Duces mei & Miniſtri aſſerunt; præterquam igitur tam præclara fortium & egregiorum virorum teſtimonia aque ipſa adeo publicorum factorum remuneratrix fama nomini Veſtro laudes rependat ampliſſimas, me quoque, quem commoda ex illa victoria in publicam rem profluentia imprimis afficiunt, id vobis deberi exiſtimavi, ut hoc lite-

literarum mearum calculo partam vobis gloriam condecorarem, ſimulque certos vos redderem, nullam me demiſſurum occaſionem re ipſa vobis declarandi, quam gratam & propenſam voluntatem erga Vos geram. Vos interim, ut quæ tam ſtrenue fortiterque cœpiſtis, pari alacritate & induſtria perſequamini, omnique animi & virium impetu una cum Supremo meo Locumtenente Generali Marchione Badenſi, aliisque belli Ducibus meis in id incumbatis, quo contexatis extrema cum primis, bellumque hoc in viſceribus Germaniæ a Bavaro ſeditioſe excitatum quam celerrime conficiatis, non tam vos hortor, quam certo expecto. In hoc enim ſummam laudem eſſe, idque & ipſimet Sereniſſimæ Reginæ Veſtræ in Superiori Germania, ubi poſt hominum memoriam victricia Anglicani nominis arma viſa haud ſunt, ſempiterni inſtar trophæi fore abunde agnoſcetis. Quod ſupereſt, Deum precor, ut conſilia auſusque veſtros ſecundis eventibus beet, & propenſiſſimum animi mei affectum vobis iterum iterumque confirmo. Dabam in urbe mea Viennæ 12. Julii 1704.

Leopoldus.

MCLVI.

Literæ CAROLI XII. Svecorum Regis, quibus STANISLAO LESCZINIO, a malevolis quibusdam Senatoribus & ſeditioſa nobilitatis face in Regem Poloniæ illegitime electo regios gratulatur honores, 1704.

Sere-

Sereniſſime ac Potentiſſime Princeps, Frater, amice, & Vicine chariſſime.

QUo propenſiori Perſonam Majeſtatis Veſtræ ſemper amplexi ſumus voluntate, eo ſincerius ex epiſtola Majeſtatis Veſtræ gaudium nos cepiſſe fatemur, qua intelleximus, eam ad illud faſtigium, quod ſummæ ejus Virtutes meruerant, communibus fœderatæ Nobilitatis ſuffragiis eſſe evectam: Nec dubitamus, quin Majeſtas Veſtra perſuaſa omnino ſit, nos ex animo fortunæ huic favere: & cùm unicè Nobis propoſitum habeamus vetus cum Republica Polona amicitiæ fœdus perpetuo obſervare, eidem gratulamur, eum obtigiſſe Regem, cujus virtute ac prudentia collapſas reſtaurare res poterit, & nobis talem vicinum, cujus fidem cognovimus eſſe illæſam, & benevolentiam erga nos habemus quam perſpectisſimam; proinde Numen expoſcimus Divinum, ut Deus hoc inter humana ſummum Majeſtati Veſtræ quam diutisſime ſervet, atque ita novi regni auſpicia proſperet, ut Republica, quam turbatam jam accepit, pacata ac ſtabilita, æternam, caramque ſui memoriam Majeſtas Veſtra gratæ Poſteritati relinquat.

Majeſtatis Veſtræ

Dabantur in Caſtris noſtris ad Bloniam die 13. Julii 1704.

Bonus Frater, Amicus & Vicinus

Carolus

MCLVII.

MCLVII.

Litera STATUUM REGNI POLONIÆ, arctiſſimo confœderationis Sandomirienſis nexu conjunctiſſimorum, ad LEOPOLDUM, Rom. Imperatorem, quibus eum ſubmiſſe rogant, velit illegitimam Stanislai Leſczinii in Regem Poloniæ electionem improbare, eamque velut fœdiſſimum venerandæ Majeſtatis proſtibulum in integrum rejicere, 1704.

ETſi non ambigimus, Sacram Cæſaream Regiamque Majeſtatem Veſtram ex publica jam accepiſſe fama, quousque temeritatis privatus quorundam noſtrorum, inſtigante Rege Sveciæ, provectus ſit ambitus. Exiſtimamus nihilominus zelo noſtro, quem a Majoribus acceptum erga Religionem, Reges, legesque noſtras conſervamus integerrimum, omnino convenire, ut degenerem iſthanc ab avita Polonorum integritate actionem ſingularibus literis exaratis, Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtati Veſtræ ſignificaremus. Mirantur exteri, indignantur indigenæ, attonita ſuſpenſaque præſens hæret ætas, ſtupebit poſteritas, decem vel paulo plures perſonas, ob ambitionem propriam non ſuæ aut ſanæ mentis, ob potentiam externam non ſui juris, liberam liberi ac innumerabilis propemodum populi electionem uſurpare auſas eſſe, atque Stanislaum Lenczinsky, Sereniſſimi Regis Auguſti II. Domini Noſtri Clementiſſimi gratia Palatinum Posnaniæ, regnante legitime electo coronatoque eodem ſuo Domino, in prætenſum Regem Poloniæ publice, ſub favore armorum Svevicorum, nihil

nihil veritas proclamare contra patriæ humana divinaque jura. Judicet jam nunc SacraCæſarea Regiaque Majeſtas Veſtra ac pro æquanimitate ſua ſimulatam amicitiam Regis Sveciæ paulo intentius conſideret, qui ſub ſpecioſo Protectoris libertatum noſtrarum prætextu Regnum Poloniæ ingreſſus an invaſerit, cum nemo, ne templa quidem & Divum Aræ rapaces ejus manus evaſerint; ſpoliato miſere Regno atque omni rerum agendarum nervo erepto, id unicum egit, ut nobis, priusquam egrederetur, nihil libere agendum relinqueret, ſed obtruſo ſuæ creationis prætenſo electo, ſeu potius invaſore, nos illius illum ſuæ ſervituti manciparet. Verum enim vero fallitur Rex Svecicus, & falletur, auxiliante Deo, exiſtimans Rempublicam noſtram tam cito opprimi, quam premi, tam facile capi, quam decipi, tam prompte vinci poſſe, quam dividi potuit; Unita illa & firmiſſimæ nuper confœderationis, in tuitionem Majeſtatis libertatumque vinculo ſibi verſus Sendomiriam reddita, oſtendet probe, vindice Deo juſto, quod non adeo omnis extincta gloria Teucrum, ut cineres ejus Danais adhuc formidabiles eſſe nequeant. Hæc igitur noſtra generalis Statuum Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ confœderatio in defenſionem Serenisſimi Regis Auguſti II. Domini noſtri, & libertatum noſtrarum firmata, dum etiam per externa amicorum Principum fœdera fœdus ſuum comprobandum ſecundandumque non dubitat, ſingulariter de Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Veſtræ amicitia bene perſuaſa confidit. Eandem

exorbi-

exorbitantiam a patriis Gentiumque legibus & nulliter attentatam electionem merito improbaturam, & impoſitum ſeu intruſum vi & potentia Svecica novum electum pro Rebelli perduelli ſatius, quam pro Rege cum aſſeclis habituram, Cumque communis Regum in eo verſatur cauſa, ne privatus ambitus tantum ſibi in coronata capita licere præſumat, Sereniſſimo Noſtro Auguſto IIdo amico ſtudio operaque nunquam defuturam, Sacram Cæſaream Regiamque Majeſtatem Veſtram nobis certo appromittimus, imo ut vigore Gvarantiæ Pactorum Olivenſium contra partem excedentem conſurgere, validisque auxiliis Sereniſſimum Regem noſtrum & Rempublicam ſecundare Sacra Cæſarea Regiaque Majeſtas Veſtra dignetur, enixe rogamus. Interim vero Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtati Veſtræ longam vitam, tranquillum imperium & proſperrimam in regnando ſucceſſuum ſeriem ex animo vovemus. Dabantur Jaroslaviæ Menſe Septembri 1704.

MCLIIX.

Literæ ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad FRIDERICUM I. Boruſſiæ Regem & GEORGIUM WILHELMUM Ducem Brunſvico-Luneburgenſem, tanquam Circuli Saxonici inferioris Directores, quibus eos blande compellat, ut quam primum in dicto Circulo conventum indicere, & in eo de mittendis confeſtim ad Exercitum Imperii contingenti militum parte numisque eis alendis ſufficientibus deliberare ſatagant, 1704.

Anna Dei gratia Magnæ Britanniæ &c. Regnia

nihil veritas proclamare contra patriæ humana divinaque jura. Judicet jam nunc Sacra Cæſarea Regiaque Majeſtas Veſtra ac pro æquanimitate ſua ſimulatam amicitiam Regis Sveciæ paulo intentius conſideret, qui ſub ſpecioſo Protectoris libertatum noſtrarum prætextu Regnum Poloniæ ingreſſus an invaſerit, cum nemo, ne templa quidem & Divum Aræ rapaces ejus manus evaſerint; ſpoliato miſere Regno atque omni rerum agendarum nervo erepto, id unicum egit, ut nobis, priusquam egrederetur, nihil libere agendum relinqueret, ſed obtruſo ſuæ creationis prætenſo electo, ſeu potius invaſore, nos illius illum ſuæ ſervituti manciparet. Verum enim vero fallitur Rex Svecicus, & falletur, auxiliante Deo, exiſtimans Rempublicam noſtram tam cito opprimi, quam premi, tam facile capi, quam decipi, tam prompte vinci poſſe, quam dividi potuit; Unita illa & firmiſſimæ nuper confœderationis, in tuitionem Majeſtatis libertatumque vinculo ſibi verſus Sendomiriam reddita, oſtendet probe, vindice Deo juſto, quod non adeo omnis extincta gloria Teucrum, ut cineres ejus Danais adhuc formidabiles eſſe nequeant. Hæc igitur noſtra generalis Statuum Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ confœderatio in defenſionem Sereniſſimi Regis Auguſti II. Domini noſtri, & libertatum noſtrarum firmata, dum etiam per externa amicorum Principum fœdera fœdus ſuum comprobandum ſecundandumque non dubitat, ſingulariter de Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Veſtræ amicitia bene perſuaſa confidit. Eandem exorbi-

exorbitantiam a patriis Gentiumque legibus & nulliter attentatam electionem merito improbaturam, & impoſitum ſeu intruſum vi & potentia Svecica novum electum pro Rebelli perduelli ſatius, quam pro Rege cum aſſeclis habituram, Cumque communis Regum in eo verſatur cauſa, ne privatus ambitus tantum ſibi in coronata capita licere præſumat, Sereniſſimo Noſtro Auguſto IIdo amico ſtudio operaque nunquam defuturam, Sacram Cæſaream Regiamque Majeſtatem Veſtram nobis certo appromittimus, imo ut vigore Gvarantiæ Pactorum Olivenſium contra partem excedentem conſurgere, validisque auxiliis Sereniſſimum Regem noſtrum & Rempublicam ſecundare Sacra Cæſarea Regiaque Majeſtas Veſtra dignetur, enixe rogamus. Interim vero Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtati Veſtræ longam vitam, tranquillum imperium & proſperrimam in regnando ſucceſſuum ſeriem ex animo vovemus. Dabantur Jaroslaviæ Menſe Septembri 1704.

MCLIIX.

Literæ ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad FRIDERICUM I. Boruſſiæ Regem & GEORGIUM WILHELMUM Ducem Brunſvico-Luneburgenſem, tanquam Circuli Saxonici inferioris Directores, quibus eos blande compellat, ut quam primum in dicto Circulo conventum indicere, & in eo de mittendis confeſtim ad Exercitum Imperii contingenti militum parte numisque eis alendis ſufficientibus deliberare ſatagant, 1704.

Anna Dei gratia Magnæ Britanniæ &c. Regnia

gina Sereniſſimo & Potentiſſimo, Principi, Domino Friderico eadem Gratia Regi Boruſſiæ &c. (tot. tit.) Fratri, Conſanguineo & Amico noſtro Chariſſimo; nec non Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi Domino Georgio Wilhelmo, Duci Brunſvicenſi & Luneburgenſi Avunculo & Amico noſtro Chariſſimo, tanquam Circuli Saxonici inferioris Directoribus, Salutem.

Sereniſſime & Potentiſſime Princeps, Conſanguinee & Amice chariſſime, nec non Sereniſſime & Celſiſſime Princeps Avunculе & Amice Chariſſime.

PErſpectum ſatis eſt, quanti momenti ſit, ad Succeſſus bellicos, ut exercitus primo anni tempore in campum educatur, iis omnibus rebus inſtructus, quibus opus ſit ad ea peragenda, quæ e re communi viſum fuerit. Tantum enim abeſt, ut aliquid eorum, quæ uſus belli poſtulat, perficere valeamus, ſi imparati in hybernis milites deliteſcant, ut inimicis etiam occaſionem eo modo porrigamus Nos opprimendi. Nos igitur curavimus diligenti præparatione, ut nihil deſit ineunte Vere copiis noſtris; Fœderatosque noſtros, ut idem faciant, eo magis exhortandos duximus, quod tanta ſit inimicorum noſtrorum & tam indefeſſa ſedulitas, ut ſummo nobis dedecori futurum ſit, ſi diligentia vinci nos ab iis patiamur, quibus Juſtitia cauſæ Militumque numero & Virtute longe ſuperiores ſumus. Legiones ipſorum ſemper paratæ ſunt, nec tempus anni aut inclementia Cœli obſtat, quo minus imperatum iter proſe-

proſequantur, quippe frumentum illis & Inſtrumenta bellica affatim ſuppetunt, Cellis ubique & Apothecis extructis; nihil opus eſt, ut his recenſendis diutius immoremur; omnia hæc per ſe ſatis nota ſunt, nec Majeſtatem Veſtram & Celſitudinem Veſtram latere poteſt, quid commodi ex præparatione rite inſtituta, quid incommodi ex eadem neglecta aut dilata expectandum ſit, perſuaſæ in hac cauſa pro libertate Europæ aſſerenda, & bono publico tuenda, animatas eſſe, ut nihil prætermittere velint, quod ad hos fines conſequendos pertineat. Præſertim cum Romani Imperii dignitas & incolumitas Germanique nominis decus totiusque Circuli Saxonici inferioris ſalus id a Majeſtate Veſt. & Celſitudine Veſtra poſtulare videantur. His itaque rationibus & Sereniſſimi Romanorum Regis exemplo incitatæ (qui ſuas itidem literas ad Majeſtatem Veſtram dedit) omni ſtudio a Majeſtate Veſt. & Celſitudine Veſtra petimus, & pro mutua amicitia & fœdere (quo invicem connexi ſumus) contendimus, ut Conventum Circuli Saxonici inferioris quamprimum convocent, easque rationes ineant, quo Circulus Sax. inferior, ſine ulla procraſtinatione præbeat contingentem ipſi ex Decreto Imperii, undecimo die Martii emiſſo, ſecundum Matriculam Imperii, partem, tam eam, quæ ad milites, rem tormentariam pecuniamque ſpectat, quam eam, quæ Cellis & Apothecis condendis ſufficiat. Speramus Majeſtatem Veſtram & Celſitudinem Veſt. ita exiſtimaturos eſſe, Nos hæc poſtulata facere non ſolum æquitate rei permotas, ſed etiam neceſſitate

quodammodo compulſas poſt tanta incommoda & detrimenta Reipubl. illata ex lentis nimium & tardis conſiliis & neglecta, aut dilata numeratione pecuniæ militumque profectione. Quorum memoria feliciſſime deleri poſſit prompta & alacri impoſterum præparatione. Nullæ dubitamus, quin eandem adhibere velint Majeſtas Veſtra & Celſitudo Veſt. non ſolum propter utilitates, quæ exinde ſecuturæ ſunt; ſed etiam pro amore ſuo & ſtudio erga bonum publicum, quod hac ratione optime demonſtrari poteſt, & toti mundo inneteſcere. De cætero Majeſt. Veſtram & Celſitudinem Veſt. Dei Opt. Max. tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio Noſtro Divi Jacobi die Menſis Novembris tertio. Anno Domini 1704. Regnique Noſtri tertio.

Majeſtatis Veſtræ
Celſitudinis Veſtræ

Bona Soror & Conſanguinea
&
Amantiſſima Neptis
ANNA R.
Rob. Harley.

Nota. Ejuſdem tenoris literæ etiam ad Lotharium Franciſcum, & Chriſtianum, Marchionem Brandenb. Circuli Franconici Directores exaratæ fuerunt.

MCLIX.

Litera ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad CANTONES HELVETIÆ EVANGELICOS, quibus ipſis Legatum ſuum apud ipſos commorantem

rantem proxime avocatum, alium vero in locum ejus ſubſtitutum iri ſignificat, 1705.

Anna, Dei Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Regina, Fidei defenſor &c. Illuſtribus atque ampliſſimis Dominis Conſulibus, Scultetis, Landmannis & Senatoribus Cantonum Helvetiæ Confœderatorum, Amicis noſtris Chariſſimis ſalutem.

Illuſtres & Ampliſſimi Domini, Amici Chariſſimi.

CUm Gvilielmum Aglionby, Armigerum Noſtrum, Ablegatum extraordinarium apud vos revocare ſtatuerimus, hujus Conſilii Noſtri participes vos quam primum fieri par eſſe judicavimus, & ſimul certiores faciendos ne deſit, qui amicitiæ benevolentiæque, quæ inter nos viget, colendæ & firmandæ inſervire poſſit, nos alium Miniſtrum idoneum in ejus locum propediem ſubſtituere in animo habere. De cætero vos, ac res Veſtras Divini Numinis tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio Noſtro a Sancto Jacobo nominato die 19. Menſis Februar. Anno Domini 1705. Regnique Noſtri tertio.

Veſtra

bona Amica

ANNA Regina.

Hedges.

MCLX.

Literæ AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad CLEMENTEM PAPAM XI. quibus reverenter ab eo

 efflagi-

præterire, vel diſſimulare non poſſum, neque, ſi poſſem, debeo. Opinari proinde & plane ominari licet, quod Sanctitas Veſtra, cui Summus Deus in terris judicium dedit, in dictum D. Epiſcopum animadvertet, neque uti ſpero, imo & credo Roma dimittet, ne janua aperiatur ad res novas, & pejora prioribus, quorum eſt capaciſſimus, audeat. Quod reliquum eſt, illum, qui omnia poteſt, precor, ut Sanctitati Veſtræ firmam, in qua meæ ſalutis partes poſitas ſcio, det valetudinem; mihi vero ejusdem Sanctitatis Veſtræ amorem paternum demiſſe depoſco, & pedes ſanctiſſimos reverenter exoſculor. Dabantur Dresdæ die 22. Februar. 1705.

MCLXI.

Literæ AUGUSTI II. Regis Poloniæ, ad CLEMENTEM PAPAM XI. quibus ipſi gratias ingentes perſolvit, quod ſui rerumque ſuarum gnavam adeo curam habeat, 1705.

POſt oſcula Sanctiſſimorum pedum, & Regni mei humillimam recommendationem. Nunc vere ſcio, videoque ſigna non obſcura nec dubia paternæ in me voluntatis. Securitas mea quoquo modo diligentiſſime procuratur. Caſus exactiſſime pro menſura periculi prævidentur, & caſibus opportuniſſime providetur. Obviam futuris malis, jactum anchoræ antevertendo, non minus a maximo, quam ab optimo Patre itur. Reverendiſſimo in Chriſto Patri Nuntio digniſſimo omnis animadverſio injuncta, utrum ſcilicet aliquis ex Epiſcopis in Regno inveniatur, qui ante ſolis occa-

 ſum

ſum Orientem adorare velit? Num ſit aliquis, qui audax unius inceptum proſequi, & ad coronationem accedere præſumat, quam jam malitia inimicorum meorum, ſi tot modos, quot conatus haberet, perfeciſſet. Caſu quo reperietur aliquis, ut comminatione fulminis vaticani abducatur & detineatur. Omnia ergo Sanctitati Veſt. cum me debere profitear quid ei amplius jam debere poſſum? Tantum jam obſtrictus, obligatus, & devinctus ſum, quantum perſolvere in mea ampliùs non eſt poteſtate. Unicum mihi illud reſtat, ut pro hac cautione, quæ ubi quid timetur multum prodeſt, & pro hac immenſa & plusquam Paterna ſollicitudine de genu agam, quas referre nequeo gratias. Cura una & unicum id ſtudium mihi erit, ne moriar Sanctitati Veſt. ingratus. Accedit & alius recens, ſed non minor Sanctitatis Veſt. favor, cum id, quod optavi, ſupplexque petii, obtineo. Quod ſcilicet Reverendisſimus Nuntius Spada, non tam ob tituli munerisque dignitatem, quam ob inſignes, magnoque Præſule, & tanti Pontificis Miniſtro dignas virtutes, quæ illum æque ac honor characteris, quem portat, illuſtrant, mihi deſideratus, & omnibus exoptatus ex beneplacito Sanctitatis Veſtræ manebit meo in Regno, donec tanquam melius ſciens negotia incepta cum Illuſtriſſimo Cardinale Primate, & Reverend. in Chriſto Epiſcopo Poſnanienſi ad finem perduxerit perfectum. Et hæc ſunt beneficia Sanctitatis Veſt. Paternæ, quæ me in adverſis ſuſtentare ſolent, & pro quibus acclinis profundisſima cum veneratione, quam mihi, niſi mors adimet, nemo, debitas gra-

tias

tias, quarum nullus eſſe debet finis, humiliter iterum reddo, Deumque in omni corde, & in omni anima mea precor, ut det Sanctitati Veſt. longævam vitam, mihique filialis, quam unice in votis habeo, obſequii gloriam. Cujus pedes Sanctisſime exoſculor. Dabantur Dreſdæ die 27. Martii, Anno 1705.

MCLXII.

Litera LEOPOLDI, CARDINALIS A KOLONITSCII, Regni Hungariæ Primatis, ad ORDINUM SACRORUM PER HUNGARIAM GENERALEM PROVINCIALEM, quibus ipſi ſerio injungit, ut per totum Hungariæ Regnum pro anima pie defuncti Imperatoris Leopoldi miſſas haberi, omnesque ſubditos pro Salute Sereniſſimi Succeſſoris ipſius ardenter orare jubeat, 1703

Reverendiſſime Pater.

CUm inſcrutabilis Divinæ Majeſtatis Diſpoſitio Auguſtisſimum quondam Imperatorem & Hungariæ Regem, feliciſſimæ recordationis Leopoldum Primum e viventium numero, cum maximo fidelium ſubditorum luctu quinta currentis menſis Maji evocaverit, mearum partium eſſe duxi, tam acerbam luctus materiam prætitulatæ Paternitati Veſtræ intimare, idque eo potisſimum fine, ut pro communi in pientisſimum Imperatorem & Regem noſtrum defunctum obligatione pro æterna ejus animæ ſalute, precibus & Sacrificiis Divinam Majeſtatem exorandam eſſe admonerem.

Et cum pientisſimæ reminiſcentiæ Progenitori non minor Parente Filius, Auguſtisſimus Joſephus, hujus nominis primus, Dominus noſter clementisſimus, ut in Romani Imperii aliarumque Coronarum ac Provinciarum, ſic etiam in Apoſtolici Hungariæ regni gubernationem ac Regimen ſucceſſerit; altera precum publicarum & ſacrificiorum noſtrorum materia eſſe debebit, ut illi longævitatem, felix ac tranquillum pro ſubditi ſui populi ſolatio Regimen, uberrimam denique de cœlo benedictionem impetrare laboremus, qui ad Deum per preces & cætera pietatis opera recurſus hoc potiſſimum tempore neceſſarius eſſe in aperto agnoſcitur, cum afflictiſſima Patria noſtra tam funeſto, tamque diuturno belli incendio, & inteſtinis motibus, tam miſere agitatur, de quibus tanta Chriſtiani & cognati ſanguinis effuſio, Regni devaſtatio, Civium ruina, Eccleſiarum Dei expilatio, & quod non ſine ingenti ſcribo gemitu Catholicæ Religionis gravisſima ſane damna indies promanant. Hortor proinde, quam poſſum efficaciſſime, imo pro paſtorali, paternaque in ſingulos cura etiam moneo, ut prætitulata paternitas veſtra in ſingulis Eccleſiis ſibi ſubjectis, primo quidem pro Auguſtisſimi quondam Imperatoris & Regis noſtri Leopoldi pientisſime defuncti anima, tum pro Auguſtiſſimi pariter Imperatoris & Apoſtolici Regis Joſephi Primi, Domini noſtri clementiſſimi felici Regimine, demum pro communi Pace & tranquillitate Regni hujus publica ipſa Deum orare, reliquis

liquis autem Sacerdotibus Sacrificia Miſſæ, fideli populi autem preces, aliasque pro temporis & loci circumſtantia, Devotiones publicas indicere & inſtituere velit, ut Divina Bonitas, quæ ſola dare poteſt pacem, precibus noſtris placata, publicum hoc belli flagellum ab Hungaria avertere, eorum corda per quos ſtat, quo minus chariſſimæ Patriæ Pax, civibus ſecuritas, & a bonis omnibus optata tranquillitas redeat, movere clementiſſime dignetur. Ad quod ipſum prætitulata paternitas Veſtra ſuos primum curæ ſuæ ſubjectos, omnes denique alios pariter hac occaſione maxime hortari poterit, cum Auguſtisſimus Imperator & Rex, ac Dominus noſter Clementisſimus Joſephus Primus, quam primum poſt charisſimi Genitoris ſui mortem Regni gubernationem inchoavit, in verbo regio benignisſime reſolverit, ac omnibus Regnicolis innoteſcere voluerit, quod omnia ea, quæcunque in poſtrema Poſonienſi Diæta, occaſione ſui in Regem Hungariæ coronationis Regno per Diploma ſuum Regium promiſit, ac jure jurando confirmavit, illibate conſervare, & per ſuos ſervari facere velit, quod ipſum ex proprio ore ſuæ Majeſtatis audivi. De qua tam paterna pollicitatione & oblatione tam certa non eſt, quod ultra deſideremus, quam ut eandem ambabus ulnis amplectamur, ſicque deſiderata Patriæ Pax poſtliminio reſtituatur; ſecus non eſt, niſi quod juſtiſſimam Dei iram & triſtisſimum Patriæ ſuæ fortunarumque excidium tumultuantes expectent. Cæterum prætitulatam Pater-

Digitized by Google

nitatem Veſtram diu feliciter valere percupiens, maneo

Reverend. Paternitatis Veſtræ

Viennæ d. 14. Maji 1705.

Servus & Parens

Leopoldus, Cardinalis Kolloniz.

MCLXIII.

Literæ CAROLI XII. Svecorum Regis, ad JOSEPHUM, Rom. Imperatorem, quibus ipſi, ſe graviter moleſteque tuliſſe acerbum de morte glorioſiſſimi Parentis ejus nuntium, refert, & exoptatisſima Regiminis auſpicia, felicesque ſucceſſus amanter gratulatur, 1705.

Serenisſime ac Potentisſime Imperator, Domine Frater, Conſanguinee & Amice charisſime.

CUm ex literis Majeſtatis Veſtræ die ſexta hujus Menſis Viennæ datis, diem ſuum obiiſſe, percepiſſemus Serenisſimum ac Potentisſimum Principem, Dominum Leopoldum Romanorum divina favente Clementia, quondam electum Imperatorem, nec non Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæque Regem & Archiducem Auſtriæ, Majeſtatis Veſtræ Genitorem, noſtrum vero Fratrem, Conſanguineum, & Amicum Charisſimum pro eo, ac debuimus, dolore maxime commoti caſum hunc graviter moleſteque tulimus. Sive enim nosmet ipſos reſpiciebamus, memoriæ occurrebat, tam præclara ſemper Majeſtatem ſuam erga nos fuiſſe voluntate, tamque ſincero ac inconcus-

concuſſo in Fœderibus ſervandis animo, ut obitus ejus non potuerit non accidiſſe Nobis acerbus, quem vivum, ob amorem noſtri integerrimum, raramque morum Sanctitatem ſummopere, & diximus & coluimus. Sive turbatum Europæ Statum intuebamur, ceu pacando pari cura ac ſucceſſu ſe impenderat, dolebamus mortem illius in ea tempora incidiſſe, quæ prudentiſſimi, feliciſſimique Principis ope quam maxime indigerent. Equidem potuerit Majeſtas ſua videri, ſatis ſibi, ſatis etiam Gloriæ ſuæ vixiſſe, quæ ætatem attigerat plenam annorum, rerumque geſtarum magnitudine, & proſperorum eventuum veritate ad poſteros, memorabilem juſta tamen cauſa nobis viſa eſt, quare nos diuturniorem ejus vitam, ſi ſuperis ita placuiſſet, & exoptaſſemus, & hoc verum columen terris ereptum eſſe vehementer jam condoleamus. Quin etiam jacturam hanc longe graviorem duceremus, niſi ſummi numinis arbitrio, quod humana cuncta conſilio Nobis impenetrabili regit ac gubernat, pie acquieſcendum cogitaremus, ſubeunte præſertim locum divi Parentis Majeſtate Veſtra, quam emicantes hactenus ſub paterna claritudine dotes non vanæ oſtenderant, ſanandis iis, quæ caſu hoc concuterentur natam eſſe, quam etiam incœptam erga nos amicitiam non minori cura ac ſinceritate, quam beatus Parens, continuare velle ſumma cum voluptate ex Literis ejusdem nuperis, intelleximus. Quæ omnia ſicuti animum Noſtrum a ſolicitudine paulatim abducunt, ita ſupremum

mum hoc Fortunæ incrementum Majeſtati Veſtræ impenſe gratulamur: proſperosque optamus ſucceſſus ad ea perficienda, quæ præmatura Anteceſſoris morte deſtituta ſunt, ut Majeſtas Veſtra tanto uberiorem parandæ gloriæ materiem nanciſceretur. Nos viciſſim pro virili annitemur, ut conjunctionem, quæ nobis cum Imperatrici Domo hactenus fuerat arctiſſima, Majeſtas Veſtra non modo non relaxari unquam intelligat, verum fortiori magis impoſterum nexu adſtringi. Quam etiam nunc Divinæ Gratiæ commendatam eſſe volumus. Dabantur Ravitziæ in Majori Polonia die 24. Maji Anno milleſimo ſeptingenteſimo quinto.

Majeſtatis Veſtræ

Bonus Frater, Conſanguineus & Amicus

CAROLUS.

MCLXIV.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad EPISCOPOS ET PROCERES REGNI POLONIÆ, quibus eos ſub pœna Banni hortatur, ut Sereniſſimo Auguſto II. Legitimo Regi ſuo fideliter adhæreant, & novi Regis perperam electi partes plane deſerant, 1705.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis Regni Poloniæ,

Clemens Papa XI.

Vene-

Venerabiles Fratres ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ETſi præclara ac conſtans, quam de prudentia, fide ac religione veſtra habemus, opinio certam nobis ſpem faciat, vos memores eorum, quæ per alias noſtras in ſimili forma brevis literas, pro reſtituenda Reipublicæ Veſt. tranquillitate, tuendaque adverſus invaſores hæreticos Catholicæ religionis, & Clarisſimi in Chriſto filii noſtri Auguſti Poloniæ Regis illuſtris cauſa, ad vos ſcripſimus, nihil unquam adverſus eundem Auguſtum Regem admiſſuros, ſed debitæ erga eum reverentiæ argumenta daturos eſſe, ut omnibus palam fiat, ſacros eccleſiarum Antiſtites non turbandæ, ſed tuendæ juvandæque Reipublicæ allaborare; Nihilominus, cum nonnullorum audaciam eo progreſſam fuiſſe compertum ſit, ut contemptis omnibus Dei & Patriæ legibus, legitimoque Rege poſtpoſito, novum eligere Acatholicorum viribus potisſimum adſtipulantibus, non erubuerint, timerique merito posſit, ne mala malis addendo ad pejora in dies conſilia, ac non niſi in extremam totius Regni perniciem ceſſura prolabantur. Hinc eſt, quod nos conſiderantes, quam turpe eſſet & Epiſcopali Ordini indecorum, Eccleſiaſticam poteſtatem tam aperte legitimi Regis injuriæ patrocinari; quod ſane cavere vos maxime tam juſtitia ipſa, ac leges veſtræ, quam univerſi regni pax & tranquillitas, quin & Catholica religionis ratio omnino poſtulant; ac proinde pro paterna, quam erga Rempublicam veſtram ac vos ipſos gerimus, benevolentia

lentia quibuscunque gravioribus eventuris malis, quantum cum Domino poſſumus, mature occurrere cupientes, motu proprio ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Vobis & Veſtrum ſingulis, tenore præſentium diſtricte præcipimus atque inhibemus, ne Coronationi prædicti, nulliter & perperam electi Regis, quæ quoquo modo tentari poſſet, vos ullatenus ingeratis, ſub pœnis ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium, & interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ipſo facto, & absque alia declaratione incurrendis. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibusque & Synodalibus conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet concesſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expresſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X. Junii MDCCV. Pontificatus noſtri anno quinto.

(L. S.)

Fr. Oliverius.

MCLXV.

MCLXV.

Literæ FRIDERICI I. Boruſſiæ Regis, ad MICHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, quibus ipſi valde exprobrat, quod in univerſalibus nuper ſuo nomine publicatis adſeruerit, ſe Poſnanienſem Palatinum pro legitimo Poloniæ Rege agnoviſſe, eaque de cauſa cum Sveciæ Rege fœdus ſanxiſſe, 1705.

VIdi univerſales literas, quas publicari fecit Eminentia Veſtra in Polonia pro Convocatione Nobilitatis, & fateor mirari me ſuper ea, quæ dicta ſunt de me, hoc eſt, quod cum Rege Sveciæ novos inierim Tractatus ad Poloniam pertinentes, & quod recognoverim Palatinum Posnaniæ pro Rege per legationem publicam, & per plures alias demonſtrationes. Apparet male eam informatam eſſe de iis, quæ in hac occaſione geſta fuerunt. Sicut ergo multum mea intereſt, ut ſit melius informata, libenter eidem dicam, quod in hanc usque horam nullatenus recognovi dictum Palatinum pro Rege, & quod nullus ex meis Miniſtris in mandatis habuerit ad id faciendum. Idem intelligendum eſt de Tractatu cum Rege Sveciæ, cum quo nullus interceſſit ab anno 1703. qui nullatenus pertinet ad præſentem rerum ſtatum Regni Poloniæ, & in quo nulla mentio nec de dethroniſatione Regis AUGUSTI, nec de elevatione Palatini Poſnanienſis. Et ſicut clare video, quod ſi Orbis in hac manſerit opinione, in quam ejusdem univerſales literæ inducunt, non bonos inde oriri poſſe effectus. Excuſabit proinde, quod aliter hac in re informem non tantum

tum Poloniam, ſed & alias Nationes. Spem non dubiam habens confiſus in prudentia ejusdem ordinaria, quod in ſimilibus occaſionibus, quæ cum tempore accidere poterunt, nihil tale dicet ad perſonam meam pertinens ſine ſeria animadverſione ſuper verum rerum ſtatum, & ſine neceſſaria mecum communicatione. Precor interim Deum, mi Cognate, ut eandem in bona ſanitate & digna cuſtodia ſua conſervet. Dab. Coloniæ ad Spream die 16. Junii, Anno 1705.

MCLXVI.

Literæ AUGUSTI II. Poloniæ Regis ad JOSEPHUM, Rom. Imperatorem, de liberatione Principis Jacobi, cuſtodiæ in Saxonia demandati agentes, 1705.

EX literis Majeſtatis Veſtræ die 2. currentis, ad me amice & fraterne emanatis fuſius legi, quid eam ratione finalis eliberationis Principis Poloni Jacobi repetendo idem, quod Majeſtas pie defuncti D. Patris ejusdem, tanquam amicus, frater & vicinus deſiderabat, a me iterum requirendi moverit cum fiducia, & ſpe indubitata, quod ego præfatum Principem ex nunc priſtinæ libertati reſtituere ultra non cunctarer, ac ipſo facto demonſtrare vellem, ut ſua Majeſtas in concepta erga me fiducia non erraret, imo ego ex corde dolerem, ſi Majeſtas Veſtra ex dilata hucusque non ſine incommodo meo pacta eliberatione ſupra memorati Principis Poloni aliter cogitaret, aut conceptam erga me fiduciam diminueret, cum ego omni poſſibili modo eam manutenere, ac con-

ſtantiſſi-

ſtantisſime fovere unice ſtudeam, nec enim ſtante vita Suæ Cæſareæ Majeſtatis piiſſimæ memoriæ D. Patris ſui æquisſimis ejusmodi deſideriis annuere intermiſiſſem, nec modo reale documentum animi mei Majeſtati Veſtræ deditisſimi exhibere differrem, ſi de Securitate mea, quam juſtiſſime a me prætendi, nemo dubitare poteſt, ſufficienter proſpectum eſſet, cum Majeſtati Veſtræ ignotum non ſit, quatenus ex parte Cæſareæ Majeſtatis D. Parentis ſui, ſecundum ſolidas remonſtrationes, rationum mearum guarrantia & cautio appromiſſa fuit, quod Præfatus Princeps Jacobus ſub ſollicita inſpectione ex cautela Græcium, alii autem duo Fratres Principes Alexander & Conſtantinus Romam pergere deberent, ſubſecuto etiam, quod concernit ultimos duos ſuæ Sanctitatis aſſenſu. Cum autem hucusque nulla realis declaratio ſubſecuta ſit, nec ego ullam certitudinem habuerim, an & quomodo Majeſtas Veſtra cœptæ in hoc paſſu negotiationi inhærere & ad effectum deducere intendat. Inde Majeſtas Veſtra innato ſibi lumine evidentiſſime perſpiciet, quod ego ſtante, indiesque accreſcente Regni mei tempeſtate ac confuſione ad executionem conceptæ, præſuppoſita tamen ſupramemorata guarrantia eliberationis, ſine magno mei ipſius periculo me determinare non valeam. Interim Majeſtas Veſtra in conſideratione adductæ a me, ac ipſi ſufficientisſime notæ circumſtantiæ hocce reſponſum meum non eo ſenſu recipere velit; quaſi ego votis ejus in hocce paſſu annuere nolim, quinimo certiorem eſſe cupio, quod ego

ut in omnibus aliis occaſionibus, ita in hac potiſſimum recedendo etiam ab occurrentibus usque modo obicem ponentibus præcautionibus, deſideriis Majeſtatis Veſtræ confirmari non deſiſtam, ac inſuper propoſitionibus Majeſtatis Veſtræ per D. Legatum ejus, Comitem Stratman in charactere ſuo confirmatum toties, quoties mihi factis, ita reſpondebo, ut ex iis conſtans deſiderium meum conſervandi amicitiæ ac vicinitatis jura evidenter patere poſſit, utpote exoptans &c. Datæ in Cæſareis Carolinis Thermis 17. Jun. 1705.

MCLXVII.

Literæ FRIDERICI I. Boruſſiæ Regis, ad AUGUSTUM II. Poloniæ Regem, quibus ipſum commenta illa eſſe, quæ in univerſalibus Primatis Regni contineantur, nimirum quod Palatinum Poſnanienſem pro legitimo Poloniæ Rege agnoverit, edocet, conſtantisque & inconcuſſæ amicitiæ ſuæ ſecurum eſſe jubet, 1705.

Fridericus, Dei Gratia Rex in Pruſſia &c. Regi Poloniæ Auguſto II. &c.

Accepimus literas a Majeſtate Veſtra die 21. Junii ad nos datas, atque ex iis perſpeximus, quæ ratione univerſalium a Cardinale Radziciowski in Regno Poloniæ haud ita pridem promulgatorum ipſa a nobis deſideret. Primum quidem non vulgatum animi dolorem ex eo capimus, quod motus illi, quibus res Polonica inde ab aliquot annis concuſſa dilaceratur, nec dum ceſſare, quin potius latius ſerpere, & majora indies ſumere malorum incrementa videantur, adeoque

que nihil nobis antiquius, & magis in votis eſt, quam ut in Regno hoc æternæ amicitiæ arctioris-que fœderis nexu nobis conjuncto ad conciliandam firmandamque pacem quidquam conferre, ac ſaluti ejus conſulere queamus. Cui reſtituendæ uti hactenus omnia, quæ in poteſtate noſtra fuerunt, etiamſi ſcopum, quem intenderamus, non aſſecuti ſimus, re ipſa ac libenti animo contulimus, ita impoſterum conferre nullo modo deerimus. Quod vero univerſalia in Regno Poloniæ a Cardinale publicata, & imprimis id caput, ac ſi Palatinum Poſnanienſem publica legatione ac aliis externis demonſtrationibus pro Rege Poloniæ agnoviſſemus, concernit, id non minus nobis, quam ſibi maxime mirum videri Majeſtas Veſtra perſuaſiſſima eſſe poteſt. Quapropter etiam eam ob rem nulla interpoſita mora ad Cardinalem literas dedimus, & de commentis hiſce graviter conqueſti ſumus; ad quæ ipſe Cardinalis literis miſſis nobis reſpondit, ſibi nunquam in mentem veniſſe talia de nobis in vulgus ſpargere, atque verba ſupra nominata non de nobis, ſed de Seren. Sveciæ Rege, utpote qui nihil, quod ad Palatinum Poſnanienſem ad ſolium Poloniæ evehendum, in eoque firmandum, quocunque modo pertinere poteſt, hactenus intermiſerit, interpretanda eſſe.

Quibus ita ſe habentibus, & quem Majeſtati Veſtræ affirmare non dubitemus, eundem Palatinum neque a nobiſmetipſis, neque a quopiam Miniſtrorum Officialiumque noſtrorum noſtro nomine unquam pro Rege agnitum fuiſſe;

certi ſumus Majeſtatem Veſtram, quæ noſtrum in eandem affectum toties hactenus experta eſt, verbo huic noſtro Regio integram adhibituram eſſe fidem, & eadem porro erga nos amicitia, ſinceritateque uſuram, qua nos in eandem ſemper uſi ſumus.

Cæterum Deum Opt. Max. rogamus, ut Majeſtatem Veſtram optima corporis valetudine incolumem, ac proſpero rerum ſucceſſu florentem eſſe velit

Majeſtatis Veſtræ

Dab. Coloniæ ad Spream, die 27. Junii 1705.

Bonus Frater, & Cognatus

Fridericus Rex.

MCLXIIX.

Literæ JOSEPHI, Rom. Imperatoris, ad JOHANNEM MARLBOROUGHIUM, S. R. Imp. Principem, & ſupremum exercitus Anglici Ducem, quibus ipſum amanter compellat, velit Viennam haud gravatim accedere, ut ſecum de futuræ expeditionis bellicæ momentis mature deliberare poſſit, 1705.

Illuſtriſſime Conſanguinee & Princeps Chariſſime.

ETſi Dilectionem Veſt. mentem meam ſecum hic coram de re communi deliberandi, præſertim vero conſilia noſtra pro futura expeditione militari conferendi ex prioribus meis probe perſpexiſſe, nullus dubitem, ea tamen eſt hujus inſtituti gravitas, reique propoſitæ momentum, ut ab ea ceu

ceu cardine totam belli ſortem dependere, magnamque partem tum conſolationis meæ, tum ſpei Fœderatorum in præſentia Dilectionis Veſtræ ſitam eſſe, ſe latere nolim, Sereniſſimam quidem Reginam veſtram tanti Viri præſentia quanto-ocius opus habere omnino aſſentior: at eandem hoc paucillum, quod in hoc iter abſumeretur, tempus, mihi cauſæque communi libenter fore condonaturam, Generoſus Ejus fortisque animus dubitare me nullatenus ſinit. Compenſabitur ea, quæ intercedet, mora utilitate conſiliorum, quæ Dilectio Veſtra coram egregia ſua, qua pollet, prudentia, rerumque agendarum dexteritate hic promovebit. Proinde Dilectionem Veſtram denuo benigne requiro, hoc in ſe iter ut ut faſtidioſum ad me ſuſcipere, atque occaſionem amplecti velit, qua nomini ſuo per orbem jam clariſſimo novum fulgorem addere, ſuaque erga Auguſtam Domum meam fœderatorumque cauſam copioſa merita novo cumulo adaugere poteſt. Quibus Dilectioni Veſtræ benevolentiſſimum animi mei affectum conſtanter confirmo. Datum in Civitate mea Viennæ 27. Septembr. 1705.

Joſephus.

P. S. Je me remets pour le ſurplus ac e, que le Comte de Wratislau vous ecrira de ma part, n' ayant pas trouve à propos, de le faire inſerer dans cette Lettre, j' ay voulu donc par ces lignes vous renouveller mon amitié & eſtime, & vous marquer, combien vous m' obligerez, ſi vous venez icy, ſans quoy le concert de la Campagne prochaine ne peut eſtre bon.

MCLXIX.

Literæ ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad FRIDERICUM IV. Daniæ Regem, quibus maximam partem victoriæ e Gallis ad Ramelin reportatæ miro copiarum Danicarum ardori & infractæ fortitudini deberi profitetur, easque ipſi impenſe commendat & gratulatur, 1706.

Anna, Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Regina, Fidei defenſor &c. Friderico IV eadem gratia Daniæ, Norwegiæ, Gothorum, Vandalorumque Regi, Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt, Fratri, Nepoti & Amico noſtro chariſſimo, ſalutem!

Sereniſſime & Potentiſſime Frater, Nepos & Amice Chariſſime.

JAmdudum licet Majeſtati Veſtræ nunciaverit fama, quanta ſtrage duodecimo die Menſis elapſi juxta Ramelin fuſæ ſunt conjunctæ Hiſpaniarum & Galliarum copiæ, quantamque ibi gloriam ſibi acquiſiverint legiones Danicæ; Noſtri tamen eſſe duximus, hiſce literis Majeſtati Veſtræ notum facere, quantum auxilia iſta inviciſſima de nobis fœderatisque noſtris meruerint. Æquum enim eſt, ut qui ſub vexillis noſtris tam fortiter dimicarunt, debita laude a nobis cumulentur. Non ſatis quidem mirari poſſumus, quod milites, tam longo itinere prope confecti, tanto ardore in aciem irruerint: Sed conſpectus hoſtis novas dedit vires, nec citius illum viderunt, quam fugarunt. Senſit tandem Gallus bellicoſis Angliæ, Daniæ & Bataviæ populis longe ſeſe imparem, tutiusque ſibi,

nnn 3 pro-

propugnaculis, pro ſuo more latere quam aperto Marte contendere. Vix crederent poſteri duarum Monarchiarum exercitus Europæ ruinam minitantes, minori manu, & tam ingenti clade penitus deletos, niſi egregia ſpolia, locupletiſſimæ urbes captæ, magnæque Provinciæ ſubductæ magnitudinem teſtarentur. Quid ſupereſt, niſi ut Majeſtati Veſtræ fortiſſimos illos Viros, qui has res geſſerunt, commendemus, minime dubitantes, quin pro ſolita veſtra benignitate, & ut alii ad virtutem incitentur, illos approbare dignemini, utpote qui non minus honoris ſibi totique genti Danicæ conciliarunt quam utilitatis Europæ: De cætero Deum optimum Max. precamur, ut Majeſtatem Veſtram in ſua tutela habeat. Dabantur in arce noſtra Vindſoræ decimo ſexto die Junii Anno Domini 1706. Regnique noſtri quinto.

Majeſtatis Veſtræ

amantiſſima Soror & Amica

ANNA Regina.

MCLXX.

Reſponſoria FRIDERICI IV. Daniæ Regis, ad præinſertas ANNÆ, Magnæ Britanniæ Regis literas, 1706.

Fridericus IV. &c.

Majeſtati Veſtræ, de maxima illa, pulcherrimaque ad Romeliam nuper reportata Victoria lubentiſſime gratulamur. Et ſicuti ingenti cum gaudio ex veſtris percepimus literis, lætum adeo eventum ſagacia Majeſtatis Veſtræ ſequi con-

ſilia, ſic non minus acceptum Nobis fuit, pariter noſſe; quod in eadem iſta pugna bene ſe geſſerint noſtræ, quæ ſub Vexillis Veſtris dimicant, Legiones. Sane virtutem & felicitatem Majeſtatis Veſtræ totus jam nunc ſuſpicit Orbis. Fatentur omnes, veſtris conſiliis, opibusque ac auxiliis, reſtitutam rem ſociis eſſe & in ſecula ibit, regnaſſe Britannis Annam, cui tot Regna, tot populi ſalutem ſuam ac libertatem unice debebant. Magna certe gloria! cui & hoc accedit, quod in exteris virtutem ita æſtimet benignitas Veſtra, ut iis, quæ ipſi miſimus, auxiliis, victoriam ex parte adſcribere non dubitet. Ad laudem noſtrorum militum quam maxime pertinet, tantæ Reginæ judiciis exornari, majoremque ex laboribus ſuis & periculis percipere nunquam potuiſſent fructum. Proinde nec mirum, ſi pro tanto, quod animis præceperant, præmio, alacres ſe, indefeſſos impavidosque præſtiterint. Credere fas eſt, non tam conſpectum hoſtem, novas ipſis dediſſe vires, quam quia videbant, veniſſe jam diem, quo in acie promerenda iſta erat gratia; Et non poterant non vincere, qui pro tali Caſtrorum Matre, tantaque, quæ huic placuit, cauſa mori pulchrum putabant. Nihil ergo eſt, quod à Majeſtate Veſtra mandari Nobis gratius poſſit, quam ut eorum ſingulis ſua in tempora referamus decora. Et alii, quo ſimiliter commendentur, amabunt virtutem, & lætum nobismet ipſis erit, in noſtris gloriari veſtro poſſe judicio. De cætero &c. Dab. Jägersburgi d. 23. Julii Anno 1706

MCLXXI.

MCLXXI.

Literæ GENERALIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM ad JOSEPHUM, Rom. Imperatorem, quibus graviter conqueruntur Epiſcopo Paderbornenſi ab ipſo, quoad Electionem Monaſterienſem excluſivam datam eſſe, ejusque in Epiſcopum Monaſterienſem electionem ſibi ſuisque rationibus ſummopere proficuam fore exponunt, dictique Epiſcopi confirmationem obnixe poſtulant, 1706.

Sereniſſime &c.

DUm omnium oculi intenti ſunt in electionem EpiſcopiMonaſterienſis,& dum cum aliis Nuntium expectamus, quis liberis Capituli votis in novum Epiſcopum Electus fuerit, præter ſpem & expectationem omnino nobis affertur dilatam in menſem proximum eſſe electionem;Non magni equidem momenti foret brevis temporis jactura; niſi illam comitarentur graves quædam circumſtantiæ ſuffragiorum libertatem prorſus labefactantes, ſi non evertentes; Intelligimus enim datam in pleno Capitulo a Miniſtris Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ Reverendiſſimo Paderbornenſi Epiſcopo excluſivam, quam vocant, quo nomine Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ ab Epiſcopatu Monaſterienſi tanquam inidoneus prohibetur; Hæc res, cum etiam ad Nos pertineat, non potuimus non mentem Noſtram de ea Cæſareæ Majeſtati explicare, confiſi majorem Nos apud Cæſaream Majeſtatem Veſtram in audiendis rationibus noſtris, quam apud Miniſtros ſuos æquitatem reperturos.

Rem autem hanc ad nos pertinere, nec a Cæſareа Majeſtate Veſtra nec a quoquam in dubium vocari credimus, cum planum & apertum ſit, vicinitate (quæ tanta eſt, ut vix certo limite quibusdam in locis terræ diſtinguantur) & multis neceſſitatibus Rempublicam Noſtram cum Principatu Monaſterienſi conjungi, adeoque ſi ullius, certe Noſtri plurimum referre, Epiſcopum & Principem ibidem eligi & habere, de cujus propenſa erga Rempublicam Noſtram voluntate, non minus quam de ejus erga bonum publicum ſtudio absque omni hæſitatione omnino conſtet. Nondum enim memoria excidiſſe potuit, quanta Respublica Noſtra & ipſa quoque Germania mala perpeſſa ſit ab Epiſcopo & Principe Monaſterienſi, qui animo per ſe inquieto in contraria ſemper ſtudia ferebatur. Quam itaque extra omnem controverſiam poſitum ſit Noſtra quam maxime intereſſe, bonum & Nobis amicum habere Vicinum, nemo Nobis, ut putamus vitio vertet, ſi ſtatim poſt mortem Epiſcopi poſtremo defuncti (qui nobiſcum tam ſinceram fidem & conſtantem amicitiam coluit, ut ejus memoria Nobis ſemper clara futura ſit, cujusque ſtudium pro publica ſalute ſatis laudari nequit) partium Noſtrarum eſſe duxerimus evigilare & animadvertere, quorſum capitularium animi electionem novi Epiſcopi potisſimum ſe inclinarent, ut ſi in Virum vergerent, quomodo diximus, in publicum & erga Nos propenſo affectu præditum, illius electionem officiis & commendatione noſtrą ſalva votorum libertate juvare potis eſſemus;

Quie-

Quietem enim & tranquillitatem Reipublicæ Noſtræ ab ingenio & affectu tanti Vicini multum pendere res ipſa clamat, ipſa quoque Cæſarea Majeſtas Veſtra commendando Nobis Reverendisſimum Epiſcopum & Principem Oſnabrugenſem ſatis ſuperque oſtendit & Nos docuit, Cæſaream Majeſtatem Veſtram Nobiſcum ſentire, Nobis non perinde eſſe debere, quis in Epiſcopum Monaſterienſem eligeretur? Lubentes autem omni ſtudio & favore propenſam Noſtram in Epiſcopum Oſnabrugenſem voluntatem hoc in negotio oſtendiſſemns, ſi ſola virtus ejus atque Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ commendatio tantum conſideranda fuiſſent; Verum quoniam ad alia quoque attendere neceſſe fuerit, & præcipue ratio iniri debuerit, quam in partem potisſimum Capitularium animi flecterentur, nec obſcure Nobis appareat, longe pauciores Oſnabrugenſi, plurimos autem Paderbornenſi favere, hunc in quem majorem capituli partem inclinare videbamus, Nobis, ſi eligeretur, gratum & acceptum futurum, declarandum Nobis eſſe judicavimus, idque tanto magis, quod Nobis perſuaſisſimum ſemper fuiſſe, & impoſterum futurum, eumque ſtudio rei bene gerendi atque amore patriæ nemini cedere, atque adeo Monaſterienſem Epiſcopum & Principem optimum, Nos vicinum publicæ ſalutis, noſtrique amantiſſimum, per ejus electionem habituros; Nunquam enim in animum inducere potuimus, nec etiamnum poſſumus, fieri poſſe, ut Princeps Imperii, qui omni obſervantia Cæſaream Majeſtatem Veſtram ſemper coluit, atque

atque ejus Imperii & publici commodi ſtudioſiſſimus fuit, Cæſareæ Majeſtati Veſtræ diſpliceat; Quapropter cum tot tantisque rationibus adducti nos atque alterius injuria vel præjudicio pro Paderbornenſi Epiſcopo declaraverimus, tanquam pro Principe nobis grato & accepto, quem & cæteris quoque vicinis gratum & acceptum fore certi ſumus, præter omnem omnino expectationem, ne quid gravius dicamus, comperimus, Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ Miniſtros ſeſe non tantum electioni Epiſcopi Paderbornenſis in Epiſcopum Monaſterienſem ſummo niſu oppoſuiſſe, ſed minas addidiſſe, ſe, nomine Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ excluſionem ejus denunciaturos, ni deſiſteret, nec intra minas ſubſtitiſſe, verum re ipſa in pleno Capitulo non addita ulla ratione, eundem nomine Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ, quantum ad ipſos attinet, ſecluſiſſe, poſthabitis & ſpretis omnibus rationibus, quibuscum eos a tam invidiæ pleno procedendi modo retinere ſategimus. Aliis equidem, ad quos hæc propius ſpectant, oſtendendum, & quod minime difficile exiſtimamus, probandum relinquimus, quam illegitima & ipſo jure nulla ſit talis excluſio, quam libertati electionum & Inſtrumento Pac. Weſtphalicæ contraria, quam etiam in futurum periculoſa & noxia omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis Imperii Statibus, ſed quatenus ad nos pertinet, quorum maxime intereſt, quietem & tranquillitatem in vicinia noſtra conſervari. Celare Cæſar. Majeſt. Veſtram nolumus viam, quam Cæſar. Maj. Veſtræ Miniſtri hac in cauſa inierunt, Nobis

bis duram & ſpinis refertam videri, modum procedendi tam inconſuetum facile graves ſimultates & motus excitaturum. Qverimur etiam quod Reipublicæ & amicitiæ Noſtræ, quæ tamen nec publico nec Cæſareæ Maj. Veſtræ prorſus inutilis eſt, rationes omnino neglectæ ſint; quod immerito Nobis obtigiſſe dolemus, nec disſimulare poſſumus, cum tam propenſo ſtudio erga Cæſaream Majeſtatem Veſtram ſemper affecti ſimus, ejusque commodis addicti, cum tanto etiam ſuper vires conatu, tanta cum opum ſudoris & ſanguinis Noſtratium profuſione cauſam communem promoveamus, fructusque ſane non ſpernendos inde Domus Auguſta Auſtriaca capiat, plures etiam & majores expectet, ſpem Nobis concepiſſe & confiſos fuiſſe, ſi in negotio, in quo tam liquido commoda noſtra verſantur, ex parte Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ deſideria noſtra, tam ſolidis, ut ante demonſtratum eſt, fundamentis innixa, ſaltem Miniſtros Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ, ſi contrariam partem tenerent, non tam duris & inuſitatis mediis uſuros fuiſſe, majorem equidem, ut ante diximus, a Cæſarea Majeſtate Veſtra æquanimitatem & benevolentiam expectamus, & propterea non minus omni cum obſervantia & quam amicisſime rogamus, quam etiam ardentisſime petimus & flagitamus, ne Cæſarea Majeſtas Veſtra excluſioni jam factæ inhærere, ſed ut eam revocare, & Capitulo Eccleſiæ Monaſterienſis plenam Epiſcopum, quem velint, eligendi libertatem & facultatem relinquere velit, utique item Capitulum hujus revocationis

quam

quam ocyſſime certius reddat, quo lapis hic offenſionis tollatur, atque ſequelis, quas noxias & plurimas prævidere haud difficile eſt, occurratur, ne plures inde difficultates emergant. Cæſaream autem Majeſtatem Veſtram huic juſtæ petitioni protinus annuituram certo confidimus, ſecus enim non facturam, Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ nobiscum amicitia & æquitas ſpondent, quam enim opinionem, ſi aliter, præter expectationem fieret, concipere inde poſſemus, quam apud Cæſaream Majeſtatem Veſtram nullam Reipublicæ commodorumque Noſtrorum rationem haberi, ſtudiumque Noſtrorum pro publica cauſæ communis utilitate, meritaque noſtra erga Cæſaream Majeſtatem Veſtram, Domumque Auſtriacam a Cæſarea Majeſtate Veſtra plus una vice laudata flocci pendi, quod quam acerbum nobis caderet, quamque parum nobis ſtimulum adderet, ad pergendum eodem cum ardore in eadem via judicatu facile eſt; Verum enim vero Nobis perſuademus, Cæſaream Majeſtatem Veſtram maturius conſiderata & cauſæ & poſtulati Noſtri æquitate excluſionem factam illico revocaturam, ne dum communibus armis pro tuenda & vindicanda omnium libertate pugnamus, anſa præbeatur querendi ipſam illam libertatem, pro qua pugnamus, cujusque liberæ electionis poteſtas in Imperii capitulis pars non exigua eſt, infringi & opprimi, quam anſam ne Cæſ. Majeſtas Veſtra præbeat, ſed potius, ut libertatem votorum tueatur, iterum iterumque rogamus: Et quod ſupereſt Deum &c. Dab. Hagæ Comitum, die 4. Auguſti, Anno 1706. MCLXXII.

MCLXXII.

Reſponſoriæ JOSEPHI, Rom. Imperatoris, ad præinſertas GENERALIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM literas, quibus ſibi nec conjectura aſſequi unquam licuiſſe conqueritur, quod amicitiam ſancte ſecum hactenus cultam & communis cauſæ emolumenta, privatis Epiſcopi Paderbornenſis rationibus ſint poſtpoſituri, 1706.

Joſephus &c.

ACcepimus literas Veſtras die 4. labentis menſis ad nos datas, quibus nos incuſatis graviter a Nobis in negotio Electionis Epiſcopalis Monaſterienſis contra Reipubl. Veſtræ & amicitiæ mutuæ rationes peccatum eſſe, quod Miniſtri illic noſtri non modo deſideria Veſtra in favorem Epiſcopi Paderbornenſis declarata non juverint, ſed etiam contra illum excluſivam, ut vocant, in Capitulo denunciarint, eamque excluſionem a nobis revocari tanta contentione poſtulatis, ut ni id obtinueritis, Reipubl. Veſtræ commoda ſtudiumque pro cauſa communi uti & merita erga nos Veſtra flocci a Nobis pendi opinaturi ſitis. Inexpectatæ Nobis fuerunt tam acerbæ, tamque a ſolita moderatione & æquanimitate Veſtra alienæ opprobrationes, quas nulla Nos ratione commeritos eſſe, & multo meliore jure in Vos retorqueri poſſe oſtenderem, ſi id ad rem faceret, aut amicitiæ mutuæ conveniret. Hoc unicum non taceamus, Nos comprehendere nullatenus poſſe, quo pacto Epiſcopum Paderbornenſem a Nobis adjuvandum fuiſſe prætendatis, qui neque

neque ab ipſo requiſiti, neque unquam à Vobis de veſtra in illum voluntate edocti fuimus. Vobis in recenti hæret memoria, quod non tantum Auguſtisſimus Dominus Parens noſter, feliciſſimæ recordationis, cum defuncti nuper Epiſcopi Monaſterienſis fata inſtare ex frequentibus ejusdem infirmitatibus conjiceret, ſed & Nos ſtatim poſt illius obitum iteratis vicibus Noſtra Vobis circa Novam Electionem conſilia amice confidenterque communicaverimus ad Reipubl. Veſtræ non minus, quam Imperii & ipſius Epiſcopatus utilitatem directa, nullum autem reſponſum aut indicium retulerimus, Oſnabrugenſem Epiſcopum Vobis ingratum aut Paderbornenſem vel alium quemvis gratiorem fore. Cui adjungitis, quod Ablegatus Veſter, qui Monaſterii fuit, ad ultimos usque dies conſtanter pernegarit, neque prius Veſtram pro illo intentionem patefecerit, quam de ejusdem excluſione agi cerneret; Veſtro judicio permittimus, ſi quid eo usque contra mutuam amicitiam peccatum eſt, utri id parti imputandum ſit. Nunc quod excluſionem attinet, nimis quam verum eſt, quod Ablegatus Veſter ab ejusdem denuntiatione Legatum noſtrum retinere enixe & eo quidem modo ſategerit, quo vix indecentius quicquam aut Imperiali Autoritati magis injurioſum eſſe poterat, quod proinde à Vobis illi non mandatum, ſed ab Epiſcopo Paderbornenſi ſuggeſtum eſſe ſat certo perſuaſi ſumus. Quemadmodum autem ad eam excluſionem juſtis de cauſis ipſi Epiſcopo non incognitis devenire neceſſe fuit, ita ab illa nunc recedere

cedere ejus momenti & ſequelæ eſt, ut, tametſi in rebus etiam difficillimis, quantum Vobis tribuamus, oſtendere cupidiſſimi ſimus, tamen hoc a Nobis, ſi dignitatis noſtræ aliam rationem habetis, deſiderare non poſſe videamini, ejus quidem juſtitiam, cujus quæſtionem ad vos non pertinere ipſimet probe fatemini, tueri difficile non erit apud eos, qui verum honeſtumque amant, & Imperatorem non ludificandum, ſed bonam fidem reverentiamque ei ſervandam ſentiant. Libertas Capitulorum Germaniæ in eligendis Præſulibus nobis præ aliis vi officii noſtri curæ eſſe debet, & eſt, ita ut vix credamus Capitula hac in parte opern & præſidium veſtrum requiſitura eſſe, non etiam iis libertas illa unius alteriusve perſonæ probabili excluſione, cujus exempla non omnino inſolita ſunt, adimitur, quandoquidem illis inter plurimos eligibiles liberrimum optandi arbitrium relinquitur, adeoque multo minus ex ea motus & ſimultates, niſi aliunde excitentur & foveantur, timenda ſunt. Quod autem Reipubl. Veſtræ rationes concernit, ſi eas cum noſtris perpetuo neque conjunctas eſſe debere, prout non dubitamus, ſtatueritis, facile animadvertetis, nullo modo illis convenire poſſe in Monaſterienſem Epiſcopum & primum ſimul Circuli Weſtphalici Directorem talem eligi, de quo non vana ſuſpicio eſſe poteſt, ne odio alioque affectu ductus ad contrarias aliquando partes declinet. Quæ cum ita ſint, a prudentia, æquanimitate & amicitiæ ſtudio veſtræ nobis ſpondemus fore, ut Conſiliis veſtris in hoc Electionis negotio cœptis non inhæreatis, neque ex eo, quod vobis

hac in parte cum graviſſima dignitatis noſtræ jactura aſſentiri non poſſimus, noſtrum de veſtris ſtudiis meritisque in Nos & cauſam communem, ſenſum & æſtimationem menſuretis, ſed officia & operam veſtram, ſi eis hic locum eſſe credatis, potius eo conferatis, ut Capitulares, qui adhuc a Paderbornenſi Epiſcopo ſtant, in ſaniorem Noſtrisque votis conformem ſententiam eant, vel ſi id vobis integrum non eſſe putetis, eum ſaltem in hac noſtra cauſa modum teneatis, quem a nobis in rebus ad Rempubl. veſtram ejusque adminiſtrationem ſpectantibus, teneri æquam cenſetis, & ſic teſtatum faciatis, tanti apud vos non eſſe Epiſcopum Paderbornenſem aut Electionem Monaſterienſem, ut illius gratia veſtrum in promovendo publico bono ardorem imminutum, & jus, autoritatemque noſtram imperialem (quæ hic non leviter tangitur) noſtro veſtroque, nec non publicæ cauſæ præjudicio adhuc magis labefactum, ſi non everſum velitis; ſi enim ſecus egeritis, vobis fœderatæ amicitiæ neglectum & rationum mutuarum vilipendium multo fundatius quam Nobis objici poſſe, nemo inficias ibit. Quod commiſſuros Vos non eſſe confiſi, Vobis & Reipubl. Veſtræ perpetuam incolumitatem & continuam proſperorum ſucceſſuum ſeriem benevolo animo apprecamur. Viennæ 16. Auguſti 1706.

MCLXXIII.

Reſponſoria GENERALIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM ad præimpreſſas JOSEPHI Rom. Imperat. reſponſorias, iteratas preces & Interceſſionem pro Epiſcopo Paderbornenſi continentes, 1706.

Sere-

Sereniſſime &c.

REdditæ ſunt nobis Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ literæ, die ſexto decimo menſis proxime præterlapſi ad nos datæ, quibus acriter increpamur, tanquam ſi in negotio Electionis Epiſcopalis Monaſterienſis a Cæſarea Majeſtate Veſtra diſſentientes æquitatis & moderationis terminos transgreſſi ſimus, quando a Cæſarea Majeſtate Veſtra ſerio petivimus, ne Paderbornenſem Epiſcopum ab Epiſcopatu Monaſterienſi prohiberet, ſed Capitulo hunc æque ac alium quenquam eligendi, & jure ſuo utendi facultatem permitteret. Dolemus graviter, quod cum Cæſarea Majeſtate Veſtra in hoc negotio non idem ſentiamus, & infelices nos prædicamus hac in parte, qui multam reſponſionis duritiem experimur immeriti, quam Cæſareæ Majeſtati Veſtræ tribuere nolumus, ſed Conſiliis illorum, qui Reipublicæ Noſtræ & communi cauſæ minimum favere videntur, & nihil quærere quam ſimultates & diſſidia inter fœdere junctos, nec contenti, quod Hungaricis motibus copias Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ diſtrictas videant, plures alibi turbas excitare contendunt, ut noſtras & ſociorum vires a communi utilitate abſtrahant, vel avocent. Sed a ſapientia Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ firmiter nobis promittimus, denegandas impoſterum aures talibus conſiliis. Et cum multi apud Nos ponderis ſit Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ amicitia, acrimoniam ſtyli ſilentio tranſibimus, ſpe ducti Cæſaream Majeſtatem Veſtram Paderbornenſi Epiſcopo nunc in Mona-

naſterienſem electo ſe non amplius oppoſituram. Quod rem ipſam attinet, præcedentibus literis noſtris luculenter exponimus, quantum noſtra interſit, dignitatem hanc in virum propitium nobis & communi cauſæ, conferri, quæ cum in Paderbornenſi Epiſcopo concurrant, non eſt, quod putemus injuriam illatam alicui commendatione noſtra permittentes integram eligendi libertatem Capitulo, ut pro arbitrio, vel alium præferret, quare præter opinionem evenire nobis debuit, quod culpemur tanquam ſi rei alienæ nos immiſcuiſſemus, cum Cæſarea Majeſtas Veſtra ipſa hoc ante a nobis exegerit, cum quies tam in vicinia quam Republica Noſtra tantopere inde pendeat, cumque res ad totius Europæ ſalutem ſpectantes a rationibus noſtris non prorſus alienæ nec curis noſtris indignæ judicentur, & quod cum pace Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ dictum ſit, abſitque invidia dicto, forſitan res Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ & Imperii quo nunc eſt loco, non fuiſſent, ſi illas a nobis alienas judicaviſſemus. Modum autem non exceſſiſſe facile ex eo apparet, quod in hac electione non ultra qvam rogantium officio functi ſumus, & ſiluimus, & nulli præjudicavimus tam diu, usque dum perſpeximus plurimorum Canonicorum vota in Epiſcopum Paderbornenſem inclinare: Quod autem tempeſtive ſatis teſtatum fecerimus, nobis minus liberum fore cum Oſnabrugenſi Epiſcopo hac in cauſa facere, patebit ex memoriali prima die menſis Julii elapſi a Comite de Hœfen nobis oblato, quo declarat per literas ſe indicaſſe Cæſareæ Majeſtati Veſtræ, quam exiguam hac

hac vice juvandi Osnabruggenſis ſpem in noſtris fuerit expertus, quod qua ratione conciliari poſſint cum iis, quæ de ſilentio noſtro dicuntur, non facile comprehendimus. Interim quanta exiſtimatione proſequamur Osnabruggenſem Epiſcopum, ejus virtutem & Lotharingiæ Domus merita, deinceps probabimus amplius, ubi melior occaſio ſe obtulerit, quæ hoc tempore nobis intercidit, noſtra etiam commendatio Paderbornenſis Epiſcopi libertatem Capitulo minime ademit eligendi Osnabruggenſem, nec hujus electioni Nos oppoſuimus, ſed duris & inſolitis remediis, quibus Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ Miniſtri Paderbornenſem arcere conati ſunt, & Capitulum privare facultate illum eligendi. Qualis agendi ratio, præſertim contra bene meritum Imperii Principem, non niſi dura videri poteſt, nec conſiſtere cum juribus & privilegiis Capitulorum præſertim Germaniæ, electionem liberam deſiderantibus. Quod ipſum Paderbornenſem Epiſcopum attinet, credimus ſiniſtram, quam de illo Cæſarea Majeſtas Veſtra opinionem concepiſſe videtur, non aliunde quam ex male illi volentium ſuggillationibus impreſſam eſſe, & confidimus, ſi Cæſarea Majeſtas Veſtra in memoriam revocet zelum, quo rem communem proſecutus eſt ſemper, & reverentiam, qua Cæſaream Majeſtatem Veſtram veneratus eſt & coluit, rediturum in priſtinam gratiam & eundem amorem, quem expertus eſt, antequam Epiſcopatus Monaſterienſis Candidatum ſe profiteretur. Nec eſt, quod ullatenus dubitemus, quin conſtanter concurſurus ſit ad omne id, quod Cæſareæ

Majeſtati Veſtræ, Imperio & cauſæ communi proficuum judicabitur, quin & plane perſuaſi ſumus, per electionem hanc dignitatem & autoritatem Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ nullo modo imminutum ſed auctum iri, Cæſarea Majeſt. Veſtra non obnunciante electioni Canonicorum, licet non unanimi, tamen plurimorum votis legitime & ſecundum jura Capituli paratæ: Hinc enim conſtabit de candido Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ propoſito & ſtudio ſervandi & tuendi jura & Privilegia membrorum Imperii, qua ratione alia nulla validior excogitari poteſt, ſtabiliendi ſolido in fundamento gloriam, dignitatem & autoritatem Cæſareæ Majeſt. Veſtræ tam in Germania, quam apud exteros. De rationibus autem Reipublicæ Noſtræ ſentimus, eaſdem cum Cæſ. Majeſtatis Veſt. conjunctas eſſe, ut nullo modo ſine utriusque diſpendio disjungi poſſint,& utinam, quemadmodum Nobis conſcii ſumus, quod ſincere & conſtanter commodis & emolumentis Cæſ. Majeſtatis Veſtræ & Domus Auſtriacæ hactenus conſuluimus,quod quantum vires ferunt, & plus quam ferunt, operam dedimus, ut iis prodeſſemus, & quod ſtudium noſtrum hac in re argumentis teſtatum fecimus, ut a nullo in dubium vocari putemus, ſic etiam Cæſ.Majeſtas Veſtra ad rationes & commoda Reipubl. Noſtræ attendere dignaretur. Hoc ſi ulla unquam in cauſa nobis expectandum, in hac, quam nunc agimus, a Cæſ. Majeſtatis Veſt. æquitate & benevolentia expectabimus, tantopere hæc Nobis cordi eſt, ut ſi quid valet apud Cæſ. Veſtram Majeſt. amicitia quam cum honore colimus, ſi quid ardor quocum fortunas &

vitam

vitam ſubditorum in uſum communem profundimus; Si quid merita in Cæſaream Majeſt. Veſt. & Domum Auſtriacam collata, & deinceps lubenti animo conferenda, per hæc omnia Cæſ. Majeſtatem Veſtram rogamus & obſecramus, ne ſe hac in cauſa difficilem præbeat, ſed benigne nobis petentibus & intercedentibus, Epiſcopo Paderbornenſi priſtinum favorem reddat, electionem factam absque remora effectum ſortiri patiatur, quin & Romanorum Pontifici autor ſit confirmationis. Quo pacto non tantum levi opera plurima incommoda & moleſtias avertere poterit, & præcavere, ne quid in vicinia noſtra cum maximo noſtro & fœderatorum omnium detrimento turbetur, ſed etiam nos, ut & procul dubio omnes Principes & Status, quibus quies Circuli Weſtphalici cordi eſt, ſibi arctius Cæſarea Majeſtas Veſtra devinciet. Quapropter Cæſar. Majeſtatem Veſtram hoc æquitatis nobis, mutuæ amicitiæ & tranquillitati & utilitati publicæ daturam certo confidimus: Quod ſupereſt &c. Dat. Hagæ Comitum die—Septembr. Anno 1706.

MCLXXIV.

Literæ GABRIELIS PHILIPPUCII, ad CLEMENTEM PAPAM XI. quibus Cardinalitios, quibus ipſum ornare decreverat, ſubmiſſe recuſat honores, 1706.

P. P.

INvaluit rumor Sanctitatem Veſtram inter Cardinalitia dignitate decorandos me quoque adſcribere deliberaſſe. Fateor ingenue me hujusmodi rumorem non modo vanum prorſus & inanem,

ſed etiam ſummæ prudentiæ Sanctitatis Veſtræ injurioſum ſemper habuiſſe & adhuc habere, cum revera me nulla ex iis qualitatibus præditum agnoſcam, quibus ad tantæ dignitatis culmen paratur adſcenſus. Verum quia ſumma & innata bonitas, quæ in Sanctitate Veſtra reſidet, his omnibus poſthabitis vere adhuc efficere poſſet, quæ falſo, ut dixi, a fama nuntiata fuiſſe exiſtimavi: idcirco in hoc caſu humillime provolutus ad pedes Sanctitatis Veſtræ, majori, qua poſſum, ſubmiſſione, aliis quam plurimis rationibus omiſſis, pono ante ejus clementiſſimos oculos gravem meam ætatem, quæ in hiſce poſtremis diebus omnino indiget pace & quiete, non autem agitationibus, quas ſecum ferunt negotia eidem dignitati neceſſario annexa. Spero itaque, Sanctitatem Veſtram benigne admiſſuram eſſe eam, quam poſt diuturnas ad Deum fuſas preces ſponte, libere & matura prævia deliberatione nunc facio, & in qua, Deo dante, conſtantiſſime, quoad vixero, perſeverabo, recuſationem vel potius non acceptationem, ſeu etiam, ſi opus fuerit, repudiationem aut renunciationem Cardinalatus. Cum præventiva tamen facultate quatenus opus ſit, ſi ita placeat ſummæ bonitati Sanctitatis Veſtræ, retinendi pro mea honeſta ſuſtentatione Canonicatum, quem nunc obtineo in Eccleſia S. Joannis in Laterano cum penſionibus, una ſcilicet ſuper altero Canonicatu ejuſdem Eccleſiæ, alia ſuper Canonicatu Baſilico S. Petri, & reliqua ſuper dignitate Cathedralis Alſinæ, necnon alia officia, quæ modo ſimiliter obtineo. Venerabundus deoſculor pedes Sanctitatis

ctitatis Veſtræ, deprecans ei a Deo Optimo Maximo omne bonum.

Dab. Romæ Anno Domini 1706.

humillimus & obſequentiſſimus ſubditus

Gabriel Philippucius.

MCLXXV.

Literæ, quibus GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES CAROLO XII. Svecorum Regi bellum, quod Saxoniæ inferre parabat, graviter diſſvadent, 1706.

Sereniſſime & Potentiſſime Rex.

Quamvis credibile Nobis vix videatur Regiam Majeſtatem Veſtram de invadenda armis Saxonia, aliiſque Terris Regi Polonorum in Germania parentibus quidquam conſtituiſſe, tamen hac de re tam crebra ubique fama eſt, & tot nuncii undique afferuntur, Regiam Majeſtatem Veſtram tale quid meditari, ut quid de his credendum ſit, incerti fere hæreamus, præſertim cum non tantum Senatus, cui abſente Principe Saxoniæ adminiſtrandæ cura commiſſa eſt, ſed alii quoque Principes Imperii ſollicitudinem ſuam Nobis aperuerint, quam illis adventus Copiarum prope limites Saxoniæ & Sileſiæ cum publicis rumoribus conjunctus incuſſit. Quapropter proximum & tutiſſimum exiſtimavimus remedium, ipſam Regiam Majeſtatem Veſtram adire, in cujus amicitiam maximam ſemper fiduciam repoſuimus,

certo confiſi, Regiam Majeſtatem Veſtram, quemadmodum hactenus votis & rationibus Noſtris & fœderatorum dedit, ut Saxoniam terrasque Imperii bello intactas reliquerit & benignis reſponſis ſuis ſpem fecit, impoſterum quoque, ob easdem rationes, intactas fore, ſic etiam nunc minime animum induxiſſe, vel inducturam, ut ſedem belli mutet, & in Germaniam transferat, quod Nobis & omnibus, qui hoc tempore pro communi Europæ ſalute & libertate conjunctis viribus dimicamus, gravius detrimentum, quam Regi Poloniæ ejusve rebus afferret, quoniam hoc inſperato caſu maximis auxiliis privaremur non tantum Regi Poloniæ militem ſuum nunc ad Rhenum ſtantem, & ad defenſionem Imperii debitum revocaturo, ſed idem quoque facturis aliis Principibus & Statibus, qui vel vi pactorum defendendæ ſibi Saxoniæ neceſſitatem impoſitam putabunt, vel excitata in Germania nova belli flamma, denuoque vicinia ardente rem ſuam agi credent, & ſibi cavendum eſſe, ne, dum una parte publicis commodis intenti ſunt, aliunde privatum damnum patiantur. Ex quibus liquido patet, quam magna pars virium fœderatarum a bello Gallico diſtraheretur, inferente præter omnem opinionem infeſta ſigna in Saxoniam Regiæ Majeſtatis Veſtræ Exercitu, atque facile concipi poteſt, quam foret hoc proficuum Gallis, toti Europæ ſervitutem intendentibus, quam detrimentoſum Nobis & fœderatis communem libertatem ſtrenue defendentibus. Simul in memoriam revocamus, quam enixe Regia Veſtra Majeſtas cau-

ſæ

ſæ fœderatorum ſemper favit,' nullo unquam mutatæ voluntatis indicio facto, præterea, quam arctis fœderum vinculis cum Regia Majeſtate Veſtra conjuncti ſimus, quorum virtute hoc in bello Gallico ope & auxiliis certisſimis juvaremur, ſi non ipſa alio bello diſtineretur. Omnino Nobis perſuaſum eſſe nequit Regiam Majeſtatem Veſtram Nobis & aliis, qui quamdiu nobis manus liberæ fuerunt, in principio illius belli, in quo Regia Majeſtas Veſtra tot victoriis inclaruit, & immortalem gloriam adepta eſt, tam alacriter cum auxiliis Noſtris præſto fuimus, & fidelem nec infructuoſam operam navavimus, expeditionem utilitati Noſtræ & communi adeo adverſam & contrariam ſuſcepturam, & per hanc ſummum Nobis præjudicium allaturam. Nihilominus tamen Regiam Majeſtatem Veſtram rogandam eſſe duximus, velit in hac cauſa amicorum & fœderatorum rationes & commoda, pro conſueta ſua æquanimitate & propenſo erga ipſos adfectu, attendere, nullumque de invadenda Saxonia conſilium inire, initumve dimittere, quod certisſime nobis & abſque dubio omnibus belli Gallici ſociis gratisſimum erit. Si quid autem Regia Majeſtas Veſtra de finiendo Polonico & Ruſſico bello cogitandum ſibi putat, omni tempore officia Noſtra huc conferre paratos Nos inveniet, quem in finem Ablegatum Noſtrum, Dominum de Hacfoelte, Dantiſci commorari fecimus, ſi ejus opera Regiæ Majeſtati Veſtræ grata fore cognoverimus. Cæterum quacunque oblata occaſione Regiæ Majeſtati Veſtræ, ſinceri affectus & ſumme

me exiſtimationis Noſtræ documenta daturi, viciſſim Nos & Rempublicam Noſtram ejus amicitiæ commendamus. Quod reſtat &c. Dat. Hagæ Comitum, die VII. Sept. 1706.

MCLXXVI.

Literæ recredentiales, quas CAROLUS XII. Svecorum Rex, Joanni Wenceslao, Comiti a Wratislau, Ablegato Cæſareo, ad JOSEPHUM, Rom. Imperatorem tradidit, 1706.

Sereniſſime &c.

PRo indubio benevolentiæ, qua Majeſtas Veſtra Nos proſequitur, documento reputamus, quod Illuſtrem ac Magnificum conſiliarium ſuum intimum, Camerarium & Regni Bohemiæ Cancellarium, Joannem Wenceslaum Comitem a Wratislau, virum undequaque ſolertiſſimum, optimeque amatum, ad Nos mittere voluerit. A quo ſicut de illibato amore Majeſtatis Veſtræ erga Nos certiores ſumus facti; ita non exiſtimamus Majeſtati Veſt. Statibusque Imperii Germanici ſiniſtre de Noſtra intentione ſuſpicandi anſam Nos unquam ſuppeditaſſe. Quo ſuper negotio cum dictus Comes mentem Noſtram liquidius perceperit, quod non ambigimus, quin redux pro erecto ſolidoque animo, quem in ipſo ſitum eſſe perſpeximus, integerrimum Noſtrum in Majeſtatem Veſtram ſtudium conſtansque propoſitum conſervandæ veteris cum Germanico Imperio amicitiæ ac conjunctionis, Majeſtati Veſtræ candide expoſiturus ſit. Quam diutiſſime ſoſpitem regnare optamus, remque ex animi ſententia gerere. Dab.

in

in pago Alt-Ranſteda prope Lipſiam die $\frac{10}{20}$ Octobr. Anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimo & ſexto.

Majeſtatis Veſtræ

Bonus Frater, Conſanguineus & Amicus

Carolus.

MCLXXVII.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad JOSEPHUM, Rom. Imperatorem, quibus libere graviterque conqueritur, milites ejus in ditionibus Patrimonio Petri ſubjectis hyberna occupatum veniſſe, eos vero, niſi confeſtim iisdem excedant, vi expulſum iri minitatur, 1707.

Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Joſepho, Hungariæ & Bohemiæ Regi illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

Clemens Papa XI.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter, Salutem &c.

QUæ diebus elapſis Ferrariâ nobis nunciata ſunt de inopinata Germanorum militum irruptione in noſtram Eccleſiaſticam ditionem, adeo animum noſtrum commoverunt, ut ſtatim ad nos dilectum filium noſtrum, Vincentium, S. R. E. Cardinalem Grimanum advocaverimus, cum eo de illata nobis atque Apoſtolicæ ſedi injuria graviter expoſtulantes, ipſique injungentes, ut ſedulis officiis ſuis apud dilectum filium, Nobilem Virum Principem Eugenium a Sabaudia ſupremum exercitus

citus tui in Italia moderatorem, ageret, quo nos ex præſentibus malis eximeremur, & quæ majora per hybernas, quas fama ponendas vulgaverat, militum Stationes imminere poterant, evaderemus. Noſtras etiam ea de re Apoſtolicas literas ad eundem Principem Eugenium adjecimus, quibus acerbum animi noſtri ſenſum de hujusmodi a Ducibus Catholicis in Eccleſiæ contemtum æque ac detrimentum attentatis ſerio expreſſimus. Verùm emendationis loco, quam petebamus, redditis nuperrime nobis ejusdem Eugenii Principis literis, inutilia verborum officia & varias prorſus excuſationes accepimus, neceſſitatem quandam ſeu potius prætextum propulſandorum Majeſtatis tuæ hoſtium obtendentes. Miſſo enim, quod nullus modo Gallorum militum in terris noſtris verſetur aut facile rediturus timeatur, quænam tandem neceſſitas eſſe aut fingi poteſt aliena rapiendi, inſontibus nocendi, amicos vexandi, ſupremam ac liberam Pontificiam jurisdictionem perturbandi, uno verbo in Deum & Eccleſiam peccandi. Iteratis interea nuntiis quotidie admonemur, & illata ſubditis noſtris a cohortibus tuis damna invaleſcere, & quod prorſus intolerandum & hactenus inauditum eſt, quorundam Ducum eo usque audaciam proceſſiſſe, ut & hyberna militum hoſpitia, & menſtruas pro iisdem alendis pecuniarum præſtationes ab ipſis Legatis noſtris, Ferrarienſi & Bononienſi, impudenter expetere, quin etiam integras jam Legiones finibus noſtris eo conſilio immit-

immittere, non ſine graviſſimo pauperum illorum, & multis recentibus malis afflictorum incolarum, detrimento & exitio, auſi fuerint; Perinde ac ſi cum aperto hoſte, non cum amico Principe, amantiſſimoque Parente (quales nos erga Majeſtatem tuam eſſe ſcimus & Deus ipſe, qui Secreta cordium ſcrutatur, agnoſcit) ac ſubditis populis ageretur. Quare nos amplius tacere non volentes, aut noſtrorum etiam quoad temporalia ſubditorum neceſſariam tuitionem ultra differre, ne apud Deum & homines proditæ turpiter Eccleſiaſticæ libertatis rei efficiamur, ea quamprimum adhibere remedia conſtituimus, quæ traditæ nobis divinitus poteſtati competunt, quæque in tam gravi negotio ſine maxima neglecti noſtri muneris culpa omittere non poſſumus. Abſit enim, ut fœdum adeo inferamus crimen gloriæ noſtræ, qua tamen non in nobis (gloria enim noſtra nihil eſt) ſed in Domino gloriari volumus & debemus. Erit profecto adjutorium noſtrum in nomine Domini, qui ſperantes in ſe confundi non patitur, fidenterque cum Propheta clamabimus: Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Hi in curribus, & in equis, nos autem in nomine Domini. Inſimul tamen ad ipſam Majeſtatem tuam, cujus perſpecta nobis inſignis pietas, & avita, quam a clariſſimis Progenitoribus cum ſanguine hauſiſti, erga hanc ſanctam ſedem Religio plenam nobis fiduciam parit, querelas noſtras paterne quidem, ſed ea nihilominus, quæ ſummum, licet immeritum Dei Sacerdotem decet, libertate deferre ſtatuimus, hortantes Te, atque unigeniti Filii

lii

lii Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti nomine, cujus vices in terris gerimus, enixius requirentes, ut Eccleſiaſticam ditionem, quæ Sacrum B. Petri Apoſtolorum Principis patrimonium exiſtit, inviolatam eſſe omnino ſinas, & S. R. E. quæ non ancilla, ſed libera eſt, jura atque immunitatem a militibus tuis ullo pacto temerari permittas. Longe ſiquidem a piiſſima Majeſtatis tuæ mente abſona eſſe arbitramur tam iniqua militum tuorum facinora atque etiam iniquiora conſilia, quæ proinde & indignatus audies, & protinus, ut omnis juſtitia exigit, emendare juvabis. Quis enim credat paſſuram aliquando Majeſtatem tuam arma præcipui Rom. Eccleſiæ defenſoris,quo titulo non minus, quam ipſa Imperii adminiſtratione gloriaris, contra Romanam ipſam Eccleſiam violenta ejus perturbatione converti, iisdemque ſedi Apoſtolicæ ſubjectis populis hoſtili manu exſpoliandis adhiberi, qui paucos ante annos ſuis ipſis opibus orbaviſſe æquo animo tulerunt, ut amplisſima auguſtisſimæ domui tuæ Turcico bello vexatæ ſubſidia pararentur? Quod quidem ut ipſa per ſe Majeſtas tua liquido agnoſcit, absque ingenti inclyti nominis tui dedecore, atque univerſæ Dei Eccleſiæ ſcandalo, ſed & ipſius Imperii tui, Deo ulciſcente, damno, animæque tandem verenda pernicie fieri omnino non poſſet. Speramus itaque ac certo nobis pollicemur, Majeſtatem tuam agnita cauſæ, quam ſuſtinemus, juſtitia, nos graviſſimis hisce anguſtiis illico liberaturam, Sanctæque Eccleſiæ non lædendæ, non onerandæ, non affligendæ, ſed tuendæ potius, fovendæ,

vendæ, atque omni beneficiorum genere amplificandæ, ſtudia & cogitationes tuas omnes impenſuram. Hæc conſervandi, hæc ſtabiliendi, hæc augendi feliciter Imperii tui tutiſſima erit ratio, ſi ſcilicet, ut ſapienter olim prædeceſſorem quendam tuum ſanctiſſimi Epiſcopi monuerunt, ita de ſanctæ matris Eccleſiæ memineris filium ut ejus paci atque tranquillitati prodeſſe tuum facias principatum. Magis enim Chriſtianũm regitur atque propagatur Imperium, dum Eccleſiaſtico ſtatui conſulitur, quam ut in parte quacunque terrarum pro temporali ſecuritate pugnetur. Et Apoſtolicam benedictionem Majeſtati tuæ, chariſsime Fili noſter, amantiſſime impartimur. Datum Romæ die 4. Januarii 1707.

MCLXXVIII.

Literæ ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad LOTHARIUM FRANCISCUM, Electorem Moguntinum, quem blande requirit, velit, ut ſupremus Circuli Electoralis Rhenani Director, dicti Circuli conſtatus confeſtim convocare, ac de ea militum manu, quæ ex lege Imperii expediri deberet, nummisque eidem alendæ neceſſariis mature deliberare, 1707.

Anna, Dei Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Regina, Fidei defenſor &c. Celſiſſimo & Eminentiſſimo Principi, Domino Lothario Franciſco, Archiepiſcopo Moguntino, Sacri Rom. Imperii per Germaniam Archi-Cancellario, ac Principi Electori, Epiſcopo Bambergenſi, Amico & Conſanguineo noſtro cha-

 riſſimo.

riſſimo, Circuli Electoralis Rhenani Directori, Salutem.

Celſiſſime & Eminentiſſime Princeps, Amice & Conſanguinee Chariſſime!

MUltum licet Noſtrorum Regnorum negotiis impeditæ jam ſimus, ea tamen noſtra eſt erga confœderatos amicitia, ut nullum fugiamus laborem, quo publicæ utilitati inſerviamus; Hac mente ſingulos Germaniæ Principes benevole monemus, quanta illis immineant pericula & vehementer ſimul adhortamur, ut, dum res & tempus ſinunt, præcaveatur malum. Vix dubium eſt, quin vere ineunte Gallus Bavaro junctus in Imperii viſcera bellum transferre meditetur, quanta hic nobis omnibus evenient incommoda, dum noſtri in Hybernis usque deliteſcunt, præcipue vero ſi Bavariæ populus in hoſtem ſe deferat, nimis luculenter conſtat, & vel cogitatione ipſa miſeriarum omnium, quibus tunc laborabit Germania, horret nobis animus, nihil opus eſt, ut illis recenſendis immoremur, ſed cum, quæ futura ſunt, tam aperte proſpiciamus, ſagaci cura irrita reddamus hoſtium conſilia, & cum ad arma recurrendum eſt, ſolita virtute eorum copias propulſemus, opprobrio nobis erit, tam apud gentes exteras, quam poſteros noſtros, ſi hoſtes virtutem noſtram, cui nunquam ſe pares geſſerunt, artibus tamen ſuperarint. Hoc unice reſtat, ut quod ſolennibus Ratisbonæ Comitiis tam auſpicato decretum eſt, pari diligentia perficiatur, ſcilicet ut promiſſæ copiæ quantocius parentur, & ad omnes belli ſumtus & apparatus mini-

miniſtretur pecunia. Celſitudo Veſt. Eminentiſſima, quæ communi cauſæ nulla occaſione unquam defuit, convocabit ſperamus Circuli Electoralis Rhenani conventum, ut ſine mora ſuum præbeat contingentem, eoque modo univerſum commodum promoveatur. De cætero Celſitudinem Veſt. Eminentiſſimam Dei O. M. tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio noſtro de Kenſington 21. die menſis Febr. Anno 1707. Regnique noſtri quinto.

Celſitudinis Veſtræ Eminentiſſimæ

bona Conſanguinea

ANNA Regina.

MCLXXIX.

Literæ CAROLI XII. Svecorum Regis, ad SENATUM CIVITATIS BERNENSIS, quibus ab eo obnixe contendit, velit pro ea, qua apud Comitatus Neocomenſis Ordines valeret & autoritate & gratia, diligenter operam dare, ut juris, quod Rex Boruſſiæ in dictum habere Comitatum aſſereret, ſummam haberet rationem, 1707.

Carolus Dei Gratia Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex &c.

CUm publica innotuiſſet fama, defuncta Duce Nemorii varias de Comitatu Neocomenſi, quem tenuerat, ortas eſſe contentiones, certiores quoque Nos fecit Sereniſſimus Rex Pruſſiæ, perſpicua hæreditatis derivatione eundem ad ſe pertinere, rogavitque ſimul, ut apud Civitat. Veſtram, quæ propiori ſibi Neocomenſes fœdere habet innexos,

& proinde multum apud eaſdem valere autoritate non immerito reputatur, ad jus ſuum conſequendum officia noſtra interponeremus. Nos igitur, quamvis non dubitemus, quin pro antiqua morum integritate ea ſtatuatis, ſociæque ſuadeatis Civitati, quæ æqua, juſta ac ſalutaria videbuntur; non poſſumus tamen amici Regis, cum quo arctiſſimam habemus conjunctionem, deſideriis deeſſe, quin vobis ſignificaremus, nos, cum alioquin commodis illius lubentiſſime ſtudeamus, hac tamen in re tanto lætiorem illi optare ſucceſſum, quod Religionis ſecuritati hoc pacto non parum iſtis in locis proſpectum iri confidimus. Gratum igitur Nobis erit, ſi noſtram commendationem ad juſtam, quam habere Sereniſſimus Rex Pruſſiæ ſe exiſtimat, cauſam tuendam ponderis quicquam attuliſſe comperiamus, qui vos Veſtramque Rempublicam omni proſequimur benevolentia divinæque tutelæ jam commendamus. Datum in Caſtris Randſtadienſibus die $\frac{14}{25}$. Auguſti, 1707.

CAROLUS

C. Piper.

M CLXXX.

Breve CLEMENTIS P. P. XI. ad PETRUM, Czarum & Magnum Ducem Moſcoviæ, quo ipſi pro factis ſibi per Ablegatum ſuum, virum præclara prudentia & morum integritate præcellentiſſimum, egregiis promiſſis, gratias refert maximas, 1707.

Illuſtri ac Potentiſſimo Magno Domino Czaro, & Magno Duci PETRO, univerſæ Magnæ, Parvæ,

Parvæ, & Albæ Ruſſiæ Autocratori, & magnorum Dominiorum Orientalium, Occidentalium, & Septentrionalium Paterno, avitoque Hæredi, Succeſſori, Domino & Dominatori.

Clemens Papa XI.

Illuſtris ac Potentisſime Czare, ſalutem & lumen Divinæ Gratiæ.

NOn facile explicare poſſumus, quo gaudio Nos affecerit Nobilis Vir Dux Boritius Kurakinus, quem ſublimis Tua amplitudo ſuis ad Nos literis in fidem eorum, quæ tuo nomine expoſiturus erat, ante aliquos Menſes Romæ allegavit, dum uberrima Nobis teſtimonia Tuæ erga Nos voluntatis egregiæ, ac præclaræ, ſed præſertim gratæ ob rationem, quam a nobis in rebus Regni Poloniæ ſemel initam ſemper hactenus ſervavimus, & adhuc quidem retinemus. Solatium vero longe majus ab eodem nobis allatum eſt, ubi certiores nos fecit, conſtitutum tibi eſſe liberum, ac publicum Catholicæ Romanæ Religionis exercitium in univerſa tua ampliſſima ditione permittere, imo jam annuiſſe, ut in Civitate Tua Moſcua nedum fundetur Conventus Ordinis Fratrum minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum; ſed etiam ut erigatur Eccleſia & Domus pro Religioſis Viris Societatis Jeſu, una cum Gymnaſiis ad erudiendam bonis literis & ad inſtruendam Chriſtianis moribus juventutem. Quod conſilium magnum profecto tuis populis utilitatem eſt allaturum. Cumulus tandem lætitiæ noſtræ adjectus eſt, cum ille is tuo nomine nobis pollicitus eſt, apertum deinde tutum

ac liberum fore tranſitum per ipſas tuas ditiones Miſſionariis, ad annuntiandum Chriſti Evangelium ab hac ſancta Sede ad Chinarum Imperium, & ad alia Regna Orientalia immittendis. Profitemur itaque poſt gratias Deo humiliter actas hæc omnia, cor noſtrum Tibi, Excelſe & Potentiſſime Czare, magnopere obſtrinxiſſe, ac excitaſſe in nobis deſiderium declarandi publicis ac congruis ſignificationibus plenitudinem gaudii noſtri, quod tunc forte erit, cum documenta eorum, quæ is Dux a Te omnino ſperanda ac expectanda affirmavit, ad manus noſtras pervenerint. Cæterum omnis æquitas poſtulat, ut Tibi teſtemur, ipſum Ducem magnam probitatis, ac prudentiæ laudem, morum ſuorum integritate, ac gravitate hic ab omnibus retuliſſe, ac animum noſtrum ſibi ſingulari modo conciliaſſe. Quod ſupereſt Deum Patrem luminum impenſe rogamus, ut lucis ſuæ radios Tuæ menti propitius infundat, ac perfecta charitate nobis ac Catholicæ Eccleſiæ conjungat. Datum Romæ in Octobri ſub annulo Piſcatoris. Pontificatus Noſtri Anno VII.

MCLXXXI.

Literæ CAROLI XII. Svecorum Regis, ad FRIDERICUM I. Pruſſiæ Regem, quibus Libero Religionis exercitio hominum per Sileſiam Reformatæ Religioni addictorum Tractatu Altranſtadienſi proſpectum fuiſſe expreſſe aſſerit, 1707.

Sereniſſime ac Potentiſſime Princeps, Frater, Conſanguinee & Fœderate Chariſſime.

Literas Majeſtatis Veſtræ, quibus curam ſalutemque

que eorum, qui Reformatæ in Sileſia Religionis ſunt, Nobis commendare voluit, recte recepimus. Et cum iisdem juxta tabulas pacis Weſtphalicæ ea jura ac privilegia competere, quæ Auguſtanæ Confeſſioni addictis ſunt attributa, ſatis edocti ſumus. Ita, licet nupera, quam cum Cæſare inivimus, conventione nominatim non comprehenderentur, quod tunc quidem veſtigia ejus Pacificationis preſſe ſequi conſtituiſſemus, præſertim cum hoc pacto Juribus Reformatorum nihil detractum foret, Ablegato tamen Noſtro Baroni de Stralenheim poſtea in mandatis dedimus, ut in exequenda conventione ſupra nominata jura ac privilegia, quæ ſolemnibus pactis conceſſa iis reperiuntur, ſumma diligentia ſuffulciret. Quod licet impigre facturum eum confidimus, tamen ut Majeſtas Veſtra intelligat, Nos pronos eſſe ad velificandum deſideriis ipſius, quæ jam dudum quoque præveneramus, ad eundem Ablegatum mandata noſtra renovare non grave ducemus. Qui de cætero Majeſtati Veſtræ longam incolumitatem, proſperosque rerum ſucceſſus ex animo precamur. Dabantur in Viſnicia ad Preſtiam Cujaviæ die 30. Nov. MDCCVII.

CAROLUS

Piper.

MCLXXXII.

Litera JOSEPHI, Rom. Imperatoris, ad ORDINES REGNI HUNGARIÆ, quibus eos ad Diætam generalem proxime Poſonii habendam clementiſſime invitat, 1707.

Joſephus Dei Gratia, Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque &c. Rex, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Marchio Moraviæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis & Goritiæ, &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item, & egregii Fideles Nobis dilecti,

QUemadmodum nos inde a felicis inaugurationis Noſtræ tempore, ſed vel maxime ab ipſo ſtatim ſuſcepti Regiminis noſtri initio, inclytum hoc, & olim florentisſimum Regnum Noſtrum Hungáriæ, tot retroactis calamitatibus, & malis preſſum, ac noviſſimis propriorum etiam Patriæ filiorum, ante quadriennium, & quod excurrit, ſuſcitatis inteſtinis, & perniciofis motibus, in præſens usque cruente durantibus, turbatum, exagitatum & divulſum, commiſerativo Animi Noſtri Regii ſenſu reſpicientes, Noſtras inter regnandi curas, nil prius, vel antiquius habuimus, quam ut idem Regnum Noſtrum cumprimis charum, ad optatum tranquillitatis & quietis ſtatum reducere, ac reponere potuiſſemus, eumque in finem pro innata nobis pietate & clementia, publicæ ſaluti conſulere cupientes, diverſa ad componendos præattactos motus gratiæ & benignitatis media adhibere non intermiſimus; Ac ſæpius pro exigentia etiam Regni Legum his malis per generalem Diætam (quam tamen

men viciſſitudo & injuria temporis celebrandam differre nos coegit) ſalubrem adferre medelam intendebamus. Ita nunc commodioris temporis occaſionem nacti, Regali noſtro muneri, & legibus Regni deeſſe nolentes, ac optatam Pacem, & communem ſubditorum noſtrorum tranquillitatem, cæteris omnibus præferentes, tantamque Chriſtiani ſanguinis effuſionem miſerati, ſiſtere cupientes, hoc Diætale demum medium non intentatum relinquere decrevimus; benigne Nobis perſuaſum habentes, generalem regni Diætam, non ſolum ad componendos motus, reſtituendamque patriæ quietem, verum ad authoritatis Noſtræ Regiæ debitam manutentionem, ſimul, & Regni libertatum, immunitatum ac legum conſervationem ut plurimum profuturam. Quapropter univerſis & ſingulis præmentionati Regni Noſtri Hungariæ & Partium eidem annexarum Statibus, ac Ordinibus generalem Conventum ſeu Diætam, ad Feriam quartam poſt Dominicam Invocavit, hoc eſt, Diem 29. affuturi Menſis Februarii, imminentis anni 1708. in liberam Regiamque Civitatem Noſtram Poſonienſem clementer indicendam & promulgandam eſſe duximus; cui, Deo propitio, in propria Perſona Noſtra, ne quid ea quoque in parte deſiderari poſſit, præeſſe ſtatuimus.

Quocirca vobis harum ſerie firmiter præcipientes benigne committimus, & mandamus, quatenus ad præſpecificatum diem & locum certos duos, uti moris eſt, e medio veſtri delectos & deputatos Nuncios, viros quippe idoneos, ac pacis

 cis

cis & publici Boni ſtudioſos citra omnem moram & excuſationem mittere, atque expedire debeatis, qui illic una cum reliquis Dominis Prælatis, Baronibus & Nobilibus prælibatisque dicti Regni noſtri Hungariæ, & Partium eidem annexarum ſtatibus & ordinibus de iis omnibus, quæ ad præmiſſum finem neceſſaria videbuntur, tractare, & in medium conſulere, ac denique ea ſingula facilitare, & admaturare noverint. Curandum autem erit vobis diligenter, ut prærepetiti Nuncii veſtri ad præſcriptum Terminum ibidem certe & infallibiliter compareant, neque ulterius ſeſe abſentare, aut ultra diem præfixum diutius emanere præſumant, ſecus ſub pœna in Generali Regni Decreto ſuperinde expreſſa non facturi. Gratia in reliquo Noſtra Cæſareo-Regia vobis benigne propenſi manentes. Dabantur in civitate Noſtra Vienna Auſtriæ die 23 Menſis Decembris An. Domini 1707.

Joſephus.

Comes Nicolaus Illeshazy

Ladislaus Hunyady.

MCLXXXIII.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad JOSEPHUM, Rom. Imperatorem, quo graviter in eum invehitur, ob loca quædam ſub Jurisdictione Eccleſiaſtica a militibus ejus occupata, 1708.

Chariſſi-

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Joſepho, Hungariæ & Bohemiæ Regi, Illuſtriſſimo in Romanorum Imperatorem electo.

Clemens Papa XI.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, Salutem!

VIX ſimile vero videtur, copias illas (quæ ſtipendia faciunt ſub vexillis Majeſtatis tuæ in Italia, poſt tot & tantas moleſtias & graviſſima damna frequenti earum tranſitu per ditionem Eccleſiaſticam populis Noſtris illata, derepente nulla facta belli indictione) intentaſſe hoſtile aliquid adverſus eandem ditionem, niſi actu reque ipſa ex his, quæ ad Nos nuper allata ſunt, nimium compertum eſſet, id plane eveniſſe; easdem copias loca quædam jurisdictionis noſtræ paulo ante occupaſſe, ibique conſtituto præſidio Tuisque ſignis explicatis inſediſſe, animo, ut apparet, majora aggrediendi, ubi novis militiis, quæ mox affuturæ dicuntur, augeantur. Vides, Cæſar, hæc contra omnem æquitatem ac rationem, contra debitam Nobis & Apoſtolicæ ſedi reverentiam, contra jura & rationes Eccleſiæ per abuſum Tui nominis admiſſa, divinis humanisque legibus repugnare, recteque opponi titulo defenſoris Eccleſiæ, quo maxime gloriati ſunt Imperatores inclyti, Majores Tui. Non ignoras quam graviter Sacri Canones & Apoſtolicæ Conſtitutiones decernant adverſus eos, qui vim rebus & juribus Eccleſiæ inferunt. Exinde itaque quousque Te abripuerint, ſi modo id te jubente & conſcio admiſſum eſt, quod nefas eſſe videtur de Tuo animo

mo exiſtimare) prava & iniqua eorum conſilia, qui Te ad provocandam tam graviter & manifeſte Dei iram impulerunt, cogita & pedem nulla mora inde refer, unde certa animæ tuæ pernicies, nedum perpetua tuo nomini labes conſecutura eſt. Interim vero de Nobis ſic exiſtima, Nos de divina ope, quam humiliter & enixe implorare non ceſſabimus, confiſos ea animi firmitate hanc cauſam & ea omnia, quæ tutelæ Noſtræ commiſſa ſunt, complexuros eſſe, ut nemo unquam Nobis ſuccenſere posſit, Nos muneris noſtri partibus defuiſſe, aut mediis ſive ſpiritualibus ſive temporalibus non uſos fuiſſe, etiamſi hoc cujuscunque rei jactura & vitæ noſtræ diſpendio faciendum ſit, non enim animam noſtram pretioſiorem facimus, quam nos, dummodo conſummemus curſum Noſtrum, commiſſumque Nobis cœlitus Miniſterium usque ad mortem fideliter impleamus: Memores ſiquidem ſumus, quemadmodum Te etiam eſſe oportet, omnes homines, quacunque demum dignitate præſtantes, conſtituendos eſſe aliquando ante tremendum illud Tribunal, coram quo, qui fecerint opus ſuum negligenter, tum qui tradita ſibi poteſtate abuſi fuerint, juſti judicis iram non evadent, declinantes in obligatione adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Hæc cogitatio Nos, Deo juvante, impigros in obeundo munere noſtro efficiet. Conſulat & ſibi Majeſtas Tua. Noli, Chariſſime Fili Noſter, nomine noſtri Ieſu Chriſti, cujus vices indigne gerimus, poſtremo Te alloquimur,

quimur, noli primitias ferventis ætatis Tuæ totius Chriſtiani populi ſcandalo maculare & ab Eccleſiæ, quæ Chriſti ſponſa eſt, Apoſtolorumque ejus injuria imperii Tui primordia auſpicari. Quod quidem ut plane intelligas, & meliora, Deo favente, ſapias, Apoſtolicam benedictionem amantisſime impertimur. Datum Romæ die 2. Junii, 1708.

MCLXXXIV.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad JOSEPHUM Rom. Imperatorem, quo ipſum graviter hortatur, velit omni violentia hoſtili abſtinere, & ad pacata conſilia mentem convertere, aut re ſecus eveniente, vim vi oppoſitam durumque excommunicationis fulmen præſtolari, 1708.

Clemens Papa XI.

HActenus lenitatis & patientiæ dedimus grande documentum, cum a Te, Cæſar, ſæpe laceſſiti, ac tuis armis etiam vulnerati non modo nos ultionis cupiditas non excitavit, ſed culpam patienter disſimulavimus, nec graviter deſcenderimus ad pœnam. Egimus ſemper erga Te cæteroſque Principes veluti bonus Pater erga ſuos Filios, qui ſingulos cum amantisſime diligat, non patitur quenquam inter illos amoris ſui principalem locum occupare, neque per Te licuit, de benevolentia erga Te noſtra dubitare. Oblivisci non potes cum Imperii Regimen ſuſcepiſti, quanto eam Tibi cæteriſque Imperii Ordinibus luculenter ſatis oſtendimus. Dolebamus, Te primum Regnis imperare, cum inter Te Gallumque Regem vehementis-

mentisſimum bellum arderet. Diu multumque ſtuduimus tranquillitati Tuæ, ac tale disſidium authoritate noſtra componere enixe conati ſumus. Verum ſic alte vulnus erat impreſſum, ut indies recrudeſceret magis, ac cujuscunque manum reſpueret. Verum tamen etſi pacem habere non licuit, ſtudia pacis nunquam omiſimus. Curavimus igitur ſemper paternam quandam indifferentiam, & ut ad id magis idonei eſſemus, conjunctionem armorum, quæ nobis offerebatur, ut exteris Legionibus Italia liberaretur, conſtanter rejecimus. Ne locus eſſet ſuſpicioni, accepimus milites tuos, ac detrimenta, quæ ab iis dominii noſtri pars melior accepit, pene neglex imus, nec ad aures tuas jusſimus querelas noſtras deferri. Neapolitana expeditio a nobis initium habuit & incrementum, & quod nec vi, nec armis conſequi potuiſſet, ultro concesſimus, ut commodis & profectibus favere Nos magis quam noſtræ felicitati videremur. Cum vero lenitas ac tanta patientia non modo in Eccleſiam debitum obſequium non confirmaverit, ſed illi ruinas ac damna inferendi conſilium dediſſe videatur, Nos quoque omiſſa lenitate ac patientia ſeverisſime munus noſtrum implebimus. Opinamur conſcientiam tuam Tibi ipſi denunciaturam fore, Te irretitum teneri, cum Eccleſiaſtici dominii partem non ita exiguam hoſtiliter deprædatus es, & penſiones ac beneficia, quæ Miniſtris Eccleſiæ conferebantur, Tibi adjudicaveris executione violenta. Accedit etiam, ſic enim ex literis tuis accepimus, quod cauſam Chriſti Domini noſtri ejusque in

terris

terris Vicarii Tu ipſe velis judicare. Deſiſte, Fili, & ad reverentiam Eccleſiæ animum tuum fidelem revoca. Obliviſcemur Nos injuriam, ac Te tanquam Primogenitum Filium diligemus. Sed ſi perſtabis in tanta intemperantia conſilii, abjiciemus Patris clementiam, & in Te tanquam in rebellem Filium excommunicatione & armis etiam, ſi opus fuerit, animadvertemus, neque vero timebimus, quicquid etiam eveniet. Chriſti Domini ejusque Eccleſiæ cauſam defendimus. Chriſtus ipſe vires dabit, ut vincamus, & ſi Te non pudet Eccleſiam & Deum ipſum oppugnare, & ab avita pietate Auſtriaca & præcipue patris Tui Leopoldi ſanctæ ſedi addictiſſimi declinare, idem ipſe Deus, qui regna confert, Regna diſperdet. Dab. Romæ die 16. Junii, Anno 1708.

MCLXXXV.

Litera EPISCOPORUM REGNI POLONIÆ, ad NUNTIUM APOSTOLICUM in Polonia exiſtentem, quibus eum blande compellant, dignetur ſummo Pontifici, pro ea, qua polleret apud illum gratia, ſvadere, ut palantes Reipublicæ ſuæ filios confirmare, errantes vero in viam paterne reducere haud gravetur, 1708.

Vidimus Dominum, & jam reducem in viſcera Regni veneramur beati, quod talem habeamus, beatiores quod metuerimus. Spem enim conceptæ felicitatis vel ex eo arripimus, quod omnes ſubditos, etiamſi ſufficientes vires contra eos, qui volunt, ſibi mala non deſint, Paterno potius, quam ferreo in votis habeat ſtringere

gere amplexu. Ad quod ut Sacer Senatus vel maxime contribuat, non minus poſtulat, quam exigit, obligatque tanquam intermedii noſtri ordinis officium, quod gerimus, ut nempe in id certatim incumbamus, in quo bonum verum ac ſolidum Religionis Sanctæ conſiſtit, neque cunctationi eſt locus in eo conſilio, quod non poteſt laudari, niſi peractum. Convenire proinde unanimiter, ſinus pectorum noſtrorum aperire, Illuſtriſſ. Excell. Vram tanquam capitis noſtri digniſſimum Miniſtrum confidenter compellare, eique ante oculos rem hanc non injuſtam ponere viſum eſt. Jacturam Religionis ex his continuatis motibus & publica ruina, pericula characteri noſtro imminentia & proxima ille non videt, qui ſe contra manifeſtam obdurat veritatem. Ad capita infortuniorum noſtrorum non deſcendimus, quia palam ſunt & collatione præteritorum quisque divinare facile poteſt ventura, ex quibus non niſi per ipſas difficultates exeundum erit. Non aliunde itaque finis malorum ſperari poteſt, niſi a Paterno ſanctitatis ſuæ in devotam S. ſedi ſemper gentem noſtram affectu, cujus humillimis noſtris precibus in præſens ſenſum, in futurum movere deſideramus providentiam, atque amplius non tardet, ut pro autoritate & poteſtate confirmet dubios, convertat ad Dominum devios, reducat errantes ab inaudita hac ad libertatem via, ceſſare faciat de die in diem majores gementis populi afflictiones, ſupplices de genu petimus. Modus autem, ut aſpera hæc in vias redeant planas, non

eſt

eſt alius, niſi ut ſe Illuſtriſſimam Excell. Veſtram viciniorem nobis reddere, & tandem poſt mutuam eamque confidentialem inter nos conferentiam, per interpoſitionem autoritatis Apoſtolicæ miſeris finem imponere, requiem feſſis præbere velit. Ita hic præſentes omnes & qui ſunt corpore abſentes, ſentimus, quia aliter ſentire non poſſumus, & ſi efficaciter perficere id dignabitur, certa eſſe debet, quod, quantum in nos emolumenti, tantum in Perſonam ſuam gloriæ demanabit, & nobilitati generis addet ſplendorem virtutis & meritorum. Hæc ex ſenſu aliorum etiam confratrum noſtrorum & pro vero in religionem & libertatem, quæ credimus indiviſibilia, zelo cum veneratione proponimus, illud addentes, quod id ipſum intelligere nos oportet ac ſcribere, quod omnino non ſit tuta mora. Quicquid Seren. Dominus Noſter pro grege ſuo per operam & curam Illuſtriſſimæ Excell. Veſtræ hic egerit, Deus Opt. Max. certe rependet, quem precabimur continuo, ut Sanctitati ſuæ, & per ſe generi humano proſpera omnia, id eſt, digna Seculo ſuo contingant; manus interim Excell. Veſtræ reverenter exoſculamur. Dabantur Mariæburgi d. 17. Julii Anno 1708.

MCLXXXVI.

Litera COLLEGII CARDINALIUM, ad JOSEPHUM, Rom. Imperatorem, quibus eum ſubmiſſe rogat, velit, remota procul omni vi & diffidentia, in id ſedulo incumbere, ut priſtina fiducia & mutua neceſſitudinis S. R. I. & Apoſtolic. ſedem inter vinculum ſolidius indies coarctetur, 1708.

 Miſe-

Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales, Sereniſſimo Cæſari Salutem & ſinceram in Domino Charitatem.

Literis unius Exempli Nobis à Majeſtate Veſtra Cæſarea conſcriptis, qua par eſt reverentia, communi hac epiſtola, ſingularis obſequii noſtri teſte, reſcribere ſatius duximus, ut unus omnium Noſtrum ſenſus eidem facilius & expeditius innoteſceret. Veſtræ itaque Majeſtati Cæſareæ certo affirmare poſſumus, quæ primo loco legimus, velle ſcilicet Majeſtatem Veſtr. veſtigia ſui invictiſſimi Genitoris ſectando, omni filiali obſervantia ſummum Pontificem proſequi, ea nos ſummo gaudio affeciſſe, quod tamen gaudium non parum perturbavit a Majeſtate Veſtra Cæſar. de ipſo Summo Pontifice præconcepta opinio, qua eum ab Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ rationibus alienum arbitratur, cum longe aliter perſvaſum ſit nobis, animum illius propius ſpectantibus, ſancte conſtanterque teſtari valentibus Suam Sanctitatem amore prorſus Paterno erga Majeſtatem Veſtram teneri, quod non indicio tantum & fide noſtra, ſed & præteritarum & præſentium rerum experimento facile eſſet comprobare, & quidem Cæſarea quoque Majeſtas Veſtra Nobiſcum haud ægre conſentiret, niſi abruptum jam diu & quidem importune nimis inter utramque aulam commercium eo rem adduxiſſet, ut interdicto ipſis prorſus officiis adhuc omnis inde apud Majeſtatem Veſt. veritati obumbrandæ locus factus eſſet, relictus eidem revelandæ pene nullus. Nos ſane quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur; ſi qui vero aliter

Maje-

Majeſtati Veſtræ forte ſuadere contendunt, illi quidem non ſatis Noſtrarum rerum conſcii, animove præoccupato ac parum æquo eſſe deprehendentur, & ex his demum eſſe videntur, a quibus cavendum eſſe Sacræ Literæ admonent: A Conſiliario ſerva animam tuam, & Conſiliarius ſit tibi unus de mille. Jam vero quod attinet declarationem nullitatis concordiæ initæ ſuper hybernis ſtationibus, quas nuper Cæſarei milites in Ducatu Parmenſi locarunt, Majeſtatem Veſtram Cæſaream obſecramus, ne credat ſummum Pontificem, cum eam concordiam annullaret, de lædendis violandisve ullo pacto Imperialibus Juribus cogitaſſe, ea enim Jura ad Parmæ & Placentiæ Ditionem minime extendi pro comperto habuit ac habere debuit, cum ſatis conſtet tribus abhinc ſeculis Ducatum illum jure optimo poſſideri ab Apoſtolica Sede, directoque ſummi Pontificis Dominio jam diu ſubeſſe tum quidem antea, tum vero poſtquam Jure feudi Farneſiis Principibus obvenit, quo nomine ad hæc usque tempora cenſus annuus Cameræ Apoſtolicæ ab iisdem libere ac publice penditur. Hinc eſt, quod Auguſtæ memoriæ Leopoldus Majeſtatis Veſtræ Parens datis die 14. Decembr. 1691. ad S. Memoriæ Innocentium XII. Literis aperte declaravit, Parmæ & Placentiæ Ducem Vaſallagio Sanctæ Sedi adſtrictum eſſe, ac rurſus ſcilicet die 27. Julii 1697. ſolenni Conſilii Aulici Cæſarei decreto profeſſus eſt, eundem Ducem pauca tantum feuda a Sacra Cæſ. Majeſtate & ſacro Romano Imperio recognoſcere. Mirum propterea videri poteſt, cur hæc omnia ad Majeſtatis Veſtræ Cæſ. notitiam de-

ducta non fuerint, niſi & forte conſilio elata ſint, ut Majeſtas Veſtra a juribus Sacræ Romanæ Eccleſiæ hac etiam in parte tuendis abſtraheretur, atque interim locus daretur, malis Conſiliariis, Theologis & Canoniſtis ea præbendi conſilia, quæ in adjuncto Literis ſuis typis impreſſo libello vulgata ſunt. Eum quidem libellum, Auguſtiſſime Cæſar, non ſine intimo cordis dolore omnes, aliqui etiam Noſtrum non ſine lacrymis legere valuimus. Siquidem Majeſtas Veſtra æquo & pacato animo expendere velit, quouſque abripi ſe paſſi fuerint ejuſdem libelli autores, quibuſve dicendi formulis uſi ſint, cum de ſupremo Catholicæ Eccleſiæ Paſtore, Chriſti in terris Vicario, eique ab eodem Chriſto traditis cœli clavibus, cæteriſque Dei Miniſtris ac ſacris Eccleſiæ juribus agatur, minime dubitamus, quin ipſa Majeſtas Veſtra probe agnitura ſit, non immerito animos noſtros tam vehementer eſſe commotos, ut pro inſita ſibi eximia ac vere Auſtriaca pietate & Religione ea omnia ſit facile improbatura. Atque inde anſam forte arripuerunt Majeſtatis Veſt. Cæſ. milites, quibus non ita pridem non ſemel Ditionem Eccleſiaſticam pertranſeuntibus viaticum a ſubditis Pontificiis liberaliter ſuppeditatum fuit, inermem atque rebus omnibus imparatam Comacienſem civitatem in Ducatu Ferarienſi inopinato occupandi, eamque operibus muniendi, de quo manifeſto Apoſtolicæ ſedis gravamine removendo non cogitari videmus. Quæ cum naturali & gentium Juri adverſentur, & a Majorum tuorum, Cæſar, virtute ac pietate diſſentiant, nullo modo credimus ab æquitate & recta volun-

voluntate Majeſtatis Veſtræ Cæſareæ proceſſiſſe; imo ſperamus pro vindice, qualem eam eſſe agnoſcimus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſe geſturam, ut quæ erepta ſunt eidem Apoſtolicæ ſedi, reddantur, utpote, quæ tot Romanorum Imperatorum declarationibus, ac tam longa temporis poſſeſſione in Eccleſiæ Romanæ Dominium tranſiiſſe probantur. Nam niſi longa poſſeſſio & antiqua & repetita pacta & publica Documenta, Jura ac rationes Eccleſiæ & Pontificis muniant atque conſolident, qui demum Principatus, aut quæ Regna conſiſtent, utpote quæ non alio certe jure, quam quo ditio Eccleſiæ, nempe diuturnitate temporis, & publicis fœderibus ſtabilita ſunt? Iisdem exemplis nixa plane videtur prohibitio illa adhuc inaudita, qua tum in Ducatu Mediolanenſi, tum in Regno Neapolitano Eccleſiaſticis abſentibus interdicuntur proventus beneficii aut Penſionis titulo debiti, & priſtinum fere commercium cum ſubditis Pontificiis, cumque ipſis Romanæ curiæ incolis tollitur, quam tamen prohibitionem benigna validaque Majeſtatis Veſtræ interceſſione & autoritate quamprimum ſublatum iri confidimus. Sed de his quidem fuſius & liberius loquimur forſan, quam opus eſt apud Principem recte & pro Juſtitia ſentientem, ſed ad id nos admonet officii purpura, immaculati agni ſanguine conſperſa, quam cum induimus ſolenni jurejurando Nos obſtrinximus fidem & obedientiam Nos præſtituros eſſe beato Petro & Succeſſoribus Eccleſiæ Romanæ Pontificibus eisque præſto futuros, ut Papatum Romanum & Regalia Sancti Petri retineant, defendant & recu-

 perent,

perent, ut proinde minus candidi erga Majeſtatem Veſtram haberemur, niſi intimos ſenſus Noſtros perinde ac Deo ſcrutatori cordium Majeſtati Veſtræ Cæſareæ panderemus, qua ex ratione hiſce etiam ad extremum addere cogimur, quod cum Majeſtas Veſt. Cæſarea Chriſtianæ Religionis commodis & concordiæ Sacerdotium inter & Imperium conciliandæ ſummopere ſtudeat, eoque tam pie Nos provocet, velit Cæſarea Majeſtas Veſtra Summo Pontifici aures animumque iterum patefacere, ſimulque rogamus Majeſtatem Veſtram Cæſaream, ut ſicut potentiâ ac felicitate Majores ſuos inclytos æquat ac ſuperat, ita eosdem valido Eccleſiæ Jurium Patrocinio una cum Imperio ſuſcepto vincere contendat, ita ut Nos priſtinæ tranquillitati reddamur, nec tam ad repellenda arma, ſed ad fundenda pro Imperii ſui diuturnitate ad Deum precibus, quod magis Noſtrum eſt, ſecura libertate attenti, ac Majeſtati Veſtræ Cæſar. aſſidua gloriæ incrementa ex animo augurari queamus. Datum Romæ die 12. Auguſti 1708.

Sub Sigillis trium Noſtrum in Ordine priorum, ſede plena.

(L. S.) Cardinalis Maraſcotti.
(L. S.) Cardinalis Carpegna.
(L. S.) Cardinalis Pamphilii.

Gvido Paſſioneus, Secretarius.

Inſcriptio.

Sereniſſimo Principi Joſepho Romanorum Regi in Imperatorem Electo ſemper Auguſto.

MCLXXXVII.

MCLXXXVII.

Literæ PETRI, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad ANNAM, Magnæ Britann. Reginam, quibus eam obnixe rogat, ut facinoris inauditi, Londini in perſona Legati ſui perpetrati Autores & Miniſtros, duriſſimas graveſque pœnas dare jubeat, 1708.

P. P.

NOn potuimus præterire, quin Majeſtati Veſtræ notificaremus, quanta animi cum ægritudine & horrore ex ſubmiſſa Andreæ de Matveof, Legati noſtri, ad Aulam veſtram nonnullis importantibus inſtructi commisſionibus, relatione inſperatam unquam percepimus notitiam, quomodo illum Legatum, poſtquam valedictoriam a Majeſtate Veſtra obtinuiſſet Audientiam, Londini in urbe Reſidentiæ Veſtræ in platea publica, præmeditata ex malitia, conſultoque (uti apparet,) nonnulli juſtitiæ famuli, per quendam vice Comitem (vulgo Sherif) immiſſi, more latronum contra publica Gentium jura & cum inaudita exemploque carente, eorundem violatione aggreſſi, diſperſis ipſius famulis, Rhedam ejus vi barbara infringendo, eundemque gladio, canna, pileo ſpoliando, veſtimenta lacerando tanta ignominia affecere, quam non ſolum ejus characteris Miniſtro extraneo, ne quidem Plebejo ex politioribus gentibus quiſpiam attentare auderet, niſi rigoroſiſſime puniendus & quod maxime abominabile eſt, dum dictus noſter Legatus clamore auxilii contra violentiam & latrocini-

 um,

um, nonnullos homines attraxiſſet, animo habentes, eundem manibus compilatorum liberare, cumque hi eo fine Rhedam detinentes, & cauſam rei ſcire cupientes illum in proximam duxiſſent cauponam, effrontes malefici juſſum Magiſtratus Mercatorum ad detentionem dicti Legati pro 50. libris (vulgo Pondt Sterl) ab illo, ac ſi nonnullis Mercatoribus debitis emanatum produxere, & cum accurrentes re explorata iterum migrarent, continuo Rhedæ conductitiæ vi impoſita in quandam infamem domum, Blakreveen nuncupatam, detinendum tradidere. Et quamvis dictus Legatus noſter hoc inauditum & atrox opprobrium Status Secretario notificaverat, tamen hic quaſi reperiri non poterat & tantum Secretarius Walpohle dictam domum acceſſerat, non pro liberando eo, ſed (uti evidentiſſime conſtat) ut ocularis fuiſſet teſtis hujus unius ſub ſole ferocis tractationis, multo minus Legato noſtro levamen aliquod, uti publici juris gentium, quod ab omnibus inſultibus Characterem Legati protegit, peritus, ei offerens, receſſit, adeo ut prædictus Legatus noſter omnis juvaminis expers ac derelictus compulſus fuerit, ſe detentionis domo redimere, ac poſt magnum temporis intervallum ſibi libertatem procurare. Quoniam itaque auſum hoc patrataque in perſona Legati ignominia in toto terrarum orbe impracticata, & nullibi, multo minus inter clariores audita populos, jura Gentium non ſolummodo profanans, ſed & omnino deſtruens, noſtram quoque lædit Majeſtatem, ea propter nos cogimur a Regia Veſtra Majeſtate expe-

expetere, ut in perſona Legati noſtri nobis attentatæ cum averſione juris Gentium, injuriæ, prævia dicti vice-Comitis, uti totius mali materiæ primæ, pro eo, quod adeo contumelioſum nefas patrare ac detentionem Legati noſtri pro re nauci reſolvere tum & latronum, qui opprobrio eundem Legatum modo ſupra fato in via publica afficere præſumpſerunt, non alias niſi peſſimorum Noſtrimet compilatorum & juris Gentium deſtructorum ad proportionem reatus illorum, tum & mercatorum detentionis dictæ auctorum, uti apparet ex protervo inſtinctu intendentium veterem amicitiam inter nos noſtraque Imperia labefacere cauſarum una & aliorum hujus ſceleris complicum inquiſitione, inflicto juxta rigorem jurium ultimo mortis ſupplicio iis omnibus aut caſtigatione, ad proportionem contumeliæ, qua unusquisque Legatum noſtrum afficiebat, cæteris ad exemplum, reparationem præbere annuat. Quo ſuper idem Legatus, vigore datorum ſibi expreſſorum mandatorum, Majeſtati Veſtræ deſiderium noſtrum fuſius exponet, Majeſtatis Veſtræ miniſtro in Aula noſtra degenti per noſtros declaratum.

Nos ſperamus ab æquanimitate Majeſtatis Veſtræ intolerabilis hujus ignominiæ talem ſatisfactionem, eo magis, quo propius Majeſtati Veſtræ honor totiusque Britannicæ gentis reputatio hoc modo ab oblique reſonante vindicari poterit Echo, nobisque vera aſſecuratio continuaturæ Veſtræ erga nos immutabilis amicitiæ porrigetur documentum, cunctique adverſæ opi-

 nionis

nionis effectus inde emanati exterminabuntur, & ne in defectu dignæ honorique æquivalentis ſatisfactionis adigamur, eandem nobiſmet reciproco procurare modo, quod nobis particularis æſtimationis, qua nos Majeſtatis Veſtræ amicitiam proſequimur, ratione admodum diſpliceret. De cætero Nos Magnus Dominus noſtra Czarea Majeſtas a ſupremo Numine Majeſtati Veſtræ diuturnam valetudinem, fauſtumque Regnorum regimen precamur. Dabantur in expeditione noſtra bellica ad vicum Sowolewo appellatum, Anno a Nativitate Chriſti 1708, die 17, Sept. St. v. Imperii noſtri 27.

Veſtræ Regiæ Majeſtatis

propenſus Frater

PETRUS.

Comte de Golofkin.

Petrus Scapfirof, Secretarius intimi Conſilii.

MCLXXXIIX.

Literæ STANISLAI A SCZEMBECK, Regni Poloniæ Primatis ad CLEMENTEM PAPAM XI. quibus ipſi indefatigatam Reipublicæ Polonæ, tot tantisque calamitatibus vix non conſumtæ, ſuæque Archidiœceſeos imprimis curam ſedulo & reverenter commendat, 1708.

POſt oſcula Beatorum pedum Sanctitatis Veſtræ humillimam Eccleſiæ meæ ac mei commendationem. Paterna cura & Apoſtolica ſolicitudo Sanctitatis Veſtræ de univerſo grege Chriſti fidelium, ac non minor de noſtra afflicta Republica

blica Polona ſvaſit Proceribus ex Senatu & Equeſtri Ordine, ut ad Sanctitatem Veſtram, tanquam ad communem Orbis Chriſtiani, noſtrumque Patrem cum plena fiducia una mecum recurrerent, ac omne ſuum poſtulatum uti fundamento juris Patrii & veræ juſtitiæ innixum, quod iſtis literis appono ad aram Sanctitatis Veſtræ & lancem judicii ejus proferrent, illudque benigne admitti humillime ſupplicarent. Erat quidem hoc commune omnium votum & meum particulare ut jam tandem exoptatam de unione & tranquillitate Reipublicæ notitiam Sanctitati Veſtræ poſſemus ferre ad conſolandum ejus cor paternum, quod ob continuas totius Chriſtiani Orbis turbas graviter affligi compertum habemus, teſtis & mihi eſt ſupremus ille, qui omnia videt, oculus, quod non orabam tantum, ſed & laborabam, quantum in me erat, pro inſtauranda publica tranquillitate, pro conſervanda fide Catholica & aſſerenda patria libertate non ideo tantum, ut hoc facerem quod erat, & eſt muneris mei Primatialis, ſed etiam ut pro modulo meo tanquam humillima creatura Sanctitatis Veſtræ aliquod levamen Apoſtolico ejus dolori & mœrori ſubminiſtrare valeam. Cum autem ob delicta gentis noſtræ non ſumus adhuc digni propitiatione divina, & optata felicitate, propterea cogor in amaritudine animæ triſtem ad hæc tempora afflictæ & luctuoſæ Reipublicæ faciem remonſtrare ante oculos Sanctitatis Veſtræ bellum ab annis octo & ultra cœptum, quod Regnum Noſtrum vehementer fatigat, nunc jam fere totaliter vaſtavit,

ſtavit, ubique induxit ingentem abominationem deſolationis, cauſavit extremam pauperiem & obſervatam in multis locis famem, ac nullibi reliquit angulum ad quietem, aut ad ſecuritatem. Ad triſtes vero cauſas has & effectus belli acceſſit peſtifera lues, & hæc dum valde ſævit miſerias afflictæ Patriæ in immenſum auget & producit, ſuper omnia autem mala morbus interni diſſidii inter nos tantopere invaluit, ut vix videatur eſſe curabilis, niſi Dominus Deus, a quo eſt omnis ſalus ſpeciali dono curationis ſuæ eam curare & ſanare velit; inexplicabile hoc eſt, quam ſit difficile ad pacis & charitatis leges reducere & componere, quod præcedentibus annis inaudita ambitio, inordinatus valde privati commodi & emolumenti reſpectus, ingens vindictæ ſumendæ appetitus, ac demum ſæva civilium odiorum rabies diſſolvit, detraxit & deſtruxit, quomodo omnia jura, omnes libertates & omnes antiquas conſvetudines evertit, peſſundedit, conculcavit, & quod adhuc magis mirandum, horrendum & dolendum eſt, plerique filii afflictæ matris ſuæ Patriæ exoticis perſvaſionibus & pollicitationibus ſuis aut paſſionibus inducti, capti & quaſi illaqueati poſt tot præjudicioſos imo pernicioſos actus contra Religionem & libertatem attentatos hucusque ſeu non volunt, ſeu non poſſunt præter nimiam a nutibus externæ potentiæ dependentiam animum & manum admovere ad uſitata alioquin a majoribus in caſu ſciſſionum media unionis & pacis ineundæ, quæ anteriores & recentiores manifeſte ad oculum indigitant revolutio-

volutiones & exempla; imo quotidie magis ac magis in altitudinem illius procelloſi maris,quod navigatur, & novos ipſius fluctus ſe ipſos & Rempublicam protrudunt & impellunt per inuſitatos in libertate agendi procedendique modos. Quod autem ita ſe res habeat, ut profertur, annexa manifeſtatio, quam cum demisſisſimo cultu ad Sanctitatem Veſtram transmitto, plenius informabit. Diſcernet exinde facile benigne Sanctitas Veſtra pro ſua ſumma ſapientia & ſumma juſtitia manifeſtationem iſtam in fundamento legum & conſuetudinum antiquarum amore Religionis & favore libertatis eſſe factam. Adinveniet ex tam laudabili reſolutione & intentione vota & deſideria publica eidem annexa, quæ in Paternum ſinum Sanctitatis Veſtræ effundimus eſſe recta, juſta & Pontificia conſideratione, admisſione, ac benedictione digna. Quam benedictionem Apoſtolicam & gratiam cum nomine omnium & ſingulorum, quos ſub nexu Confœderationis Generalis Sendomirienſis, ipſa ratio, rectitudo & purus tuendæ ac defendendæ libertatis Patriæ zelus firmavit, & nunc in eodem immotos tenet, a Sanctitate Veſtra demisſisſime imploro, non temere cum magna animi fiducia Sanctitatem Veſtram de hoc velle perſvaſam eſſe ſupplex rogo, quod ſicut per annos præcedentes Confœderatio Noſtra nec in minimo puncto poteſt argui contra Sanctitatem Veſtram & Sanctam Sedem Apoſtolicam ac ejus jura ac immunitates deliquiſſe, ita quod Nobis vere jucundum ſit & erit dare Nos imo immolare. Nos omnes in obſequium ejusdem S.

Sedis

Sedis Apoſtolicæ, non ſolum, ut ſic debitum noſtrum ex vinculo fidei faciamus, ſed etiam, ut particulari obligatione, cultu ac memorando ad poſteritatem amore Sanctitati Veſtræ obedientes addictos & adſtrictos Nos eſſe exhibeamus. Loquuntur etiam Nobis taciti ſenſus Sanctitatis Veſtræ, & hoc ipſo magnam ejus de bonis Reipublicæ curam & ſummam providentiam teſtatam faciunt; quod ab Apoſtolica ipſa ſpecula omnia licet e longinquo perſpicaciter de notitiis Status Noſtri conſiderentur; nihil autem etiam in reſolvendo ad importunas preces & factioſos ac urgentes conatus præcipitetur. Spero in Domino Deo quod beatum illud ſidus Sanctitatis Veſtræ, quod pretioſis undis & ſacro ternioni montium eſt pro corona, nobis erit pro cynoſura in omni tempeſtate, imo erit ſol, qui tenebras & omnes turbas pellat noſtras, & poſt hos nimbos in portu deſideratæ tranquillitatis feſſam & vix jam non concuſſam navim totius Reipublicæ conſtituat. His omnibus nomine publico ex munere meo Primatiali præmiſſis addo ex debito perſonæ meæ humillimam & nullo apparatu verborum ſatis explicandam gratiarum actionem pro omni valida protectione & benefica gratia Eccleſiæ meæ Primatiali Gneſnenſi & mihi ipſi hactenus præſtita adverſus poteſtates tenebrarum harum, quas paulo ante ingens ſchiſma produxit, inter ſuprema beneficia, quæ mihi Deus contulit, hoc recenſebo ſemper, quod a Vicario ejus promanavit. Recommendo demiſſiſſime eidem ulteriori protectioni & gratiæ Sanctit. Veſt. Eccleſiam hanc

meam,

meam, ac me ipſum, & ſupplicando Majeſtati divinæ, ut Sanctitatem Veſtram ad annos plurimos ſervet incolumem, ejusque S. Sedem Apoſtolicam Eccleſiæ ſuæ tuitionem & gubernationem proſperet omni die, omni momento recognoſco me eſſe ſemper quam diu vivo,

Sanctitatis Veſtræ

Dabantur Olomucii die 7. Octobris, Anno 1708.

MCLXXXIX.

Literæ ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad JOSEPHUM Rom. Imperatorem, quibus ipſum amanter requirit, ut priſtinam Religionis libertatem, Lutheranis feliciter in Sileſia reſtitutam, Reformatis etiam præſtitam ratamque faciat, 1708.

CUm Cæſarea Veſtra Majeſtas, cum Sereniſſimo & Potentiſſimo Svecorum Rege, ad diſſidia quædam inter vos oritura penitus dirimenda, & ad antiquam utrinque neceſſitudinem conciliandam, de quibusdam articulis Altranſtadiæ pactis convenerit; Ut univerſis Sileſiæ Proteſtantibus, liberum divini cultus exercitium priſtinaque ſuæ Religionis jura, Pace olim Weſtphalicæ conceſſa reſtituerentur. Cumque Nos veteris amicitiæ duorum Potentisſimornm Principum promovendæ, & communis omnium Poteſtantium rei conſulendæ ſtudio eidem conventioni ſponſionem Noſtram dederimus, non poſſumus ſine ſummo dolore animadvertere Cæſaream Veſtram

Maje-

Majeſtatem, neſcio qua diſtinctione Nominum obtenta, ſtipulatam Lutheranis quidem indulgere Libertatem, Reformatis vero eandem ex æquo bonoque vindicantibus denegare, nec Autoritatem ipſius Tractatus nec Sponſionem Noſtram nuper memoratam, a Nobili Nobis dilecto & Fideli, Philippo Medows, Equite Aurato &c. &c. Ablegato Noſtro Extraordinario in aula Veſtra commorante, pro Reformatis Veſtrum favorem deprecante, quicquam apud ipſam potuiſſe, ut hi non minus ampla Pactorum mente comprehenſi & pari cum illis pactorum emolumentis fruerentur; Quaſi vero quicquam magis perſpicuum eſſet, quam Pacem Oſnabruggenſem, univerſam ſine ullo diſcrimine Proteſtantium communionem voluiſſe, nec vi tractatus Altranſtadienſis eos, qui addicti Auguſtanæ Confeſſioni vocantur, ita prætendi poſſe, ut Reformati ficta hac verborum ſpecie a Lutheranis ſecreti, antiquis Juribus & exercendæ Religionis libertate privarentur. Cum vero nos non æquitatis modo, ſponſioniſque ſuperioribus articulis promiſſæ, ſed etiam fraternæ neceſſitudinis, qua ſumus Religionem Reformatam profitentibus conjunctiſſima, rationem habeamus, non poſſumus neque Charitati Chriſtianæ, neque Noſtro erga Deum officio, nec animo fidem fallere neſcienti, ſatisfacere, niſi ad recuperanda eorum Jura operam quam ſtudioſiſſime conferamus. Quapropter a Veſtra Cæſarea Majeſtate enixe petimus, ut priſtinam Libertatem, quam Lutherani feliciter ſibi reſtitutam ſentiunt, Reformatis etiam præſtitam

& ratam

& ratam faciat, nec ſinat, ut hi cum haud adeo multi ſint, & eadem beneficia, Juſtitiæ norma pactorumque vigore merentes, nec minus dicto Majeſtatis Veſtræ audientes, ſe miſerrimos omnium ſubjectorum lugeant, ut indigni æquitate, indigni Cæſarea Clementia, ſoli videantur. Quod ſi Cæſarea Majeſtas Veſtra noſtris annuerit votis, ab omnibus Reformatis, quotquot Reformatam Religionem colunt, gratiam adhuc majorem inibit, a Nobis vero potisſimum, quæ Veſtram in benignitatem & indulgentiam, Noſtræ amicitiæ & apud ipſam autoritatis tanquam fructum habebimus, & ad omnes officiorum vices reddendas, muneraque inter Nos neceſſitudinis auctiora (ſi id poſſit fieri) præſtanda, ſemper erimus paratiſſima. De cætero Cæſaream Veſtram Majeſtatem ſupremi Numinis Tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio Noſtro divi Jacobi 7. die Menſis Januarii, Anno Domini 1709. Styl. vet. Regnique Noſtri ſeptimo.

Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ

Amantisſima Soror, Conſanguinea & Amica

ANNA Regina.

H. Boyle.

MCXC.

Breve CLEMENTIS P. P. XI. ad JOANNEM BAPTISTAM, Archiepiſcopum Tarſenſem, & Sedis Apoſtolicæ ad Tractum Rheni Nuntium, cui ſevere injungit, ne quid in præjudicium Catholi-

cæ Religionis Coloniæ Agrippinæ fieri patiatur, 1709.

Clemens Papa XI.

Venerabili Fratri Johanni Baptiſtæ, Archiepiſcopo Tarſenſi, noſtro, & Apoſtolicæ Sedis ad Tractum Rheni Nuntio.

Venerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

SPerandum omnino nobis eſſe videbatur, Magiſtratum ipſius Civitatis Colonienſis veteris pietatis memorem, & noſtris etiam paternis officiis, ac Fraternitatis tuæ vocibus admonitum ac confirmatum, nihil unquam remiſſurum eſſe de ea conſtantia, qua primum obſtiterat petitionibus Acatholici Principis, magno ſtudio contendentis novum ac inauditum exemplum, favore ſuæ ſectæ, iſtuc inducere. Verum non ſine multa animi noſtri moleſtia audivimus, eundem Magiſtratum, inito demum Tractatu, delectiſque Arbitris exiſtimaſſe, ſatis conſultum eſſe incolumitati orthodoxæ fidei, ſi damnata hæreticorum exercitia ab ipſa civitate in præſens excluderentur, cæterum conſenſiſſe in aliquam conditionem, per quam differri potius quam adimi Catholicæ religionis periculum videatur. Quam ob rem æquum omnino fuit, ut Fraternitas tua pro demandato ſibi a nobis munere ſtatim inſurgeret, ac palam declararet, non licuiſſe Magiſtratui ſeculari cauſam ſacrdi cultum & integritatem directe reſpicientem attingere, nec in Concordia, quæ dicitur inter partes inita, præſervare aſſerta jura Acatholici Principis.

cipis. Ut autem omnibus perſpectum ſit,nedum ſperata nobis extitiſſe, ſed rata a nobis haberi ea, quæ pro indemnitate catholici cultus, inhærendo facultatibus tibi a nobis traditis, opportune ac neceſſario hac occaſione præſtitiſti; Nos declarationem a te editam, in qua omnia & ſingula obtentu ineundæ concordiæ in eo Tractatu contenta, cum omnibus inde ſecutis ac ſecuturis,quatenus directe vel indirecte Catholicæ Religioni præjudicium inferant, aut inferre aliquando poſſint, ſub ampliſſima forma nulla, ac irrita denunciaſti, ac pro revocatis, caſſatis, nullis, invalidis, abolitis, viribusque executione & effectu penitus ac omnino vacuis haberi voluiſti, per omnia approbamus, & Apoſtolica noſtra Autoritate confirmamus; Tibi inſuper injungentes, ut ejusmodi approbationem ac confirmationem noſtram notam omnibus reddi cures & facias. Interim vero ut pergas in officio ſedulus eſſe & vigilantiam tuam nobis ſemper magis comprobare, Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 16. Februar. Anno 1709. Pontificatus noſtri anno nono.

Ulyſſes Joſephus, Archi-Epiſc. Theodoſienſis.

MCXCI.

Literæ GENERALIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM, ad JOSEPHUM, Rom. Imperatorem, quibus pro incolis per Sileſiam reformatæ Religioni addictis, ut nimirum iisdem

 ſacris

ſacris ſuis publice & ſine metu vacare liceat, ſedulo intercedunt, 1709.

Sereniſſime, Potentiſſime, atque invictiſſime Imperator.

Cum Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ ſubditi in Sileſia, qui Reformati dicuntur, eandem, quam Nos fidem profiteantur, nullumque ſocietatis humanæ vinculum, fortius mortalium animos inter ſe conſtringat, quam Religio, eorundemque Sacrorum communio, unde & fratres vocamus, & fraterno amore diligimus, qui Deum Nobiſcum eodem ritu pure colunt; hæc ratio, etiamſi ſola foret, plus quam efficax eſſet, cur, ſi quid meritis, amicitia vel gratia, apud Cæſaream Majeſtatem Veſtram valeamus, illud omne impenderemus, quo illos priſtinorum & per injuriam temporum ablatorum beneficiorum reſtitutionem liberamque pro incolumitate Regiæ Majeſtatis Veſtræ & incremento Domus Auguſtæ, more noſtro vota faciendi, facultatem rogantes in cauſa, non æqua tantum, ſed & pia, officiis & interceſſione Noſtra adjuvemus. Non autem unica hæc ratio Nos impulit, ad implorandam pro iiſdem Reformatis ſæpius per Miniſtros nunc iterum literis, Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ juſtitiam & bonitatem. Suſcepimus enim rogati, una cum aliis Principibus pactorum Altranſtadienſium ſponſionem, quibus cautum eſt, Confeſſioni Auguſtanæ addictis Jura & Privilegia, Pace Weſtphalica olim conceſſa reſtitutum iri. Manifeſtum autem eſt & certiſſimis argumentis evincitur, tam in Sileſia, quam

quam in Germania Reformatos etiam ſub nomine addictorum Confeſſioni Auguſtanæ comprehendi : atque expresſis verbis ipſæ Pacis Weſtphalicæ tabulæ ſtatuunt, quicquid Juris aut beneficii Auguſtanæ Confesſioni addictis tributum eſt, id etiam iis, qui inter illos Reformati vocantur, competere. Hac certe & non alia mente, Tractatus Altranſtadienſis fidejuſſores Nos conſtituimus. Quandoquidem autem Cæſarea Majeſtas Veſtra, reſtituendo Lutheranis in Sileſia, Templa aliaque Jura & Privilegia, præclarum documentum dedit, pronæ & ſinceræ voluntatis ſuæ & ſanctimoniæ in adimplendis pactorum legibus, atque illam partem, quæ ad Lutheranos ſpectat, jam præſtitit, hinc Nobis emergit fiducia, quam non inanem fore ſperamus, Cæſaream Majeſtatem Veſtram alteram quoque partem, quæ ad Reformatos pertinet, brevi eadem voluntate impleturam. Quod ſi non tam clare illorum in integrum reſtitutionem pacta flagitarent, tamen Cæſaream Majeſtatem Veſtram, hanc, ipſorum ſubmisſisſimis precibus, noſtriſque & aliorum Principum amicitia, fœdere, mutuiſque necesſitudinibus cum Cæſarea Majeſtate Veſtra conjunctorum, ardentibus deſideriis, pro benignitate ſua conceſſuram, lubenter Nobis perſvademus, præſertim cum nihil aliud petamus, quam ut Sileſii Reformati, in rebus temporalibus dicto audientes, fidem, quam Deus animis ipſorum indidit, publice & absque metu profiteri, Deum more ſuo invocare, cæteraque pietatis munia obire, ſub Clementisſimo Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ Im-

 perio,

perio, queant. Hoc pro ſtudio & obſervantia erga Cæſaream Majeſtatem Veſtram noſtra, quæ ſumma eſt, enixe rogamus; annuente autem Cæſarea Majeſtate Veſtra, maximum Nos beneficium adeptos agnoſcemus, & quantumcunque commodi aut emolumenti in Sileſios fidei Noſtræ Conſortes, a Cæſarea Maj. collatum fuerit, tanquam in Nos collatum foret, grata mente reputabimus, nullam unquam, gratum animum teſtandi, occaſionem prætermiſſuri. Quod ſupereſt Cæſaream Majeſtatem Veſtram divino tutamini devote commendamus. Dabantur Hagæ Comitum 20. Martii, 1709.

M CXCII.

Literæ ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad LOTHARIUM FRANCISCUM, Electorem Moguntinum, quibus enixe ab eo contendit, velit ſibi res Germaniæ ſedulo habere commendatas, cæteroſque S. R. Imperii principes exemplo, autoritate & hortatu ſuo ad paria ſtudia excitare, 1709.

P. P.

CUm placuerit ſupremo rerum humanarum moderatori, divino ſuo auxilio confœderatorum inceptis præſentibus indies adſpirare, cumque variis & inſignibus favoris ſui indiciis, terra, marique anno proxime præterlapſo cauſæ noſtræ communis æquitatem approbare, & ſingularem in modum adjuvare, dignatus fuerit, Nos cœleſtem illam benignitatem ſuppliciter primum veneratæ, conſilia inivimus cum celſis &

præ-

præpotentibus Dominis Ordinibus Generalibus uniti Belgii de ſecundando enixiſſimis noſtris conatibus favorabiles hoſce annuentis Providentiæ eventus, quos nobis largitur, ad ſtabiliendam denuo Chriſtiani orbis incolumitatem & reducendam illam pacem, quam unice votis armisque petimus, æquam, honeſtam & in ſeros nepotes duraturam, quod non alio modo efficacius fieri poſſe videtur, quam ſi copias noſtras novo militum firmamento auctiores reddamus, & numero delectuque cohortium ita undique hoſtem publicum urgeamus, ut frangatur tandem immodica illius potentia, quæ tamdiu Europæ totius libertati minaciter imminuit. Cumque nobis eadem cum Imperio Germanico belli, pacisque alea ſit, veſtrique circuli Principes ac Status eorundem periculorum ſocii ſint iidemque rei feliciter geſtæ fructus participare debeant, e noſtro officio eſſe duximus, Celſitudinem Veſtram Eminentiſſimam, tanquam circuli Electoralis Rhenani Directorem ſerio exhortari, ut occaſionem hanc ſecundiſſimam & a Deo propitio omnibus confœderatis oblatam, fortiter cum circuli veſtri membris arripiat, & non modo curet, ut decretam jam diu ſolenniter copiarum pecuniæque vim pro rata cujusque parte accurate ſinguli Status exhibeant, ſed etiam, ut viros fortes fidosque ſocios decet, vires adaugendo, nervosque omnes conjunctim impendendo, quaſi uno ictu viam certiſſimam ad ſalutem, ad pacem, ad gloriam copiarum claſſiumque inſtructiſſimarum numero, ductu, vigilantia, immenſis denique

nique undiquaque ſumtibus cæteris exemplo præire, pro communi omnium bono ullo unquam tempore recuſavimus, etiam nuperrime magnum noſtrum magnæ Britanniæ Conſilium in Parlamento convocatum, mature perpenſis, tum augendarum copiarum neceſſitate, tum inſignibus emolumentis inde orituris, licet gravi hujuſce belli onere nimio nimis jam premantur ſubditi noſtri, ingentem tamen pecuniarum ſummam eo conferendam judicavit; Interea vero ſine ſummo dolore non poſſumus animadvertere, quam ſecure & quam jactanter inveteratus Germaniæ libertatis hoſtis, exercitum apparatusque bellicos Sacri Romani Imperii contemnere videatur, ut Rheni ripam finiumque ſuorum propugnacula ab illa parte militum præſidiis pene denudet, viresque glomeratas alio effundat, tanquam crederet, vel haud infeſtos eſſe Germanos, vel ſaltem minime metuendos. Ad Celſitudinem Veſtram Eminentiſſimam itaque ſpectat præcipue, tanquam Circuli Electoralis Rhenani Directorem, ut exemplo, autoritate, hortatu cæteros Principes, Statusque excitet, quo memores gloriæ, fœderis, fideique ſocialis, eum Ducem Auctorem ſequantur, & vires augendo, animosque mutuo ſtimulando, faciant tandem, ut videat Gallus, ſeſe non impune laturum, quod Nomen Germanicum, tam formidabile olim, & jam copiis opibusque (modo depromerentur) adeo validum, deſpicatui habuerit; Nos enim vero a noſtra parte veſtris conatibus non deerimus, & cum juncto fortique opere undiquaque comi-

connitamur, ita demum divinæ dextræ auxilio, ad finem laborum omnium feliciter perveniemus, ut diuturni & languidi belli miſerias finiamus, pacemque exoptatiſſimam æquis tutisque conditionibus glorioſe aſſequamur. De cætero Celſitudinem Veſtram Eminentisſimam Dei optimi maximi tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio noſtro divi Jacobi ſeptimo die Menſis Januarii Anno Domini 1709. Regnique noſtri ſeptimo.

Eminentiſſimæ Celſitudinis Veſtræ

Bona Conſanguinea & Amica

ANNA Regina.

MCXCIIII.

Litera PROCERUM S. R. IMPERII, *fœdere Nordlingenſi comprehenſorum, ad* ANNAM, *Magnæ Britanniæ Reginam, quibus ab ea amanter efflagitant, dignetur haud gravatim in inſtanti cum corona Galliæ pacis negotio S. R. Imperii præ cæteris condignam habere rationem, 1709.*

Sereniſſima ac Potentisſima Regina,

SI novis undequaque occurrentibus credere liceat, hoſtilis Coronæ Gallicæ vires, eo adſpirante divina gratia, Dominorum Confœderatorum, & præſertim Regiæ Majeſtatis Veſtræ præpotentibus armis redactæ dicuntur, ut ab ipſa propoſitionem cum certis conditionibus pacis exoratam atque Hagæ Comitum per Deputatum quendam

Gallicum factam, nec non Sacræ Cæſareæ ac Regiæ Majeſtatis Veſtræ, ſicut & Celſorum ac Præpotentum Dominorum Ordinum Generalium uniti Belgii Miniſtris porrectam & ad præliminaria pacis admiſſam eſſe feratur. Quibus circumſtantiis & rebus in hoc cardine tractandorum, imo ut communi fama profertur, vix non concluſorum præliminarium pacis verſantibus Regiæ Majeſtatis Veſtræ placeat glorioſiſſime recordari fœderis illius Nordlingenſis etiam ab ipſa præter alte memoratam Cæſaream Majeſtatem ad laudatos ordines generales cum Aſſociatis & ad ſupra dictæ hoſtilis Coronæ Gallicæ declarandum bellum ſpecialiter invitatis inclytis circulis nominatim Rhenano Electorali, Franconico, Svevico & Rhenano Superiori initi, præſertim autem articulorum ſive conditionum, quarum actualem præſtationem Circuli mox memorati ſibi tum ſtipulabantur, atque etiam ſubſecuta deſuper Regiæ Majeſtatis Veſtræ expreſſa ratificatione impetrarunt, & ſcilicet inter alia præprimis etiam redintegrationis ſuperiorum Imperii Circulorum mediante reſtitutione tot ab iis avulſorum Commembrorum, Civitatum terrarumque in priſtinum ſtatum & jure quo ante avulſionem ab Imperio gaviſi ſunt, cura ratioque haberetur, nullumque mediorum ad eam obtinendam conducentium omitteretur, prætereaque etiam nulli unquam fœderatorum cum hoſte tractatus, ſeparatos inire fas eſſet, ſed ut de pace conjunctim tractaretur, eaque non aliter, niſi obtenta prius in quantum poſſibile redintegratione ſupra memora-

moratorum Circulorum, & donec ad minimum ſecuritati aſſociatorum Circulorum omni meliori, quo fieri poſſit, & tutiori quam hactenus, modo, ſatis ſuperque proſpectum fuerit, concluderetur; Et quamvis de Regiæ Majeſtatis Veſtræ æquitate & juſtitia vix aliter ſperare liceat, quam quod ipſam conjunctim cum Dominis reliquis confœderatis ultro fide & ſollicitudine non minus ac pro muneris noſtri ratione, ſicut & ſpeciali mandato gratioſisſimorum dominorum Principalium Regiam Majeſtatem Veſtram, ad aſſiſtendum ſummis, quibus ea pollet viribus decenter & inſtantisſime rogamus, ut non ſolum prædictum fœdus & pactum illud Nordlingenſe, quoad reſtitutionem omnium ab Imperio per hoſtilem illam Coronam Galliæ tam ante quam per & poſt pacem Monaſterienſem avulſorum locorum plenarie in effectum redigatur, ſed etiam ad domandam firmiter & refrenandam illam univerſæ Europæ libertati invidam tantoque tempore minaciter inſultantem potentiam dictæ Coronæ repagulum quoddam per ejusmodi reſtituenda Imperio loca incluſum a Lotharingia ad Saarum & Moſellam usque deſcendens tractumque Moſæ comprehendo per alterius adjacentes & intermedias terras Belgii Hiſpanici ad maris littus excurrens objiciatur, continuandisve, communis auxilii fœdere firmetur, quis namque ſcopus & quæ intentio Gallica huc usque fuerit, publica literarum & rerum nunquam intermoritura loquuntur funeſta monumenta, teſtisque experientia eſt, Regem Galliæ per paces quotquot ab eo initas nulla-

nullatenus tranquillitatem publicam, ſed novum ſemper litigium intentaſſe, easque ad nutum & voluntatem ſuam ſecundum proprium intereſſe, confiſum vi armorum ſuorum interpretatum fuiſſe, cujus rei manifeſtum documentum præbent, vulgo ſic dictæ Reuniones a Camera Metenſi inventæ, quæ prætextu Dominii directi, quod Epiſcopis Metenſi, Tulenſi & Verodunenſi in quasdam a diverſis Imperii Statibus poſſeſſas ditiones olim competerat, eosdem in ſubditorum ſuorum numerum violenter referre præſumpſerit, & ſi forte ſiniſtro & inopinato eventu Epiſcopatus iſti pleno poſtliminii jure Romano Imperio non reſtituerentur, fruſtrata ejusmodi ſpe ſaltem prætenſus ille nexus feudalis ſublata omni vocis ambiguitate ac obſcuritate diſertis verbis aboleatur: Reuniones enim in tabulis pacis Ryſvicenſis annullatæ, non de ipſo juris feudalis nexu, ſed ejusdem ſolummodo extenſione & abuſu pro genio Gallorum minus apte interpretari & captata temporis occaſione poſſent reſuſcitari: adeo ut ſine præmemorata plenaria reſtitutione & repagulo atque obice ejusmodi pacifragæ & ad aliena ſemper hianti intentioni ſemper obtrudendo pacem modo ineundam jam novis diſcordiis Gallicis debilitari, tranquillitatem publicam interturbari, reſumptis paulisper viribus terras vicinas hoſtiliter aggredi & conquaſſari, aliasque adjacentes non tantum, ſed etiam remotiores non niſi beneficium ordinis providentes & utinam viribus in tempore pares & unitas novo bello implicari, teſtimonio tam frequentium funeſto-

rum

rum & plus quam barbarorum exemplorum certo certius continget; quibus malis ita ſurrecturis obviam tendendi & pacem firmam, bonam & conſtantem ſtabiliendi, quilibet cordatus præſentem occaſionem, quam divina Clementia armis Dominorum Confœderatorum, juſtitiam cauſæ foventibus, benigniter elargiri dignita eſt, vix unquam redituram agnoſcet. Et hinc Regiæ Majeſtatis Veſtræ æquanimitas, juſtitia & in ſalutem ac incolumitatem publicam ſemper propenſa voluntas, habita præſertim fœderis Nordlingenſis conſideratione, nobis pollicetur, Eam ſæpius memoratorum Circulorum deſideriis adeo juſtis & non tantum propriis commodis ſed etiam tranquillitati & felicitati publicæ ſuffragantibus præſertim in recompenſationem etiam auxilii in obligationem promiſſorum indefeſſe præſtiti atque in conſolationem earundem terrarum vix non conſumptarum præpotentem ſuam aſſiſtentiam non denegaturam, ſed ſummum hocce negotium exoptatæ firmæ pacis conjunctis Dominorum Confœderatorum viribus conſiliisve promoveri curaturam, adeoque mandaturam, ut Regiæ Majeſtatis Veſtræ Miniſtri, quibus dictum negotium pacis ab ipſa gratioſiſſime commiſſum eſt, illud præſertim in præliminaribus indeſinenter ad ſupra memoratæ plenariæ Reſtitutionis & redintegrationis Circulorum, atque opponendi repaguli intentionem dirigant, nec ab hoc inevitabili ſecuræ pacis objecto deſiſtant, ſed id ipſum, pro conditione ſine qua non firmiter teneant, atque etiam Miniſtris nomine ſæpedictorum

rum aſſociatorum Circulorum ad locum tractandæ pacis ablegatis, & adhuc ablegandis fideli in hoc puncto communicatione; auxiliares manus omnimode præbeant. Præſertim autem de ſecuritate eadem, in quo Domini Confœderati tempore formandarum, ſub favore fortaſſe armiſtitii, conditionum pacis per evacuationem & realem ab hoſte faciendam ceſſionem hujus vel alterius fortalitii ſine dubio in partibus Belgii ſibi providebunt, etiam ſæpius laudatis Circulis virtute mentionati fœderis Nordlingenſis, utpote omne conſilium commune ipſis promittentis certo proſpiciant: Idem, quod tanquam univerſalem totius Chriſtiani orbis tranquillitatem & quietem ſtabiliens Regiæ Majeſtati Veſtræ cum cæteris Dominis Confœderatis in æternam gloriam verget. Cui omnia fauſta & ſalutaria apprecamur & nos ea, qua par eſt, veneratione & reverentia commendamus. Dabantur Hailbronnæ die 13. Maji 1709.

MCXCIV.

Litera ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad PROCERUM S. R. IMPERII Legatos in Comitiis Ratisbonenſibus exiſtentes, quibus ipſis, quam verſatilis Galliæ Rex circa ratificationem confectorum nuper pacis Præliminarium ſit, cordate exponit eosque ſerio hortatur, ut nervos omnes intendant, quo hoſtium obſtinata ferocia penitus frangi queat, 1709.

Anna, Dei Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Regina, Fidei defenſor &c. Ampliſi-

pliſsimis & Conſultiſſimis Viris Electorum, Principum Statuumque Sacri Romani Imperii Conſiliariis & Legatis ad Comitia Ratisbonenſia Deputatis, ibidemque congregatis, Amicis noſtris perdilectis ſalutem.

Ampliſsimi & Conſultisſimi Viri, Amici perdilecti.

HAud latet vos, quanto cum apparatu pacem nuper ambire hoſtis præ ſe tulerit, & quam ſolenni modo articuli quidam præliminares, qui futuro pacificationis negotio fundamenti loco eſſent, Hagæ-Comitum confecti concluſique fuerint, quos cum Miniſtri Gallici atque e primariis ad id miſſi aſſenſu ſuo comprobaſſent, Rex tamen Chriſtianiſſimus eosdem acceptos ratosque habere recuſavit, atque ita fidem, authoritatem dignitatemque Confœderatorum omnium parum honeſte ludificatus eſt. Perſpicietis facile, ex tam lubrica agendi ratione, quo voto demum conſtringendus ſit hoſtis adeo verſatilis. Pervulgatæ ſunt veteres ejus artes, & cum rebus ſuis belli calamitatibus jam fractis afflictisque non nequit ad ingenium illud inſidioſum reverti, quid non ab eo expectandum nobis foret, ſi a malis præſentibus pauliſper reſpiraverit, & vel pacis vel induciarum beneficio vires animosque refecerit. Cum igitur ſatis apparet, tranquillitatem Europæ, licet ſolennisſime ſancitam, nullo alio modo in tuto eſſe poſſe, quam ſi Gallorum potentia ita undique præcidatur, iisque circumſcribatur cancellis, ut ne minimam, vel vi, vel dolo, ipſam

ipſam perturbandi facultatem habeant,res quidem ipſæ loquuntur, tempusque poſcit, ut omni tergiverſatione poſita confœderati junctim undiquaque ſummis viribus hoſtem communem adoriantur, atque eam pacem armis invito extorqueant, quam congreſſibus & colloquiis lenioribus nunquam adepturi ſunt. Nobis quidem ſtat ſententia, nervos omnes intendere, ut frangatur penitus obſtinata hoſtium ferocia, ſperamusque ſocios ad unum omnes eodem animo nobiſcum in re tam neceſſaria conniſuros, ut ſentiant demum hoſtes, ſeſe cum maximo ſuo malo Confœderatorum nomini illuſiſſe. Et cum conventus Veſter celeberrimus pro Imperii Germanici gloria, dignitate, ſalute imprimis excubet, opportunum eſſe duximus, Vos etiam in tanto belli paciſque momento hortationibus Noſtris ſedulo incitare, ut ſtudia veſtra in cauſam communem usquequaque maxima omni ope, atque autoritate ſumma intendatis. Videtis utique, quantum publicæ utilitatis interſit, ut Exercitus Germanicus ad Rhenum Superiorem & copiis & commeatu ad bellum neceſſario quam firmiſſimus reddatur. Videtis, quam idonea adſit, occaſio, amplitudinem Romani Imperii & avulſas olim Provincias ab hoſte recuperandi, modo ne ipſi vobismet ipſis defueritis. Confidimus itaque, Vos tam Decretis ſaluberrimis, quam conatibus enixiſſimis adlaboraturos eſſe, ut ex parte Electorum, Principum ſtatuumque Imperii Romano-Germanici militum copiæ, pecuniæque & cætera quæ ad bellum ſtrenue feliciterque proſequendum opus ſunt, abunde

de ac ſine mora ſuppeditentur. De cætero autem ſupremum rerum moderatorem ex animo precamur, ut vobis adeſſe & conſilia veſtra in publicum Chriſtiani orbis emolumentum ſecundare velit. Dabantur in Palatio noſtro apud Windſohr tertia die Julii Anno Domini 1709. Regnique octavo.

Veſtra

bona Amica

ANNA Regina.

Inſcriptio.

Ampliſſimis & Conſultisſimis Viris, Electorum, Principum, Statuumque Sacri Romani Imperii Conſiliariis & Legatis ad Comitia Ratisbonenſia, Deputatis ibidemque congregatis, Amicis noſtris perdilectis.

MCXCV.

Reſponſoria a LEGATIS PROCERUM S. R. IMPERII, in Diata Ratisbonenſi degentibus, ad præinſertas ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ datæ, 1709.

Sereniſſima & Potentiſſima Regina,
Domina Clementiſſima.

Literas Regiæ Majeſtatis Veſtræ ex Palatio Regio Windſohr tertia nuperi Julii datas ea, qua par eſt, veneratione tertia Auguſti accepimus, & ex iis, quod præliminares pacis futuræ Articulos Hagæ Comitum confectos Gallorum Rex, denegata præter omnem ſpem ratihabitione & ad maximum contemtum & ignominioſam confœde-

ratorum ludificationem penitus abruperit, in id autem unice intentus fuerit, ut induciarum hocce beneficio vires ſuas recolligeret, easque novo cum animo reſumeret inſuperque percepimus, quam ægre Regia Majeſtas Veſtra hanc Galliæ Regis illuſionem tulerit, qualique vere Regia generoſitate ad comparandam ſibi totique Nationi magnæ Britanniæ immortalem gloriam eam vindicare, hoſtis arrogantiam reprimere, junctaque virtute confœderatorum eundem ſubigere intendat, & quas eum in finem ad conventum hunc generalem Sacri Imperii Romani miſerit, excitatorias, ut omni poſſibili modo quævis ad devolvendam hanc graviſſimam præſentis belli molem & conſequendum fauſtiſſimum ejus eventum neceſſaria media promtiſſime adhibeantur, nec quippiam prætermittatur, quo publicæ utilitati conſuleretur, ſed opportuna occaſio avulſas olim provincias ab hoſte recuperandi, tranquillitatem introducendi & introductam in Europa conſervandi conſideretur; Et quemadmodum Regiæ Veſtræ Majeſtati ſummus attribuendus eſt honor, & immortalis gloria, quod durante calamitoſo hoc belli tumultu ſingulari opera indefeſſoque ſtudio pacem conſtantem & tranquillitatem perpetuam Europæ recuperandi hucuque ſapientisſime invigilaverit, & periculoſum hujus belli initium tam potenti auxilio quam ſedulis adhortationibus incitando confœderatorum animos inhibuerit, ita patriæ, cauſæ communis & confœderatorum Status nunc felicior Regiæ Majeſtatis Veſtræ ſummæ ſolicitudini utplurimum adſcribendus;

dus; Hinc maxime e re eſt,ut Fœderati & belligerantes omnes vi fœderis initi&belli declarati unitis conſiliis& auxiliis pari cura conſtantem & laudabilisſimam Majeſtatis Veſt. Regiæ intentionem promoveant, & quidquid virium divina clementia posſident, adhibeant, nec ante ſufficientem tot acerbisſimorum malorum reparationem & avulſorum reſtitutionem arma ſua in ipſum alacri animo convertere deſiſtant; Hac intentione non minus in ſalutem patriæ quam in communes Fœderatorum præſentes æque ac futuras utilitates non defuere Electores, Principes & Status Imperii noſtri Principales, per nova concluſa Imperii, a Cæſarea Majeſtate confirmata, ſeſe hic Ratisbonæ invicem excitare & adhortari, ut ad inſtructum Imperii exercitum in ſuperiore parte Rheni omnia quæcunque ad alacriter & fortiter impugnandum hoſtem opus eſſe, res ipſa clamat, res ſine temporis diſpendio pro nunc & in futurum præſtent. Hunc in finem etiam Sacra Cæſarea Majeſtas & quidam potentiores Imperii Status ad bellum eo melius & fortius proſequendum, & ad Confœderatorum expeditiones militem ſuum Imperio debitum aut integrum aut magna ex parte in Belgium miſerunt, qua ex decentisſima informatione haud dubitatur, quin Regia Veſtra Majeſtas ſufficienter colligere dignatura ſit, quam avide & cum ſumma virtutis conſtantia Electores, Principes & Status Imperii Romani pro repellendis hoſtium injuriis & amoliendo bello ab exhauſtis provinciis & ditionibus ſuas ſtrenuas partes ulterius præcipue ad Regiæ Majeſtatis Veſtræ promoven-

dam glorioſam intentionem conferre deſiderent, ſperantes, divinam opem juſtisſima in cauſa ac pro ſalute publica ſuſceptis conſiliis, laboribus, conjunctis viribus & auxiliis non defuturam, nec dubitantes, quin juſtisſima intentionis cauſa & poſtulata Cæſaris & Confœderatorum vim & fauſtum eventum pacis honeſtæ & conſtantis habitura ſint, in quibus adjuvandis operam ſuam Electores, Principes & Status Imperii omni modo impendere conabuntur; Regiam vero Majeſtatem Veſtram maxime perſvaſam putant, quod ipſis nil magis in votis & cordi ſit, quam hoſtiles impetus totis viribus refrænare & confœderatorum commoda omni conatu promovere valeant; De cætero certi ſumus, Regiam Majeſtatem Veſtram pro ſumma prudentia ſua & æſtimatione futuri ex præteritis nobiſcum ſic judicaturam, omnium Fœderatorum ſalutem in eo vertere, ne ad ipſos pacis tractatus poſthac deſcendatur, niſi Galliarum Rex in ipſo limine actionis promiſerit, reſtitutum a ſe iri non modo univerſam Alſatiam cum urbe Argentoratenſi decemque civitatibus unitis in dicta Alſatia ſitis, totaque Sundgovia & Briſgovia Præfectura quoque Provinciali Hagenoënſi (ubi Romanum Imperium & domus Auſtriaca illam poſſedit vel poſſidere poterit) pagis & juribus, a modo dicta Præfectura dependentibus, omnibusque locis & fortaliciis a Baſilea ad Moſam usque cis & trans Rhenum ſitis, nominatim utroque fortalitio Briſacenſi, cum munimento vulgo le Mortier dicto item Kehl, Fort-Louis, Hünningen, Landcron

cron, Befort, Hombourg, Bitſch & Pfaltzbourg cum omnibus munimentis, Armamentariis omnique apparatu bellico, ex quibus prædictis aliisque hic non nominatis locis illa maxime in finibus Helvetiæ demolienda erunt, quæ Cæſari & Imperio deſtruenda videbuntur, ſed & Comitatum Burgundiæ, vulgo Franche-Comte dictum, Ducatum itidem Bovilionenſem & Sedanenſem, nec non Epiſcopatus Argentinenſem, Metenſem, Tullenſem & Virodunenſem & eorum diſtrictus urbesque cognomines, etiam cum earum diſtrictibus, nominatum Mojenvicum cum ſuis territoriis & juribus, uti & omnes alias Provincias, loca, jura, Magni Ordinis Teutonici & Ordinis S. Joannis Commendas, ditiones earumque jura & feuda Imperii ab Helvetia usque in Belgium ſita, cum nexu feudalitatis tum ad Cæſarem & Imperium, tum ad quoscunque in Alſatia & extra eam ſitos Electores, Principes, præſertim Principem Mompeliardenſem, cæterosque Imperii Status, comprehenſa immediata Imperii Nobilitate, ſpectantia, denique utrumque Lotharingiæ & Barri Ducatum, illum quidem in eo, quo Henricus III. Lotharingiæ Dux illum quondam poſſederat Statu, hunc vero ſublato feudalitatis nexu, ab Henrico Barri Comite non ſine gravi jurium Imperialium diſpendio vi metuque extorto, una cum omnibus & ſingulis ditionibus, terris & fortalitiis aliisque juribus, quæ Lotharingiæ Duces poſt pacis Pyrenææ tempora Gallorum præpotentiæ cedere coacti fuere, fortalitiis, inſuper Theodonis villa

& Saar-Louis Imperio reſtituendis, factaque a Rege ſolenni abdicatione omnium jurium & titulorum in quaſcunque Imperii terras, ditiones & Provincias, ex quibuscunque tractatibus anterioribus acquiſitorum, vel etiam poſtea ſeu reunionis ſeu alio quocunque titulo injuſte prætenſorum aut uſurpatorum, eo modo & ordine, quo de ſingulis inter ipſos tractatus cum Gallis poſtea convenietur. Quæ omnia ut Regia Majeſtas Veſtra ſicuti & plenariam damnorum illatorum ab hoſte præſtandam reſtitutionem & æquiſſimam ſatisfactionem ſibi cordi eſſe & in reſumendo pacis negotio quam maxime commendata habere velit, eſt, quod Regiam Majeſtatem Veſtram ea, qua par eſt, obſervantia, demiſſiſſime petimus & obſecramus. Dabantur Ratisbonæ ex Comitiis 20. Novemb. 1709.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

humillimi

Sacri Romani Imperii Electorum, Principum & Statuum Conſiliarii & Legati ibidem congregati.

MCXCVI.

Literæ AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad LUDOVICUM XIV. Galliarum Regem, quibus ipſum de reditu ſuo in Poloniam certiorem reddit, 1709.

Sere-

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi Domino, Domino Ludovico XIV. Dei Gratia Chriſtianiſſimo Galliarum, & Navarræ Regi, Fratri Noſtro Chariſſimo.

Auguſtus II. Dei Gratia Rex Poloniæ &c.

ARctiſſima illa Nos inter & Rempublicam Polonam intercedentia ſacri jurisjurandi vincula non permittunt nos ulterius publica progreſſu noſtro in Poloniam morari vota. Quapropter juribus noſtris innixi, dum felicem noſtrum in illud Regnum Divinæ bonitatis gratia concordibus liberrimi populi ſuffragiis, univerſalique totius Reipublicæ aſſenſu pridem nobis concreditum apparamus ingreſſum; Partium noſtrarum eſſe cenſuimus Majeſtatem Veſtram de eodem reditu certam & participem facere, confidentes plane Majeſtatem Veſtram hancce immutabilis, firmiſſimæque voluntatis noſtræ ſignificationem pergrate accepturam, juſtisque conatibus noſtris tranquillando Reipublicæ Statui neceſſariis pro congenita animi ſui magnitudine votis ſuis affuturam. De reliquo Majeſtati Veſtræ proſperrimos ſucceſſus cum optima valetudine ex animo precamur. Dabantur in Arce Noſtra Dreſdenſi die XII. Auguſti, Anno 1709.

MCXCVII.

Literæ ANDREÆ DE MATUEOF, Legati in Belgio Moſcovitici, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus ipſis, nomine Principalis ſui, potiores vix ſub Arctoo audita

auditæ unquam victoriæ ad Poltavam a Svecis reportatæ circumſtantias recenſet, 1709.

Celſi ac Præpotentes Domini,

IMmenſa altisſimi juſtorum armorum tutelaris potentia, ambitioſæ vero aggreſſorum temeritatis vindex poſtquam malevolorum auſuum transgreſſi fuerunt metam, uti protegere prima, confundere poſtrema nunquam tardavit; ita recenter ſeptentrionalis belli ſuper theatro accedens viciſſitudo, ejusdem concurſu moderata fuiſſe emicavit. Contrivit nempe faſtuoſas longe lateque oberrantes Svecorum copias, quæ expilata Polonia, exhauſta Saxonia, Imperio demum Magnæ Rusſiæ deterrimum meditabantur exitium. Dies erat $\frac{27.}{8.}$ $\frac{\text{Junii}}{\text{Julii}}$ anni præſentis, dum fruſtra oppugnato in Ucrania Poltaviæ oppido, Exercitum Sacerrimæ Cæſareæ Majeſtatis, Magnæ Ruſſiæ Imperatoris, Domini mei citatis pasſibus truculenterque, ac ſi obtutu ſolo deleturæ esſent, aggreſſæ, longe diverſo, minimeque exorbitanti menti conſono ſucceſſu; Etenim a defendente ſeſe & ſigna conferente Exercitu, mox profligatæ & in fugam converſæ & usque ad proximum rejectæ nemus, dantibus continuo hoſtium cervicibus qua gladio qua catapultis victorum nefandi propoſiti pœnam, & nec quidem aciem reſtaurare Svecis audentibus; adeo, ut hæc unica clades adæquatæ perfectæque victoriæ titulo ſuffeciſſet, niſi Omnipotentis æquitas immanitatem hoſtilem pluries ſævientem juſta rependens bilance, reſiduum quoque fugitivum militem

tem ad Oſtia Boriſthenis Sacræ Cæſareæ Majeſtatis victricibus armis in captivitatem bellicam, die $\frac{10}{11}$. ejusdem ad oppidum Percloczowna abducere concesſiſſet. Quod cum ſua altememorata Majeſtas nil tam cari habeat nec integri posſideat, quin vera & ſincera amicitia proſequentes ſe Celſas ac Præpotentes Dominationes Veſt. impertiat, conſulto curſorem, Capitaneum Michaelem Oſtraharden tam prælii, quam & deditionis hoſtilis ocularem teſtem, mandatis ad me legatum ſuum, relationeque exacta omnium ſupra ſcriptorum, inſtructum mittere, decernens, non potuit præterire, ut illas de his Sacræ Cæſareæ Majeſtatis ſudoribus, & ſub auſpiciis ejusdem partis trophæis nomine ſuo, in veræ propenſionis teſſeram certiores redderem. Ea propter officio meo deeſſe non potui adjunctasque relationes debita cum æſtimatione illis porrigo, vigore ſpecialis mandati, quod teneo, Celſas ac Præpotentes Dominationes Veſtras aſſecurans de Sacræ Cæſareæ Majeſtatis non tantum ad excolendam priſtinam firmeque vigentem fidam amicitiam cum illis, ſed ad reddendas easdem participes cunctorum emolumentorum, quæ ex ſubſecutura, faventibus cœlis, quiete percipi poſſunt, proclivitate, utpote omni bono, quod ſuis amicis communicari nequeat, penitus carentis, omninoque ſperantis, celſas ac præpotentes Dominationes Veſtras de proſperis ſucceſſibus, candidæ ſinceritatis gratia ſibi gaviſuras pariter ac Sacra Cæſarea Majeſtas cunctis earundem felicitatibus penitus favet. Cæterum prout decennalis fere temporis

ſpatio reciprocæ inter Sacram Cæſaream Majeſtatem & Celſas ac præpotentes Dominationes Veſtras amicitiæ conſervandæ, quinimo & augmentandæ indefeſſa opera mihi erat, & de ipſis bene merendi deſiderium, ita & perenne manebit; qui omnia proſperitatum genera prono apprecans animo, continuo adſum

Celſarum ac Præpotentum Dominationum Veſtrarum

Dab. Hagæ Comitum die $\frac{17}{28}$. Auguſti, Anno 1709.

ad quævis officia paratisſimus

Andreas de Matueof.

MCXCIIX.

Literæ PROCERUM AUG. CONFESSIONI PER S. R IMPERIUM ADDICTORUM nomine, ad ANNAM, Magnæ Britanniæ Reginam, quibus ab ea ſollicite contendunt, dignetur in futuræ pacis tractatu omnes intendere nervos, ut infeſta rebus Evangelicis in Pacis Ryſwicenſis Art. IV. contenta clauſula radicitus aboleatur exſtirpeturque, 1709.

Sereniſſima ac Potentiſſima Regina

Domina Clementisſima.

REgia Majeſtas Veſtra per ſuum Miniſtrum, Carolum de Whitworth, aliquot abhinc annis hic commorantem, ad noſtras ad Regiam Majeſta-

Majeſtatem Veſtram anno 1702. humillime exaratas literas ita certos de benevolo ſuo erga rem Evangelicam animo (prout ex juncto hic patet) nos reddidit, ut luculento hoc teſtimonio confiſi Regiam Majeſtatem Veſtram iterum adire audeamus. Jam enim præſentisſima adeſt occaſio, ubi Regia Majeſtas Veſtra deſideriis Evangelicorum quam optime conſulere poterit. Inſtat nimirum forte tempus pangendæ pacis cum Gallia. Cumque nuperrimæ pacis hujus præliminaria parum ſolaminis in cauſa Religionis nobis attulerint, idcirco Regiam Majeſtatem Veſtram ea, qua par eſt obſervantia rogamus, velit una cum præpotentibus Fœderati Belgii ordinibus, quos & ſimul hac ſuper re decenter compellamus, jam jam rei noſtræ eo magis firmo atque efficaci adjumento eſſe, quo minor ſpes eſt, quicquam æqui aut juſti a Romano-Catholicæ Religioni addictis conſtatibus, moto licet omni lapide deſuper impetratum iri. Non dedignabitur ergo Regia Majeſtas Veſtra eo curas ſuas convertere, ne de Præliminaribus pacis conveniatur, niſi de reſtitutione omnium tam in locis jam recuperatis quam reſtituendis in Eccleſiaſticis & Politicis, quæ intuitu eorum mutata fuerunt, ad ſtatum pacis Weſtphalicæ in Imperio expresſis verbis cautum ſit. Imprimis vero commendamus Regiæ Majeſtati Veſtræ abolitionem clauſulæ Articuli IV. Pacis Ryswic. a Statibus Evangelicis non niſi reſpectu Galliæ agnitæ. Reliqua gravamina in Eccleſiaſticis vero quod attinet, facile paſſuri ſumus, ut ad Deputationem Imperii remittantur,

modo

modo hæc omnia, de quibus ita per Præliminaria conventum fuerit, executioni mandentur, & de modo exequendi pacem ſtatuatur. Nulli dubitamus, Regiam Majeſtatem Veſtram juſtisſimis hisce deſideriis noſtris locum relicturam: Quo facto in honorem divini Nominis vergente Regia Majeſtas Veſtra gloriam ſui nominis plurimum augebit, & ſibi Dominos noſtros Clementisſimos & Committentes magnopere devinciet. Nos autem divinam bonitatem inſuper ardenter invocamus, ut Regiam Majeſtatem Veſtram communi cauſæ reique Evangelicæ ſoſpitem atque incolumem quam diutisſime conſervet. Dabantur Ratisbonæ ex Comitiis die 11. Sept. 1709.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

humillimi

Sacri Romani Imp. Electorum, Principum & Statuum Auguſtanæ Confesſioni addictorum Conſiliarii & Legati ibidem congregati.

Inſcriptio.

Serenisſimæ ac Potentisſimæ Principi ac Dominæ, Dominæ Annæ, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Reginæ, Fidei Defenſori, Dominæ noſtræ Clementisſimæ.

MCXCIX.

Breve CLEMENTIS PAPÆ XI. ad ORDINES REGNI POLONIÆ, quo eos paterne hortatur, ut fracto tandem per Dei gratiam infauſto

infauſto obice & Rege legitimo denuo ad clavum Reipublicæ ſedente, omnes diſcordiarum & diffidentiæ fontes obſtruant, & concordi animorum nexu exhauſtam atque vix non oppreſſam Patriam ſublevent, 1709.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis & Epiſcopis ac Dilectis Filiis Nobilibus Viris Ordinis Senatorii & Ordinis Equeſtris in Conſiliis generalibus Regni Poloniæ, & M. D. L. congregatis.

Clemens Papa XI.

Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

QUod Vobis ſignificandum inprimis a Nobis hoc tempore videretur: Summam ſcilicet eſſe charitatem illam, qua Rempublicam Veſtram tot nominibus inclytam, & univerſum iſtud Regnum amplam ac præclaram Chriſtiani orbis partem, ac magnum Romanæ Eccleſiæ præſidium ac ornamentum ex animo proſequimur, hoc ſupervacaneum eſſe ducimus in præſens commemorare, quandoquidem ex aſſiduis ac indubiis Paterni noſtri amoris documentis, quæ tum præſertim ad vos perferri curavimus, cum res veſtræ in magna nuper perturbatione eſſent, ac in ſummum diſcrimen adducerentur, Pontificiæ noſtræ erga Vos benevolentiæ magnitudinem Vobis innotuiſſe exiſtimamus. Nam quæ duo potiſſimum eſſe in rem Veſtram agnovimus, ea nos per iterata officia Noſtra ad ſingulos Reipubl. Veſt. ordines

dines directa, & per Noſtros iſthic pro tempore reſidentes Apoſtolicos Nuntios, qua privatim, qua publice monitis, ac conſiliis noſtris Vobis ſignificare, eademque hortatu ac precibus noſtris apud vos urgere non prætermiſimus. Quorum quidem illud primum ſemper fuit, ut integritatem & incolumitatem Catholicæ Religionis tueremini; Alterum vero, ut conciliandæ ac ſtabiliendæ inter vos tranquillitati ac paci ſerio incumberetis. Cum enim in utroque ejusmodi bono, tanquam in duplici firmiſſimo cardine veram Patriæ Veſtræ ſalutem verſari intelligeremus, nullo præclariori teſtimonio ſolicitudinem, quam de rebus veſtris gerimus, explicare vobis poſſe arbitrati ſumus, quam ſi utriusque deſiderio animos veſtros incenderemus. Conciliaturi autem Vobis inter tot calamitates atque pericula cœleſtem opem, ſine qua humana conſilia prorſus deficiunt, continenter ac enixe efflagitavimus ab eo, qui potens eſt facere procellam in auram, ut ſubſidere juſtis æſtuantibus iſtic disſidiorum & bellorum fluctibus optatam tandem Serenitatem Regno redderet, ſtabilemque inter vos firmaret concordiam, quatenus liberis mentibus ſociatisque ea conſilia, quæ communi ſaluti magis expedirent, ſusciperetis. Et ſane adveniſſe nunc tempus ſperamus, quo Deus velit Vota Noſtra miſericorditer ſolari & ſe propitium rebus veſtris præbere, ſi modo oblatam vobis occaſionem irritam non dimiſeritis; jam enim ſubmotis gravioribus difficultatibus, ac reduce ad Vos chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro AUGUSTO

Polo-

Poloniæ Rege illuſtri, ſpes non obſcura ineundæ quam primum iſtic Pacis affulgere videtur. Agite itaque Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, proferte zelum veſtrum, & ſepoſito quocunque privato ſtudio, indemnitatem Catholicæ fidei & publicam Regni tranquillitatem conſtanter aſſerite, ac certi, vos hanc ſine illa aſſequi non poſſe, id inprimis curate, ut quæcunque abominationes aut pravæ conſvetudines a Lutheri Sectatoribus aut ab aliis forſan hæreticis in Partes vel clam, vel palam ad evertendum veræ Religionis cultum invectæ fuerint, iſthinc quamprimum eliminentur; hoc enim Pietatis ſtudio & fervore ac talibus hoſtiis conciliabitis vobis divinam opem, quam præterea deſideriis veſtris affuturam & perennem nomini veſtro laudem acceſſuram eſſe certe vobis pollicemur; dum, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, Vobis Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 21. Sept. 1709. Pontificatus Noſtri Anno IX.

Ulyſſes Joſephus, Card.
Gozzadinus.

MCC.

Literæ AUGUSTI II. Regis Poloniæ, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, a quibus amanter efflagitant, velint Regem Sveciæ eo diligenter inducere, ut neminem e ſummis in Arctoo Confœderatis impoſterum e Provinciis ſuis Germa-

Germanicis bello laceſſitum iri ſanctè promittat, vel ſi id recuſet, irruptionem in eas merito vereatur, 1709.

Auguſtus II. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, &c. Celſis, Præpotentibus Dominis Generalibus Ordinibus Provinciarum Fœderati Belgii, amicis noſtris chariſſimis ſalutem & omnis felicitatis augmentum!

Celſi, Præpotentes Domini, Amici Noſtri Chariſſimi.

POſteaquam ad vota populorum cum ingenti certatim accurrentium tam utriusque Ordinis Senatorum, quam ex Equeſtri Ordine obviorum plauſu in viſceribus Regnorum noſtrorum comparuerimus; poſtquam junctis noſtris viribus cum auxiliaribus Sereniſſimi Magni Moſchorum Ducis Colligati noſtri copiis, & redeunte ad obedientiam Lithuani, firmiter conſtanterque in ea perſeverante Polono cum Ducibus ſuis exercitu, hoſtis, qui hactenus periniquo jure & ſumma cum injuria, quidquid liberet, pro licito judicavit, non tantum ultra nihil tentare auſus eſt, ſed etiam cum ultima, eaque nobis multo inferiori manu Regno noſtro cedere, & ex improviſo in Pomeraniam citis pasſibus movere debuit. Hinc, cum belli conjuncturæ nullum majus diſcrimen, quam ex negligentia occaſionum intervenientium pati ſoleant & Serenisſimi Moſchoviæ Czari arbitrio & Generalium Ducum noſtrorum

rum

rum ſuffragiis, militumque ardentibus votis, nec non omnium conſtantibus impulſorum cauſis judicio res ad conſilium delata, comprobataque fuiſſet, ut ſcilicet non parcendo illis, qui noſtra pene deſtruxerunt, id faceremus, quod facile noſtris faciendum ſupererat viribus, & non labeſcente veſtigio, hoſti non dubia, ſed certa ſpe ſummæ utilitatis inſiſteremus, ac per id mature præveniremus, ne eâ præſumptione amplius uteretur, & ut ſibi ſolus, quod hactenus fecit, plus quam cæteris omnibus in poſterum tribueret, authoritatis. Metus in futurum, ne ex illa parte invaſio aliqua, vel impeditio fiat & ex metu conſilium, & omnium votorum ſumma erat, cum nihil commodius viſum fuiſſet, ut id ageretur, quod monebat communis Colligatorum noſtrorum utilitas, & ut Generalem Kraſſau cum Svedico exercitu in Pomeraniam ingreſſum perſequeremur, ne Sveci, nunc jam ſatis attriti, reaſſumptis, ſi id fieri poterit, viribus amplius nos ex illa parte aggredi audeant. Arduum nobis erat tot conſilia pro ſalute Reipublicæ & communi Colligatorum utilitate in contrariam ſententiam vertere; evicit tamen & pronior ſemper, quam affectus movet, in commoda, altæ colligationis inclinatio, & Regiæ noſtræ recordatio declarationis de non interturbando Romani Imperii quiete & nulli diſſidio danda occaſione, & ut per hanc noſtram ſeriam applicationem & Celſitudines Veſtras, & omnes earum Colligatos certius atque certius ſemper de conſtanti, eaque firma, nec immutanda, unquam amicitia

convinceremus? Perſvaſimus proinde & Sereniſſimo Moſchorum Duci, & Regnorum Noſtrorum exercitui, ut id, quod ſors obtulerat, & quod optimo idoneoque tempore fieri poterat, agere differant, omnes in ea fiducia confirmantes, quod Celſitudines Veſtræ cum omnibus magnæ Colligationis Capitibus (de quorum juſtitia omnia non ſperamus, ſed credimus) ad eum finem res diſponent & omnimodam ſecuritatem, ſecuritatisque Gvarrantiam dabunt, quod ex Provinciis Svedicis nulla in Ditiones noſtras & Sereniſſimorum colligatorum noſtrorum, in Polonia, Saxonia, Dania & Magni Moſcoviæ Ducis Ditionibus, in quantum ſtatus illorum in proximo ſituati ſunt, timenda veniat irrruptio, ex parte Svedicæ Pomeraniæ, neque Svecі novum militem in Imperio conſcribere, neque conſcripto exercitum ſuum in Provinciis ſuis augere permittentur, cum ex antiquis fœderibus non liceat etiam Coronæ Svedicæ in Ditionibus ſuis, quæ in Imperio reperiuntur, plures milites fovere, ultra defenſionis neceſſitatem & præſidia ſolita. Maxime ambigimus, quod Celſitudines Veſtræ hanc pro commodis altæ colligationis, quam nunc cognitam facimus, amplificationem noſtram grate accipient & quam celerius poterit nobis, Regnoque noſtro, Sereniſſimisque Colligatis noſtris facient ſecuritatem, noſtramque hac in parte in fiducia non deneganda evincent aſſecurationem; ſi vero id a Celſitudinibus Veſtris ex alta colligatione proviſum non fuerit, quæ ratio ſupererit, quæ nos colligatoſque noſtros impedire deberet

ab

ab evellendo radice ejus potentiæ, quæ reddita indies formidabilior poſſet olim nocere nobis. Non domare hoſtem, cum poſſis, eſt permittere, ut fortiorem ſe reddat. Si autem Nos, Regnumque noſtrum hunc æquitatis & juſtitiæ (quod minime credimus) habere non poſſemus gradum in illo caſu nos, Regnumque noſtrum, & Magnus Moſchoviæ Dux armis eam ſecuritatem quærere cogemur, quæ prompta, parata, militumque noſtrorum alacritate fulta in ditionibus inimici quæri & inveniri poterit. Quod, dum Celſitudinibus Veſtris deferimus, ne olim arguamur, non ſufficientem nos feciſſe præcautionem, nec Generalem Kraſſau ad incitas reduxiſſe, ſicuti nunc fieri poterat, multo inferioribus illius viribus, & in miſerabili ſtatu exiſtentibus. Pluribus de hac re non agimus cum Celſitudinibus Veſtris, res enim ipſa pro nobis loquitur, quibus optimam a Deo valetudinem, omnemque proſperitatem, ex animo precamur. Dabantur Thorunii die 9. Novemb. 1709.

MCCI.

Litera AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad STANISLAUM A SCZEMBECK, Regni Poloniæ Primatem, cui habenas Reipublicæ, ſe abſente, prudenter regendas, amanter committit, 1709.

Reverendiſſime in Chriſto Pater, & Domine ſincere Nobis Dilecte.

Debitas divinæ Majeſtati referimus gratias, quod cum reditu Noſtro ad hanc inclytam Rempublicam omnia aſpera convertit in vias

planas, numeroſam plane ab omnibus Palatinatibus & Terris accepimus benevolentiæ & fidelitatis conteſtationem, habuimus relationem a Tribunali Regni per inclytos ejus Deputatos, ab Exercitu utriusque Gentis per Duces & publicam legationem fidei & zeli honoris noſtri expresſionem. Gaviſi ſumus, copioſamque ex utroque ſacro ac ſeculari Senatus ordine frequentiam ſuſcepimus patenti clementiæ noſtræ ſinu, & ad Nos confugientes, exortas inter cives & familias Magni Ducatus Lithuaniæ differentias ex parte ſopivimus. Legatum ab Hano Tartarico habuimus, & poſt datam ei audientiam, agnita in conferentiis veræ amicitiæ conteſtatione convenienter expedivimus, Nobilem Bakowski cum literis ad Portam Ottomannicam cum conteſtatione conſtantis amicitiæ noſtræ & Reipublicæ expedivimus. Generale conſilium pro 4. Febr. Anni ſequentis cum asſignatione comitiorum pro 7. Febr. conformando Nos publicæ expectationi ad ſananda hujus Reipublicæ vulnera, & integram ejus pacationem indiximus. Inclytum exercitui utriusque Gentis laudabili zelo honorem noſtrum ſub directione ſuorum Ducum tuenti, ad addendos animos, eo quod diſtributiva juſtitia manibus noſtris concredidit, ſatisfecimus, omnem diſpoſitionem cum exercitu utriusque Gentis una cum Ducibus fecimus, ac prorſus nihil intermiſimus, quod ad vota publica, & ſatisfactionem ex parte noſtra pro tunc deſiderari & exſpectari poterat, & cum in hac inclyta Republi-

ca

ca quieti vacare vellemus, diſponentes Nos pro curis & laboribus imminentis congreſſus, deferuntur ad Nos gravia hæreditariorum noſtrorum Dominiorum negotia, propter quæ, utpote cum commodo hujus Reipublicæ ob perſonam noſtram correlationem habentia, neceſſitate coacti ad breve tempus illuc nos transferimus. Quod primario Excellentiæ Veſtræ, de cujus felici in charam Patriam reditu & datis innoteſcentiis ſpecialem habuimus ſatisfactionem, ſignificamus, multumque deſideramus, ut Excellentia Veſtra per hoc tempus elongationis noſtræ vigilem habeat oculum in omnes partes, & nobiſcum vel per diſpoſitos Poſtarios vel per expreſſos verhedarios in omnibus negotiis publicis pro gradu ſuo in Republica conferre dignetur; Scripſimus ſpeciales ad Duces utriusque Gentis, intimantes eis abitum noſtrum. Aſſecuramus autem Excellentiam Veſtram, quod compoſitis Dominorum noſtrorum negotiis, in tempore ante terminum ſequentis conſilii reditum noſtrum maturabimus. In reliquo Excellentiæ Veſtræ bonam a Deo valetudinem & fortunatum ſucceſſum optamus. Datum Thorunii 19. Novembr. Anno Domini 1709. Regni Noſtri XIII.

MCCII.

Litera AUGUSTI II. Poloniæ Regis, ad ACHMEDEM III. Turcarum Imperatorem, quibus ipſi ſe communi gentis Sarmaticæ plauſu in Poloniam rediiſſe nuntiat, ac Legationis proxime ad

ad aulam ejus mittendæ præcurſorem impenſe commendat, 1709.

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi Domino Imperatori Conſtantinopolitano, atque in Aſia, Africa & Europæ, Arabum Syriæque, Ægypti Domino, Amico & Vicino Noſtro, auſpicati Regiminis, ac bonæ veræque amicitiæ incrementa, felicitatem & mutuam benevolentiam!

Sereniſſime & Potentiſſime Princeps, Amice & Vicine Noſter.

POſteaquam ad vota fidelium Polonorum, liberi & Electoris Populi, auſpice ſupremo numine, applaudente Senatu, & tota Republica effuſa in feſtiva gaudia & ſonoras exultationes, reditum noſtrum ad rehabendam Poſſeſſionem Regni hujus poſtliminio maturavimus, jamque Thronus noſter & Majeſtas Regia velut depulſa tempeſtate clarius reſplendeſcit, quippe omnes ſuum Regem agnoſcunt, ac prona animorum venerantur devotione, & quemadmodum nos ſemel legitime elegerunt & proxime retroactis temporibus concordi & unanimi conſenſu ac demum ſolennibus vinculis & Sacramentis præſtiti jurisjurandi in Solio Regali firmarunt & roborarunt, ita a Nobis regi & gubernari volunt, a Natura formato liberrimæ Gentis ingenio parere ſemper legitimo Regi, ſervire nunquam. Nihil itaque prius in animo habuimus, quam de

ea

ea Nos divina benignitate ac totius Reipublicæ celebri fide, zelo & affectu Serenitatem Veſtram ſine mora certiorem reddere, eidemque hæc omnia per Generoſam Bakowski Secretarium Noſtrum & Præcurſorem futuræ Ablegationis ex proxime incidenti Magno conſilio ad Fulgidam Portam ordinandæ communicare teſtificantes conſtantem Noſtram bonæ voluntatis & propenſionis erga Serenitatem Veſt. & Excelſum Imperium Ottomannicum firmitudinem, tum offerentes Nos ſolidam ex parte Noſtra & Reipubl. amicitiam, juxta tabulas perpetuæ Pacis non modo conſervare, ſed omni meliori modo augere & ampliare velle; Enimvero ita denique firma, & ſtabilia ſunt terrarum orbis imperia, ſi fœdera ſemel inita & coram pro rerum omnium Domino, per quem Reges regnant, ſancte jurata ſerventur, & ſalva ac inviolata fide manuteneantur. Quod, dum Nos reipſa comprobare, complere & obſervare omni meliori modo deſideramus, viciſſim nobis de Serenitate Veſtra promittimus, quod reciprocæ ſinceritatis, benevolentiæ ac mutuæ amicitiæ documenta Nobis & Reipubl. ſit datura, & exhibitura. De reliquo Serenitatem Veſtram inter proſperrimos rerum ſucceſſus bene ac diu ſoſpitem vivere precamur. Dabantur Thorun. die--Novembr. Anno a Nativitate Dei, & Salvatoris Noſtri JESU Chriſti MDCCIX. Regni vero Noſtri Anno XIII.

MCCIII.

Literæ ejuſdem cum præinſertis argumenti, ab AUGUSTO II. POLONIARUM REGE ad SUPREMUM TURCARUM IMPERATORIS VICARIUM exaratæ, 1709.

ETſi publica Europæ totius fama felicem reditum noſtrum tot votis inclytæ & liberrimæ Gentis Polonæ expetitum pro rehabenda poſſeſſione Regalis throni conſtare Veſtræ Illuſtritati minime dubitamus, quo tamen intimiora amicitiæ noſtræ, & ſinceræ benevolentiæ erga Excelſum Imperium Ottomannicum exhibeamus documenta, hoc ipſum per Generoſum Bakowski Secretarium Noſtrum, & Præcurſorem futuræ Ablegationis notificandum eſſe duximus, antequam ex futuro magno conſilio proxime Varſaviæ congregando & celebrando Ablegatus Noſtro & Reipubl. nomine ad Fulgidam Portam expedietur, pro confirmandis perpetuandisque æternæ pacis incrementis; optimum enim Regnorum fundamentum exiſtimamus eſſe ſanctam & inviolatam fœderum & bonæ vicinitatis conſervationem & obſervantiam, in quem finem, quantum Illuſtritas Veſtra æquis ſuis bonisque ſtudiis facere curabit, tum quicquid latori præſentium humanitatis & facilitatis ad obtinendam ſuam expeditionem præſtiterit, Nos certe tantundem luculentis Regiæ benevolentiæ Noſtræ documentis ſemper reddituri ſumus, qui etiamnum Illuſtritati Veſtræ proſperos rerum eventus

cum

cum bona valetudine exoptamus. Datum Thorunio die—Novembr. Anno 1709.

MCCIV.

Litera ASSESSORUM QUORUNDAM JUDICII LEODIENSIS, ad PROCERUM S. R. IMP. LEGATOS, Ratisbonæ congregatos, quibus ſubmiſſe ab eis efflagitant, velint ſedulo in id incumbere, ut judicium Cameræ Imperialis quam primum integre reſtituatur; 1709.

IMperatoriam Majeſtatem non ſolum armis oportere decoratam, ſed & Legibus eſſe armatam, admodum prudenter edixit Imperator Juſtinianus, bene'gnarus ſine juſtitia, utpote virtutum cæterarum parente & altrice, ſecundum illud Ciceronis, nec domum ullam, nec civitatem nec gentem nec hominum univerſum genus, nec rerum naturam, nec ipſum denique mûndum, vel puncto temporis ſtare poſſe: Quemadmodum enim dominante juſtitia exulant fraudes & doli, Reipublicæ ſalus conſervatur, & privatorum fovetur quies atque tranquillitas, ſic exule juſtitia, fraudes & dolos ac quicquid cæterorum eſt vitiorum dominari, ordinem reipublicæ turbari, populique pacem & tranquillitatem in jurgia aliaque peſſimæ conſequentiæ ſcandala reſolvi, neceſſum eſt. Exulem nunc ab integro quinquennio & amplius dolentiſſime experimur, Excellentiſſimi, Ampliſſimi & Conſultiſſimi Domini, Domini, ſummam, quæ hac-

tenus Wezlariæ reſedit in Sacro Imperio Roman. Juſtitiam, Hujus ocius revocandæ, reſtaurandæ & infirmandæ negotium Dominis Viſitatoribus Deputatis Imperii laudabiliſſime commiſit, cum univerſis Imperii Statibus glorioſiſſime nunc regnant, Sacra Cæſarea Majeſtas in hoc Prædeceſſorum Suorum, Maximiliani I. Caroli V. aliorumque Imperatorum glorioſiſſimæ memoriæ piisſimis inſiſtens veſtigiis, ut quemadmodum illi præter judicium ſuum Aulicum Cæſareum, pro majori ſalute & tranquillitate Imperii nec nonProvinciarum remotarum ſolatio aliud ſupremum in meditullioImperiiJuſtitiæDicaſterium ſub nomine Cameræ ſuæ Imperialis laudabiliſſime conſtituerunt, Legibus & ordinationibus illuſtrarunt, & conſervarunt, ſic & ipſum præmemoratum tribunal per interna quædam fata nunc extra Sphæram activitatis redactum, & quadantenus (an majori jure quam injuria, ſub judice lis eſt) labefactam rearare priſtinisque reſtituere deceret incunabulis. Quantæ porro paternum atque piisſimum hoc inſtitutum ab eo præſertim tempore, quo tot candidos, ſelectiſſimos, & eruditiſſimos, in hunc finem Wezlariæ conveniſſe novimus Juſtitiæ Architectos atque Miniſtros in patria Leodienſi, nec non circumvicinis aliisque Imperii ditionibus apud miſeros litigantes, quorum vel cauſæ judicio Imperialis Cameræ irretractabiliter affectæ, vel quibus tam ob diſtantiam loci quam immodicos ſumtus aliasque incommoditates Aulam Cæſaream adire vix licet, cauſa fuerit conſolationis & gaudii, id ipſum ſanguineæ ſuper

jula-

moderno fatali juſtitiæ caſu fuſæ lacrymæ, ejulationes & ſuſpiria, tot numero viduarum, pupillorum aliarumque miſerabilium perſonarum, quæ nunc tandem reviviſcente juſtitia ſeſe contra iniquas adverſariorum ſuorum tergiverſationes & ſpoliationes defendendas, executiones judicatorum ſuorum maturandas, aut reſpective præmature & attentatorie decretas aut realiter factas retractandas eſſe ſperabant, comprobare melius quam hic ipſe calamus exarare poterit. Quandoquidem vero (quod ſumme dolendum) fama communis præter omnem ſpem & opinionem modo ferat, ſaluberrimum hoc redintegrandæ juſtitiæ negotium nunc denuo dum finis putaretur proximus, novas & adhuc longas velle pati moras, ideoque extrema antea gaudii, nunc luctus occupavit, interim autem tot juſti patientur & innocentes, ſanguis clamavit viduarum & pupillorum, fraudes & technæ in tuto collocatæ manebant, creſcet effrenis debitorum & calumnioſorum litigatorum protervia, multiplicabuntur & fovebuntur non infrequentes per ſe alias in hiſce partibus jurisdictionum Eccleſiaſticarum cum ſecularibus colliſiones.

Hinc ad Excellentiſſimas & Ampliſſimas Dominationes veſtras ea qua par eſt, ſubmiſſione recurrere non inconſultum duximus, humillime ſupplicantes, quatenus hunc lamentabilem juſtitiæ Statum æqua lance ponderare, & nunc tandem, ſi & quantum poſſibile reſtaurationem ſummæ Cameralis Juſtitiæ maturare, tot litigantium ſuſpi-

ſuſpiria ſublevare & per hoc tam Reipublicæ quam privatorum neceſſitatibus ſubvenire non dedignentur.

Excellentisſimarum, Illuſtrisſimarum, Reverendisſimarum, Perilluſtrium, Generoſarum, Magnificarum, Nobilisſimarum, Amplisſimarum & Conſultisſimarum Dominationum Veſtrarum

Humillimi atque devotiſſimi

W. D. Maſinel. J. C. ſupremæ Feudalis Juſtitiæ in Patria Leodienſi Vice-Præſes & Primarii Ordinis ejusd. Patriæ & Comitatus Loſſenſis Secretarius.

Du Chauteau J. C. Civitatis Leod. Conſil. perpetuus Primarius, ordinum Patriæ Leod. & Comitatus Loſſenſis Aſſeſſor nec non ordinis Equeſtris ejusd. Patriæ & Comitatus Secretarius.

Du Moulin J. C. Exconſul Leod. ejusd. Civitatis Supremus Graphiarius, nec non tertii Ordinis Patriæ Leodienſis ac Comitatus Loſſenſis Secretarius.

MCCV.

MCCV.

Litera CAROLI XII. Svecorum Regis, ad JOSEPHUM, Rom. Imperatorem, quibus ipſi gratias perſolvit maximas, quod Altranſtadenæ conventionis capita non modo omnimoda executione adimpleri curaverit, ſed etiam generoſo prorſus animo ſex nova templa in ſolatium Auguſt. Conf. addictorum ædificare permiſerit, 1710.

Nos Carolus Dei gratia Svecorum, Gothorum Vandalorumque Rex, &c.

EX relationibus ad Nos transmiſſis a Miniſtro & Ablegato noſtro extraordinario ad Aulam Majeſtatis Veſtræ lætis auribus percepimus, religionis negotium in Sileſia conventione Altranſtadena cautum & ordinatum tam proſperos habuiſſe ſucceſſus, ut non modo omnia ac ſingula ejus capita jam ſint adimpleta atque omnimodæ executioni mandata, ſed Majeſtatem quoque Veſtram generoſo prorſus animo & ad poſteritatem commendando exemplo id dediſſe amicæ interceſsioni Noſtræ, ut 6. nova templa in uſum & ſolatium Aug. Confeſſioni addictorum ſubditorum ſuorum ædificari permiſerit, confecto ſuper hiſce omnibus publico inſtrumento ſeu receſſu, ut vocant formali, atque edito ad ſupremum Sileſiæ Magiſtratum ſeveriſſimo mandato, ne, quæ ita ſolenniter, ſancte & religioſe utrinque promiſſa atque in vim legis perpetuæ jam ſancita ſunt, quisquam auſit temerario conatu labe-

labefactare aut in dubium unquam revocare. Quemadmodum autem hæc omnia inſignem Majeſtatis Veſtræ æquitatem & moderationem animi arguunt, atque Nobis cum primis luculentum præbuit documentum ſtudii & amoris, quo Majeſtas Veſtra Nos proſequitur; ita non posſunt non ea Nobis eſſe pergrata atque rata a Nobis ſemper haberi, utpote qui amicitiam quoque Majeſtatis Veſtræ ſemper magni facimus, eamque ſincero ſtudio & affectu colere parati ſumus. De cætero Majeſtatem Veſtram divinæ commendamus tutelæ, atque fauſta & felicia quævis ex animo eidem adprecamur. Dab. ad urbem Benderam die 21. Martii 1710.

CAROLUS

H. G. v. Müllern.

MCCVI.

Litera ACHMEDIS III. Turcarum Imperatoris, ad PETRUM, Czarum & Magnum Ducem Moſcoviæ, quibus pacem ſe & ipſum inter renovatam ad 30. Annorum ſpatium, ſancte obſervandam, protractam eſſe nuntiat, 1710.

Sultanus Achmetes Chanus, Filius Sultani Mechmetis Chani, ſemper Triumphator.

GLorioſiſſimo & Excellentisſimo inter Altisſimos Principes, qui credunt in Jeſum, in Meſſina Gente Regnantium ſupremorum Dynaſtarum Supremo Dynaſtæ, ſummorum negotio-

gotiorum Chriſtianæ gentis arbitro, Principi præſtantiſſima virtute, ſplendore, honore, fama, & veneratione illi præſtita conſpicuo, Czaro Moſchoviæ, Imperatori totius Ruſsiæ, pluriumque ei incorporatarum terrarum Monarchæ, Petro Alexiadæ (cujus exitus proſper fauſtusque eſto,& ad viam ſalutis collimet!) poſtquam hæNoſtræ traditæ fuerint Imperatoriæ literæ innoteſcat. Miſſæ quatuor literæ illius ad ſuum in noſtra felici Porta commorantem Legatum, celeberrimum Mesſinæ gentis inter magnates, Petrum Andreiadam a Tolſtoy (cujus exitus proſper eſto) ut Noſtræ Imperatoriæ inſinuarentur Majeſtati, nonnullæque commisſiones a Veſtra Majeſtate eidem de negotiis exponendis directæ pervenere; illeque Legatus in fauſta Noſtra porta, antiquo Ottomanni Imperii Noſtri more de his cunctis Vices-gerenti Noſtro Vizirio, Ali Baſſa (cujus famam & robur altisſimus in ſecula augeat) oretenus retulit; Nosque per eundem, Legato Veſtro, ut in fulgidisſima, felicisſima & fauſtisſima Noſtra Porta prævia demiſſa veneratione, antiquo more, comparens, has literas Nobis inſinuaret, ſignificari jusſimus. Deinde ſuperius nominati Viziri interpretationes, nec non legati Veſtri propoſitiones in noſtra potentisſima Imperatoria Aula productæ erant. Primæ charisſimæ Veſtræ literæ continebant, quomodo feliciter regnante beatæ memoriæ fratre Noſtro Sultano Muſtapha Chano, (quem Deus in meditullio Paradiſi conſtituit) anno ab obitu Mahometis (quem

(quem benedictio Dei coronet) 1112 (id eſt Chriſtiano more 1701) 26. die menſis Muharem Julii inter Celſisſimam Portam in ſecula usque duraturam, & Veſtrum Imperium pro 30. annis ſequentibus concluſa eſt pax & in hunc diem parte ab utraque ſancita ejusdem ſervata & illibate obſervata ſunt; nunc vero Majeſtas Veſtra bonum eſſe duxit, exponique juſſit, ut eadem pax renovetur. Noſtra Imperatoria Majeſtas ex quo in fauſto celſoque Imperio collocata & coronata eſt throno, etiamſi negotium hoc nonnullorum obſtaculorum cauſa protractum erat, idem ſentiebat. Et quoniam Veſtra mens candida eſſe exploratur, Veſtroque Legato plena poteſtas collata, confirmationis, conſtitutionisque amicitiæ & perfectæ pacis officio fungi; Noſtræ quoque Imperatoriæ Majeſtatis ex parte amicitiam Veſtram puram excolere & ſalutationem excipere reſolutum eſt, pro tempore Imperatoriis literis pactionis, beatæ memoriæ fratris Noſtri, deſignato ſcilicet tricennii: prout de facto cunctos, Noſtris Imperatoriis literis comprehenſos articulos, omnesque Pacis leges ac conventionum decreta, Noſtra Imperatoria ex parte renovavimus, & coram Noſtræ Imperatoriæ Majeſtatis ſereno vultu Legato Veſtro tradi mandavimus; & ad mentem pactionis, ejusque efficaciter roborandæ gratia Chano Crimenſi, & cæteris in confiniis ad ripas Boriſthenis armorum Præfectis, quocumque debito ibi terrarum res tractantur, executionem, uti neceſſe fuit, & ſerio præcepimus;

Majeſtas

Majeſtas quoque Veſtra in locis convenientibus Exercitus ſui Ducibus eandem obſervantiam præſcribat, laude dignam rem actura, ſi id palam fiet. Quantum vero deſiderium illius, ſancti ſepulchri Hieroſolymorum ratione attinet, negotium hoc in diſcuſſione vertitur, ut parti utrique commodum ſit. Quo ſuper cum Legato ipſius deliberare tempus adhuc non vacabat, aſt dum deliberatum erit; reſponſum per eundem transmittetur. Aliarum Epiſtolarum trium de argumentis cum dicto Legato fuſius, abundiusque colloquia inſtituere mandatum eſt & hæc effectum aſſequentur. Cæterum, quæ ad mutuo excolendam amicitiam parte ab utraque requiruntur, conſtabit illi ex relatis ſuperius nominati Legati & innoteſcet. Pax itaque ſit ſuper ambulante per viam ſalutis. Actum Anno 1121. (i. e. Chriſtianorum more 1710.) primis diebus menſis Zilcade / Maji in Imperante Conſtantinopolitana urbe, in Noſtra Excelſa Sultanea Aula.

MCCIIX.

Literæ ACHMEDIS III. Turcarum Imperatoris, quibus pacem cum PETRO, Czaro & Magno Duce Moſcoviæ denuo initam & per 30. annorum ſpatium ſancte impoſterum ſervandam confirmat, 1710.

Omnium bonorum Creatoris, Omnipotentis, in æternum perennaturi, inacceſſibilis, inviſibilis, ſemper laudandi, conti-

 nuo

nuo glorificandi Unius DEI & Domini ope & miſericordia, Prophetarumque præcipui, utriusque orbis celeberrimi Mahometis Muſtaphæ (ſuper quo benedictio DEI requieſcat) multorum magnorumque miraculorum abundantia, ſit pax cunctis, & benedictio.

Sultanus Achmetes Chanus, Filius Sultani Mehemetis Chani, ſemper Triumphator.

NOs honoratiſſimarum & benedictarum Urbium, venerandarum ædium, Sanctorumque locorum, ubi cunctus populus ſeſe inclinat, honoratæ a Deo Mochæ, ſancte fulgidæ Mediæ, ſanctæque Urbis Hieroſolymorum Miniſter & Dominator, Monarchicarum, deſiderandarumque, trium Magnarum Urbium, Conſtantinopolis, Adrianopolis, Pruziæque Imperator, Babilonis & Damaſci, paradiſi odore perfuſi, hodiernoque tempore incomparabilis Ægypti, totius Arabiæ, Alepi, Antiochiæ, Arabiæ Chaldæacæ, Perſiæ, Achſiæ, Dalſiæ, Riciæ, Meſopotamiæ, Parthorum Provinciæ, Vaniæ, Culiciæ, Georgienſis, & Militenſis Terrarum, Magnæ Armeniæ, Sibaſætnæ, Caramaniæ, Barbariæ, Æthiopiæ, Arcieræ, Trabloſi, Inſularum Rhodos, Cipri, & Candiæ, Albi, Nigrique Maris, Inſularumque Iſibachiæ, Anatoliæ id eſt minoris Aſiæ, & Provinciarum Rumeliæ; præcipue vero Tartarorum Provinciarum, Cipcaienſium Deſertorum, Provinciæ Caphæ cum pertinentiis, Provinciarum Boſniæ, Temeſvari, Albægræcæ cum dependenti-

dentibus Urbibus, & propugnaculis ; Moldaviæ, & Valachiæ : pluriumque celebrium, laudandorum, & declaratione dignorum locorum, Urbium, & juſtorum theſaurorum Imperator, Imperatorum Imperator, Clementisſimus & Potentiſſimus Sultanus, Filius Sultani, Monarcha, Monarchæque Filius, Sultanus Achmetes Chanus, Filius Sultani Mehemetis Chani, Filii Sultani Ibrahimi Chani.

Quandoquidem poſt inaugurationem Noſtræ Sultaneæ Majeſtatis, excelſum, felicem, plurimumque laudandum Imperatorium, Monarchicum, Sultaneum, accedente confirmatione conſcendendo Thronum, jam antea fortunatis diebus beatæ memoriæ introducti a Deo in gaudium æternum Fratris Noſtri Sultani Muſtaphæ (cui Deus propitius, & abſolutor eſto) cum Glorioſisſimo & Excellentisſimo inter Altisſimos Principes qui credunt in Jeſum, in Meſſina Gente Regnantium Supremorum Dynaſtarum, Supremo Dynaſta, Summorum Chriſtianæ Gentis negotiorum Arbitro, Principe ſplendore, præſtantisſima virtute, honore, fama, & veneratione illi præſtita conſpicuo, Czaro Moſchoviæ, Imperatore totius Rusſiæ, pluriumque ei incorporatarum terrarum Monarcha Petro Alexiada (cujus exitus proſper fauſtusque eſto, & ad viam ſalutis collimet) pacem pro 30. ſequentibus annis concluſam, ratificationisque Imperatorium pactorum tabulas extraditas fuiſſe reſcivimus ; Nunc vero alte memorati Czaris ex parte ob firmiorem ejus roborationem celeberrimo Meſſinæ Gentis inter

Magnates, Dapifero, & Alatorienſi Gubernatori ad Noſtram Fulgidam Portam commoranti Legato Petro Andreiadæ a Tolſtoy, (cujus exitus proſper eſto) data eſt plena facultas, ejusdemque Czaris multum amandæ Literæ pervenere, cum deſiderio, quo illæ ratificatoriæ Pactorum Imperatoriæ tabulæ confirmentur, & renoventur; tum etiam Primus Noſter Miniſter, & ſelectisſimus Vices-gerens Celſisſimus Vizirus Ali *Baſſa* (cujus Famam & robur Altisſimus in æternum augeat) coram Noſtro Imperatorio ſplendeſcente vultu propoſita hæc expoſuit. Nos quoque Illuſtris Majeſtatis Noſtræ nomine, cum ſupra fato Cſare condignam amicitiam, & concordiam optamus, Ea propter harum honoratisſimarum, potentiaque pollentium Imperatoriarum litterarum inſtrumento, pacis Tractatum, leges, & ſancita, memoratis ratificationis Tabulis comprehenſa de verbo ad verbum, ipſasque præclaras, & præcelebres ratificationis Tabulas, & 14. pactorum capita, quæ etiam in Noſtris Nobilisſimis, Auguſtisſimisque ratificatoriis tabulis extant, ſingulatim renovamus, & confirmata eſſe declaramus, id eſt, conſtitutos regnante ſupradicto piæ memoriæ Fratre Noſtro anno 1112. menſis *Muharem* 26. die, pro completo ſpatio 30. annorum, pacis articulos nihilo immutato, Nos quoque, honeſte confirmamus, Invocantes Creatoris Cœli & Terræ glorioſisſimum & *Sanctiſſimum Nomen DEI*, & novisſimi omnium Prophetarum Mahometis Muſtaphæ (ſuper quo pax, benedictio, & ſalvatio Dei eſto;) intuituque

ejus

ejus plurium miraculorum, Verbi Noſtri, quod Imperatoris diademate redimiti eſt, fidem, pacis articulorum, & decretorum tenorem, quoad parte ab altera contraventio defuerit ſervare vovemus.

Præterea mandatum erit a Noſtra Imperatoria Majeſtate, quo, ad præſens autoriſati, & in poſterum autoriſandi Præcelſi Gubernatores Provinciarum, cæterique Noſtro nomine conſtituti & conſtituendi Generoſi Præfecti totius noſtri triumphantis Exercitus, cunctique honorati Miniſtri, & ſubditi ſuperius dictis nil contra, aut præter agant. Actum Anno 1121. (*ſcilicet* 1710.) *primis diebus Menſis* Cheval (*Turcis nuncupati*,) in Imperante Conſtantinopolitana Urbe, Noſtraque Excelſa Sultanea Aula.

MCCIX.

Literæ REGIMINIS SUECICI, Sueciæ res, abſente Rege, moderantis, ad JOSEPHUM, Rom. Imperatorem, victoriam apud Helſigoburgum a Danis reportatam recenſentes, 1710.

Sereniſſime atque Potentiſſime Imperator ac Domine.

Viſum eſt propitio Numini, bonam cauſam victricem reddere, dum Suæ Regiæ Majeſtatis, Domini noſtri Clementiſſimi, arma tam proſpero auxit ſucceſſu, ut exercitus Suæ Regiæ Majeſtatis in Scania die 20. menſis proxime præterlapſi inſignem plane prope Helſinburgum a Danis

reportarit victoriam, hoſtibus cum amisſione machinarum bellicarum, omnisque ſupellectilis caſtrenſis juſta acie fuſis, profligatis, fugatis, exemplo vindicis providentiæ hoc magis memorabili, quo evidentiori præſenti Numinis beneficio factum, ut veteranus miles numero omnique præſidio bellico loco etiam ſuperior militi tyroni adhuc & ante hoc trimeſtre operi cuivis *alii*, quam armis tractandis aſſveto, concedere tandem viſus eſt. Nos adeo manum Dei ac Domini exercituum agnoſcentes, dum benignitatem Numinis æternis pro immenſo beneficio laudum præconiis lætabundi veneramur, noſtrarum omnino partium judicamus, Sacram Cæſaream Majeſtatem Veſtram tam proſperi eventus, qua par eſt, veneratione certiorem facere; certo perſvaſi, Majeſtatem Veſtram Cæſaream, pro ſolito erga ſuam Regiam Majeſtatem, Regem atque Dominum noſtrum Clementisſimum, amico affectu vel partem inde aliquam ad ſe rationesque ſuas publicas etiam pertinere exiſtimaturam, eoque proniori voluntate promptiorique ope curas ſuas pro Sveciæ incolumitate intenſuram eſſe, quo majoribus viribus hoſtes noſtros tanto beneficio irritatos claſſibus & agminibus ſuis in noſtram perniciem undique connixuros eſſe, certum plane eſt. Conſtabit ſane Majeſtati Veſtræ Cæſareæ, quicquid in remSvecanam admodum periclitantem & curarum & opis contulerit, illud recte collocatum, quin pro publica impenſum cauſa, cujus emolumento cum novis ſubinde lætiſſimorum eventuum

adeoque

adeoque & gloriæ incrementis Deus Majeſtatem Veſtram Cæſaream longum ſoſpitem ſervet, conſervet. Dab. Holmiæ die 7. Menſis Maji Anno Chr. 1710.

Sacræ Cæſareæ Majeſtati Veſtræ

ad humillima obſequia dicatiſſimi

A. J. de la Gardie, T. v. Vrede.
G. E. Gallenſtierna.
G. Falckenberg.
C. G. Frolich. K. Poſſe.
A. Horn.

F. G. Ehrenſtrahl.

MCCIX.

Literæ PETRI, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad ACHMETEM III. Turcarum Imperatorem, quibus facta verbis ipſius minime convenire, eumque Svecorum infeſtis Machinationibus plus juſto indulgere graviter conqueritur, 1710.

P. P.

Dum recens ex ratihabitis Pacis tabulis, & Veſtræ Sultaneæ Majeſtatis ad Nos magnum Dominum transmiſſis Literis, ipſum ante aliquot rurſus annos, inter Nos & Sultani Muſtaphæ Fratris ejus Majeſtatem concluſam tricennalem pacem omnimode confirmaſſe, qua teno-

re memoratarum, qua jurejurando obfirmaſſe, deque illibate ſervanda Nos certiores reddere voluiſſe intelleximus; Nos Magnus Dominus, Noſtra Czarea Majeſtas, ea grato animo & cum omnigena ſatisfactione excepimus, imo deeſſe non potuimus, quin Veſtram Sultaneam Majeſtatem, Noſtro nomine, de firmiter colenda hac ſancta tranquillitate aſſecuraremus. Equidem ejusdem renovatæ pacis non alios fructus fore, quam Illam omnis Anſæ, ſuſpicionisque ad violationem pacis vergentis, filum præſcindendo etiam infenſiſſimum hoſtem Noſtrum, Regem Sveciæ, qui una cum aſſeclis ſuis, rebellibus noſtris ſubditis Coſacis, diremptioni mutuæ amicitiæ Noſtræ, continuo vigilique allaborat ſtudio, Chanumque Crimenſem & Tartaros forſitan jam allectu munerum in ſuas trahit partes, ex Ditionibus ſuis dimiſſuram, alios propulſaturam eſſe ſperabamus; eo certius, quo Legatus Noſter in Aula Majeſtatis Veſtræ degens, & ad mandata noſtra, non abs præjudicio Nobis dicto Regis Sveciæ in gratiam Sultaneæ Majeſtatis Veſtræ, & ad poſtulata ejus, liberum meatum per exercitus Noſtros, totamque Poloniam, cum ſtipatorio Turcico quingentorum Virorum præſidio, propoſuit, tametſi Jure Gentium & Belli cuilibet hoſtem ſuum perquirere & inſequi fas ſit; & juſte prætenſæ rebellium nobis ſubditorum extraditionis loco, promiſſæ, nomine Sultaneæ Majeſtatis Veſtræ expulſioni illorum ex ditionibus ejusdem acquieverimus. Majora dicemus

mus : cum horrore exploratum eſt Nobis, non modo Regem Sveciæ cum aſſignato præſidiariorum numero Bendera non exceſſiſſe, & rebelles Coſacos Territorio Majeſtatis Veſtræ non ejectos eſſe, at præter expectationem plurimas Ottomannorum, Tartarorumque copias juxta nominatum propugnaculum congregari inter dictum hoſtem noſtrum, Chanum Crimenſem Juſuphum Seraſkierum Baſſam Silyſtrienſem, denique & nonnullos Delegatos ab Aula Veſtra conſilia iniri; rumores ex literis prætacti hoſtis Noſtri ubique percrebeſcere, ac ſi Majeſtas Veſtra, illi favendo, renovatam & hoc inſtanti Vere ratihabitam Nobiſcum Magno Domino pacem ſpernere, bellumque Noſtræ Cſareæ Majeſtati gerere intenderet; data interea licentia a Chano Tartarorum, Mazepæ complicibus Tanaisque ab unda nomenclatis Coſacis, & præcipue ſeditioſo Necraſſovio, in Dominia Noſtra irrumpere, eadem devaſtare, incolas captivitati addicere, imo & in tutelam receptos: ſimili facultate gaudentibus Crimenſibus Cubanenſibusque Tartaris, tanquam priorum facinoris ſociis & adjunctis. Non præterit Nos, quomodo turba hæc Sumſcianæ legionis irruens in agrum, bina oppida Nerubaicam, Targoviciumque, tum & Vicinam Lebedino Makievam expilavit, devaſtavit, plurimos civium abduxit. Minime ſubticemus collatam autoritatem tumultuariis Coſacis eligendi e medio ſui, ejusdem farinæ nequam, Orlik, quaſi in ducem ſubditi Nobis Zaporovienſis Exercitus, ſcandalo

cæterorum ejuſdem Nationis , qui fidelitatem Nobis religioſe ſervant. Quid ſibi vult declaratio, quam juſſu Sultaneæ Majeſtatis Veſtræ ſummus Vizirius, Ulman Baſſa , Legato Noſtro ad Aulam Veſtram commoranti exhibuit , quod Sultanea Majeſtas Veſtra Regi Sveciæ per Poloniam tranſituro , 40. millium militis comitatum addere conſtituerit, utque Exercitus Noſtri eodem Regno diſcedant, requiſivit. Gravem in modum miramur, ejuſmodi tractatui pacis obnoxia contrahi poſtulata , cum jam per Legatum Noſtrum in Aula Majeſtatis Veſtræ ſignificatum ſit, quod ſi Rex Sveciæ adeo grandi Turcarum Tartarorumque circumdatus manu in Poloniam acceſſerit , actum hunc nobis , Fœderatisque Noſtris, Regi Poloniæ & Reipublicæ evidenti pacis violatæ ſigno fore. Explicamus itaque mentem Noſtram Sultaneæ Majeſtati Veſtræ, unius ſanctæ initæ ac obfirmatæ pacis & amicitiæ illius intuitu; probe expendat, nonne, ſi Regi Sveciæ, ſpargendorum inter Noſtram , Veſtram & Regis Poloniæ Majeſtates diſſenſionis zizaniorum abeſſet conatus, ut quid liberum tranſitum ſibi per Poloniam apud Veſtram ambiret Majeſtatem quoniam tot commodæ illi patent viæ, æquora ſuperando, aut Hungariam & Germaniam ad ſuas ditiones uſque , nullo periculo ibi ex hoſtium offenſione, pervadendo. Si Veſtra Sultanea Majeſtas Regem Sveciæ tranſverſum Noſtri Polonicique Exercituum acies in vado conductum eſſe deſiderat , quingentorum ſtipatorio-

toriorum jam præfixorum numerum etiam ad tria millia Turcici, nullo modo vero Tartarici militis (cujus vehemens dirimendæ pacis cupiditas, ne ad miſſionem ejus condeſcendamus, arcet) extendere, dictusque Rex cum hoc præſidio a Noſtris, Polonicis & Saxonicis Exercitibus ſecurus, totam Poloniam peragrare poterit, & ubi illi viſum erit, in Pomeraniam, Sileſiam, vel Hungariam dimittetur. Plenæ rei hujus executionis curam ſuſcipimus, quamvis Jure gentium hoſti Noſtro ejusmodi officia gerere non teneamur, ut Veſtræ Sultaneæ Majeſtati gratificemur: ſin minus, & pollicitationem Noſtræ Czareæ Majeſtatis in facie totius Orbis Majeſtati Veſtræ oblatam non convenire, Illamque declarationi per Vizirium Legato Noſtro intimatæ, de Rege Sveciæ, tanta, ut ſupra, ſtipato caterva, in Poloniam ducendo, perſiſtere experiemur, inviti una cum Fœderatis noſtris, pro pacis violatione id ſuſcepturi ſumus, & omnis exitii ac ſanguinis inſontium effuſionis culpa coram Deo & gentibus exſolvendi. Nuſquam deficiemus a neceſſitudine Suæ Regiæ Poloniæ Majeſtatis & Reipublicæ, tanquam fidelis fœderatus; & quos in deteriori periculo, vigente adhuc Svecorum potentia, juvimus, multo minus ad præſens in mediis fortunatis mutuo Noſtri emolumento progreſſibus, & hoſtili Svecorum robore ad occaſum pendente, ope & unione deſtituemus. Arctioris fœderis cum ſua Regia Poloniæ Majeſtate & Republica nexu, cum

30. cir-

30. circiter millibus militis ad uſum illorum in Polonia præſto eſſe, in ſumma etiam temporum anguſtia, etiam totum exercitum Noſtrum, contra quemlibet hoſtem in ſuppetias ducere Nobis incumbit: pari vinculo ad ſimilem caſum illi quoque Nobis auxilio eſſe obſtricti ſunt. Cuncta hæc Sultaneæ *Majeſtatis* Veſtræ *attentæ* deliberationi commendamus, *non diffidentes*, quin illa (uti Pacis Tutorem juſtitiæque Cultorem decet) iniqua Regis Sveciæ artificia, perplexæ nimium ſequelæ, vitare annuat. Præſtolabimur Sultaneæ Majeſtatis Veſtræ dilucidam deſuper reſponſionem, & ſuperius exaratorum poſtulatorum benevolam adimpletionem. Quod ſupereſt ad fuſiorem Legati Noſtri expoſitionem remittimus. Dabantur Petropoli $\frac{17}{28}$. Julii die, Anno a Nativitate Chriſti Salvatoris Noſtri 1710. Regni vero Noſtri Imperatorii 29.

MCCXI.

Literæ recredentiales, quas JOSEPHUS, Rom. Imperator Henningio, Lib. Baron. de Stralenheim, ad CAROLUM XII. Svecorum Regem, tradidit, 1712.

Joſephus.

P. P.

CUm annis abhinc quinque & quod excedit Romani Imperii habenas moderandas ſuſcepimus, viſum fuit Serenitati Veſtræ Miniſtrum Suum

Suum Baronem Henningium de Stralenheimb in Suo, quod ad Aulam Auguſti Domini Genitoris noſtri inclytæ memoriæ complures jam annos geſſerat, Ablegati extraordinarii munere confirmare, eo, quod maxime idoneum illum ſtudioſumque conſervandæ & adaugendæ Nos inter & ſe intimioris amicitiæ fore exiſtimaret. Sategit ille hac in re ſedulo partium ſuarum toto, quo apud nos verſatus eſt, tempore, ſuaque diligentia, ſtudio & dexteritate non tantum judicio & expectationi Serenitatis Veſtræ exacte reſpondit, ſed & Nobis ita ſe probavit, ut eo nomine nobis pergratus ſemper fuerit, optaverimusque illum apud nos adhuc diutius potuiſſe commorari. Quandoquidem quidem placuerit Serenitati Veſtræ, illum ad altiora dignaque meritis ſuis munia deſtinare, Nos vel ideo minus inviti illum dimittimus, quod poſt ſuum etiam abitum apud Serenitatem Veſtram, ſi non coram, ſaltem per Literas & Relationes ſuas ſinceri & Fraterni Noſtri erga eandem affectus immotæque mentis colendi cum eadem perpetim arctiorem amicitiam locupletem & forte etiam minus ſuſpectum teſtem fore confidamus. Diſcedentem itaque hiſce Noſtris Literis proſequi, Veſtræque Serenitati declarare peramanter volumus, quis Noſter ſit de illius Miniſtri ſui integritate aliiſque qualitatibus ſenſus, quod ut illi ad majus gratiæ, favoris & munificentiæ Regiæ incrementum cedat, vehementer cupimus, & quod ſupereſt Serenitati Veſtræ longævam incolu-

incolumitatem omniaque a Deo proſpera animitus vovemus. Viennæ die 4. Septembris Anno 1710.

MCCXI.

Litera PETRI, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad ACHMEDEM III. Turcarum Imperatorem, quibus ipſum inſtanter requirit, velit ſibi categorice reſpondere, num pacem nuper renovatam ſancte ſervare, & vigore ejusdem Sveciæ Regem e ditionibus ſuis dimittere, aut incertam belli aleam ſubire mallet, 1710.

P. P.

JAm aliquot elapſi ſunt menſes, ex quo Nos Magnus Dominus Veſtræ Sultaneæ Majeſtati literas, per Legatum Noſtrum illi tradendas exaravimus, & in apricum tulimus, quantopere Nos iniquies pertentet, quod ratihabitæ per Veſtram Sultaneam Majeſtatem in utriusque Noſtrum Imperia conſtitutæ, & a Nobis in hunc usque diem religioſe ſervatæ pacis ac condignæ amicitiæ invicem, plurimæ ex mora hoſtis Noſtri, Regis Sveciæ, aſſeclarumque ejus nobis rebellium ſubditorum, in Ditionibus Veſtris, pacis dictæ violationi gliſcant lites. Diſtincte tunc pollicitabamur, quem in modum abs ulla paci noxa Rex Sveciæ excedere poſſet, in comitatu ſcilicet ſtipatoriorum quingentorum virorum prouti Legato Noſtro in Aula Veſtræ Sultaneæ Majeſtatis degenti cum ſummo Vizirio conventum

erat:

erat: Sin vero numerus hic inſufficiens crederetur, uſque ad tria millia adaugendo adquieſcebamus; dictoque hoſti & comitatui liberum tranſitum per Poloniam (ſi aliud quodvis reſpueret iter) apud Fœderati Noſtri Poloniæ Regis Majeſtatem & Rempublicam efficere, in Nos ſuſceperamus; exindeque propenſum hunc animum in amicitiam Sultaneæ Majeſtatis Veſtræ, libenter excipiendam, hoſtem autem noſtrum una vel alia via ad ſuas dimittendum Regiones expectabamus. At hodie præter ſpem negotium hoc penitus retrogradi, quinimo eidem hoſti Noſtro citra priorem hoſpitalitatem, perſolutione inſignis pecuniariæ ſummæ, apparatu ad bellum, nec non confinia ditionum Noſtrarum aggrediendi, data facultate apertam inimicitiam Nobis obtendi advertimus. Quamobrem Delegato eo ſolo nomine expedito præſentes ad Sultaneam Majeſtatem Veſtram committere boni eſſe duximus, verum propoſitum illius reſcire cupientes, lubet ne ipſi religioſe Nobiſcum initam, ratihabitam jureque jurando aſſertam firmiter ſervare pacem? Si Veſtra Majeſtas conſentit; deſideramus, ut Rex Sveciæ ſupradicto modo, mediocri cum præſidio, per Poloniam, nobis aſſecurantibus, vel alia quavis ſecuriori via (quarum ingens copia extat) e Ditionibus illius illico dimittatur, & cuncti, qui ad ſuſpicionem amicitiæ provocant, præſcindantur inceſſus. Nos vice verſa Majeſtatem Veſtram de obſervantia ejusdem Tractatus, nunc & in ævum duratura, certiorem eſſe volumus. Sin vero aſſentiri

tiri recuſaverit, Regem Sveciæ ultra vernam tempeſtatem in Regione ſua foverit, ad bellum ſeſe inſtruxerit, hoſtique Noſtro qua nervo rerum gerendarum, qua armis, ut etiam auxilium ferre voluerit, non diſſimili cum fervore, indicet Nobis abs temporis diſpendio, expoſcimus. Quo caſu æqui bonique conſulet, dum Nos quoque impulſi, ſecuritati Noſtræ proſpiciendo Exercitus Noſtros ad confinia ducemus, bellicis rebus una cum Fœderato Noſtro Rege Poloniæ Auguſto totaque illi morigera Republica vacabimus, & cuncta ſtudia confundendis adverſus Nos hoſtilibus machinationibus impendemus. Uti enim altisſimo teſte pacem cum Veſtra Majeſtate illibatam colere intendimus, ita & confidimus, quod ſi nulla ex parte Noſtra accedente anſa Veſtra Majeſtas leges has transgredietur, Dominum Exercituum Adjutorem juſtæ cauſæ Noſtræ habebimus. Reſponſum quantocyus in ſcriptis ad hæc per eundem delegatum a Veſtra Majeſtate Nobis transmitti etiam atque etiam efflagitamus, ut eidem conſone Nos geramus: Tædet enim Nos amplius tanta incertitudine intricari. Cæterum Majeſtati Veſtræ longævam valetudinem, fauſtum Imperii Regimen & cuncta proſpera ab omnipotente exoptamus. Dabantur Petropoli Octobris $\frac{18}{29}$ die, Anno a Nativitate Chriſti Salvatoris Noſtri 1710. Regni vero Noſtri Imperatorii 29.

MCCXIII.

MCCXII.

Literæ, quibus LEOPOLDUS MATTHIAS, *Landgravius Leuchtenburgicus*, S. R. I. *Princeps de Lamberg*, *Conjugis ſuæ obitum* EXTERIS PRINCIPIBUS *notum*, *facit*, 1712.

IN medio mærore, quo de Illuſtriſſimæ Principis Dominæ Claudiæ Felicitatis Landgraviæ Leuchtenburgicæ Principis de Lamberg, ex gente Comitum de Kunigl oriundæ Conjugis noſtræ præpropera morte pene obruimur, a graviſſimis luctibus vacationem tantiſper petimus, dum ad Celſitudinem veſtram triſtiſſimum nuncium, ipſamque ex amicitiæ officio edoceamus: Quod pulcherrimum omnium, quæ Principem fœminam ornant, virtutum exemplar, in florente ætate, in partus doloribus, quinto currentis menſis die, puriſſimam animam reddidit Cœlo, nobis filiolam ſpiritu vitali carentem reliquit. Sed divinæ voluntati noſtram in omnibus accommodari par eſt, eique etiam nos noſtraque venerabundi ſubmittimus, D. O. M. enixiſſime obteſtantes, ut a Celſitudine veſtra (cui felicia omnia atque proſpera ex animo vovemus) ſingula quæque infortunia pro ſumma clementia ſua avertat, & longiſſime amoveat. Viennæ - - Decembr. Anno 1710.

MCCXIII.

Literæ PETRI, *Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad* ACHMEDEM III. *Turcarum Imperatorem, quibus vehementer conqueritur, ſibi ad binas nuper tranſmiſſas non eſſe reſponſum; ſin autem vim*

ſibi inferre, prout ex apparatu conſtaret, meditaretur, vi iſtam repulſum iri nuntiat, 1711.

P. P.

QVametſi binas jam literas Veſtræ Sultaneæ Majeſtati, Julii $\frac{17}{28}$ & Octobris $\frac{18}{29}$ anni immediate præterlapſi perſcripſerimus, & ob diuturnam Regis Sueciæ cum Aſſeclis, Nobis vero Perduellibus ſubditis Coſacis, nec non fœderati Noſtri Poloniæ Regis Majeſtatis proditoribus Palatino Kijovienſi & aliis, in Imperio Majeſtatis Veſtræ moram, inquietudinem Noſtram fuſius expoſuerimus, cum annexo deſiderio, quo idem Suecorum Rex à territorio Ottomanno, quacunque via, tractatu pacis omnimode ſalvo, in Regnum ſuum ſeſe conferret; tum etiam propoſuerimus, quod ſi Majeſtas Veſtra per Poloniam cum reverti velle perſiſteret, Nos Majeſtatis Veſtræ ergo liberum greſſum ei, & præſidiariis Turcicis ad numerum trium millium, per Exercitum Noſtrum admitteremus, & per Legatum Noſtrum deinde, ſtipatorium militem etiam quinque millium virorum agmen adæquare poſſe declarari juſſerimus; Suæ Regiæ Poloniæ Majeſtatis & Reipublicæ conſenſum ad id procurare promiſerimus; Regem Sueciæ ſoſpitem tranſiturum eſſe ſpoſponderimus: ſimul & declaraverimus, caſu quo Majeſtas Veſtra inſtitutum ſuum de demiſſione Regis Sueciæ, ingenti ac majori cum turba, ac conventum eſt, perpetuaret, & ſic evidenter paci cum Noſtra Cſarea Majeſtate, & Sua Regia Poloniæ Majeſtate, violentiam infligeret, Nos ea minime perpeſſuros, &

invicem Nobis ope & auxilio, vigore fœderis, quod Nobis intercedit, non defuturos eſſe; ab omni pacis contraventione (quam Noſtra ex parte ſanctè ſervandam promittimus) exemptos, & effuſionem ſanguinis aggreſſori imputandam fore probaverimus: Quoniam Regi Sueciæ abs Polonia tot ſecuræ proſtant viæ, & tranſitus ejus cum tanto exercitu per dictum Regnum penitus non aliter, niſi ad diſcordias & pacis violationem dirigitur. Nihilominus non modo nullum reſponſum obtinuimus, aſt nec quidem a Legato Noſtro vel alio quovis modo percipimus, utrum hæ literæ ad manus illius pervenere, & Veſtræ Sultaneæ Majeſtati traditæ fuere nec ne. E contrario ſatis ſuperque ab extraneis locis, Legatum Noſtrum cuſtodiæ traditum, Conſtantinopoli proclamatione, in cæteris vero Regionibus mandatis, quo exercitus ad confinia properent, intimatum eſſe, pro certo comperimus. Non latet Nos, Tartaris etiam, ut ad expeditionem bellicam ſeſe præparent, injunctum eſſe; Majeſtatis Veſtræ propoſitum de Rege Sueciæ vi per Poloniam transducendo, Noſtræque Cſareæ Majeſtati bello inferendo conſtat Nobis. Itaque neceſſe eſſe credidimus ſemel adhuc his Noſtris Majeſtatem Veſtram Sultaneam compellare, & tam ad priores, quam ad præſentes reſponſum, & mentis ipſius declarationem ſuperflue fere requirere voluimus. Eſſetne illi conſtitutum tricennalem pacem Nobiſcum proxime exacto anno renovatam, juramentoque ipſius coram Deo, juſto judice, confirmatam ſervare, aut abs ulla Noſtra ex parte interveniente cauſa violare?

re? Teſtamur ſimul, quod ſi ad præſentes nullam deciſivam reſponſionem receperimus; de intacta pacis obſervantia a Veſtra Majeſtate aſſecurati non erimus; de apparatu illius ad bellum, (prouti nunc fit) & Regis Sueciæ decreta violenta per Poloniam ductione non ceſſaverint rumores: id tanquam evidentem pacis præſciſſionem reſpicere cogemur, nec ullis tergiverſationibus ſeducemur, ſed invocato ſupremo numine cauſæ Noſtræ conſulemus, & cuivis hoſtili aſſultui præveniemus. Jam exercitus Noſtros ad confinia diſcedere juſſimus, de violatione pacis & ſanguinis effuſione coram Deo & honeſto mundo non accuſandi, quia ad hæc extrema (ſupremus arbiter cernit) compellimur, qui uti humani ſcrutator cordis nec minimam violandæ Pacis mentem Nobis fuiſſe, vel eſſe, ſed firmiter ſervandæ deſiderium novit. Ideoque confidimus juſtitiam cauſæ Noſtræ ab omnibus Pacis violatoribus & perjuris violatoribus ſartam tectamque fore. Sin autem reſponſum Sultaneæ Majeſtatis Veſtræ, poſitiva aſſecuratione de religioſe obſervanda pace, de Rege Sueciæ abs violatione ejusdem perducendo, nec non cunctorum diſcriminum reſolutione inſtructum acceperimus, exercitus Noſtri quantumvis in omnem eventum confiniis vicini, nequaquam hoſtiliter ſe gerent, & ſublato periculo, nulla hoſtilitate patrata, rurſus recedent. Interea vero ſituatio eorundem pro pacis violatione reputari nequit. Denique Majeſtati Veſtræ Sultaneæ bonam valetudinem vovemus. Dabantur Petropoli Januarii $\frac{6}{17}$ die, Anno a Nativitate Chriſti

Chriſti Salvatoris Noſtri 1711. Regni vero Noſtri Imperatorii 29.

MCCXIV.

Reſponſoria EUGENII FRANCISCI, *Ducis Sabaudiæ, ad literas* MEHEMED PASCHÆ *Supremi Turcarum Imperatoris Vicarii, quibus ipſi Sereniſſimo Rom. Imperatori intemerata pacis Carolovicenſis obſervatione nihil unquam ſanctius nihilque antiquius fore declarat*, 1711.

Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine, Amice nobis honorande!

SAlute & integerrimi affectus noſtri, ac quorumvis amicorum officiorum noſtrorum oblatione præmiſſa. Quam ardenter nobis Pax publica & Romani Ottomannique Imperii conſenſio cordi eſt, tam accepta jucundaque accidit conſtituta ad nos per Excellentiam veſtram Ablegatio, egregium nimirum ad fovendam hanc mutuam animorum conſpirationem inſtrumentum. Avocabant Nos in Belgium nec pauca & maximi momenti negotia, ac ipſa præſentis expeditionis ad compeſcendam amplius Gallorum ambitionem neceſſitas. Ne tamen optimis cœptis deeſſemus, plurium hebdomadarum moram dilato itinere, Viennæ traximus. Ea, quæ tum eximiis Excellentiæ Veſtræ literis perſcripta, tum ab Ablegato Seifulah Aga plenius expoſita, non minori nobis oblectamento fuere. Animadvertimus ex iis optima integritatis, amicitiæ ac prudentiæ ampliſſimæ principia, quibus Excellentia Veſtra in rebus gerendis nititur, ac in nos ſimul agitur ducitur que: neque hoc

novum quidquam, cum alioquin exploratum nobis ſit, Excellentiam Veſtram, uti principem dignitatis locum apud præfulgidam portam tenet, ita præ cæteris in tam vaſto Imperio ſingularibus animi corporisque dotibus exornatam. Certe a talis perſpicaciæ talisque animi viro nihil eſt, quod ſiniſtrum ſuſpicemur. Quod noſtras partes attinet, veſtram viciſſim Excellentiam certam ſecuramque volumus, nihil Sereniſſimo ac Potentiſſimo Romanorum Imperatori, Domino noſtro clementiſſimo, fore ſanctius ac antiquius, quam ut ne latum quidem unguem a juratis pacis Carlovicienſis pactis diſcedatur: nos quoque conatus noſtros omnes ac officia ad excolendam magis ſtabiliendamque hanc utriusque Imperii harmoniam pro viribus conferemus, eo usque dum pari candore a præfulgida Porta nobis reſpondeatur, ac dictæ Pacis articuli in omnibus illibate perſiſtant. Injunximus limitaneis noſtris Gubernatoribus, ut ad noſtra ſenſa & ipſi ſe accommodent, amicitiæ ſtudia factis ipſis undique præ ſe ferant, ſi quæ offendicula liteſque limitaneorum ſe oggeſſerint, privata opera, citra Aulæ alterutrius moleſtiam, mox conſopiant, & excedentes forſan noſtrates ſubditos, re ſic comperta, debitis pœnis coërceant, Socios ipſo exemplo a pari crimine deterrendo; Et ſpes nobis eſt, æqualibus mandatis ſuos quoque Præfectos ab Excellentia Veſtra inſtructum iri. Quod præfulgidæ Portæ nonnullæ cum Sereniſſimo Czaro controverſiæ interceſſerint, & eo prope perventum, ut pax concluſa abrumpatur, a ſua Cæſarea Regiaque Majeſtate non ſine animi dolore intel-

intellectum eſt. Reputavimus ſedulo atque accurate, quas Excellentia Veſtra tam candide & amice ad nos exaravit Moſcovitici belli rationes, iisque probe perpenſis conſtituimus, locum adhuc dum compoſitioni ſupereſſe, nec inſtaurandæ concordiæ media omnia abſumta. Moſcoviæ Czarus ſequeſtri ac mediatoris partes Auguſtiſſimo Imperatori noſtro prolixe, atque, ut ſpecies eſt, minime fucate detulit, neque ſua Cæſarea Majeſtas defugit onus, ſi eandem præfulgidæ Portæ, eandem Sereniſſimo Sueciæ Regi mentem fore, ac iis in hoc munere complacere ſe poſſe, intellexerit. Præſtolamur hac ſuper re amicam cœptæ reſolutionis notitiam ab Excellentia Veſtra, ut quæ aliunde ſe declaravit, bellum hoc non tam proferendorum finium, quam tuendi Imperii cauſa ſuſceptum, id quod æquis conditionibus & accommodatis ad utriusque Regni ſecuritatem pactis haud ægre obtineri valet. Parcetur hac ratione ingenti ſanguinis humani profuſioni, immani regionum ac populorum devaſtationi, malis, quæ e bello ejusque ſiniſtro ſæpius eventu promanant, innumeris. Nos certe pro virili allaborabimus, ut intentatum relinquatur nihil, quod ad publicam quietem ac amicitiam ſeu ſarciendam, ſeu alendam, conferre poſſit: Nec dubitare nobis licet, quin Sereniſſima Magnæ Britanniæ Regina & Præcelſi Uniti Belgii Ordines ad idem mediatorium munus ſuſpiciendum ſimul requiſiti pari cum ſua Cæſarea Majeſtate ſtudio, ſicuti integerrima eidem amicitia in omnibus adhærent, ad tam laudabile pacis reſtabiliendæ opus indefeſſe concurrant,

Cœterum non ſatis dilaudare poſſumus, Seifulah Agæ egregiam commonſtratam omnibus in rebus prudentiam ac comitatem, ut adeo auguremur, hanc ei ablegationem ad ampliores honores gradum fore. D. O. M. Excellentiæ Veſtræ longævam ætatem ac felicem impertiatur! Viennæ d. 15. Aprilis 1711.

Illuſtriſſimæ ac Excellentiſſimæ Dominationis Veſtræ

Sacræ Cæſareæ RegiæqueMajeſtatis Conſiliarius intimus, Conſilii Aulæ bellici Præſes, Generalis locum tenens, Campi Mareſchallus, & unius Regiminis Deſultoriorum Conſtitutus Tribunus, aurei Velleris Eques

ad officia paratiſſimus

Eugenius de Sabaudia.

Inſcriptio.

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino, Domino Mehemed Paſcha, Sereniſſimi Turcarum Imperatoris Supremo Vizirio, amico nobis honorando.

MCCXV.

Litera ELEONORÆ MAGDALENÆ THERESIÆ, *Rom. Imperatricis, invictiſſimi Leopoldi, glorioſiſſimæ memoriæ, viduæ, ad* CAROLUM XII. *Suecorum Regem, quibus ipſi, Joſephum, Rom. Imperatorem, prematura morte extinctum eſſe, nunciat, 1711.*

Eleonora &c. &c.

OMnem dicendi vim ſupergreditur extremus dolor,

dolor, quo intime transfixæ præſentes ad Serenitatem Veſtram Literas damus acerbiſſimi facti nuncias. Quem enim in hac mortali vita quam diutiſſime nobis futuram ſperabamus, ardentisſimeque optabamus ſuperſtitem, dilectisſimum nempe Filium noſtrum primogenitum, Serenisſimum, Potentisſimum, ac invictisſimum Imperatorem, eum heri nobis, poſtquam nonum in diem variolarum æſtu laboraſſet, mors inopina & immatura abſtulit, inflicto maternis præcordiis noſtris altisſimo & immedicabili vulnere. Etſi autem omnipotentis manum, a qua pendet vita & mors, quæque percutit & ſanat, devota mente veneremur, ejusdemque ſanctisſimæ & immotæ voluntati pie acquieſcendum eſſe ſedulo nobiscum perpendamus; Pro eo tamen, qui inter præfatum filium noſtrum defunctum & Serenitatem Veſtram intercesſit cognati ſanguinis & ſincerioris amicitiæ nexus, ut communicata cum Serenitate Veſtra triſtitiæ noſtræ magnitudine ex fraterna ejusdem commiſeratione levaminis non nihil captemus, perſuaſæ ſiquidem omnino ſumus, Serenitatem Veſtram fatali hocce caſu eo ſenſibilius tactum iri, quod & ipſa amicum amiſerit, quo paucos vel nullos forſitan habuerit ſui amantiores ſtudioſioresque, cedet vero etiam in non mediocrem ſolatii noſtri partem, ſi, cum longinqua alterius filii noſtri, nunc unici, Caroli III. Hiſpaniarum Regis abſentia nobis, ut matris ſuæ, onus imponat in gubernandis Regnis Hungariæ & Bohemiæ, aliisque Provinciis Auſtriacis, hæreditario jure ad ipſum devolutis vices ejus tantiſper obeundi, occaſiones nobis complures offe-

vantur, quibus quanti tum nos, tum ille Serenitatis Veſtræ perſonam & amicitiam facimus, quamque adeo diligenter pacatum illius & felicem in propria Regna reditum promovere cupiamus, teſtatum reddere posſimus. Eas itaque dum præſtolamur, Serenitati Veſtræ perpetuam incolumitatem animitus vovemus, Deumque rogamus, ut ejusdem conſilia ad Chriſtiani orbis bonum dirigere clementer velit. Viennæ die 18. April. 1711.

MCCXVI.

Reſponſoria CAROLI XII. Svecorum Regis, ad præinſertas ELEONORAE MAGDALENAE THERESIAE, Rom. Imperatricis, literas, 1711.

Nos CAROLUS, Dei gratia Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Eſthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremiæ, Vehrdæ, Stettini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ, nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux &c. &c. Sereniſſimæ ac Potentisſimæ Principi, Dominæ Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ, Viduæ, Romanorum Imperatrici, Hungariæ, Bohemiæ Reginæ, Archi-Duciſſæ Auſtriæ, natæ Palatinæ ad Rhenum, Duciſſæ Bavariæ, Comitiſſæ in Veldenz & Sponheim &c. &c. Salutem & Amicitiæ officia quævis.

Sereniſſima & Potentiſſima Princeps, Conſanguinea & Soror noſtra Chariſſima.

EX Literis Majeſtatis Veſtræ die 18. April. ad Nos datis Viennæ, non ſine maximo doloris ſenſu per-

percepimus, Sereniſſimum ac Potentisſimum Principem, Dominum JOSEPHUM, electum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque Regem, Archi-Ducem Auſtriæ, Ducem Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Würtembergæ, Comitem Habſpurgi, Tyrolis & Goritiæ &c. &c. præmaturo fato rebus humanis ereptum eſſe. Accidit hic mortis caſus Nobis tantò acerbior, quod per eundem Chriſtianus orbis ſummi, ob excelſas ac Imperatoriæ Dignitati pares, quibus exornatus fuerat, virtutes, Nos vero necesſitudinis atque ſincerioris amicitiæ nexu Nobis conjunctisſimi Principis jacturam fecerimus; Quem equidem, ſi res Noſtri voti fuiſſet, quam diutisſime bono publico ſuperſtitem fore optaremus. Majeſtati autem Veſtræ hanc orbitatem ac triſte deſiderium dilectisſimi filii, quo par eſt affectu condolemus, atque ut ſupremus rerum humanarum Arbiter, Deus, alios ejusmodi funeſtos caſus vel infortunia a Serenisſima Domo Auſtriaca impoſterum avertere velit, ex animo vovemus, in perpetuum ſinceræ amicitiæ Documentum accipientes ea omnia, quæ Majeſtas Veſtra porro in literis ſuis de prolixa ſua benevolentia & prona erga Nos voluntate teſtificari voluit. Quam de cætero Divinæ tutelæ commendatam bene valere jugiter optamus. Dabantur ad urbem Benderam die quinta Junii Anni 1711.

Majeſtatis Veſtræ

Bonus Conſanguineus & Frater,

CAROLUS.

H. G. von Müllern.

MCCXVII.

MCCXVII.

Litera ANNAE, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad JOHANNEM WILHELMUM, Electorem Palatinum, quibus ipſi Carolum III. Regem Catholicum, ut in Imperatorem eligatur, ſedulo commendat, 1711.

ANNA Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regina, Fidei Defenſor &c. Sereniſſimo Principi Domino Joanni Wilhelmo, Comiti Palatino ad Rhenum, Sacri Romani Imperii Archi-Dapifero & Principi Electori, Duci Bavariæ &c. Fratri, Conſanguineo & Amico noſtro Chariſſimo; Salutem.

Sereniſſime Princeps Frater, Conſanguinee & Amice Chariſſime.

CUm pro arbitrio Divini Numinis Sereniſſimus, Potentiſſimus, ac Invictiſſimus Princeps Dominus Joſephus Romanorum Imperator &c. ex hac vita deceſſerit, atque Sacrum Romanum Imperium eo facto inter difficillimos hoſce temporum concurſus Capite ſuo orbatum fuerit, neceſſe admodum eſt, ut mature, ſapienter fortiterque artificiis Hoſtium eludendis concordiæque inter Principes Electores firmandæ proſpiciatur, ne variis implicati Conſiliis Sententiisque diſtracti cauſam Confœderatorum omnium communem impenſis laboribus & ſanguinis profuſione immenſa hucusque feliciter ſuſtentatam, atque adeo totius Europæ libertatem in maximas anguſtias conjiciant, vel etiam funditus labefactent. Novit optime Celſitudo Veſtra Electoralis, qua cura, qua-

quave ſollicitudine res Imperii ſemper velut noſtras complexæ ſumus, nihil amplius in votis habentes, quam ut tranquillitatem ipſius firmis & perennibus fundamentis innixam, ſartam tectam ad Poſteros transmittamus. Eadem jam anxietas nos majorem in modum afficit, quo majus magisque calamitoſum vobis nobisque ſimul hoc in rerum cardinale impendit periculum. Cum igitur Cogitationes noſtras in omnes partes verſaverimus, quo pacto res præſentes in melius collocari posſint, nullam tutiorem, nullam honorabiliorem, & magis omnium utilitatibus conſentaneam viam invenire potuimus, quàm ut dignitas Imperatoria quæ in Auguſtisſima Domo Auſtriaca per tot Secula jam dudum floruit, in eadem porro conſervetur. Procul enim dubio eſt hoſtem communem omni arte atque induſtria enixurum, ut Domum Auſtriacam ab hac Electione excludat. Adeoque maximi momenti eſſe cenſemus, ut omnes, qui fœderis præſentis ſocietate conjuncti ſunt, etiam in eligendo Rege Catholico curam operamque conjungant, nos ſane, hac mente tanquam conſultisſima freta, Sereniſſimum ac Potentisſimum Principem Dominum Carolum Tertium Hiſpaniarum Regem, Archiducem Auſtriæ &c. unicumque ſtirpis iſtius fulcrum Celſitudini Veſtræ Electorali ſummopere commendatum eſſe volumus, ut in Romanorum Imperatorem eligatur. Speramusque officia hæc noſtra apud Celſitudinem Veſtram Electoralem pondus ſuum habitura eſſe, & quod Socios Electorales in eandem Sententiam perducere conabitur, cum vota bonorum omnium utilitas

litas publica, ſplendor Imperii & ſpei hoſtilis de diſcordia alenda fruſtratio in hanc Electionem conſentire videantur. De cætero Celſitudinem Veſtram Electoralem Dei optimi Maximi Tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio noſtro Divi Jacobi 18. Aprilis Anno Domini 1711. Regni noſtri decimo.

Celſitud. Veſtræ Elect.

Bona Soror, conſanguinea & Amica

ANNA R.

W. John.

MCCXIIX.

Literæ WILHELMINAE AMALIAE, Imperatricis, viduæ Joſephi Imperatoris nuper defuncti florentisſimæ memoriæ, ad CAROLUM XII. Svecorum Regem, quibus ipſi præfatum Imperatorem, maritum ſuum præchariſſimum, ſibi prämatura morte ereptum eſſe, triſti ac perturbato animo refert, 1711.

Wilhelmina Amalia, Dei gratia Romanorum Imperatrix &c. &c. nata Dux Brunſuico-Luneburgenſis. Sereniſſimo & Potentiſſimo Domino, Carolo, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi &c. &c. Conſanguineo & Fratri Noſtro chariſſimo ſalutem cum omnis boni incremento.

Sere-

Sereniſſime & Potentiſſime Princeps, Conſanguinee & Frater chariſſime.

NOn ſine graviſſimo animi noſtri ſenſu & ineffabili cordis mœrore Serenitati Veſtræ notificandum duximus Imperatoris Joſephi, dilectiſſimi Domini Conjugis Noſtri Majeſtatem, poſt adverſam novam dierum valetudinem 17. hujus, horam inter 10. & 11. matutinam, piiſſima quidem, ſed pro dolor! præmatura nimis morte nimirum in ætate annorum ſuorum triginta trium obiiſſe. Sane caſus hic funeſtus, inexpectatus atque fatalis ſurripuit conſolationibus Noſtris, quidquid primus in orbe homo ejusque quod tenuit Imperium, virtus ac Diadema dare poterat, nec alia quam in Deo omnis veri boni ſupremo fautore atque largitore nobis ſpes remanſit. Serenitatem Veſtram autem ab hujusmodi acerbis mœſtisque caſibus quam diutiſſime præſervatam cupimus, imo ut bona diuturnaque fruatur valetudine ac proſperis gaudeat rerum ſuarum ſucceſſibus, ex intimo precamur. Datum Viennæ 29. Aprilis Anno 1711.

Serenitatis Veſtræ

Bona Conſanguinea & ſoror

Amalia.

MCCXIX.

Breve ***CLEMENTIS*** *P.P. XI. ad* ***ELEONORAM MAGDALENAM THERESIAM,*** *Rom. Imperatricem, quo cordi ſuo cruentum vulnus inopino de morte Joſephi Rom. Imperatoris nuntio incuſſum eſſe teſtatur, eamque amantisſime ſolatur, 1711.*

Cha-

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ, Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ, Hungariæ & Bohemiæ Reginæ, illuſtri in Romanorum Imperatricem Electæ.

CLEMENS P. P. XI.

CHariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ ſalutem &c. Summo cum intimo dolore correptum, ac veluti repentino ac inopinato ictu percuſſum fuit cor noſtrum,accepto funeſtiſſimo Nuncio deplorandi ſane obitꝰ claræ memoriæ JOSEPHI,Romanorum, dum viveret,Regis inImperatorem electi,inclyti filii Majeſtatis Tuæ; Statim enim mœrentes reſpeximus perturbatiſſimum totiusChriſtiani Orbis ſtatum,deinde vero majori ſollicitudine pericula Catholicæ Religionis tanto præſidio deſtitutæ, hoc ipſo prorſus alieno tempore, quo multi acuiſſe iras ſuas, atque adverſus veram fidem in unum conveniſſe ac conſpiraſſe videntur. Non vero exiguam mœroris noſtri partem faciebat, pro magnitudine paternæ noſtræ in Te charitatis, commiſeratio tui doloris in tanta jactura: ſed, quod vim ac robur Tuæ virtutis in ea fortiter perferenda ſuſpeximus, ita quoque æquam & pronam voluntatem divinisque paratam obſequi ac acquieſcere mandatis in ipſo incurſu acerbiſſimi caſus exhibeas. Cæterum, quando DEO volente ita contingat, ut ad electionem Succeſſoris convertenda ſint conſilia, nos in ea plane ſententia ſumus, de qua, ut credimus, inter omnes, qui vere ſentiunt,convenit, nihil tam expedire univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ, quam quod Auſtriaca Domus, de ea plurimis titulis bene

ne merita, pergat Imperialis Majeſtatis faſtigium tenere, & quod chariſſimus in Chriſto filius noſter, CAROLUS, Hiſpaniarum Catholicus, & Hungariæ & Bohemiæ Rex Illuſtris, ad eam dignitatem liberis Electorum ſuffragiis evehatur, quod nos quidem, ut eveniat, quo majori poſſimus ſtudio curabimus, quatenus ille Majorum ſuorum inclytæ memoriæ Regum & Imperatorum exemplo & ingenitæ pietatis inſtinctu ac ſingularis prudentiæ ſuæ monitu ita temporalia Imperii adminiſtret, ut, quod ad Orthodoxæ Religionis bonum ac verum DEI cultum pertineat, promoveat, & Advocati Sanctæ Matris Eccleſiæ munus in ſolenni inauguratione dignitatis Ei demandandum non minori alacritate ſuſcipiat, quam zelo & fortitudine tueatur. Porro quod attinet ad ea jura, quibus Eccleſia ipſa & Apoſtolica ſedes redintegrari, vehementer poſtulat, confidimus, Teque paternis noſtris permotam officiis & precibus, quæ magna Tui nominis laude huic cauſæ continenter adfuiſti, omnino curaturam, & tua autoritate effecturam eſſe, ut, quod defunctus in votis habuit, ac ſerio conſtituit, ſed morte præventus, ut res humanæ ſunt, efficere non potuit, id actum quamprimum compleatur: Tum quidem, ut ejus animæ neceſſaria ope conſultum ſit, tum hoc juſtitiæ ac pietatis documentum præludat felicis ſucceſſoris Imperio, ejusque capiti cœleſtes benedictiones & cum incolumitate diuturnum Regimen & cætera bona, quæ in terris, cum iis, quæ in cœlis longe majoris pretii expectari poſſunt, conciliet; Et hæc quidem ſunt vota noſtra, conjuncta ferventibus pre-

cibus, quibus apud aras a miſericordiarum patre æternam pacem defuncti animæ precari non ceſſamus. Juſta ſubinde ſolenni ritu in Pontificio Noſtro ſacello publice de more perſoluturi. Quod ſupereſt, perſuaſum eſſe cupimus, Majeſtati Tuæ, quod, quæcunque a Pontificia noſtra Autoritate in animi tui levamen, ac quoquo modo Tibi grata congrue præſtari poterunt, & quantum facultas erit, paratiſſima fore Majeſtati Tuæ, cui Apoſtolicam benedictionem amantiſſime impertimur. Datum Romæ 3. Maji 1711. Pontificatus noſtri XI.

MCCXX.

Litera PETRI, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad ELEONORAM MAGDALENAM THERESIAM, Rom. Imperatricem, quibus animum ipſius, ob prœmaturam Joſephi, Rom. Imperatoris, filii ſui deſideratisſimi mortem doloris imitamentis demulcet, 1711.

Divina favente Clementia Nos Sereniſſimus ac Potentiſſimus Magnus Dominus Czaar & Magnus Dux Petrus Alexowiz, totius magnæ, parvæ & albæ Ruſſiæ Avtocrator, Moſcoviæ, Kioviæ, Waldimiriæ, Novogardiæ, Czaar Caſani, Czaar Aſtrachani, Czaar Siberiæ, Dominus Pleſcoviæ & Magnus Dux Smolenſci, Tuariæ, Ingoviæ, Permiæ, Viatiæ, Polgariæ & aliorum, Dominus & Magnus Dux Novogardiæ, inferioris terræ Tzernigoviæ, Reſaniæ, Roſtoriæ, Jarosláviæ, Beloſſeriæ, Kioviæ, Obdoviæ, Condiniæ nec non totius ſeptentrionalis oræ Imperator & Dominus Iverienſis Terræ, Cartalinenſium & Graſinienſium Czaarum & Gabardinenſis Ter-

Terræ, Czercaſſorum ac Montanorum Ducum, nec non aliorum multorum Dominorum ac Terrarum orientalium, occidentalium & ſeptentrionalium paternus avitusque hæres, ſucceſſor, Dominus ac Dominator &c. Serenisſimæ ac Potentiſſimæ Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ, Viduæ Rom. Imperatrici nunc regnanti, Hungariæ, Bohemiæque Reginæ, Archiduciſſæ Auſtriæ, natæ Palatinæ ad Rhenum, Duciſſæ Bavariæ, Comitiſſæ in Veldenz & Sponheim, Amicæ & Sorori Noſtræ chariſſimæ ſalutem & amicitiam noſtram, cum omnis boni incremento;

Serenisſima & Potentisſima Princeps, Amica & ſoror charisſima.

JAmdum advolaverat nuntius de inexpectato & luctuoſisſimo deceſſu Serenisſimi olim & Potentisſimi & Auguſtiſſimi Principis & Domini Joſephi, Electi Romanorum Imperatoris, charisſimi Amici & fratris Noſtri, cum literæ Serenitatis Veſtræ Nobis traderentur, quæ illum confirmarent, afflixit Nos ſane inopinatus & triſtis hic caſus eo magis, quanto majori amicitia & ſtudio ſemper Majeſtatem ſuam beatæ & glorioſisſimæ memoriæ proſecuti ſumus, ut & præſentia quoque tempora diuturniorem vitam Serenisſimi defuncti poſtulavere. Nullum etiam eſt dubium, quin Serenitatem Veſtram, præmatura tanti filii jactura graviter afficiat, quare etiam animitus illam vobis condolemus, precantes Deum T. O. M., ut non ſolum triſtes ſimiles cunctos caſus à Serenitatis Veſtræ Auguſtæ Domo impoſterum diuturnius beni-

gne avertat, verum etiam Serenitatis Veſtræ hinc conceptum dolorem gaudiis lætitiisque aliis lenire, oblivionique tradere velit. Nos equidem, quantum in Nobis, in eo, quo ſemper amico & prono in Sereniſſimam Domum Auſtriacam ducti fuimus animo, conſtanter perſeverabimus, licet de nonnullorum Sereniſſimæ defunctæ Cæſareæ Majeſtatis Miniſtrorum Nobis maxime noxiis his temporibus commiſſis actionibus querelas agendi anſam habeamus, ſed Nos illos hic commemorare ſuperſedemus. Sereniſſimum ac Potentiſſimum Hiſpaniarum Regem Carolum Nobis in rebus noſtris favere, omnia in melius itura promittentes. Interim Noſtro Imperiali Conſiliario Aulico Urbich certas Nos & res Noſtras concernentes propoſitiones Serenitati Veſtræ facere in mandatis dedimus, quas, ut non ſolum benevole audire, verum etiam tali reſolutione, qualem pro Noſtra ſemper in Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ Ejusque fœderatorum res teſtata amicitia ſperamus, providere velit, Serenitatem Veſtram obnixe rogamus; Eidemque longævam ſalutem, fauſta proſperaque omnia apprecamur. Dat. Jaroſlaviæ, Maji 23. die 1711.

Serenitatis Veſtræ

Bonus Frater,

PETRUS.

Comes Golovkin.

Nota: Literæ hæ ab Imperatrice Regnante, ob omiſſam Majeſtatis denominationem, cum proteſtatione & ſpe futuræ emendationis acceptæ ſunt.

MCCXXI.

MCCXXI.

Literæ GEORGII LUDOVICI, Electoris Brunſuico-Luneburgenſis, ad CAROLUM III. Hiſpaniarum Regem, quibus ſibi cauſam communem curæ ſemper cordique fore declarat, 1711.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex, Domine Frater ac Conſanguinee plurimum colende.

REgiæ Majeſtati Veſtræ quam acerbisſimum eſſe de Serenisſimi, Potentisſimi & Invictisſimi Principis, Domini Joſephi, Romanorum Imperatoris &c. &c. Majeſtatis Veſtræ charisſimi, nunc beati Domini Fratris præpropera & inopinata morte ſcribere facile exiſtimare poſſumus. Propterea pro luculenta teſtificatione Regiæ Majeſtatis Veſtræ ſingularis erga nos benevolentiæ merito accipimus, quod in ſummo mœrore ac luctu de hoc caſu gravisſimo per honoratisſimas ſuas die 23. menſis præteriti ad Nos ſcriptas literas inter primos nobiscum communicare dignata ſit, Ipſique eo nomine maximas agimus gratias. Cum nihil Majeſtati Veſtræ aut ſecundi aut adverſi evenire posſit, quin pro ſincero noſtro erga Ipſam ſtudio & cultu id ad nos quoque pertinere exiſtimemus, haud difficulter arbitrabitur, quam valde lugubris de iſthoc obitu perlatus nuntius nos contriſtaverit. Et vero quis bonus non lugeat Imperatorem, perfectum optimi Principis exemplar, cujus virtutes & merita ſubditi & exteri, amici & fœderati, inprimis etiam ſacri Romani Imperii ſtatus & populus coluerunt, quique adeo productisſima vita di-

gnus fuit, tam præmaturo & inſperato exitu in ipſo flore ætatis occubuiſſe. Quo magis autem ſincerus noſter & tenerior affectus nos compellit Regiæ Majeſtati Veſtræ in acerbisſimo hoc funere condolere; eo minus intuentes in ſapientiam Ejus neceſſarium credimus Ipſam conſolari, cum forti & excelſo Ipſius animo ea argumenta non deſint, quæ tam gravem jacturam posſint allevare. Satis igitur nobis erit dolorem noſtrum, quem literis die 30. Aprilis ad Regiam Majeſtatem Veſtram exaratis ſignificavimus, denuo teſtari, ſimulque iteraſſe preces & vota, quibus Deum adoramus, ut Majeſtatem Veſtram divinæ ſuæ gratiæ conſolatione magis magisque recreet, & Ipſi, cujus in vita & incolumitate orbi Chriſtiano tantum poſitum eſt, eo longiorem det ætatem, juſta magni fœderis, & in eo Majeſtatis Veſtræ arma proſperet, & ipſi quaquaverſum exoptatos conſiliorum exitus & felicitatis continuæ incrementum largiatur. De reliquo ad dictas literas noſtras nos referimus, & Regiæ Majeſtatis Veſtræ conſtanti favori nos officioſisſime commendantes, Ipſi noſtra officia quavis occaſione promtisſima pollicemur. Dabantur Hannoveræ die 30. Junii 1711.

Georgius Ludovicus Dei gratia Dux Brunſuicenſis & Luneburgenſis Sacri Romani Imperii Archi Theſaurarius & Elector &c.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

ad quævis officia paratisſimus

Georgius Ludovicus Elector.

Hattorf.

Inſcriptio.

Inſcriptio.

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi, Domino Carolo III. Regi Caſtellæ, Legionis, Arragonum, utriusque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algarbii, Algeciræ, Gibraltaris, Inſularum Canariæ nec non Indiarum orientalium & occidentalium, Inſularum & terræ firmæ Maris Oceani &c. Archi-Duci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Luxemburgi, Wurtenbergæ, ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Athenarum & Neopatriæ, Principi Sueviæ, Marchioni Sacri Rom. Imp. Burgoviæ, Moraviæ, ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Comiti Habsburgii, Flandriæ, Tyrolis, Barcinonæ, Ferretis, Kiburgi, Goritiæ, Roſſilionis & Ceritaniæ, Landgravio Alſatiæ, Marchioni Oriſtani, Comiti Gorceani, Domino Marchiæ, Sclavoniæ, Portus Naonis, Biscaiæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis & Mechliniæ &c. Domino Fratri & Conſanguineo Noſtro plurimum colendo &c. &c.

MCCXXII.

Litera ANNAE, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad PROCERES S. R. IMP. per Delegatos in Comitiis Ratisbonenſibus congregatos, quibus ipſis Ultrajectum ad Rhenum congreſſui de pace habendo dicatum eſſe ſignificat, ac ut Plenipotentiarios, deſignata die eo mittere haud cunctentur, amanter ſuadet, 1711.

CUm Rex Chriſtianiſſimus Nobis teſtatum fecerit, quo teneatur deſiderio, Tranquillitatem Europæ Pace tuta & tam Nobis, quam Confœderatis noſtris univerſis honeſta, reſtitutam videndi; Cumque capita quædam Conditionum propoſuerit, quibus Nos ad initium colloquiis eum in finem habendis dandum inducere voluit. Ea vero capita ita Nobis oblata Confœderatis omnibus jamjam communicata fuerint. Cumque inſuper celſi ac præpotentes Domini Ordines Generales Uniti Belgii declaraverint, ſeſe propenſos paratosque eſſe ad inſtituendam negotiationem Pacis bonæ generalisque, & ad ſe Nobiſcum conjungendum in compellandis Principibus Statibusque, qui una præſenti hocce bello implicati ſunt, quo Miniſtros Plenipotentiariosque ſuos ad Conventum mittant; cujus quidem celebrandi, quum locus tempusque cum Miniſtro dictorum Dominorum Ordinum Generalium pacta conſtitutaque fuerint, neceſſum eſſe duximus, Vobis ſine mora ſignificare, Nos inſimul conſenſiſſe, ut dicti Conventus initium a duodecimo die Menſis Januarii proxime venturi Styl. nov. in Urbe Ultrajectina ad Rhenum capiendum ſit. Quum vero nihil aliud hoc in negotio ob oculos habeamus, quam ut finis bello imponatur Pace ſolida, in qua Confœderatorum quisque ſatisfactionem rationi conſentaneam adipiſci poſſit, nullatenus ambigimus, quin Vos perinde Nobiſcum proclives Vos exhibeatis ad opus tam pium tamque ſalutare ſedulo promovendum. Rogamus itaque Vos, ut Miniſtros, quos eum in finem nominare placuerit, quam primum expedire

dire velitis, quo ad dictam Urbem Ultrajectinam tempore ſupra conſtituto ſeſe conferre queant. Præterea e re eſſe judicamus, Vobis notum facere, Nos una cum dictis Dominis Ordinibus Generalibus ſtatuiſſe, Miniſtros noſtros, Miniſtrorum Plenipotentiariorum nomine ſolummodo inſignitos, ad Conventum mittere, quodque Legatorum characterem in ſe haud ſumpturi ſint, niſi eo die, quo pax ſignanda erit, ut eo pacto, quantum potis eſt, vitentur operoſæ ceremoniarum moleſtiæ & moræ, procraſtinationesque exinde orituræ. Datum apud Hamptoncourt die 21. Nov. 1711.

MCCXXII.

Reſponſoria a CIRCULI FRANCONICI DIRECTORIBUS, ad præinſertas ANNÆ Magnæ Britanniæ Reginæ literas data, 1711.

Sereniſſima & Potentiſſima Regina, Domina, Amica & Conſanguinea Obſervantiſſima.

SI confœderationis Nördlingenſis inter regiam Majeſtatem, & ſuperiores Circulos Imperii initæ fructum unquam ſperare licuit, nunc licebit, dum Regiæ Majeſtati Veſtræ per invitatorias literas 2ti præterlapſi menſis Novembris datas placuit, Nobis ſignificare, præ foribus eſſe ad aſſenſum Dominorum Ordinum Generalium uniti Belgii præliminares Tractatus Pacis, cum Rege Galliæ in Urbe Ultrajectina tentandos, unaque, ſimul teſtatum facere, quod Regia Majeſtas Veſtra nihil aliud hoc in negotio ob oculos habeat, quam ut finis

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ, Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ, Hungariæ & Bohemiæ Reginæ, illuſtri in Romanorum Imperatricem Electæ.

CLEMENS P. P. XI.

CHariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ ſalutem &c. Summo cum intimo dolore correptum, ac veluti repentino ac inopinato ictu percuſſum fuit cor noſtrum, accepto funeſtiſſimo Nuncio deplorandi ſane obitu claræ memoriæ JOSEPHI, Romanorum, dum viveret, Regis in Imperatorem electi, inclyti filii Majeſtatis Tuæ; Statim enim mœrentes reſpeximus perturbatiſſimum totius Chriſtiani Orbis ſtatum, deinde vero majori ſollicitudine pericula Catholicæ Religionis tanto præſidio deſtitutæ, hoc ipſo prorſus alieno tempore, quo multi acuiſſe iras ſuas, atque adverſus veram fidem in unum conveniſſe ac conſpiraſſe videntur. Non vero exiguam mœroris noſtri partem faciebat, pro magnitudine paternæ noſtræ in Te charitatis, commiſeratio tui doloris in tanta jactura: ſed, quod vim ac robur Tuæ virtutis in ea fortiter perferenda ſuſpeximus, ita quoque æquam & pronam voluntatem divinisque paratam obſequi ac acquieſcere mandatis in ipſo incurſu acerbiſſimi caſus exhibeas. Cæterum, quando DEO volente ita contingat, ut ad electionem Succeſſoris convertenda ſint conſilia, nos in ea plane ſententia ſumus, de qua, ut credimus, inter omnes, qui vere ſentiunt, convenit, nihil tam expedire univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ, quam quod Auſtriaca Domus, de ea plurimis titulis be-

ne merita, pergat Imperialis Majeſtatis faſtigium tenere, & quod chariſſimus in Chriſto filius noſter, CAROLUS, Hiſpaniarum Catholicus, & Hungariæ & Bohemiæ Rex Illuſtris, ad eam dignitatem liberis Electorum ſuffragiis evehatur, quod nos quidem, ut eveniat, quo majori poſſimus ſtudio curabimus, quatenus ille Majorum ſuorum inclytæ memoriæ Regum & Imperatorum exemplo & ingenitæ pietatis inſtinctu ac ſingularis prudentiæ ſuæ monitu ita temporalia Imperii adminiſtret, ut, quod ad Orthodoxæ Religionis bonum ac verum DEI cultum pertineat, promoveat, & Advocati Sanctæ Matris Eccleſiæ munus in ſolenni inauguratione dignitatis Ei demandandum non minori alacritate ſuſcipiat, quam zelo & fortitudine tueatur. Porro quod attinet ad ea jura, quibus Eccleſia ipſa & Apoſtolica ſedes redintegrari, vehementer poſtulat, confidimus, Teque paternis noſtris permotam officiis & precibus, quæ magna Tui nominis laude huic cauſæ continenter adfuiſti, omnino curaturam, & tua autoritate effecturam eſſe, ut, quod defunctus in votis habuit, ac ſerio conſtituit, ſed morte præventus, ut res humanæ ſunt, efficere non potuit, id actum quamprimum compleatur: Tum quidem, ut ejus animæ neceſſaria ope conſultum ſit, tum hoc juſtitiæ ac pietatis documentum præludat felicis ſucceſſoris Imperio, ejusque capiti cœleſtes benedictiones & cum incolumitate diuturnum Regimen & cætera bona, quæ in terris, cum iis, quæ in cœlis longe majoris pretii expectari poſſunt, conciliet; Et hæc quidem ſunt vota noſtra, conjuncta ferventibus pre-

cibus, quibus apud aras a miſericordiarum patre æternam pacem defunćti animæ precari non ceſſamus. Juſta ſubinde ſolenni ritu in Pontificio Noſtro ſacello publice de more perſoluturi. Quod ſupereſt, perſuaſum eſſe cupimus, Majeſtati Tuæ, quod, quæcunque a Pontificia noſtra Autoritate in animi tui levamen, ac quoquo modo Tibi grata congrue præſtari poterunt, & quantum facultas erit, paratiſſima fore Majeſtati Tuæ, cui Apoſtolicam benedictionem amantiſſime impertimur. Datum Romæ 3. Maji 1711. Pontificatus noſtri XI.

MCCXX.

Litera PETRI, Czari & Magni Ducis Moſcoviæ, ad ELEONORAM MAGDALENAM THERESIAM, Rom. Imperatricem, quibus animum ipſius, ob præmaturam Joſephi, Rom. Imperatoris, filii ſui deſideratisſimi mortem doloris imitamentis demulcet, 1711.

Divina favente Clementia Nos Sereniſſimus ac Potentiſſimus Magnus Dominus Czaar & Magnus Dux Petrus Alexowiz, totius magnæ, parvæ & albæ Ruſſiæ Avtocrator, Moſcoviæ, Kioviæ, Waldimiriæ, Novogardiæ, Czaar Caſani, Czaar Aſtrachani, Czaar Siberiæ, Dominus Pleſcoviæ & Magnus Dux Smolenſci, Tuariæ, Ingoviæ, Permiæ, Viatiæ, Polgariæ & aliorum, Dominus & Magnus Dux Novogardiæ, inferioris terræ Tzernigoviæ, Reſaniæ, Roſtoriæ, Jaroslaviæ, Beloſſeriæ, Kioviæ, Obdoviæ, Condiniæ nec non totius ſeptentrionalis oræ Imperator & Dominus Iverienſis Terræ, Cartalinenſium & Graſinienſium Czaarum & Gabardinenſis

Ter-

Terræ, Czercaſſorum ac Montanorum Ducum, nec non aliorum multorum Dominorum ac Terrarum orientalium, occidentalium & ſeptentrionalium paternus avitusque hæres, ſucceſſor, Dominus ac Dominator &c. Serenisſimæ ac Potentiſſimæ Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ, Viduæ Rom. Imperatrici nunc regnanti, Hungariæ, Bohemiæque Reginæ, Archiduciſſæ Auſtriæ, natæ Palatinæ ad Rhenum, Duciſſæ Bavariæ, Comitiſſæ in Veldenz & Sponheim, Amicæ & Sorori Noſtræ chariſſimæ ſalutem & amicitiam noſtram, cum omnis boni incremento;

Serenisſima & Potentisſima Princeps, Amica & ſoror charisſima.

JAmdum advolaverat nuntius de inexpectato & luctuoſisſimo deceſſu Serenisſimi olim & Potentisſimi & Auguſtiſſimi Principis & Domini Joſephi, Electi Romanorum Imperatoris, charisſimi Amici & fratris Noſtri, cum literæ Serenitatis Veſtræ Nobis traderentur, quæ illum confirmarent, afflixit Nos ſane inopinatus & triſtis hic caſus eo magis, quanto majori amicitia & ſtudio ſemper Majeſtatem ſuam beatæ & glorioſisſimæ memoriæ proſecuti ſumus, ut & præſentia quoque tempora diuturniorem vitam Serenisſimi defuncti poſtulavere. Nullum etiam eſt dubium, quin Serenitatem Veſtram, præmatura tanti filii jactura graviter afficiat, quare etiam animitus illam vobis condolemus, precantes Deum T. O. M., ut non ſolum triſtes ſimiles cunctos caſus à Serenitatis Veſtræ Auguſtæ Domo impoſterum diuturnius beni-

 gne

gne avertat, verum etiam Serenitatis Veſtræ hinc conceptum dolorem gaudiis lætitiisque aliis lenire, oblivionique tradere velit. Nos equidem, quantum in Nobis, in eo, quo ſemper amico & prono in Sereniſſimam Domum Auſtriacam ducti fuimus animo, conſtanter perſeverabimus, licet de nonnullorum Sereniſſimæ defunctæ Cæſareæ Majeſtatis Miniſtrorum Nobis maxime noxiis his temporibus commiſſis actionibus querelas agendi anſam habeamus, ſed Nos illos hic commemorare ſuperſedemus. Sereniſſimum ac Potentiſſimum Hiſpaniarum Regem Carolum Nobis in rebus noſtris favere, omnia in melius itura promittentes. Interim Noſtro Imperiali Conſiliario Aulico Urbich certas Nos & res Noſtras concernentes propoſitiones Serenitati Veſtræ facere in mandatis dedimus, quas, ut non ſolum benevole audire, verum etiam tali reſolutione, qualem pro Noſtra ſemper in Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ Ejusque fœderatorum res teſtata amicitia ſperamus, providere velit, Serenitatem Veſtram obnixe rogamus; Eidemque longævam ſalutem, fauſta proſperaque omnia apprecamur. Dat. Jaroſlaviæ, Maji 23. die 1711.

Serenitatis Veſtræ

Bonus Frater,

PETRUS.

Comes Golovkin.

Nota: Literæ hæ ab Imperatrice Regnante, ob omiſſam Majeſtatis denominationem, cum proteſtatione & ſpe futuræ emendationis acceptæ ſunt.

MCCXXI.

MCCXXI.

Litera GEORGII LUDOVICI, Electoris Brunſuico-Luneburgenſis, ad CAROLUM III. Hiſpaniarum Regem, quibus ſibi cauſam communem curæ ſemper cordique fore declarat, 1711.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex, Domine Frater ac Conſanguinee plurimum colende.

REgiæ Majeſtati Veſtræ quam acerbisſimum eſſe de Serenisſimi, Potentisſimi & Invictisſimi Principis, Domini Joſephi, Romanorum Imperatoris &c. &c. Majeſtatis Veſtræ charisſimi, nunc beati Domini Fratris præpropera & inopinata morte ſcribere facile exiſtimare poſſumus. Propterea pro luculenta teſtificatione Regiæ Majeſtatis Veſtræ ſingularis erga nos benevolentiæ merito accipimus, quod in ſummo mœrore ac luctu de hoc caſu gravisſimo per honoratisſimas ſuas die 23. menſis præteriti ad Nos ſcriptas literas inter primos nobiſcum communicare dignata ſit, Ipſique eo nomine maximas agimus gratias. Cum nihil Majeſtati Veſtræ aut ſecundi aut adverſi evenire posſit, quin pro ſincero noſtro erga Ipſam ſtudio & cultu id ad nos quoque pertinere exiſtimemus, haud difficulter arbitrabitur, quam valde lugubris de iſthoc obitu perlatus nuntius nos contriſtaverit. Et vero quis bonus non lugeat Imperatorem, perfectum optimi Principis exemplar, cujus virtutes & merita ſubditi & exteri, amici & fœderati, inprimis etiam ſacri Romani Imperii ſtatus & populus coluerunt, quique adeo productisſima vita di-

gnus fuit, tam præmaturo & inſperato exitu in ipſo flore ætatis occubuiſſe. Quo magis autem ſincerus noſter & tenerior affectus nos compellit Regiæ Majeſtati Veſtræ in acerbisſimo hoc funere condolere; eo minus intuentes in ſapientiam Ejus neceſſarium credimus Ipſam conſolari, cum forti & excelſo Ipſius animo ea argumenta non deſint, quæ tam gravem jacturam posſint allevare. Satis igitur nobis erit dolorem noſtrum, quem literis die 30. Aprilis ad Regiam Majeſtatem Veſtram exaratis ſignificavimus, denuo teſtari, ſimulque iteraſſe preces & vota, quibus Deum adoramus, ut Majeſtatem Veſtram divinæ ſuæ gratiæ conſolatione magis magisque recreet, & Ipſi, cujus in vita & incolumitate orbi Chriſtiano tantum poſitum eſt, eo longiorem det ætatem, juſta magni fœderis, & in eo Majeſtatis Veſtræ arma proſperet, & ipſi quaquaverſum exoptatos conſiliorum exitus & felicitatis continuæ incrementum largiatur. De reliquo ad dictas literas noſtras nos referimus, & Regiæ Majeſtatis Veſtræ conſtanti favori nos officioſisſime commendantes, Ipſi noſtra officia quavis occaſione promtisſima pollicemur. Dabantur Hannoveræ die 30. Junii 1711.

Georgius Ludovicus Dei gratia Dux Brunſuicenſis & Luneburgenſis Sacri Romani Imperii Archi Theſaurarius & Elector &c.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

ad quævis officia paratisſimus

Georgius Ludovicus Elector.

Hattorf.

Inſcriptio.

Inſcriptio.

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi, Domino Carolo III. Regi Caſtellæ, Legionis, Arragonum, utriusque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algarbii, Algeciræ, Gibraltaris, Inſularum Canariæ nec non Indiarum orientalium & occidentalium, Inſularum & terræ firmæ Maris Oceani &c. Archi-Duci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Luxemburgi, Wurtenbergæ, ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Athenarum & Neopatriæ, Principi Sueviæ, Marchioni Sacri Rom. Imp. Burgoviæ, Moraviæ, ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Comiti Habsburgii, Flandriæ, Tyrolis, Barcinonæ, Ferretis, Kiburgi, Goritiæ, Roſſilionis & Ceritaniæ, Landgravio Alſatiæ, Marchioni Oriſtani, Comiti Gorceani, Domino Marchiæ, Sclavoniæ, Portus Naonis, Biscaiæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis & Mechliniæ &c. Domino Fratri & Conſanguineo Noſtro plurimum colendo &c. &c.

MCCXXII.

Litera ANNAE, Magnæ Britanniæ Reginæ, ad PROCERES S. R. IMP. per Delegatos in Comitiis Ratisbonenſibus congregatos, quibus ipſis Ultrajectum ad Rhenum congreſſui de pace habendo dicatum eſſe ſignificat, ac ut Plenipotentiarios, deſignata die eo mittere haud cunctentur, amanter ſuadet, 1711.

CUm Rex Chriſtianiſsimus Nobis teſtatum fecerit, quo teneatur deſiderio, Tranquillitatem Europæ Pace tuta & tam Nobis, quam Confœderatis noſtris univerſis honeſta, reſtitutam videndi; Cumque capita quædam Conditionum propoſuerit, quibus Nos ad initium colloquiis eum in finem habendis dandum inducere voluit. Ea vero capita ita Nobis oblata Confœderatis omnibus jamjam communicata fuerint. Cumque inſuper celſi ac præpotentes Domini Ordines Generales Uniti Belgii declaraverint, ſeſe propenſos paratosque esſe ad inſtituendam negotiationem Pacis bonæ generalisque, & ad ſe Nobiſcum conjungendum in compellandis Principibus Statibusque, qui una præſenti hocce bello implicati ſunt, quo Miniſtros Plenipotentiariosque ſuos ad Conventum mittant; cujus quidem celebrandi, quum locus tempusque cum Miniſtro dictorum Dominorum Ordinum Generalium pacta conſtitutaque fuerint, neceſſum eſſe duximus, Vobis ſine mora ſignificare, Nos inſimul conſenſiſſe, ut dicti Conventus initium a duodecimo die Menſis Januarii proxime venturi Styl. nov. in Urbe Ultrajectina ad Rhenum capiendum ſit. Quum vero nihil aliud hoc in negotio ob oculos habeamus, quam ut finis bello imponatur Pace ſolida, in qua Confœderatorum quisque ſatisfactionem rationi conſentaneam adipiſci poſſit, nullatenus ambigimus, quin Vos perinde Nobiſcum proclives Vos exhibeatis ad opus tam pium tamque ſalutare ſedulo promovendum. Rogamus itaque Vos, ut Miniſtros, quos eum in finem nominare placuerit, quam primum expedire

dire velitis, quo ad dictam Urbem Ultrajectinam tompore ſupra conſtituto ſeſe conferre queant. Præterea e re eſſe judicamus, Vobis notum facere, Nos una cum dictis Dominis Ordinibus Generalibus ſtatuiſſe, Miniſtros noſtros, Miniſtrorum Plenipotentiariorum nomine ſolummodo inſignitos, ad Conventum mittere, quodque Legatorum characterem in ſe haud ſumpturi ſint, niſi eo die, quo pax ſignanda erit, ut eo pacto, quantum potis eſt, vitentur operoſæ ceremoniarum moleſtiæ & moræ, procraſtinationesque exinde orituræ. Datum apud Hamptoncourt die 21. Nov. 1711.

MCCXXII.

Reſponſoria a CIRCULI FRANCONICI DIRECTORIBUS, ad præinſertas ANNÆ Magnæ Britanniæ Reginæ literas data, 1711.

Sereniſſima & Potentiſſima Regina, Domina, Amica & Conſanguinea Obſervantiſſima.

SI confœderationis Nördlingenſis inter regiam Majeſtatem, & ſuperiores Circulos Imperii initæ fructum unquam ſperare licuit, nunc licebit, dum Regiæ Majeſtati Veſtræ per invitatorias literas 21 præterlapſi menſis Novembris datas placuit, Nobis ſignificare, præ foribus eſſe ad aſſenſum Dominorum Ordinum Generalium uniti Belgii præliminares Tractatus Pacis, cum Rege Galliæ in Urbe Ultrajectina tentandos, unaque, ſimul teſtatum facere, quod Regia Majeſtas Veſtra nihil aliud hoc in negotio ob oculos habeat, quam ut finis

 bello,

bello imponatur pace ſolida, in qua Confœderatorum quisque ſatisfactionem, rationi conſentaneam, adipiſci poſſit. Ad quas invitatorias, ſicut partium noſtrarum eſt, Regiæ Majeſtati Veſtræ hiſce præprimis debitas rependere grates; ita etiam de cætero curavimus, ut circuli Franconici Dominis Con-Statibus noſtris hoc grave negotium ad exquirendam, pro more, Eorum mentem, mature innoteſcat. In quo quidem nihil aliud ſupereſſe judicamus, quam ut præfati Domini Con-Status una Nobiſcum ſe uniformiter ad coronatum nuper ſupremum Imperii Caput, Sacram Cæſaream Majeſtatem, ea, qua par eſt, decentia convertant, ac paternos ſenſus expectent, quo fieri poſſit, ut unitis conſiliis & viribus pacem ſolidam & ſatisfactionem æquam, ac rationi magnoque illi Nördlingenſi Fœderi convenientem conſequi liceat, quod, ut eo felicius eveniat, Deum imploramus, cujus tutelæ Regiam Majeſtatem Veſtram, & commune Confœderatorum Intereſſe enixe commendamus, ac indeſinenter permanemus.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Dabantur die 30. Decemb. 1711.

Paratisſimi & Officioſiſſimi &c.

MCCXXIV.

Reſponſoria ANTONII ULRICI, Ducis Brunſuico-Luneburgenſis, ad præimpreſſas ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, literas, 1712.

Sere-

Sereniſſima ac Potentiſſima Regina &c.

Literas, quas Regia Majeſtas Veſtra ex Palatio ſuo Hamtoncourt die 21. Novembr. A. C. ad Nos dedit, rite accepimus, & ex iis, quem in modum voluntatem ſuam de reſtauranda pace generali ad deſiderium Regis Chriſtianiſſimi nobis explicare, & ut ad Conventum in Urbe Ultrajectina ad Rhenum proxime habendum Miniſtros noſtros hunc in finem nominatos ablegaremus, a Nobis deſiderare ipſi placuerit, pluribus intelleximus. Laudanda certe eſt Regiæ Majeſtatis Veſtræ ſollicitudo, qua quo magis belli fructibus atque procellis agitari Europam videt, eo ardentius in id ſerio incumbit, ut ſedato ac ſopito bello pax firma ac diuturna reſtituatur. Non poſſumus non, quin & nos hanc optimæ mentis Regiæ ſignificationem dubia hac rerum facie ſingulari in pretio habeamus, deſuperque lætemur. Sed quando fœderis inter Sacram Cæſaream Majeſtatem, Magnæ Britanniæ Regem Wilhelmum III. glorioſiſſimæ memoriæ, ac Ordines fœderati Belgii generales die 7. Septembris 1701. initi, & a nobis quoque ſubſcripti Nos ſubit recordatio, quo cautum, quod ſuſcepto ſemel bello nulli belligerantium fas eſſe debeat de pace cum hoſte tractare, niſi conjunctim & communicatis cum cæteris fœderatis conſiliis, Regiam Majeſtatem Veſtram tempus aliquod, quo ante miſſionem noſtrorum Deputatorum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis ac reliquornm Imperii ordinum mentem ſuper hoc negotio explorare poſſimus nobis conceſſuram confidimus. Quamprimum horum voluntas Nobis erit nota, non deerimus, quendam ex noſtris

noſtris Miniſtris, & quidem juxta Regiæ Majeſtatis Veſtræ intentionem ſub Charactere ſolummodo Miniſtri Plenipotentiarii ad Pacis tractandæ Conventus mittere, reapſeque teſtari, quam dulce Nobis nomen & quod nil nobis prius magisque cordi ſit, quam ut honeſta ac ſecura quies totius Chriſtiani orbis quantocius reducatur. Quod reliquum eſt Deum T.O.M. precamur, ut Regiæ Majeſtatis Veſtræ Conſiliis felicisſimis ſucceſſibus annuere pergat, ipſamque ſalvam ac incolumem quam diutiſſime ſervet, quo ipſius perenni favore amplius perfrui queamus qui ſtudia & obſervantiam noſtram pollicemur quam ſanctiſſime. Dabantur in Aula noſtra Guelferbytana die 2. Jan. 1712.

Antonius Ulricus, Dux
Brunſw. & Lüneb.

APPENDIX.

I.

Litera ELISABETHÆ, Reginæ Angliæ, ad JOHANNEM FRIDERICUM II. Ducem Saxoniæ, quibus Religionis curam a ſe ſemper habitum iri ſpondet, minime autem, a quo ſemper aliena fuiſſet, matrimonii, 1559.

Eliſabeth Dei gratia Regina Angliæ, Franciæ & Hyberniæ, fidei Defenſor &c. Illuſtriſſimo Principi, Joanni Friderico ſecundo Duci Saxoniæ, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, conſanguineo Noſtro chariſſimo ſalutem! Magnifici viri, Dominus Comes a Mansfeld & Franciſcus Burcardus, Legati Excellentiæ Veſtræ, præter literas Ve-

ſtras

ſtras Nobis charisſimas, duo quædam negotia genere diverſa, diverſis temporibus, Veſtro nomine, communicarunt. Ad cauſamReligionis,quæ pro dignitate primum locum obtinet, quam ſit Excellentia Veſtra addicta, facile ex Veſtris conſiliis apparet, eaque ita probamus, ut quanquam eadem prius ſumus ſecutæ, non minus tamen dabimus operam poſt iſta veſtra conſilia, ut videatur veſtra Excellentia non fruſtra hanc tam piam operam collocaſſe. De altera autem, nempe Conjugii ratione, quanquam revera ab ea ſemper alieno hactenus fuerimus animo, tamen fatemur Nos multum Excellentiæ Veſtræ debere, quod tam amanter velit Nos nomine Illuſtriſſimi fratris Veſtri tentare eumque lubenter intelligimus ab omnibus tum foris, tum domi collaudari, optimeque illi optamus, neque quicquam vobis, excepta hac matrimonii actione, amicitiæ nomine volumus negare: quod quidem aperte teſtatæ ſumus Oratoribus Veſtris, qui fuſius animum Noſtrum Excellentiæ Veſtræ exponent. Porro quod ad continuandam illam amicitiam, quæ tempore celeberrimæ memoriæ Patris Noſtri clementisſimi, cum patre & patruo noſtro radices cepit erga Veſtram Familiam; Spondemus Nos nullo modo quicquam prætermiſſuras, quod eandem fovere & augere indies poſſit, atq idem etiam ſperamus Veſtram Excellentiam ſedulo obſervaturam fratresque Veſtros nunquam neglecturos. Deus Excellentiam Veſtram omnemque familiam Veſtram diu conſervet, ad nominis ſui gloriam in Germania propagandam. E Regia

gia Noſtra Weſtmonaſterienſi die 10. Octobris Anno Regni Noſtri primo & Domini 1559.

Veſtræ Excellentiæ

conſanguinea

Elizabeth R.

Inſcriptio.

Illuſtrisſimo Principi, Joanni Friderico ſecundo, Duci Saxoniæ, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, conſanguineo Noſtro charisſimo.

II.

Litera ERICI XIV. Sveciæ Regis, ad ELISABETHAM, Angliæ Reginam, quibus ſe valde conturbatum fuiſſe, quod matrimonium a ſe oblatum repudiaſſet, neque tamen omni plane ſpe excidiſſe teſtatur, 1563.

ERicus decimus quartus Dei gratia Svecorum, Gothorum, Wandalorumque &c. Rex. Illuſtrisſimæ Potentisſimæque Principi ac Dominæ, Dominæ Elizabethæ, Angliæ, Franciæ & Hyberniæ Reginæ, fidei defenſori, conſanguineæ Noſtræ charisſimæ ſalutem, proſperitatem & omne bonum.

Graviter conturbatus ſum, Serenisſima, Illuſtrisſima, potentisſimaque Regina, cum ante annum elapſum per Nuntium meum Benedictum Teil, Tuæ Serenitatis accepi literas, quæ omnem mihi fere ſpem viſæ ſunt abſcindere amoris & benevolentiæ tuæ Serenitatis. Etenim non modo omnem occaſionem, quo negotium connubiale confici

poſſet,

poſſet, abſtulerunt, ſed etiam quam viliſſimas alias petitiones bona communicationis negaverunt. Quare autem Tua Serenitas erga me tunc temporis ita fuerit offenſa, exiſtimo cauſam delatores præbuiſſe, qui forte retulerunt, me aliud connubium ſectari, & non in animo habere, quæ Serenitati Tuæ per literas ſignificarem, quod quidem Tua Serenitas longe aliter experietur, ſi adhuc animum ad petitum negotium inclinare velit: Nam quam falſum ſit, quod illi jam dudum de Reginæ Scotiæ connubio mecum futuro ſunt obloquuti, ipſi Scoti non negabunt, cum ſolummodo pro meo fratre Reginam illam ſollicitaverim & non mea de cauſa. Sicut & illud, quod de Filia Landgravii (ut audio) Tuæ Serenitati dixerunt, non magis veritati eſt conſentaneum, cum ego illud magis feci experiendi animi Serenitatis Tuæ erga me conſtantiam, quam ulla alia de cauſa. Multum etiam effecit falſa quædam zelotipia ob Robertum concepta, quam ego ſimulationem vice verſa per filiam Landgravii volui recompenſare. Sed quemadmodum illud procul dubio falſum eſt, quod de prædicto Roberto dixerunt, ita etiam ſe habet, quod de filia Langravii ſunt obloquuti. Dii perdant tales ſeminatores rumorum, longe enim jam aliud audio de Tua Serenitate prædicari, ita ut ſummopere admirer Serenitatis Tuæ conſtantiam & benevolentiam erga me & nunquam crediſiſſem, aliquam in mundo virginem futuram, quæ tam diu ob meam cauſam vellet in cœlibatu vivere, præcipue cum Serenitas tua in literis confeſſa eſſet, ſe velle tandem propter preces ſubditorum nubere, quod indicium eſt Serenitatem tuam a natura

non

non abhorrere connubium (ut multi dixerunt) Sed cum penitius apud me conſidero, quare tamdio absque reſponſo ſuſpenſus manſi, cogor fateri me aliqua ex parte eſſe in cauſa, qui tam credulus fui, eo quod exiſtimarem Tuæ Serenitatis amorem a me facile poſſe alienari, & quod inconvenientibus rationibus Tuam Serenitatem mihi volebam conciliare. Verum quemadmodum dici ſolet, ex incommodo fiunt homines circumſpectiores, ſic etiam poſthac omnibus ita facile fidem non adhibebo, qui negotium hoc interturbare conantur, ſed potius quicquid poſſum; quod ad promovendum negotium ſpectat, dabo operam, ut in mea bona voluntate nihil deſit. Atque iterum quam amantisſime expeto a Tua Serenitate aliud quam priſtinum reſponſum, nempe ut Serenitas Tua in connubium a me petitum & toties optatum conſentire velit, & mihi literas ſalvi conductus novisſime petita forma mittere, ſpero namque tuam Serenitatem non pœnituram. Serenisſima Regina, nolui prætermittere Tuæ Serenitati hæc ſcribere, cum occaſionem per hunc Tabellarium tam commodam habuerim, exiſtimo enim Tuam Serenitatem cum ex ſincero animo fiat, non ægre laturam. Commendans Serenitatem Tuam his in cuſtodiam omnipotentis Dei ad ſummam tranquillitatem & felicitatem in perpetuum. Datum in Gisleveden in Smalandia, die 15. Octobris An. 1563.

Tuæ Serenitatis

Frater & Conſanguineus amantisſimus

Ericus XIV.

Inſcri-

Inſcriptio.

Sereniſſimæ, Potentiſſimæque Principi ac Dominæ, Dominæ Eliſabethæ, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Reginæ, fidei defenſori, conſanguineæ noſtræ chariſſimæ.

III.

Litera ELISABETÆ, Angliæ Reginæ, ad RUDOLPHUM II. Rom. Imperatorem, quibus a ſe Hanſianis Civitatibus omnes immunitates ac Privilegia reſtitutum iri promittit, modo ipſa Commiſſarios ad ſe ablegare, & forum, ad quod cauſa iſta pertineret, non pertinaciter detrectent, 1583.

Eliſabetha Angliæ, Franciæ & Hyberniæ Regina, Fidei defenſatrix &c. Sereniſſimo Principi ac Domino Rudolpho II. &c. Fratri & conſanguineo noſtro chariſſimo ſalutem & rerum feliciſſimarum incrementum.

Invictiſſime Cæſar, Frater & Conſanguinee chariſſime.

REfert Nobis mandatarius noſter Georgius Gilpinus a ſuo reditu a Comitiis Imperialibus modum, quem ſecuti ſunt Ordines in cauſa Hanſiana, tota autem diſceptatio ſuſcepta & inſtituta a nobis videtur, de prætenſo monopolio Societatis adventurariæ, de prætenſis autem Hanſianis Privilegiis, verbum fere nullum, ſaltem ad defenſiones ab oratore noſtro propoſitas, parcius, quam in tanta cauſa par erat, reſponſum. Subinde tamen ad decretum recenſum eſt contra ſubditos Noſtros,

cujus vi & ſententia ex univerſo Imperio ejiciuntur, ni maturius Hanſianæ Civitates in prætenſa ſua privilegia reponantur, vehemens ſane decretum & ſatis præceps, ſaltem nulla habita rationum noſtrarum cognitione. Æquior tamen erat prior ſententia, quæ legationem ad Nos decrevit; ſic enim in arduis cauſis & cum Principibus agi ſolet; contra autem, viciſſe paucorum mercatorum conſpirationem, nobileſque pertraxiſſe ad tantam maculam Majeſtati noſtræ Regiæ inurendam non mediocriter miramur, & quo animo ferre debeamus, tacitis bonorum Principum ſuffragiis judicandum relinquimus. Errant ſaltem Hanſiani Homines, ſi præcipiti ſuo decreto cogi nos poſſe putant, ad ea concedenda, quæ in benevolentia noſtra ponuntur, illis vero debentur nullo jure. Neque enim ex ſumus, quæ cogi poſſumus aut volumus, utcumque Nos proſcindant virulentis ſuis linguis, quas in Comitiis ſaltem & pleniori Principum conſeſſu frenare debuiſſent. Si prior ſententia placet, ut decreta ad nos Legatione per Commiſſarios utrinque dandos res tractari definirique poſſent, Nos, quod noſtrarum partium eſt, faciemus, & cum Noſtros agunt, forum noſtrum ſequentur, haudquaquam nos ipſorum. Quicquid enim obtendunt de Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ læſione, quæ vertitur quæſtio, nequaquam inter Majeſtatem Veſtram eſt, ſed Nobis cum paucis Mercatoribus inſtituitur, quos æquum ne ſit, ad quod velint, nos forum protrahere, præſertim actores cum ſint, Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ prudentiæ judicandum relinquimus. Quicquid ſit, certum deliberatumque

que habemus, extra regnum noſtrum Commiſſarios noſtros non ablegare, ſuos ad Nos mittant, quos velint, nullos refugimus, amiciſſime accipientur benigneque audientur, quorumque rationes præponderabunt, in eorum ibimus ſententiam. Interea, dum iſta parantur & fiunt, Cæſaream Majeſtatem Veſtram rogamus, velit mandatum ſuum revocare Comitique Embdiano, honeſto Principi & Nobis amico Cæſ. Veſtr. Maj. autoritate cavere, ne quæ ſubditis honeſta officia præſtat, illi damnoſa ſint ullo modo, Nos ſummi beneficii loco reponemus & habebimus gratum. Hic autem, ne incerto hæreremus, operæ pretium fore putavimus, Nobilem hunc Wilhelmum Waad, plurimum Nobis acceptum, ad Cæſaream Veſtram Majeſtatem ablegare, ſummopere ab eadem contendentes, velit ei reſponſum in ſcriptis ad has literas Noſtras dare, ut quid ſibi animi ſit, ad rem nobis faciendam in hac cauſa gratam plenius & brevius intelligamus: Quod dum attentius expectamus, Deum Opt. Max. precamur, velit Cæſ. Veſtr. Majeſtatem diutisſime ſalvam & incolumem conſervare. Datæ e Regia Noſtra Grenvici, 10. Cal. Maji, Anno Chriſti 1583.

IV.

Reſponſoria RUDOLPHI II. Rom. Imperatoris ad præinſertas ELISABETHÆ, Angliæ Reginæ, literas, 1583.

Rudolphus &c. Sereniſſimæ Principi, Dominæ Eliſabethæ, Reginæ Angliæ & Franciæ, Do-

minæ Hyberniæ, ſorori & Conſanguineæ noſtræ charisſimæ, ſalutem cum omnis boni incremento!

Sereniſſima Princeps, Soror & Conſanguinea Chariſſima.

NObilis ille Wilhelmus Waad, quem Seren. Veſtra ad Nos ablegavit, literas ejusdem reddidit, eaque, quæ in mandatis habuit, diligenter expoſuit, ad quæ quidem gravatim non modo reſponderemus, niſi cauſa hæc, (uti Serenitati Veſtræ ante hac expoſitum eſt) pertineret ad omnes ſtatus Imperii Germanici, quam, ſicut etiam ea, quæ iterum Hanſeatici de ademptis Privilegiis, nec non & injuria & monopoliis Adventurariorum prolixe apud Nos conqueſti ſunt, Electoribus Sacri Imperii communicabimus, reque deliberata, poſtmodo quod æquum viſum fuerit, Serenitati Veſtræ reſpondebimus, quam interim proſperrime ſemper valere exoptamus. Datum in Arce Noſtra Ebersdorffii, die 7. Junii, Anno 1583.

V.

Litera RUDOLPHI II. Rom. Imperatoris, ad SIGISMUNDUM III. Poloniæ Regem, quibus ipſi Johannem Gentilottum, virum rei militaris experientia clarum manuque fortisſimum ſedulo commendat, 1592.

Rudolphus Secundus divina favente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dal-

Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis &c. Sereniſſimo Principi Domino Sigismundo Tertio, Regi Poloniæ, Magno Duci Lituaniæ, ac Rusſiæ, Prusſiæ, Maſſoviæ Samogitiæque, nec non Regni Sueciæ proximo hæredi ac futuro Regi, Cognato, Vicino & amico noſtro carisſimo ſalutem ac mutuam benevolentiam.

Sereniſſime Princeps, Cognate, Vicine & Amice Carisſime.

ROgarunt nos humiliter miniſtri quidam noſtri, nobis ob fidelia multorum annorum obſequia cari, ut Serenitati Veſtræ commendare Joannem Gentilottum, Tridentinum, non gravaremur: quem cum plurimos jam annos etiam in Polonia militaſſe, fortiterque ac ſtrenue ſe gesſiſſe, ut rei militaris Præfecturam non ſine laude obierit, intelligamus, a Serenitate Veſtra per amicitiam Noſtram mutuam petimus, ut noſtra cauſa Joannem illum Gentilottum gratia ſua ita complecti velit, ut in ſtipendiorum ſolutione, & in aliis, quem miniſtri hi noſtri ſperant, harum literarum ille fructum ſentiat. Quod nobis gratum fuiſſe quibuscumque officiis teſtari conabimur, Serenitatem Veſtram de cetero quam optime ac diutisſime valere optantes. Datum in Arce Noſtra Regia Pragæ die ultima menſis Maji, anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo. Regnorum Noſtrorum, Romani deci-

mo ſeptimo, Hungarici vigeſimo & Bohemici itidem decimo ſeptimo.

RUDOLPHUS.

Jacobus Curtius a Senftenau.

Joannes Barvitius.

VI.

Litera PHILIPPI III. Hiſpaniarum Regis, ad MARCUM SITTICUM, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ſe deceſſum Imperatoris Matthiæ valde affeciſſe teſtatur, ac ut Religionis & futuræ Imperatoris electionis gnavam curam habeat, amanter rogat, 1619.

Philippus III. Hiſpaniarum Rex, Marco Sittico, Archiepiſcopo & Principi Salzeburgenſi.

FAcile Dilectio Veſtra intelligere poterit, quantis me dolore & mœrore Imperatoris avunculi mei, cui Deus gloriam largiatur æternam, affecerit deceſſus; tum ob inſignem, quam eo caſu Domus Auſtriaca fecit jacturam, tum ob Chriſtianæ Religionis difficilibus ita temporibus publicam. Dilectionem Veſtram, quo eſt in Sanctiſſimæ Religionis Noſtræ res, & publicum bonum ſtudio, ac zelo, certo ſcio, omnibus modis, rationibusque curaturam, ut captum inſtaurandæ confœderationis negotium perficiatur (quandoquidem tanti momenti ea res eſt) ſimulque operam ſuam omnem collaturam, ut Imperatoris electio quam citiſ-

citiſſime fieri poſſit, finem accipiat, eaque dignitate Vir ex Auſtriaca Domo exornetur. Quod quidem Ego faciam maximi, uti exactius ad Dilectionem Veſtram a me referet Comes de Ognate Legatus meus. Deus opt. max. Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Datum die 23. menſis Aprilis, 1619.

VII.

Literæ PHILIPPI III. Hiſpaniarum Regis, ad PARIDEM, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ſe Patri ejus deſideratum ab ipſo ſtipendinm libenter contuliſſe aſſerit, 1620.

Philippus III. Hiſpaniarum Rex, Paridi Archiepiſcopo & Principi Salzeburgenſi.

A Comite de Ognate Oratore Noſtro literas Veſtræ Dilectionis miſſas, 26. Septembris anni hujus conſcriptas accepimus, quibus nobis intimare videtur, quam ſibi cordi futurum ſit, ſi Comiti Nicolao de Lodrone Patri Veſtro ſtipendium conferatur, quod ad illum tanquam ad noſtrum pedeſtrium copiarum interim Præfectum ſpectat. Id quod nos eo libentius præſtitimus, quo amplius in rebus omnibus Dilect. Veſtræ gratificari diſcupimus, quantique Vos inprimis, Veſtramque domum faciamus, re ipſa comprobare. Nec vero de hoc Noſtro propoſito atque judicio dubitare præſumat, quin pro explorato habeat non aliter, quam nos certisſima mente ſumus, V. Dilectionem omnibus, quæ ad nos iſthic pertinebunt, ea pro-

penſione animi, quam Noſtra benevolentia meretur, minime defuturam; ſicuti Noſtro nomine fuſius idem Comes de Ognate, cui hoc officium injunximus, explicabit. Deus opt. max. Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Datum in Regia Pardi die 24. Novembris, 1620.

VIII.

Literæ PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Regis, ad PARIDEM, Archi-Epiſcopum Saliſburgenſem, quibus ſibi gratam deditiſſimi ipſius animi promptitudinem eſſe declarat, 1622.

Philippus IV. Hiſpaniarum Rex, Paridi Archi-Epiſcopo & Principi Salzeburgenſi.

Quæcumque Literis quinto Idus Maji anni proxime præteriti conſcriptis Dilectio Veſtra commemorat de acri doloris ſenſu, quo Regis Domini mei, ac patris obitum graviter, moleſteque tulit, cum benevolentia Suæ Majeſtatis erga Veſtram Dilectionem, amploque de Veſtra perſona judicio recte concordant. Quoniam vero ipſa illa rationum momenta concurrunt, ut hæc eadem æſtimationis argumenta in me continuata perſeverent; poterit Dilectio Veſtra in animum ſuum inducere, nobis fore gratiſſimum, ſi promptum hoc animi Noſtri deſiderium in omnibus rerum occaſionibus oſtendamus; dum, quantum fieri poteſt, ſatisfacere vobis pergimus; ut ipſa operis teſtificatio, ipſa officiorum experimenta comprobabunt. Deus Optimus Maximus

Maximus Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Datum Matriti, die 17. Menſis Februarii, 1622.

IX.

Litera PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Regis, ad PARIDEM, Archi-Epiſcopum Salisburgenſem, quibus ſe Præfecturam Tribunatus ſui Germanici ad commendationem ipſius, Joanni Baptiſtæ Lodronio conſanguineo ejus contuliſſe refert, 1622.

Philippus IV. Hiſpaniarum Rex, Paridi Archiepiſcopo & Principi Salzeburgenſi.

LIteras Veſtræ Dilectionis tertia die Martii conſcriptas accepimus, quibus de obitu Comitis Patris Sui, cui graviter, ut par erat, indoluimus, Nos plane certiores reddit, ac præterea ſubjungit, quantæ ſibi lætitiæ futurum ſit, ſi Tribunatus Noſtri Præfectura, quæ morte illius vacare viſa eſt, Comiti Joanni Baptiſtæ Lodronio conſanguineo ſuo conferretur. Nos igitur cum in omnibus rerum opportunitatibus Veſtræ Dilectionis deſiderio ſatisfacere percupiamus, & rebus ipſis oſtendere, quanti perſonam ſuam & familiam æſtimemus, decrevimus, ac pro bono habuimus, ut dicto Joanni Baptiſtæ Tribunatus Noſtri Germanorum Diploma, ſine ſtipendio, quemadmodum Comes Nicolaus initio habuit, concedatur. Quam vero libenter id præſtiterimus Dilectio Veſtra ſibi perſuadeat omnibus ſuis commodis Nos ſemper affuturos & curaturos ex animo, ut,

quantum fieri poſſit, illas omni ſtudio, atque officio promoveamus. Sicuti ex Comite de Ognate Oratore Noſtro, qui has Noſtras Literas ad ſe remittet, longius ac fuſius Dilectio Veſtra cognoſcet. Deus Opt. Max. Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Datum Matriti, die 4. menſis Julii, 1622.

X.

Literæ credentiales, quas PHILIPPUS IV. Hiſpaniarum Rex, Oſſonæ Comiti ad PARIDEM, Archi-Epiſcopum Salisburgenſem dedit, 1623.

Philippus IV. Hiſpaniarum Rex, Paridi Archi-Epiſcopo & Principi Salzeburgenſi.

QUod Comiti de Ognate redeunti ad Nos poteſtatem fecimus, in locum ejus Oſſonæ Comitem delegavimus; cum ejusdem induſtria, fides, atque prudentia nobis maxime probaretur. Adhuc illum mittimus ſperantes oppido fore, ut in omnibus, quæ ad Nos pertinere cernantur, mutuam illam refracti amoris benevolentiam in Veſtra Dilectione reperiat, quam olim experti ſumus, & amor noſter ſuo jure poſtulare videtur. Dilectio Veſtra fiduciam hanc noſtram quam maxime certam efficiat, & his, quæ Noſtro nomine Comes dixerit, aut ſcripſerit, fidem omnem adhibeat. Deus Opt. Max. Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Matriti die VI. menſis Decembris, MDCXXIII.

XI.

XI.

Litera GUSTAVI ADOLPHI, Suecorum Regis, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, pro Wilhelmo Wſſelinx commendatitia, 1629.

Guſtavus Adolphus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum & Vandalorum Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Eſthoniæ & Careliæ, Dominus Ingriæ.
&c.

Illuſtres & potentes boni Amici & Fœderati.

INſignis illa ab hoſte Hiſpano parta victoria, qua Vos & Societatem Navigationis Americanæ ante menſes aliquot in Indiis beare Deo viſum eſt, facit, ut ſerio vobis gratulemur; & pro ea, qua ſemper felicitatis Veſtræ fovemus progreſſus, affectione, præſentium Vobis exhibitorem, prudentem, Nobis ſincere fidelem, Wilhelmum Wſſelinx diligenter commendemus: quippe de cujus in rebus & regionibus Indicis peritia & Nobis ſatis perſpecta ſolertia nihil ambigimus, quin ad ulteriores in iſtas oras expeditiones magnum Vobis allatura ſit emolumentum. Amiciterque a Vobis requirimus, ut dictum Wſſelings benigne ſuſcipiatis, & quæ ſuper ejusmodi expeditionibus allaturus fuerit conſilia & rationes, non modo libenter audiatis, ſed etiam quantum in Vobis eſt ope & auxilio promoveatis, indubii; quæcunque movet & molitur, ſi apud Vos locum invenerit, tum

in

in Veſtrum, tum in totius oppreſſæ Chriſtianitatis commodum & utilitatem evidenter ſint ceſſura. Atque hisce Vos Deo commendamus. Datum in Arce Noſtra Stockholm, die 27. Januarii, Anno M. DC. XXIX.

Guſtavus Adolphus.

Nota: Literæ ejusdem tenoris, mutatis ſaltem quoad perſonalia mutandis, ad Fridericum Henricum, Principem Auriacum, ſcriptæ fuere.

XII.

Literæ PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Regis, ad GVIDOBALDUM, Archi-Epiſcopum Salisburgenſem, quibus peculiarem ipſius erga ſe Domumque Auſtriacam affectum multis exornat laudibus, 1656.

Philippus IV. Hiſpaniarum Rex, Guidobaldo Archi-Epiſcopo & Principi Salzeburgenſi.

EX literis Marchionis dela Fuente, Oratoris Noſtri Ordinarii apud Majeſtatem Sereniſſimi Imperatoris Fratris Noſtri Chariſſimi, illam perſpeximus generoſitatem, qua Dilectio Veſtra tranſitum per ſuas ditiones Imperialibus conceſſerat copiis, ab Ipſo Imperatore in Italiam miſſis, ſimulque percepimus, Veſtræ Dilectionis peculiarem affectum erga Nos, & Auguſtiſſimam Domum, quod cum plurimi habuerimus magnamque Nobis gratificationem attulerit, minime prætermit-

mittendum duximus, quin hoc ipſum per haſce Veſtræ Dilect. innoteſceret, quantamque adhibere poſſit fidem bonæ animi Noſtri voluntati ad ea, quæ Veſtræ Dilectionis rebus intuentur, uti pareſt. Deus Opt. Max. Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Datæ Madriti die 4. Novembris, MDCLVI.

XIII.

Litera PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Regis, ad GVIDOBALDUM, Archi-Epiſcopum Salisburgenſem, quibus ſe Marchioni de Mancera, ſuo ad Aulam Cæſaream, Internuntio in mandatis dediſſe refert, ut rerum ipſius ſingularem plane habeat curam, 1662.

Philippus IV. Hiſpaniarum Rex, Guidobaldo Archi-Epiſcopo & Principi Salzeburgenſi.

CUm decreverimus Marchionem de la Fuente, qui Nuntium agebat in Cæſarea Curia Oratorem, in Galliam pergere, ut in Comitis de Fuenſaldan locum ſuffectus idemmet munus obeat, juſſimus Marchionem de Mancera Viennam ſe conferre, legationis a Nobis ipſi commiſſæ exequendæ cauſa, qua perfuncturus eſt apud Sereniſſimum Imperatorem Noſtra ex ſorore filium. Et quamquam præfato Marchioni de Mancera ſatis innoteſcit ſummis in optatis Nobis eſſe eum accurate conſulere omnibus, quæcumque Dilectionis Veſtræ intererunt (uti ſibi jure vindicat maxima exiſtimatio nobis inſita, qua Dilectionem Veſtram ejusque

que Domum omnino proſequimur) peculiari tamen mandato prædicto Marchioni injunximus noſtrum hunc animum, exhibita ad id ſolerti cura, quotiescunque ſeſe dederit occaſio, conteſtari; ſimulque Regiam Noſtram voluntatem, propenſionem erga Dilectionem Veſtram addictisſimam, quæ utique Dilectioni Veſtræ experimento erit, quandocumque occurrerint, quæ ad ſuarum rerum incrementum attineant. Hujusce ergo benevoli affectus Dilectionem Veſtram participem fieri voluimus, ut penes ipſam integram fidem asſequantur, quæ prædictus Marchio de Mancera Noſtro nomine retulerit. Deus Opt. Max. Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Dabantur Madriti die 1. menſis Februarii, 1662.

XIV.

Breve ALEXANDRI PAPÆ VII. ad ANTONIUM BARBERINUM, S. R. Eccleſiæ Cardinalem, quo ipſum hortatur, ut Chriſtianum, Ducem Megapolitanum, ejuratis prius Lutheranæ Religionis dogmatibus more & ritibus conſuetis, in Eccleſiæ Rom. gremium recipiat, 1663.

Alexander P. P. VII.

VEnerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum non ſine ſpirituali animi lætitia Nobis relatum fuit, quod Nobilis Vir Chriſtianus, Dux Megapolitanus, ex Parentibus hæreticis natus, & in hæreſi Lutherana educatus, divinæ gratiæ lumine illuſtratus, viaque virtutis agnita, Lutheranam & alias quascunque hæreſes abju-

abjurare & omnino deſerere, ac ad gremium ſacræ Romanæ Eccleſiæ, benedicente Domino, adire decreverit: Nos, qui pro paſtorali munere id unum præcipue curare tenemur, ut ſi quæ oves a veritatis ſemita aberrent, in viam ſalutis revocentur, de tua ſingulari pietate, prudentia, ac Religionis catholicæ & honoris Domus Dei zelo, plurimum in Domino confiſi, circumſpectioni Tuæ eundem Chriſtianum Ducem, prævia abjuratione, judiciali & extrajudiciali, Lutheranæ, & aliarum quarumlibet hæreſium hujusmodi, per Eum in manibus tuis facienda, ac recepta ab illo Profeſſione catholicæ fidei, juxta articulos dudum a ſede Apoſtolica propoſitos, ab iisdem hæreſibus ac quibusvis excommunicationis & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, per Eum propter præmiſſa, quomodolibet incurſis, injuncta ei aliqua pœnitentia ſalutari, aliisque injungendis, prout ejusdem Chriſtiani Ducis animæ ſaluti expedire cognoveris, in utroque foro, autoritate Noſtra Apoſtolica abſolvendi, ipſumque Chriſtianum Ducem in gremium ejusdem S. R. E. recipiendi ac reconciliandi, adhibitis ad actus prædictos aliquo Notario publico & teſtibus, dicta autoritate, tenore præſentium liberam & amplam facultatem tribuimus & impertimur, non obſtantibus Apoſtolicis ac in univerſalibus, provincialibus & Synodalibus conciliis, Edictis, generalibus & ſpecialibus Conſtitutionibus ac Ordinationibus nec non decretis, uſu & ſtylo tribunalis officii ſanctæ ac univerſalis inquiſitionis cæterisque contrariis quibuscunque: Datum Romæ apud Sanctam

ctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die ſexta Auguſti, anno 1663. Pontificatus Noſtri anno IX.

S. Ugolinus, &c.

Inſcriptio.

Venerabili Fratri Noſtro, Antonio Barberino, Epiſcopo Præneſtinenſi, Cardinali Antonio nuncupato S. R. E. Camerario.

XV.

Breve ALEXANDRI, Papæ VII. ad ANTONIUM BARBERINUM, S. R. Eccleſiæ Cardinalem, quo ei injungit, ut Chriſtianum, Ducem Megapolitanum, a matrimonii, quod cum Principiſſa, Reformatorum ſacris addicta iniiſſet, abſolvat, ipſique aliam, eamque Catholicam ducendi libertatem, Eccleſiæ Rom. nomine impertiatur, 1663.

Alexander P. P. VII.

VEnerabilis frater, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Quum Nobis non ſine ſpirituali animi Noſtri lætitia relatum ſit, quod Nobilis Vir Chriſtianus Dux Mecklenburgenſis, ex Parentibus hæreticis procreatus, ac in hæreſi Lutherana educatus, divinæ gratiæ lumine illuſtratus, viaque veritatis agnita, Lutheranam & alias quaſcunque hæreſes abjurare & omnino deſerere, ac ad gremium S. R. E. benedicente Domino, redire decreverit, circumſpectioni Tuæ Eundem Chriſtianum Ducem, prævia abjuratione judiciali & extrajudiciali, Lutheranæ & aliarum quarumlibet hære-

ſium

ſium hujusmodi, per eum in manibus tuis facienda, ac recepta ab illo profesſione Catholicæ fidei, juxta articulos dudum a ſede Apoſtolica propoſitos, ab Eisdem & quibusvis excommunicationis & Interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, per eum, propter præmiſſa, quomodolibet incurſis, in utroque foro autoritate Noſtra apoſtolica abſolvendi ipſumque Chriſtianum Ducem, in gremium ejusdem S. R. E. recipiendi & reconciliandi facultatem, per alias Noſtras in ſimili forma Brevis literas, quarum tenorem præſentibus haberi volumus pro expreſſo, ſub certis modo & forma ibidem expresſis tribuerimus & impertiti ſimus: Et ſicut Nobis pariter relatum fuit, memoratum Ducem Chriſtianum ante aliquot annos in Civitate Hamburgenſi matrimonium cum quadam muliere Calviniana hæreſi infecta, ſecundo Conſanguinitatis gradu ſibi conjuncta, nulla prævia ſuper impedimento ſecundi gradus conſanguinitatis hujusmodi Apoſtolica diſpenſatione, quæ nec petita fuit, nec hæreticis contrahentibus a ſede Apoſtolica concedi ſolet, nulliter & de facto contraxiſſe & carnali copula conſummaſſe: reperitur nunc vero ipſe Chriſtianus Dux matrimonio hujusmodi nulliter & invalide contracto, ad alia vota cum muliere catholica tranſire ſibi licitum eſſe, autoritate Apoſtolica declarari plurimum deſiderat. Hinc eſt quod Nos de eximia tua fide, prudentia, pietate & integritate plenam in Domino fiduciam habentes, circumſpectionique Tuæ per præſentes committimus & mandamus, ut

poſtquam eundem Chriſtianum Ducem, abjuratis per eum hæreſibus, a cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis prædictis abſolveris, Eumque in gremium S. R. E. receperis & reconciliaveris, ipſum Chriſtianum Ducem, ſi id a Te humiliter petierit, ab inceſtus reatu, ac cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, per Eum, ob contractum & conſummatum, absque diſpenſatione Apoſtolica, matrimonium prænarratum, quovis modo incurſis, impoſita Ei arbitrio tuo aliqua pœnitentia ſalutari, in utroque pariter foro, dicta autoritate abſolvas & plenarie liberes. Præterea conſtituto tibi, quod prædictum matrimonium propter impedimentum dicti ſecundi gradus Conſanguinitatis, nulla ſedis Apoſtolicæ diſpenſatione ſublatum, nulliter, ut præfertur, contractum fuerit matrimonium, ipſum nullum penitus & invalidum fuiſſe & eſſe, ac propterea dictum Chriſtianum Ducem illius vinculo minime teneri, & ipſi Chriſtiano Duci aliud matrimonium cum aliqua Principiſſa, muliere Catholica tamen, nec ullo tamen ſibi jure prohibitum, publice ſervata forma Concilii ſolemniſare, & in eo poſtmodum permanere licere, autoritate prædicta declarare, prolem exinde ſuſcipiendam legitimam nuntiando. Nos enim plenam liberam & amplam præmiſſorum facultatem Tibi, authoritate prædicta pariter tribuimus & impertimur non obſtantibus Apoſtolicis ac univerſalibus, Provincialibusque ac Synodalibus Conciliis, Edictis, generalibus & ſpecialibus, Conſtitutionibus ac Ordinationibus, cæterisque con-

contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die ſexta Auguſti, Anno Domini 1663. Pontificatus Noſtri anno Nono.

S. Ugolinus.

Inſcriptio.

Venerabili Fratri Noſtro, Antonio Barberino, Epiſcopo Prænestinenſi, Cardinali Antonio nuncupato, S. R. E. Camerario.

XVI.

Literæ credentiales a CAROLO EMANUELE II. Sabaudiæ Duce, Dn. Malletto Internuntio ſuo, ad GUIDOBALDUM, Archi-Præſulem Saliſburgenſem, traditæ, 1664.

Carolus Emanuel, Dux Sabaudiæ, Guidobaldo, Archiepiſcopo & Principi Salzeburgenſi.

IN perſonam Celſitudinis Veſtræ Reverendiſſimæ quam juſti æquique amantem ſumma non minus prudentia, quam auctoritate pollere novimus, rerum noſtrarum fiduciam ac tutelam committere ea ratione decrevimus, qua Principem optime ſemper de Nobis, & rebus Noſtris meritum omni ſtudio, & obſervantia deinde proſequemur. Cum vero non dubitavimus, quin Celſitudo Veſtra Reverendiſſima juſtitiam cauſæ meæ luce clariorem amplecti, & efficacibus offi-

ciis fovere pro ſua humanitate dignaretur, circaque eam differentem Malletum Vaſallum, & Plenipotentiarium noſtrum benigne audire, eidemque quam rogamus, fidem adhibere. Cæterum perſuaſam ſummopere cupimus Celſitudinem VeſtramReverendiſſimam nos eidem pergrato animo, necnon ſincera & enixa excolendi ſui in nos amoris voluntati nusquam non adfuturos feliciſſimos ei eventus, & proſpera quæque augurantes. Auguſtæ Taurinorum 29. Aug. 1664.

XVII.

Litera LEGATORUM PRINCIPUM CIRCULI SAXONICI SUPERIORIS, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, de Erfurto vi occupato, & pangendis inde in certas conditiones pacis & mutua amicitiæ inter Electorem Moguntinum & Sereniſſimos Duces Saxoniæ reſtituenda legibus agentes, 1665.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex, Domine Clementiſſime.

MAjeſtati Veſtræ procul dubio in recenti memoria adhuc verſabitur, quid Menſe Septembri & Octobri ſuperioris anni Urbi Erfurtenſi acciderit; & quid tam a Majeſtatis Veſtræ fœderatis quam a reliquis proteſtantibus cum Excellentiſſimo Legato Gallico, Ratisbonæ verborum ſcriptionisque miniſterio de illa cauſa actum fuerit. Quorum repetitione Majeſtatis Veſtræ regias occupationes nos nunc interpellare nolumus. Dolemus tantum aſperioris fati vi eo extremitatis rem veniſſe

niſſe, ut tanto apparatu tantisque ſumtibus Reverendiſſimus Dominus Archi-Epiſcopus & Elector Moguntinus urbem illam cogendam ſuſceperit, cum alia remedia, minus tamen violenta ſuperfuerint, plebem frenandi & in ordinem redigendi: vel ſi ipſa univerſitas, cauſa cognita, Bannum Imperiale meruiſſe viſa fuiſſet, ſecundum leges Imperii, quæ in tali caſu exequendi rationem pleniſſime oſtendunt, a nemine niſi ab hoc Circulo, in quo hæc urbs manifeſte ſita eſt, executio peragenda fuiſſet, ita ut copias ſuas e tam remotis oris in Imperium mittere, Majeſtas Veſtra opus non habuiſſet. De Majeſtate quidem Veſtra, quam Pacis univerſalis, & uniuscujusque Jurium conſervandorum præclare ſtudioſam eſſe conſtat, nos perſuaſum habemus eam neque Imperii neque hujus Circuli Legibus, neque cujusquam Juribus miſſione auxilii Gallici præjudicare, aut eum in exemplum trahere, ſed potius unicuique priſca ſua Jura, ſecundum Conſtitutiones Imperii & Inſtrumentum Pacis ſarta tecta conſervare voluiſſe. Factum tamen fuit, ut urbe occupata ſupradictus Reverendiſſimus Dominus Elector ultra Executionem rerum judicatarum fortalitium novum in dicta Urbe moliretur, a Civibus juramentum ſubjectionis antehac inuſitatum exigeret, Urbem ipſam valido præſidio teneret, & alia nova ibi inſtitueret, ex quibus hujus Circuli ordines futuris temporibus periculum: Vicini vero præſertim Sereniſſimi Duces Saxoniæ, qui præter Protectionis Jus, multa ex ſummis Juribus, tam intra urbem, quam in illius

ditione poſſident, graviſſimum damnum metuere neceſſe habent. Cum igitur Sereniſſimorum Dominorum Principum & Clementiſſimorum Dominorum noſtrorum juſſu & mandato ſuper negotiis hujus Circuli deliberaturi conveniſſemus, nihil prius neque potius nobis viſum fuit, quam ut ſecuritatis & tranquillitatis publicæ primam curam haberemus, & ne quid detrimenti *res publica* hujus Circuli pateretur, & antequam *malum* ex ipſa neglectione viribus ſumtis ſerperet latius, & nimio ſui augmento olim contemneret remedia, ſummo ſtudio provideremus. Fuerunt autem plerique in ea ſententia, cauſæ Erffurtenſis non minimam rationem habendam, quo creſcentibus in dies ſuſpicionibus, & magis magisque erumpenti diffidentiæ obviam iretur, & uniuscujusque partis jura in tuto & certo conſtituerentur. Eam ob rem optima occaſio viſa fuit, amicabiles tractatus inter Reverendiſſimum Dominum Electorem & Sereniſſimam Domum Saxonicam dudum propoſitos, aſſumtis in uberiorem compoſitionis ſpem præcipuis nonnullis hujus Circuli Ordinibus promovere & enixe id agere, quo mutua amicitia & Concordiæ vinculum, inter Reverendiſſimum Electorem & hujus Circuli ordines conſervetur. Id vero Majeſtati Veſtræ reverenter ſignificandum duximus, & ſicuti non dubitamus, Majeſtatem Veſtram pacificum ejusmodi conſilium, firmandæque Concordiæ ſtudium libenti animo intellecturam, ita eandem ea, qua decet humillima animi ſubmisſione rogamus, ut dictos amicabiles tractatus Regio

gio ſuo favore proſequi, & pro ſumma, qua apud Reverendisſimum Electorem pollet, autoritate, Reverendisſimi Electoris animum diſponere dignetur, quo æquis utrinque conditionibus mature perficiantur, ſperantes, ſicuti armis Majeſtatis Veſtræ Urbs ſupradicta ſubacta fuit, ita non minus Conſilia illius ad felicem tractatuum ſucceſſum, & tollendas omnes ſollicitudinum cauſas proficua futura. Quod ſicuti Majeſtati Veſtræ glorioſum, ita Serenisſimis Principibus ac Clementisſimis Dominis noſtris imprimis gratum acceptumque erit. idque datis occaſionibus omni officiorum genere convenienter mereri ſtudebunt. Hisce Divinæ tutelæ Regiam Veſtram Majeſtatem committimus, Eidemque omnem ſimul proſperitatem Regiam a Deo Optimo Maximo adprecantes, humillima noſtra ſervitia devotisſimo animo offerimus atque ſiſtimus. Dabantur Lipſiæ, die 18. Febr. Anno 1665.

XVIII.

Litera MARIÆ ANNÆ, Reginæ & Gubernatricis Hiſpaniæ, ad GUIDOBALDUM, Archi-Epiſcopum Salisburgenſem, quibus ipſi ſe, mortuo Sereniſſimo conjuge ſuo, in Caroli II. Regis adhuc minorennis, filii ſui chariſſimi Tutricem & Regnorum ipſius Gubernatricem conſtitutam eſſe ſignificat, 1665.

Maria Anna Caroli II. Hiſpaniarum Regis Parens, Tutrix, Curatrix ac Regnorum Gubernatrix, Guidobaldo Archi-Epiſcopo & Principi Salisburgenſi.

ditione poſſident, graviſſimum damnum metuere neceſſe habent. Cum igitur Sereniſſimorum Dominorum Principum & Clementiſſimorum Dominorum noſtrorum juſſu & mandato ſuper negotiis hujus Circuli deliberaturi conveniſſemus, nihil prius neque potius nobis viſum fuit, quam ut ſecuritatis & tranquillitatis publicæ primam curam haberemus, & ne quid detrimenti res publica hujus Circuli pateretur, & antequam malum ex ipſa neglectione viribus ſumtis ſerperet latius, & nimio ſui augmento olim contemneret remedia, ſummo ſtudio provideremus. Fuerunt autem plerique in ea ſententia, cauſæ Erffurtenſis non minimam rationem habendam, quo creſcentibus in dies ſuſpicionibus, & magis magisque erumpenti diffidentiæ obviam iretur, & uniuscujusque partis jura in tuto & certo conſtituerentur. Eam ob rem optima occaſio viſa fuit, amicabiles tractatus inter Reverendiſſimum Dominum Electorem & Sereniſſimam Domum Saxonicam dudum propoſitos, aſſumtis in uberiorem compoſitionis ſpem præcipuis nonnullis hujus Circuli Ordinibus promovere & enixe id agere, quo mutua amicitia & Concordiæ vinculum, inter Reverendiſſimum Electorem & hujus Circuli ordines conſervetur. Id vero Majeſtati Veſtræ reverenter ſignificandum duximus, & ſicuti non dubitamus, Majeſtatem Veſtram pacificum ejusmodi conſilium, firmandæque Concordiæ ſtudium libenti animo intellecturam, ita eandem ea, qua decet humillima animi ſubmisſione rogamus, ut dictos amicabiles tractatus Re-

gio

gio ſuo favore proſequi, & pro ſumma, qua apud Reverendisſimum Electorem pollet, autoritate, Reverendisſimi Electoris animum diſponere dignetur, quo æquis utrinque conditionibus mature perficiantur, ſperantes, ſicuti armis Majeſtatis Veſtræ Urbs ſupradicta ſubacta fuit, ita non minus Conſilia illius ad felicem tractatuum ſucceſſum, & tollendas omnes ſollicitudinum cauſas proficua futura. Quod ſicuti Majeſtati Veſtræ glorioſum, ita Serenisſimis Principibus ac Clementisſimis Dominis noſtris imprimis gratum acceptumque erit, idque datis occaſionibus omni officiorum genere convenienter mereri ſtudebunt. Hisce Divinæ tutelæ Regiam Veſtram Majeſtatem committimus, Eidemque omnem ſimul proſperitatem Regiam a Deo Optimo Maximo adprecantes, humillima noſtra ſervitia devotisſimo animo offerimus atque ſiſtimus. Dabantur Lipſiæ, die 18. Febr. Anno 1665.

XVIII.

Literæ MARIÆ ANNÆ, Reginæ & Gubernatricis Hiſpaniæ, ad GUIDOBALDUM, Archi-Epiſcopum Salisburgenſem, quibus ipſi ſe, mortuo Sereniſſimo conjuge ſuo, in Caroli II. Regis adhuc minorennis, filii ſui chariſſimi Tutricem & Regnorum ipſius Gubernatricem conſtitutam eſſe ſignificat, 1665.

Maria Anna Caroli II. Hiſpaniarum Regis Parens, Tutrix, Curatrix ac Regnorum Gubernatrix, Guidobaldo Archi-Epiſcopo & Principi Salisburgenſi.

Repetita ſæpius a Dilectione Veſtra addictisſimi erga Sereniſſimum ac Potentisſimum quondam Regem Philippum, Dominum ac conjugem noſtrum dilectisſimum, obſervantisſimumque animi luculenta percepimus extitiſſe teſtimonia. Quæ quidem ipſam in gravisſimi ſummique, quo ex illius deplorabili e vivis deceſſu premimur, doloris partem venturam certo nos jubent ſperare. In quo ſane incomparabilis conflictu mœroris, unicum illud nec exiguum reperimus levamen, quod de hujus temporalis vitæ peregrinatione conjugem noſtrum charisſimum ad illuſtriorem, eamque non perituram in cœleſti patria coronam excipiendam, quaſi certis emigraſſe confidamus indiciis. At quum ultima ipſius voluntate Tutricem nos ac curatricem Serenisſimi ac Potentisſimi Regis Caroli ſecundi, charisſimi filii communis, ac proinde omnium ejus Regnorum ac Ditionum abſolutam Gubernatricem conſtituerit, ſinceram illam atque firmam, quam cum præfato Rege Domino noſtro colendisſimo exercuit amicitiam, ut ſimili conſtantia ac duratione in Dilectionis Veſtræ perſona ejusque Illuſtrisſima gente univerſa perpetuo vigeat, in optatis habemus. Illico enim de nobis debemus prædicare, nos in iis occaſionibus, ubi de ejus commodis agetur, a Dilectione Veſtra addictisſimas ſemper reperiendas. Deus Opt. Max. Dilectionem Veſtram ſervet incolumem, Madriti die 3. Octobris 1665.

XIX.

Literæ credentiales, quas MARIA ANNA, Hiſpa-

ſpaniarum Regina & Gubernatrix, DOMINO PAULO SPINOLÆ DORIÆ, ſuo ad Aulam Cæſaream Oratori, ad MAXIMILIANUM GANDOLPHUM, Archiepiſcopum Salisburgenſem, dedit, 1670.

Maria Anna Caroli II. Hiſpaniarum Regis Parens, Tutrix, Curatrix ac Regnorum Gubernatrix, Maximiliano Gandolpho, Archiepiſcopo & Principi Salzburgenſi.

DOminum Paulum Spinolam Doriam, Marchionem de los Baluaſes, ſelegimus, ut munus Legati Ordinarii apud Majeſtatem Imperatoris fratris Noſtri obeat. Ad quod nos impulerunt, tum ipſius merita, & præclara Nobilitas, tum reditus in Hiſpaniam, quem ex Noſtra facultate parat Comes de Caſtellar, qui eodem fungebatur officio. Præfato ergo Marchioni in mandatis dedimus, ut Dilectioni Veſtræ notum faciat, quam parato ſimus animo ad ea omnia peragenda, quæ grata, utiliaque Dilectioni Veſtræ noverimus. Quamobrem Dilectio Veſtra eidem pleniorem fidem tribuet in iis, quæ Noſtro nomine expoſuerit, ſimulque accipiet, quidquid repræſentandum conveniens viſum fuerit, nec dubitamus hunc noſtrum adminiſtrum id favoris, & gratiæ apud Dilectionem Veſtram obtenturum eſſe, quod par eſt noſtro ſtemmate, & præclaris dotibus conſpicuo. Deus Opt. Maximus Dilectionem Veſtram quam diutiſſime ſervet incolumem. Datum Madriti die 25. Menſis Julii 1670.

XX.

Litera CAROLI II. Hiſpaniarum Regis, ad MAXIMILIANUM GANDOLPHUM, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ipſi refert, ſe, expleto decimo quarto ætatis ſuæ anno, clavum Regiminis propria manu regendum ſuſcepiſſe, 1676.

Carolus II. Hiſpaniarum Rex, Maximiliano Gandolpho, Archiepiſcopo & Principi Salzburgenſi.

CUm quartum decimum noſtræ ætatis annum (Deo auſpice) compleverimus; atque adeo cum noſtrorum Regnorum, Dominiorumque Regimen jam teneamus, prout a Rege Patre noſtro & Domino (qui meliori vita potitur) fuit ſtabilitum, ad nos ſpectare autumavimus Veſtram Dilectionem illico de hac re certiorem reddere; nec non indicare, quam pronum ſemper noſtrum experietur animum, ad ſtudium nunquam intermittendi magnam cum Veſtra Dilectione amicitiam, atque arctam, ac mutuam officiorum viciſſitudinem, quæ cum Veſtra Dilectione noſtris interceſſit Prædeceſſoribus. Inſuper autem nihil Nobis antiquius, æſtimabiliusque erit, quam ſi plurima ſeſe offerat occaſio, unde Veſtra Dilectio experimentum faciat in votis nobis eſſe eidem placere, ſuamque apud nos perſonam, & domum maximæ eſſe æſtimationis. Deus Opt. Maximus Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Dabantur Madriti die 1. Dec. Anno Domini 1675.

XXI.

XXI.

Litera CAROLI II. Hiſpaniarum Regis ad MAXIMILIANUM GANDOLPHUM, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ſibi commoda ipſius cura ſemper cordique fore ſpondet, 1676.

Carolus II. Hiſpaniarum Rex, Maximiliano Gandolpho, Archiepiſcopo & Principi Salzburgenſi.

EX Dilectionis Veſtræ Litteris 24. Novembris proxime elapſi ſubſcriptis, per quas fauſta nobis Chriſti Domini natalitia auſpicatur, nec non aperta documenta præbet percepti animo ſuo gaudii ex eo, quod Regnorum noſtrorum gubernacula capeſſerimus, aperte cognovimus peculiarem Dilectionis Veſtræ affectum, quo Auguſtisſimam noſtram Domum proſequitur; quem utique magni facimus. Illud ergo pro comperto Dilectioni Veſtræ eſſe concupimus, hujuſcemodi ſuam erga nos propenſionem animo noſtro inhærentem perſtituram, quatenus Ipſi omnino deſpondeamus in rebus omnibus ad Dilectionis Veſtræ commoda attinentibus. Deus Opt. Max. Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Dabantur Madriti, die 30. Januarii 1676.

XXII.

Litera CAROLI II. Hiſpaniarum Regis, ad MAXIMILIANUM GANDOLPHUM, Archipræſulem Salisburgenſem, quibus ipſi ſe in throni tori-

torique ſui ſociam, Mariam Antoniam, Auſtriæ Archiducisſam elegiſſe nuntiat, 1676.

Carolus II. Hiſpaniarum Rex Maximiliano Gandolpho, Archiepiſcopo & Principi Salzburgenſi.

CUm eos jam (favente cæleſti Numine) adimpleverimus annos, qui Statui ineundo pares ſint; atque adeo eſſe ſolatio Noſtris regnis invigilemus Noſtram fulcitam ſobolem, atque propagatam videre innato ſtudio exoptantibus, deliberavimus, ac in hunc ſcopum collimantes elegimus Archiduciſſam Mariam Antoniam noſtram ex Sorore Neptem pro perſpicuis meritis, præclarisque quibus perfulget dotibus apud Nos in maxima æſtimatione, habitis. Id autem palam fieri ex nunc boni conſuluimus. At noſtræ vero amicitiæ vinculis inſpectis, quam integram incolumemq; erga Veſtram Dilectionem ſervamus, ac viciſſim experimur, operæ pretium duximus de hoc nuntio certiorem Ipſam reddere, quippe qui exiſtimamus id fore eidem magnæ lætitiæ pro indubitato Veſtræ Dilectioni pollicentes haut aliter Nobis eventurum, ſi plurima ſeſe offerat occaſio Veſtræ Dilectionis commodis voluptatique inſerviens. Deus Optimus maximus Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Dab. in Regio Cœnobio Noſtro Sancti Laurentii die 30. Septembris 1676.

XXIII.

Litera CAROLI II. Hiſpaniarum Regis, ad MAXIMILIANUM GANDOLPHUM, Archiepiſcopum Saliburgenſem, quibus ipſi fauſtos

fauſtos Chriſti Domini naſcentis gratulatur dies, 1677.

Carolus II. Hiſpaniarum Rex Maximiliano Gandolpho, Archiepiſcopo & Principi Salzeburgenſi.

EX Dilectionis Veſtræ literis 5. Novembris elapſi ſubſcriptis Nobis innotuit addictum ſui animi ſtudium, quo fauſtos Chriſti Domini naſcentis dies auſpicatur. Et viciſſim pro comperto aſſerere poſſumus, pari affectu eosdemmet Ipſi feliciſſimos deprecari, deſiderantes itidem plurimam ſeſe occaſionem offerre, quod Dilectionis Veſtræ menti firmiter inhæreat, in qua atteſtari experimento poſſimus, inprimis optatis nobis eſſe Ipſi conſulere ſuisque Votis omnino ſatisfacere. Deus Opt. Max. Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Dabantur Madriti, die 5. Februarii 1677.

XXIV.

Literæ ejusdem cum præinſertis argumenti, a CAROLO II. Hiſpaniarum Rege, ad MAXIMILIANUM GANDOLPHUM, Archiepiſcopum Salisburgenſem ſcripta, 1678.

Carolus II. Hiſpaniarum Rex, Maximiliano Gandolpho, Archiepiſcopo & Principi Salzeburgenſi.

DIlectionis Veſtræ Epiſtolam quarta elapſi Novembris datam valde grate accepimus; qua Nobis feſtivos Domini Natalitius dies fauſtos annuntiavit: quod cum Dilectionis Veſtræ erga res Augu-

Auguſtiſſimæ Domus, affectus ſit teſſera, illum animitus æſtimavimus: ac viciſſim his Dilectionem Veſtram ſcire voluimus, nos æquali deſiderio, ipſosmet illi dies, lætos ac felices optaſſe, tum ut cuncta ejus votis conſona eveniant, ſimul ac D. O. M. Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Dabantur Madriti, die Februarii Anno 1678.

XXV.

Litera CAROLI II. Hiſpaniarum Regis, ad ERNESTUM, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ipſi de adepta Archipræſulari dignitate animitus gratulatur, 1688.

Carolus II. Hiſpaniarum Rex Joanni Erneſto Archiepiſcopo & Principi Salzeburgenſi.

Acceptisſimæ Nobis fuerunt literæ Dilectionis Veſtræ 22. Aprilis datæ, cum non ſolum Nos de digniſſimâ Dilectionis Veſtræ ad Archiepiſcopatum Principatumque Salzeburgenſem electione & confirmatione reddant certiores, ſed indubia etiam Dilectionis Veſtræ erga nos affectus præbeant argumenta; Iis igitur, qua par eſt benevolentia reſpondentes, primo Dilectioni Veſtræ de adepta nova hac Dignitate ex animo gratulamur, tum Dilectioni Veſtræ maxime perſuaſum eſſe optamus, quo crebriores, eo ſemper Nobis gratiores fore occaſiones propenſisſimum erga Dilectionem Veſtram animum re ipſa teſtandi, quo ſimul

ſimul Dilectioni Veſtræ magis perſpectum reddamus, quam alte etiamnum memoriæ Noſtræ inſideant præclara Domus veſtræ erga Auguſtiſſimam merita. Cæterum Deus Opt. Max. Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Dabantur Matriti 12. Auguſti 1688.

XXVI.

Litera CAROLI XII. Svecorum Regis, ad MICHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni PoloniæPrimatem, quibus ipſi clare exponit, ſe pacem cum Republica Polona minime inire poſſe, niſi ipſa novo ſit prædita capite, 1702.

Nos Carolus Dei Gratia Svecorum &c.
Illuſtrisſimo ac Reverendisſimo
&c.

Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine Cardinalis, Archi-Epiſcope ac Primas, amice Nobis ſincere dilecte.

QUibus cauſis permoti, cum exercitu noſtro Varſaviam usque accederemus, confidimus Eminentiam Veſtram tanto minus latere poſſe, quanto pluribus antea documentis intentionem noſtram expoſuimus. Jam autem Nobis quanquam nihil magis in votis eſt, quam ut maturari posſint illa conſilia, quæ ad Salutem Veſtri Poloniæ Regni ſtabiliendam pertineant. Cum tamen videamus, hunc ſcopum non poſſe attingi, ſed inſta-

inſtabile ac imperfectum opus fore, quam diu absque capite Reſpublica gubernetur, quod fœdere inter nos renovando non posſit comprehendi; Ideo deſideramus, ut convocata Republica liberis ſuffragiis quantocyus Rex eligatur, cum quo ſimul atque univerſis Regni Ordinibus priſtinam redintegrare amicitiam posſimus, & de iis rebus tractare, unde uberrima in utrumque regnum commoda eſſe redundatura certi ſumus. De qua re Eminentiæ Veſtræ reſponſum quamprimum præſtolamur, ut conſilia deinceps tempori accommodata posſint capi. Interea Eminentiam Veſtram divinæ gratiæ commendatam quam proſperrime vivere optamus. Dabantur Pragæ ad Varſaviam die 24. Maji 1702.

Eminentiæ Veſtræ

Benevolus amicus

CAROLUS

C. Piper.

INDEX

INDEX

Omnium Epiſtolarum, quæ in hoc opere continentur.

I. *Denotat primam*, **II.** *ſecundam*, & **III.** *tertiam partem.*

A.

Achmedis III. Turcarum Imperatoris literæ, ad Auguſtum II. Poloniæ Regem III. p. 895
ad Petrum Czaarum & magnum Ducem Moſcoviæ III. 1038. 1041
Alexandri P. P. VII. literæ ad Bertuccium Valerium, Venetiarum Ducem, ejusdemque Reip. Senatum I. 696
ad Capitulum Monaſterienſe II. 395
ad Cardinalem Barberinum III. 1102. 1104
ad Chriſtophorum Bernhardum, Epiſc. Monaſterienſem II. 393
ad Clerum eccleſiæ Gallicanæ I 580
ad Joh Philippum Moguntinum & Maximilianum Henricum Colonienſem Electores II. 124
Alexandri & *Conſtantini*, Principum Joh. III. regiorum, literæ ad Michaelem Radziejovium III. 518
Annæ, Saxoniæ Electricis, literæ ad Franciſcum, Florentiæ Ducem I. 843.
Annæ, magnæ Britanniæ Reginæ, literæ ad Fridericum I. Boruſſiæ Regem III 911
ad Fridericum IV. Daniæ Regem III 934
ad Georgium Wilhelmum, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem III. 776. 900. 911
ad Joh. Wilhelmum, Electorem Palatinum III. 1068
ad Joſephum, Romanorum Imperatorem III 991
ad Leopoldum, Romanorum Imperatorem III. 770
ad Lotharium Franciſcum, Electorem Moguntinum III. 961. 998
ad Pagos Helvetiorum Evangelicos III. 772. 914
ad Proceres Sacri Romani Imperii III. 795. 885. 1006. 1079

Anſelmi Franciſci, Electoris Moguntini, literæ ad Carolum XI. Svecorum Regem III. 322
ad Jacobum II. Magnæ Britanniæ Regem III. 98.
ad Innocentium PP. XI. III. 5
Antonii Ulrici, Ducis Brunſuico-Luneburgenſis, literæ ad Annam, Magnæ Britanniæ Reginam III. 1082
Arbitrorum conficiendæ natæ de feudis Metenſibus controverſiæ cauſa in S. R. I. conſtitutorum, literæ ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem II. 1042
Aſcaniæ Principes, vid. *Chriſtianus I.*
Joachimus Erneſtus.
Joh. Georgius I.
Auguſti, Saxoniæ Electoris, literæ ad Alphonſum Caretum, Principem & Marchionem Finalii I. 825. 837. 839
ad Alphonſum II. Ducem Ferrarienſem I. 838
ad Annam Principem ex inclyta Regum Polonorum ſtirpe natam I. 816
ad Carolum Arragonium, Princ. Caſtelvetranum I. 845
ad Eliſabetham Angliæ Reginam I. 826. 829. 854
ad Emanuelem Philibertum, Sabaudiæ Ducem I. 813. 819. 841. 864
ad Franciſcum, *Hetruriæ Ducem* I. 842.
ad Genuenſis Reip. Ducem I. 866
ad Henricum III. Galliæ Regem I. 814. 820. 868
ad Henricum Julium, poſtulatum Epiſcopum Halberſtadienſem I. 835
ad Hugonem de Lubverdale, magnum hoſpitalis Hieroſolymitani magiſtrum I. 859
ad Johannem de Valetto, Hoſpitalis Hieroſolymitani Magiſtrum I. 18
ad Ordines regni Poloniæ I. 818
ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem I. 821
ad Sebaſtianum, Luſitaniæ Regem I. 823
ad Stephanum, Poloniæ Regem I. 831. 833. 853. 861. 862
ad Ducem Senatumque Venetum I. 847
ad Wilhelmum, Mantuæ Ducem I. 856
Auguſti II. Poloniæ Regis, literæ ad Achmedem III. Turcarum Imperatorem III. 1029
ad Carolum XII. Svecorum Regem III. 570. 633

ad

ad Caſimirum Sapieham, Palatinum Vilnenſem III.581
ad Chriſtianum V. Daniæ Regem III. 568. 930
ad Clementem PP. XI. 915. 917
ad Fridericum Boruſſiæ Regem & Electorem Brandenburgicum III. 610. 693. 695. 708. 898
ad Fridericum IV. Daniæ Regem III 862
ad Innocentium PP. XII. III. 579. 605
ad Joſephum Romanorum Imperatorem III. 928
ad Leopoldum, Roman. Imperatorem III. 562. 607. 625
ad Lubomirium, ſupremum exercitus regni Poloniæ Ducem III. 853
ad Ludovicum XIV, Galliæ Regem III. 628. 1014
ad Michaelem Radziejovium, Regni Poloniæ Primatem III. 584. 686. 804. 871. 884
ad Ordines Generales fœderati Belgii III. 753. 1023
ad Ordines Regni Poloniæ magnique Ducatus Lithuaniæ III. 565
ad Petrum Czarum & magnum Ducem Moſcov. III. 899
ad Dominos Sapiehas III. 763
ad Stanislaum Szembeck, Regni Poloniæ Primatem III. 1027
ad ſupremum Turcarum Imperatoris Vicarium III. 1032
Auſtriæ Archiduces, vid. *Carolus*. item *Maximilianus*.

B.

Bavariæ Dux vid. *Maximilianus*.
Elector vid. *Maximil. Emanuel*.
Belgii Ordines, vid. *Ordines*.
Bentivoglii (Guidonis) Cardinalis, literæ ad Stanislaum Lubienskium Epiſc. Plocenſem I. 982. 993. 998. 1003
Bethen (Gabrielis) Principis Tranſylvaniæ, literæ ad Bohemiæ Directores I. 123
Beuningii, Legati ad Regem Daniæ Belgici, literæ ad Dom. Wittium, generalium fœderati Belgii Ordinum graphiarum II. 13
Biörenklavii, Conſiliarii & Legati Svecici, literæ ad Hieronymum Radziowskium, Regni Poloniæ Vice-Cancellarium I. 625
ad Johannem Philippum Electorem Moguntinum II. 180

XX.

Litera CAROLI II. Hiſpaniarum Regis, ad MAXIMILIANUM GANDOLPHUM, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ipſi refert, ſe, expleto decimo quarto ætatis ſuæ anno, clavum Regiminis propria manu regendum ſuſcepiſſe, 1676.

Carolus II. Hiſpaniarum Rex, Maximiliano Gandolpho, Archiepiſcopo & Principi Salzburgenſi.

CUm quartum decimum noſtræ ætatis annum (Deo auſpice) compleverimus; atque adeo cum noſtrorum Regnorum, Dominiorumque Regimen jam teneamus, prout a Rege Patre noſtro & Domino (qui meliori vita potitur) fuit ſtabilitum, ad nos ſpectare autumavimus Veſtram Dilectionem illico de hac re certiorem reddere; nec non indicare, quam pronum ſemper noſtrum experietur animum, ad ſtudium nunquam intermittendi magnam cum Veſtra Dilectione amicitiam, atque arctam, ac mutuam officiorum viciſſitudinem, quæ cum Veſtra Dilectione noſtris interceſſit Prædeceſſoribus. Inſuper autem nihil Nobis antiquius, æſtimabiliusque erit, quam ſi plurima ſeſe offerat occaſio, unde Veſtra Dilectio experimentum faciat in votis nobis eſſe eidem placere, ſuamque apud nos perſonam, & domum maximæ eſſe æſtimationis. Deus Opt. Maximus Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Dabantur Madriti die 1. Dec. Anno Domini 1675.

XXI.

XXI.

Literæ CAROLI II. Hiſpaniarum Regis ad MAXIMILIANUM GANDOLPHUM, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ſibi commoda ipſius curæ ſemper cordique fore ſpondet, 1676.

Carolus II. Hiſpaniarum Rex, Maximiliano Gandolpho, Archiepiſcopo & Principi Salzburgenſi.

EX Dilectionis Veſtræ Litteris 24. Novembris proxime elapſi ſubſcriptis, per quas fauſta nobis Chriſti Domini natalitia auſpicatur, nec non aperta documenta præbet percepti animo ſuo gaudii ex eo, quod Regnorum noſtrorum gubernacula capeſſerimus, aperte cognovimus peculiarem Dilectionis Veſtræ affectum, quo Auguſtisſimam noſtram Domum proſequitur; quem utique magni facimus. Illud ergo pro comperto Dilectioni Veſtræ eſſe concupimus, hujuſcemodi ſuam erga nos propenſionem animo noſtro inhærentem perſtituram, quatenus Ipſi omnino deſpondeamus in rebus omnibus ad Dilectionis Veſtræ commoda attinentibus. Deus Opt. Max. Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Dabantur Madriti, die 30. Januarii 1676.

XXII.

Literæ CAROLI II. Hiſpaniarum Regis, ad MAXIMILIANUM GANDOLPHUM, Archipræſulem Salisburgenſem, quibus ipſi ſe in throni tori-

torique ſui ſociam, Mariam Antoniam, Auſtriæ Archiduciſſam elegiſſe nuntiat, 1676.

Carolus II. Hiſpaniarum Rex Maximiliano Gandolpho, Archiepiſcopo & Principi Salzburgenſi.

CUm eos jam (favente cæleſti Numine) adimpleverimus annos, qui Statui ineundo pares ſint; atque adeo eſſe ſolatio Noſtris regnis invigilemus Noſtram fulcitam ſobolem, atque propagatam videre innato ſtudio exoptantibus; deliberavimus, ac in hunc ſcopum collimantes elegimus Archiduciſſam Mariam Antoniam noſtram ex Sorore Neptem pro perſpicuis meritis, præclariſque quibus perfulget dotibus apud Nos in maxima æſtimatione, habitis. Id autem palam fieri ex nunc boni conſuluimus. At noſtræ vero amicitiæ vinculis inſpectis, quam integram incolumemq; erga Veſtram Dilectionem ſervamus, ac viciſſim experimur, operæ pretium duximus de hoc nuntio certiorem Ipſam reddere, quippe qui exiſtimamus id fore eidem magnæ lætitiæ pro indubitato Veſtræ Dilectioni pollicentes haut aliter Nobis eventurum, ſi plurima ſeſe offerat occaſio Veſtræ Dilectionis commodis voluptatique inſerviens. Deus Optimus maximus Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Dab. in Regio Cœnobio Noſtro Sancti Laurentii die 30. Septembris 1676.

XXIII.

Litera CAROLI II. Hiſpaniarum Regis, ad MAXIMILIANUM GANDOLPHUM, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ipſi fauſtos

fauſtos Chriſti Domini naſcentis gratulatur dies, 1677.

Carolus II. Hiſpaniarum Rex Maximiliano Gandolpho, Archiepiſcopo & Principi Salzeburgenſi.

EX Dilectionis Veſtræ literis 5. Novembris elapſi ſubſcriptis Nobis innotuit addictum ſui animi ſtudium, quo fauſtos Chriſti Domini naſcentis dies auſpicatur. Et viciſſim pro comperto aſſerere poſſumus, pari affectu eosdemmet Ipſi feliciſſimos deprecari, deſiderantes itidem plurimam ſeſe occaſionem offerre, quod Dilectionis Veſtræ menti firmiter inhæreat, in qua atteſtari experimento poſſimus, inprimis optatis nobis eſſe Ipſi conſulere ſuisque Votis omnino ſatisfacere. Deus Opt. Max. Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Dabantur Madriti, die 5. Februarii 1677.

XXIV.

Literæ ejusdem cum præinſertis argumenti, a CAROLO II. Hiſpaniarum Rege, ad MAXIMILIANUM GANDOLPHUM, Archiepiſcopum Salisburgenſem ſcripta, 1678.

Carolus II. Hiſpaniarum Rex, Maximiliano Gandolpho, Archiepiſcopo & Principi Salzeburgenſi.

DIlectionis Veſtræ Epiſtolam quarta elapſi Novembris datam valde grate accepimus; qua Nobis feſtivos Domini Natalitius dies fauſtos annuntiavit: quod cum Dilectionis Veſtræ erga res Augu-

Auguſtiſſimæ Domus, affectus ſit teſſera, illum animitus æſtimavimus: ac viciſſim his Dilectionem Veſtram ſcire voluimus, nos æquali deſiderio, ipſosmet illi dies, lætos ac felices optaſſe, tum ut cuncta ejus votis conſona eveniant, ſimul ac D. O. M. Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Dabantur Madriti, die Februarii Anno 1678.

XXV.

Litera CAROLI II. Hiſpaniarum Regis, ad ERNESTUM, Archiepiſcopum Salisburgenſem, quibus ipſi de adepta Archipræſulari dignitate animitus gratulatur, 1688.

Carolus II. Hiſpaniarum Rex Joanni Erneſto Archiepiſcopo & Principi Salzeburgenſi.

Acceptiſſimæ Nobis fuerunt literæ Dilectionis Veſtræ 22. Aprilis datæ, cum non ſolum Nos de digniſſimâ Dilectionis Veſtræ ad Archiepiſcopatum Principatumque Salzeburgenſem electione & confirmatione reddant certiores, ſed indubia etiam Dilectionis Veſtræ erga nos affectus præbeant argumenta; Iis igitur, qua par eſt benevolentia reſpondentes, primo Dilectioni Veſtræ de adepta nova hac Dignitate ex animo gratulamur, tum Dilectioni Veſtræ maxime perſuaſum eſſe optamus, quo crebriores, eo ſemper Nobis gratiores fore occaſiones propenſiſſimum erga Dilectionem Veſtram animum re ipſa teſtandi, quo ſimul

ſimul Dilectioni Veſtræ magis perſpectum reddamus, quam alte etiamnum memoriæ Noſtræ inſideant præclara Domus veſtræ erga Auguſtisſimam merita. Cæterum Deus Opt. Max. Dilectionem Veſtram ſervet incolumem. Dabantur Matriti 12. Auguſti 1688.

XXVI.

Litera CAROLI XII. Svecorum Regis, ad MICHAELEM RADZIEJOVIUM, Regni Poloniæ Primatem, quibus ipſi clare exponit, ſe pacem cum Republica Polona minime inire poſſe, niſi ipſa novo ſit prædita capite, 1702.

Nos Carolus Dei Gratia Svecorum &c.
Illuſtrisſimo ac Reverendisſimo
&c.

Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine Cardinalis, Archi-Epiſcope ac Primas, amice Nobis ſincere dilecte.

QUibus cauſis permoti, cum exercitu noſtro Varſaviam usque accederemus, confidimus Eminentiam Veſtram tanto minus latere poſſe, quanto pluribus antea documentis intentionem noſtram expoſuimus. Jam autem Nobis quanquam nihil magis in votis eſt, quam ut maturari posſint illa conſilia, quæ ad Salutem Veſtri Poloniæ Regni ſtabiliendam pertineant. Cum tamen videamus, hunc ſcopum non poſſe attingi, ſed inſta-

inſtabile ac imperfectum opus fore, quam diu abſque capite Reſpublica gubernetur, quod fœdere inter nos renovando non poſſit comprehendi; Ideo deſideramus, ut convocata Republica liberis ſuffragiis quantocyus Rex eligatur, cum quo ſimul atque univerſis Regni Ordinibus priſtinam redintegrare amicitiam poſſimus, & de iis rebus tractare, unde uberrima in utrumque regnum commoda eſſe redundatura certi ſumus. De qua re Eminentiæ Veſtræ reſponſum quamprimum præſtolamur, ut conſilia deinceps tempori accommodata poſſint capi. Interea Eminentiam Veſtram divinæ gratiæ commendatam quam proſperrime vivere optamus. Dabantur Pragæ ad Varſaviam die 24. Maji 1702.

Eminentiæ Veſtræ

Benevolus amicus

CAROLUS

C. Piper.

INDEX

INDEX
Omnium Epiſtolarum, quæ in hoc opere continentur.

I. *Denotat primam*, **II.** *ſecundam*, & **III.** *tertiam partem.*

A.

Achmedis III. Turcarum Imperatoris literæ, ad Auguſtum II. Poloniæ Regem III. p. 895
ad Petrum Czaarum & magnum Ducem Moſcoviæ III. 1038. 1041
Alexandri P. P. VII. literæ ad Bertuccium Valerium, Venetiarum Ducem, ejuſdemque Reip. Senatum I. 696
ad Capitulum Monaſterienſe II. 395
ad Cardinalem Barberinum III. 1102. 1104
ad Chriſtophorum Bernhardum, Epiſc. Monaſterienſem II. 393
ad Clerum eccleſiæ Gallicanæ I 580
ad Joh Philippum Moguntinum & Maximilianum Henricum Colonienſem Electores II. 124
Alexandri & *Conſtantini*, Principum Joh. III. regiorum, literæ ad Michaelem Radziejovium III. 518
Annæ, Saxoniæ Electricis, literæ ad Franciſcum, Florentiæ Ducem I. 843.
Annæ, magnæ Britanniæ Reginæ, literæ ad Fridericum I. Boruſſiæ Regem III 911
ad Fridericum IV. Daniæ Regem III 934
ad Georgium Wilhelmum, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem III. 776. 900. 911
ad Joh. Wilhelmum, Electorem Palatinum III. 1068
ad Joſephum, Romanorum Imperatorem III 991
ad Leopoldum, Romanorum Imperatorem III. 770
ad Lotharium Franciſcum, Electorem Moguntinum III. 961. 998
ad Pagos Helvetiorum Evangelicos III. 772. 914
ad Proceres Sacri Romani Imperii III. 795. 885. 1006. 1079

Anſelmi Franciſci, Electoris Moguntini, literæ ad Carolum XI. Svecorum Regem III. 322
ad Jacobum II. Magnæ Britanniæ Regem III. 98.
ad Innocentium PP. XI. III. 5
Antonii Ulrici, Ducis Brunſuico-Luneburgenſis, literæ ad Annam, Magnæ Britanniæ Reginam III. 1082
Arbitrorum conficiendæ natæ de feudis Metenſibus controverſiæ cauſa in S. R. I. conſtitutorum, literæ ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem II. 1042
Aſcaniæ Principes, vid. *Chriſtianus I.*
Joachimus Erneſtus.
Joh. Georgius I.
Auguſti, Saxoniæ Electoris, literæ ad Alphonſum Caretum, Principem & Marchionem Finalii I. 825. 837. 839
ad Alphonſum II. Ducem Ferrarienſem I. 838
ad Annam Principem ex inclyta Regum Polonorum ſtirpe natam I. 816
ad Carolum Arragonium, Princ. Caſtelvetranum I. 845
ad Eliſabetham Angliæ Reginam I. 826. 829. 854
ad Emanuelem Philibertum, Sabaudiæ Ducem I. 813. 819. 841. 864
ad Franciſcum, Hetruriæ Ducem I. 842.
ad Genuenſis Reip. Ducem I. 866
ad Henricum III. Galliæ Regem I. 814. 820. 868
ad Henricum Julium, poſtulatum Epiſcopum Halberſtadienſem I. 835
ad Hugonem de Lubverdale, magnum hoſpitalis Hieroſolymitani magiſtrum I. 859
ad Johannem de Valetto, Hoſpitalis Hieroſolymitani Magiſtrum I. 18
ad Ordines regni Poloniæ I. 818
ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem I. 821
ad Sebaſtianum, Luſitaniæ Regem I. 823
ad Stephanum, Poloniæ Regem I. 831. 833. 853. 861. 862
ad Ducem Senatumque Venetum I. 847
ad Wilhelmum, Mantuæ Ducem I. 856
Auguſti II, Poloniæ Regis, literæ ad Achmedem III. Turcarum Imperatorem III. 1029
ad Carolum XII, Svecorum Regem III. 570. 633
ad

ad Caſimirum Sapieham, Palatinum Vilnenſem III.581
ad Chriſtianum V. Daniæ Regem III. 568. 930
ad Clementem PP. XI. 915. 917
ad Fridericum Boruſſiæ Regem & Electorem Brandenburgicum III. 610. 693. 695. 708. 898
ad Fridericum IV. Daniæ Regem III 862
ad Innocentium PP. XII. III. 579. 605
ad Joſephum Romanorum Imperatorem III. 928
ad Leopoldum, Roman. Imperatorem III. 562. 607. 625
ad Lubomirium, ſupremum exercitus regni Poloniæ Ducem III. 853
ad Ludovicum XIV, Galliæ Regem III. 628. 1014
ad Michaelem Radziejovium, Regni Poloniæ Primatem III. 584. 686. 804. 871. 884
ad Ordines Generales fœderati Belgii III. 753. 1023
ad Ordines Regni Poloniæ magnique Ducatus Lithuaniæ III. 565
ad Petrum Czaarum & magnum Ducem Moſcov. III. 899
ad Dominos Sapiehas III. 763
ad Stanislaum Szembeck, Regni Poloniæ Primatem III. 1027
ad ſupremum Turcarum Imperatoris Vicarium III. 1032
Auſtriæ Archiduces, vid. *Carolus*. item *Maximilianus*.

B.

Bavariæ Dux vid. *Maximilianus*.
Elector vid. *Maximil. Emanuel*.
Belgii Ordines, vid. *Ordines*.
Bentivoglii (Guidonis) Cardinalis, literæ ad Stanislaum Lubienskium Epiſc. Plocenſem I. 982. 993. 998. 1003
Bethen (Gabrielis) Principis Tranſylvaniæ, literæ ad Bohemiæ Directores I. 123
Beuningii, Legati ad Regem Daniæ Belgici, literæ ad Dom. Wittium, generalium fœderati Belgii Ordinum graphiarum II. 13
Biörenklavii, Conſiliarii & Legati Svecici, literæ ad Hieronymum Radziowskium, Regni Poloniæ Vice-Cancellarium I. 625
ad Johannem Philippum Electorem Moguntinum II. 180

Bohemiæ Ordinum literæ ad Sigiſmundum III. Poloniæ Regem I. 116
Brandenburgici Electores vid. *Fridericus VVilhelmus.*
Fridericus I.
Brandenburgicorum Deputatorum literæ ad Deputatos Suecicos II. 75
Brandenburgicorum Legatorum literæ ad Uladislaum Naglovice Rey, Polonicum in tradenda Elbinga commiſſarium II. 244
Bremenſis Civitatis Senatus literæ ad Carolum Guſtavum, Svecorum Regem I. 524
Bruinii, Legati Hiſpanici, literæ ad S. R. I. Principum & Statuum Legatos pacis tractatibus in Weſtphaliæ conſummandis deſtinatos I. 408
a Brunicx, (Georgii Hamel) ablegati General. Fœderati Belgii Ordinum ad Imperatorem extraordinarii, literæ ad Ordines Regni Hungariæ evangelicos II. 949
Brunſuico - Luneburgenſium Ducum literæ ad Carolum II. Angliæ Regem II. 1046
ad Carolum II. Hiſpaniarum Regem II. 476
vid. *Antonius Ulricus.*
Georgius Ludovicus.
Georgius VVilhelmus.
Bülovii (Bartholdi Hartwigii) primarii Thorunienſis gubernatoris, literæ ad Nicolaum Prazmovium, ſupremum regni Poloniæ Cancellarium II. 1004. 1007

C.

Camerarii, Legati Svecici, literæ ad ordines fœderati Belgii I. 180
Cancellarii Supremi Regni Poloniæ literæ ad ſupremum magni Ducatus Lithuaniæ Cancellarium II. 712. Reſponſum II. 715
ad Emericum Comitem a Töckely III. 48
Cantonum Helvetiæ Evangelicorum literæ ad Guilielmum III. magnæ Britanniæ Regem III. 458. 520
ad Annam, Magnæ Britanniæ Reginam III. 773
Capituli eccleſiæ metropolitanæ Moguntinæ literæ ad Innocentium PP. XII. III. 495

Colo-

Colonienſis, vid. *Colonienſis.*

Caraffa (Caroli de) Epiſcopi Averſani, literæ ad Archiepiſcopum de Patraſſo I. 165

Cardinalium Collegium, vid. *Collegium.*

Caroli I. Magnæ Britanniæ Regis, literæ ad Comites Wetteraviæ I. 972

ad Philippum Ludovicum Comitem Hanov. I 973

Caroli II. Magnæ Britanniæ Regis, literæ ad Carolum XI. Svecorum Regem II. 663. 809. 1014

ad Carolum Ludovicum, Electorem Palatinum II 415

ad Chriſtianum V. Daniæ Regem II. 811. 824

ad Ferdinandum III. Rom. Imperatorem I. 478

ad Fridericum III. Daniæ Regem II. 251

ad Fridericum Wilhelmum, Elector. Brandenb. II 667

ad Georgium Wilhelmum, Ducem Luneb. II. 962. 894

ad Joh. Georgium I. Electorem Saxoniæ I. 461. 507

ad Joh. Georgium II. Electorem Saxoniæ II. 451 527 529. 531. 533. 568. 569. 612- 613. 687. 695. 737

ad Joh. Georgium III. Electorem Saxoniæ II. 917 969. III. 95

ad Leopoldum Rom. Imperatorem II. 429. 800 815 834. 836. III. 24

ad Michaelem Poloniæ Regem II. 563

ad Ordines generales fœderati Belgii II. 433

ad Senatum Coloniæ Agrippinæ II. 702

ad Status S. R. Imperii II. 910

Caroli II. Hiſpaniarum Regis, literæ ad Erneſtum Archi-Epiſcopum Saliſburgenſem III. 1118

ad Joh. Georgium IV. Electorem Saxoniæ II. 346

ad Joh. Guilielmum, Electorem Palatinum III. 383.

ad Maximilianum Gandolphum, Archi-Epiſcopum Saliſburgenſem III. 1114 1115. 1116. 1117

ad S. R. I. Electores, Principes & Status II. 486

Caroli V. Rom. Imp. literæ ad Johannem Oſnabrucenſem Cameræ Imperalis Spirenſis Præſidem & Aſſeſſores I. 769

Caroli IX. Sueciæ Regis, literæ ad Joh. Zamoiſcium I. 935 940

Caroli Guſtavi, Sueciæ Regis, literæ ad Electores, Principes & Status S. R. I. II. 25.52.182
ad Ferdinandum III. Rom. Imperatorem I.564.583
ad Fridericum III. Daniæ Regem II.986.999
ad Fridericum Wilhelmum, Elector Brandenb. I. 593
ad Jacobum, Curlandiæ Ducem I. 560
ad Johannem Caſimirum, Poloniæ Regem I. 520,1051
ad Joh. Georg. I. Electorem Saxoniæ I. 528
ad Johannem Georgium II. Saxoniæ Electorem II. 61
ad Johann. Philippum Elect. Moguntinum I. 730. II. 50
ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem I. 1050. II. 87
ad Ordines generales fœderati Belgii I. 529. II. 81. 94
ad Philippum Meadowe, Anglicum Internuncium II. 5
Caroli XI. Sueciæ Regis, literæ ad Anſelmum Franciſcum, Electorem Moguntinum III. 323
ad Carolum II. magnæ Britanniæ Regem II. 652.660
ad Carolum Ludovicum, Electorem Palatinum II. 370
ad Friderium Wilhelmum, Electorem Brandenburgicum II. 757. 851
ad Guſtavum Adolphum, Ducem Megapol. II. 261
ad Johannem Caſimirum, Poloniæ Regem II. 215. 219
ad Johannem Georgium II. Electorem Saxoniæ II.208 456.893
ad Joh. Georgium III. Electorem Saxoniæ II. 102. 109 156,161. 221
ad Johannem Philippum, Electorem Moguntinum II. 375. 680
ad Leopoldum, Rom. Imperatorem II. 356.407.435.719 768. III. 204. 216
ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem II. 64. 372. 657
ad Ordines generales fœderati Belgii II, 204. 776
ad Petrum Julium Cojetum, Legatum ſuum Hagæ Comitum ſubſiſtentem II. 210
ad Proceres S. R. I. Francofurti ad Mœnum congregatos II. 224. in Comitiis Ratisbonenſibus congregatos II.784
Caroli XII. Suecorum Regis, literæ ad Annam, Magnæ Britanniæ Reginam III. 800
ad Auguſtum II. Poloniæ regem III. 634

ad

ad Corpus per S. R. I. Evangelicum III. 571
ad Eleonoram Magdalenam Thereſiam, Roman. Imperatricem III. 1066
ad Fridericum Auguſtum, Electorem Saxoniæ III. 539
ad Fridericum I. Boruſſiæ Regem III. 966
ad Joſephum, Romanorum Imperatorem III. 922 956. 1037
ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem III. 647
ad Michaelem Radziejovium, Regni Poloniæ Primatem II. 1119
ad Senatum Civitatis Bremenſis III. 963
ad Stanislaum Leſczinium, neo-electum Regem III. 907
ad Status Sacri Romani Imperii III. 656
Caroli, Archi-Ducis Auſtriæ & Epiſcopi Vratislavienſis, literæ ad Laurentium, Regni Pol. Primatem I. 945. 950
Caroli, Sudermanniæ Ducis, literæ ad Ordines Regni Poloniæ I. 912
Caroli Emanuelis I. Duc. Sabaudiæ, literæ ad Chriſtianum II. Electorem Saxoniæ I. 94. 96. 97. 99
ad Johannem Georgium I. Electorem Saxoniæ I. 110 112
ad Magdalenam Sibyllam, Saxoniæ Electricem I. 111
ad Auguſtum Principem Saxoniæ I. 101
Caroli Emanuelis II. Ducis Sabaudiæ, literæ ad Guidobaldum, Archi-Præſulem Salisburgenſem III. 1107
ad Jo. Georgium I. Electorem Saxoniæ I. 437 579
Caroli Ferdinandi, Principis Regii, literæ ad fratrem Joh. Caſimirum R. Poloniæ I. 1014
Caroli Gonzagæ, Ducis Nivernenſis, literæ ad Conſiliarios & Status Iuliacenſes I. 106
Caroli Leopoldi, Lotharingiæ Ducis, literæ ad Joh. III. Poloniæ Regem III. 19
Caroli Ludovici, Electoris Palatini, literæ ad Carolum XI. Sueciæ Regem II. 427
ad Mariam Suſannam a Degenfeld I. 700. 701. 702
Caſtanoga, (Marchionis de) Hiſpanici per Belgium Vicarii, literæ ad Joh. Georgium III. Saxoniæ Electorem III. 244

Caſtell Rodrigo (Marchionis de) Hiſpanici in Belgio Vicarii, literæ ad Generales Fœderati Belgii Ordines I. 386
Chmielnicii, Senioris exercitus Zaporoſcenſis, literæ ad Uladislaum IV. Regem Poloniæ I. 1010
Chriſtiani I. Electoris Saxoniæ, literæ ad Alphonſum II. Ferrariæ Ducem I 852.
ad Carolum Emanuelem, Ducem Sabaudiæ I. 858 867. 871. 873
ad Eliſabetham Angliæ Reginam I. 78
ad Franciſcum magnum Hetruriæ Ducem I. 844. 875
ad Henricum Navarræ Regem I. 870. 876
ad Mauritium Haſſiaci Landgraviatus Principem I. 878
Chriſtiani I Principis Anhaltini, literæ ad Eliſabetham Angliæ Reginam I. 57. 82
Chriſtiani IV. Daniæ Regis, literæ ad Ludovicum XIII. Galliæ Regem I. 254
ad Claudium de Meſmes, Legatum Gallicum I. 334. 358. 368
Chriſtiani V. Daniæ Regis, literæ ad Carolum II. Angliæ Regem II. 856
Chriſtiani Alberti, Ducis Holſato-Gottorpienſis, literæ ad Carolum II. Angliæ Regem II. 862
Chriſtiani VVilhelmi, Archi-Epiſcopi Magdeburgenſis, literæ ad Sigismundum Poloniæ Regem I. 178
Chriſtinæ, Suecorum Reginæ, literæ ad Annam Mariam Mauritiam, Galliæ Reginam I. 395
ad Electores S. R. I. Ratisbonæ de eligendo Rom. Rege occupatos I. 497
ad Electorum, Principum & Statuum S. R. I. Legatos I. 297. 402
ad Eliſabetham, Friderici V. Electoris Palatini viduam I. 264
ad Ferdinandum III. Rom. Imperatorem I. 456. 464. 482
ad Fridericum, Archi-Epiſcopum Bremenſem I. 1006
ad Fridericum III. Ducem Holſato-Gottorpienſem I 512
ad Johannem III. Poloniæ Regem III. 39

ad Joh.

ad Joh. Georgium I. Saxoniæ Electorem I. 223
ad Ludovicum XIII. Galliæ Regem I. 261
ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem I. 392
ad Julium Mazarinum I. 397
ad Ordines generales fœderati Belgii I. 425
ad Principes & Status S. R. Imp. I. 501
Chriſtophori, Principis Radzivilii, literæ ad Senatum Rigenſem I. 141
Circuli Franconici, literæ ad Ludovicum XIV. Galliæ R. III. 659. 749. 768. 786
ad Annam Angliæ Reginam III. 1081
Circuli Saxonici ſuperioris literæ ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem III. 1108
Circuli Suevici literæ ad Carolum XI. Suecorum R. III. 523
ad Magiſtratum Civitatis Genevenſis III. 486
ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem III. 386. 751. 786
Circulorum VI. ad Rhenum literæ ad Guilielmum III. Magnæ Britanniæ Regem III. 527
ad Generales Fœderati Belgii Ordines III. 531
Clementis P. P. IX. literæ ad Joh. Caſimirum, Poloniarum Regem II. 509. 512
ad Michaelem Poloniæ Regem II. 548
Clementis P. P. IX. literæ ad Aloyſium, Patriarcham Alexandrinum II. 829
ad Claudiam Felicitatem, Rom. Imperatricem II. 831
ad P. Gravinam, Regulæ Dominici addictum II. 635
ad Leopoldum Rom. Imperatorem II. 837
Clementis P. P. XI. literæ ad Archi-Epiſcopos & Epiſcopos regni Poloniæ III. 823. 924. 1020
ad Eleonoram Magdalenam Thereſiam Rom. Imperatricem III. 1071
ad Johannem Baptiſtam Epiſcopum Tarſenſem, & ſedis Apoſtolicæ ad tractum Rheni Nuncium III. 993
ad Franciſcum Ludovicum, Supremum per Germaniam Ordinis Teutonici Magiſtrum III. 728
ad Joſephum R. Imperatorem III. 957. 970
ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem III. 724. 797
ad Michaelem Radziejovium, Regni Poloniæ Primatem III. 725. 727. 732

ad Ordines Pagorum per Helvetiam Catholicorum III. 759
ad Petrum Czaarum & Magnum Ducem Moſcoviæ III. 964
ad Zaluskium, Epiſcopum Plocenſem III. 734. 861
Collegii Cardinalium, literæ ad Aloyſium Jacobellum III. 283
ad Anſelmum Franciſcum, Electorem Moguntinum III. 296
ad Antonium Caraffam, Supremum S. Cæſ. Maj. Commiſſarium III. 289
ad Cardinales intra Italiam ſubſiſtentes III. 264
ad Cardinales extra Italiam viventes III. 269
ad Cardinales in Italia Legatorum munere fungentes III. 266
ad Cardinales extra Italiam in aulis Imperatoris & Regum verſantes III. 268
ad Carolum II. Hiſpaniarum Regem III. 256
ad Caſtellanos arcium III. 283
ad Franciſcum Maurocenum, Venetiarum Ducem III. 271
ad Franciſcum Tuccium, Nunciaturæ Germanicæ auditorem III. 292
ad Gubernatores Provinciarum & Vice-Legatos III. 280
ad Gubernatores Civitatum III. 281
ad Gubernatores in patrimonio Petri III. 282
ad Iacobum II. Magnæ Britanniæ Regem III. 259
ad Inquiſitorem Melitenſem III. 279
ad Iohannem III. Poloniæ Regem III. 262
ad Johannem Erneſtum, Archiepiſcopum Salisburgenſem III. 304
ad Johannem Hugonem, Electorem Trevirenſem III. 297
ad Joſephum ut Hungariæ Regem III. 254
ut Imperatorem III. 977
ad Joſephum Clementem, Electorem Colonienſem III. 299
ad Leopoldum Rom. Imperatorem III. 252. 287. 294. 306

ad Livium Odeſalcum, Ceræ Ducem III. 286
ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem III. 257
ad Magiſtratum & Concilium Civitatis Ferrarienſis III. 291
ad Maximilianum, Electorem Bavariæ III. 301
ad Nuncios Apoſtolicos in aulis regum reſidentes III. 278
ad Petrum, Luſitaniæ regem III. 261
ad Philippum Guilielmum Elector. Palatinum III. 303
ad Quadraginta Viros civitatis Bononiæ III. 276
ad Rempublicam Januenſem III. 284
ad Comitem S. Stephani, Pro-Regem Neapolis III. 275
ad Victorem Amadeum II. Sabaudiæ Ducem III. 273
Collegii Electoralis, literæ ad Carolum II. Magnæ Britanniæ Regem III. 62
ad Ludovicum XIII. Galliæ Regem I. 184
ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem II. 19
ad Philippum IV. Hiſpaniarum Regem II. 17
vid. *Status.* item *Conſentus.*
Colonienſes Electores: vid. *Gebhardus.*
Maximilianus Henricus.
Colonienſis Capituli literæ ad Innocentium Papam XI. III. 193
Colonienſis Civitatis literæ ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem II. 704
Commiſſariorum Polonicorum, literæ ad Carolum XII. Sueciæ Regem III. 891
ad Comitem a Piper, Supremum Regis Sueciæ Cancellarium III. 892
ad Joh. Caſimirum R. Poloniæ I. 704
Concilii Status Reip. Angliæ, literæ ad Ferdinandum II. Magnum Hetruriæ Ducem I. 462. 469
ad Fidericum III. Ducem Holſato-Gottorpienſem I. 508
ad Ducem Senatumque Venetum I. 445
vid. *Parlamentum.*
Conſiliariorum regni Sueciæ, literæ ad Electorum, Principum & Statuum S. R. I. Legatos I. 308
Conſentus Electoralis, Francofurti ad Mœnum inſtituti, literæ ad Carolum Guſtavum, Regem Sueciæ II. 22

ad Joh.

ad Joh. Caſimirum Regem Poloniæ II,20
vid. *Collegium*.
Coſmi III. magni Hetruriæ Ducis, literæ ad Joh. Georgium II. Electorem Saxoniæ II. 887
ad Joh. Georgium III. Elect. Saxoniæ III.12.14.197.334
Coutinii, Legati Luſitanici, literæ ad Statuum S. R. I. Ratisbonæ congregatos Deputatos I. 324
Cracovienſis Epiſcopi, literæ ad Georgium Lubomirskium, Regni Poloniæ Mareſcallum II. 364
Cromwellii (Oliverii) Protectoris Reip. Angliæ, ad Alexium Michaelowitzium, magnum Ruſſiæ Ducem I. 726
ad Alphonſum VI. Luſitaniæ Regem II. 78
ad Antonium Guntherum, Comitem Oldenburgicum I. 517. 519
ad Bremenſem Senatum I. 533. 748
ad Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem I. 547
ad Carolum Guſtavum, Regem Sueciæ I. 522. 531. 552. 613. 634. 655. 674. 685. 745. II. 9. 71
ad Civitates Helvetiorum Evangelicas I. 558. 611. II. 42
ad Ferdinandum II. magnum Etruriæ Ducem I. 754. 763. II. 11. 65
ad Fridericum III. Daniæ Regem I. 554. 692. 1061
ad Fridericum III. Ducem Holſato-Gottorpienſem I. 753
ad Fridericum Wilhelmum, Electorem Brandenburgicum I. 746. 755
ad Gedanenſis reip. Conſules & Senatores I. 725
ad Genevenſis Civitatis Conſules & Senatores I. 562
ad Guilielmum VI. Haſſiæ Landgravium I. 715
ad Hamburgenſes Conſules & Senatores I. 688. 750. 751. 752
ad Jacobum Curlandiæ Ducem I. 717.
ad Johannem IV. Luſitaniæ Regem I. 654. 676. 678. 684. 686. 1063
ad Leopoldum Auſtriæ Archiducem & Provinciarum Belgicarum Præſidem II. 79
ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem I. 574. 607. 635. 664. 682. 690. II. 39. 45. 47. 68
ad Lubecenſes Conſules & Senatores I. 751
ad Ma-

ad Mazarinum Cardinalem I. 576. 666. II. 46. 48.70
ad Miranum Comitem, primarium Status in Luſitania miniſtrum I. 1069
ad Ordines generales fœderati Belgii I. 556. 637. 668. 680. 759. 761. 762. 1067
ad Ordines Zelandiæ I. 514
ad Ragoczium II. Tranſylvaniæ Principem I. 550
ad Venetiarum Ducem I. 605. 757
Cromwellii (Richardi) Protect. Reip. Angliæ literæ ad Alphonſum VI. Luſitaniæ Regem II. 140
ad Carolum Guſtavum Sueciæ Regem II. 103. 105. 106. 126
ad Fridericum III. Daniæ Regem II. 147
ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem II. 93. 138
ad Mazarinum II. 102. 139. 144
ad Poteſtates orientalis Friſiæ II. 125
Czar, vid. *Petrus*.
Czarnecii, ſummi Præſidii Cracovienſis Præfecti, literæ ad Carolum Guſtavum Svecorum regem I 1054

D.

Daniæ Reges, vid. *Chriſtianus IV.*
Chriſtianus V.
Fridericus III.
Fridericus IV.
Daniæ regni Senatorum literæ ad regni Sueciæ Senatores I. 658
Danici Mareſcalli literæ ad Philippum Meadowium II. 135
Danicorum Plenipotentiariorum literæ ad Plenipotentiarium Anglicum II. 889
de Degenfeld Baroniſſa, vid. *Maria Suſanna*.
Digbii, Oratoris Anglici, literæ ad Maximilianum Ducem Bavariæ I. 155

E.

Eleonora, Reginæ Poloniæ, literæ ad Carolum II. Hiſpaniarum Regem II. 738
Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ, Rom. Imperatricis, literæ ad Carolum XII. Svecorum Regem III. 1064

Eliſabethæ, Angliæ Reginæ, literæ ad Chriſtianum I. Electorem Saxoniæ I. 54. 72
ad Chriſtianum I. Principem Anhaltinum I. 55. 63 75. 77
ad Johannem Fridericum II. Ducem Saxoniæ III. 1084
ad Johannem Georgium I. Principem Anhalt. I. 65. 85
ad Rudolphum II. Romanorum Imperatorem III. 1089
Emanuelis Philiberti, Sabaudiæ Ducis, literæ ad Auguſtum Electorem Saxoniæ I. 17
Epiſcoporum Poloniæ literæ ad Clementem P.P. IX. II. 543
ad Cardinalem regni Poloniæ comprotectorem II. 544
ad Nuntium Apoſtolicum III. 975
Erfordienſis Senatus & Communitatis literæ ad Carolum XI. Svecorum regem II. 303. 338
Erici XIV. Sveciæ Regis, literæ ad Eliſabetham Angliæ Reginam III. 1086
Eſterhaſii, Palatini Hungariæ, literæ ad Vice-Comitem Comitatus Veſprimenſis III. 802
Exercitus Polonici, nexu fœderatitio vincti, literæ ad Ludovicam Mariam reginam Poloniæ II. 1016
Eugenii Franciſci, Ducis Sabaudiæ, literæ ad Mehemeth Paſcham, ſupremum Turcarum Imp. Vicarium III. 1061

F.

F*Erdinandi I.* Rom. Imp. literæ ad Julium Epiſcopum Naumburgenſem I. 77
ad Pium Papam IV. I. 777. 782. 796
Ferdinandi II. Rom. Imp. literæ ad Balthaſarem Zunigam I. 158
ad Johannem Digbyum, Oratorem Anglicanum I. 170
ad Philippum IV. Hiſpaniæ Regem I. 176
Ferdinandi III. Rom. Imperatoris literæ ad Carolum Guſtavum, Sveciæ Regem I. 573. 585
ad Chriſtianum IV. Daniæ Regem I. 337
ad Chriſtinam Suecorum Reginam I. 493
ad Ferdinandum, Infantem Hiſpaniæ I. 317. 332
ad Joh. Caſimirum, Regem Poloniæ I. 591
ad Urbanum IIX. PP. Romanum I. 278
ad Wolfgangum Wihelmum, Comitem Palat. I. 1041
literæ ſalvi conductus Suecicis fœderatis datæ I. 281

Ferdi-

Ferdinandi, Ducis Saganenſis, literæ ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem III. 604
Frangepanii literæ ad Leopoldum Rom. Imperat. II. 615
Friderici, Archipræſulis Bremenſis, literæ ad Chriſtinam Svecorum reginam I. 1008
Friderici I. regis Boruſſiæ, & Elect. Brandenb. literæ ad Auguſtum II. Poloniæ regem III. 608. 620. 709. 930
ad Carolum XI. Svecorum regem III 475
ad Georg. Towianskium, Palatin. LancicienſemIII. 720
ad Giulielmum III. magnæ Brit. regem III. 308
ad Michaelem Radziejovium, Poloniæ Primatem III. 612. 706. 927
Friderici III. Daniæ regis, literæ ad Carolum Guſtavum, Svecorum regem II. 988
ad Joh. Caſimirum, Poloniæ Regem II. 142
ad Ordines Generales fœderati Belgii II. 165
ad Ordines Hollandiæ & occidentalis Friſiæ I. 1022
ad Magiſtratum Civitatis Amſtelodamenſis I. 1024
ad Richardum Cromwellium, Anglicanæ reip. Protectorem II 128
ad Simonem de Pettekum, negotiorum ſuorum in Anglia procuratorem II. 1001
ad Stephanum in Czarnca Czarniecki, exercituum regis Poloniæ Generalem II. 1012
ad Petrum Wibbium, Præfectum Nidroſienſem II. 985
Friderici IV. Daniæ regis, literæ ad Annam, Magnæ Britanniæ reginam III. 935
ad Auguſtum II. regem Poloniæ III. 865
Friderici IV. Ducis Holſato-Gottorpienſis, literæ ad Ludovicum XIV. Galliæ regem III. 699
Friderici V. Electoris Palatini, literæ ad Philippum III. reg. Hiſpaniarum I. 123
Friderici Auguſti, Electoris Saxoniæ, literæ ad Carolum II. Hiſpaniarum regem III. 418. 491. 535
ad Carolum XII. Suecorum regem III. 542
ad Coſmum III. magnum Hetruriæ Ducem III 478
ad Guilielmum III. magnæ Britanniæ regem III 423. 424. 460. 474. 477. 499. 545
ad Johannem III. Poloniæ regem III. 445. 464

ad Ducem Senatumque Venetum III. 539.547
vid. *Auguſtus II.*
Friderici VVilhelmi, Electoris Brandenb. literæ ad Carolum II. Hiſpaniarum regem II.674.918
ad Carolum XI. regem Sueciæ II. 753. 847
ad Rich. Cromwellium, reip. Angliæ Protectorem II. 107
ad Guilielmum III. magnæ Britanniæ regem III. 308
ad Joh. Caſimirum regem Poloniæ I. 649. II. 235. 248.335. 449
ad Johannem III. Poloniæ regem III. 131
ad Comitem a Königsmarck II. 1052
ad Ludovicum XIV. Galliæ regem II. 96
ad Victorem Amadeum Sabaudiæ Ducem III. 128
Friderici VVilhelmi, Electoratus Saxonici Adminiſtratoris, literæ ad Henricum IV. Galliæ regem I.920
ad Sigismundum III. Poloniæ Regem I. 893. 894
Furſtenbergii, Epiſcopi Paderbornenſis, literæ ad Cardinalem Altierium II.615
ad Clementem PP. X. II. 689

G.

GAlliæ reges, vid. *Henricus IV.*
Ludovicus XIII.
Ludovicus XIV.
Gebhardi, Electoris Colonienſis, literæ ad Georgium XIII. PP. I. 27
Gedanenſis Magiſtratus literæ ad Abbatem de Polignac III. 548
Georgii II. Landgravii Haſſiaco-Darmſtadienſis, literæ ad Carolum I. Angliæ regem I. 202
Georgii Ludovici, Electoris Hannoverani, literæ ad Annam magnæ Britanniæ reginam III. 779. 782. 783. 784
ad Carolum III. Hiſpaniarum regem III. 1077
ad Proceres S. R. Imperii III. 791
Georgii VVilhelmi, Ducis Brunſuicenſis, literæ ad Annam, magnæ Britanniæ reginam III. 777
ad Carolum II. Angliæ regem III. 182
ad Guilielmum III. Magnæ Britanniæ regem III. 617
ad Jacobum II. Angliæ regem II. 664. III. 100.119

ad Johannem III. Poloniæ regem II. 875. III. 37. 66
ad Ludovicum XIV. Galliæ regem II. 618. III. 94. 213
ad Zaluskium, Epiſcopum Plocenſem III. 447
Gregorii P.P. XIII. literæ ad Gebhardum, Elect. Colon. I. 24
Guilielmi III. Magnæ Britanniæ Regis, literæ ad Carolum XII. Sueciæ regem III. 588
ad Fridericum Auguſtum, ut Electorem Saxoniæ III. 420. 422. 476. 482. 492. 498. 544. ut Regem Poloniæ III. 629
ad Fridericum I. Boruſſiæ regem & Electorem Brandenburgicum III. 307. 481 717
ad Fridericum IV. Ducem Holſato-Gottorpienſem III. 668
ad Genevenſis Civitatis Conſules & Senatores III. 496
ad Georgium Wilhelmum, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem III. 615
ad Joh. Georgium III. Electorem Saxoniæ III 321
ad Joh. Georgium IV. Saxoniæ Electorem III. 348 392 393. 399. 404. 410
ad Johannem Wilhelmum, Electorem Palatinum III. 650
ad Legatos & Deputatos Circuli Suevici III. 390. 489 765
ad Leopoldum Rom. Imperatorem III. 233. 592
ad Ordines Cantonum Helvetiæ Evangelicos III. 457 522
ad Petrum Czarum & Magnum Ducem Moſcoviæ III. 701
ad Philippum Reinhardum, Comitem Hanoviæ III. 639
ad S. R. I. Electores, Principes & Status III. 745
Guſtavi Adolphi, Suecorum regis, literæ ad Collegium S. R. I. Electorale I. 186
ad Generales Fœderati Belgii Ordines III. 1099
Guſtavi Adolphi, Ducis Megapolitani, literæ ad Carolum XI. Sueciæ regem II. 259
Gyldenklavii, Suecici ad pacis negotia Deputati, literæ ad Lumbranum, Legatum Gallicum II. 119

H.

de Haro, Hiſp. regis Plenipotentiarii, Literæ ad Maximilia-

lianum Henricum Electorem Colonienſem II. 190
Haſſiæ Landgravius vid. *Georgius II.* II. 119
Haſzan Baſſa, ſupremi Turcarum Imperatoris Vicarii, literæ ad Auguſtum II. Poloniæ regem III. 893
Hedwigis Eleonoræ, Reginæ Sveciæ, literæ ad *Ludovicum XIV.* Galliæ regem III. 645
Hungariæ Ordinum literæ ad Comit. Eſterhaſium Regni Hungariæ Palatinum II. 1055
ad Hermannum Marchionem, Badenſem II. 967
ad Georg. Hamel a Brunicx, legati Ord. Fœd. Belg. II. 953
Henrici Navarræ regis, literæ ad Chriſtianum I. Principem Anhaltinum I. 58
ad Joachimum Erneſtum, Principem Anhaltinum I. 38
ad Joh. Georgium I. Principem Anhaltinum I. 49. 83
Henrici IV. Galliæ regis, literæ ad Clementem IX. PP. I. 88
Hiſpaniarum reges: vid. *Carolus II.*
Philippus III.
Philippus IV.
Regina; vid. *Maria Anna.*
Holſato-Gottorpienſes Duces; vid. *Chriſtianus Albertus.*
Fridericus IV.
Hetruriæ Duces vid. *Coſmus III.*

I.

Jacobi I. Angliæ Regis, literæ ad Chriſtianum II. Electorem Saxoniæ I. 100. 104. 105
ad Ferdinandum II. Rom. Imperatorem I. 172.
ad Joh. Caſimirum, Principem Anhaltinum I. 121
Jacobi II. Angliæ regis literæ, ad Anſelmum Franciſcum, Electorem Moguntinum III. 96
ad Georgium Guilielmum, Ducem Brunſvico-Luneburgenſem III. 180
ad Joh. Georgium III. Saxoniæ Electorem III. 115. 127. 172
ad Leopoldum, Rom. Imperatorem III. 225
Jacobi VI. Scotiæ Regis, literæ ad Georgium I. Principem Anhaltinum I. 69
Jacobi Ludovici, Principis Regii, literæ ad Michaelem Radziejovium III. 505
ad Nuntios & Deputatos in Comitiolis per palatinatus majoris Poloniæ inſtitutis congregatos III. 721

Imperatores Romani vid. Carolus V.
Ferdinandus I.
Ferdinandus II.
Ferdinandus III.
Joſephus.
Leopoldus.
Maximilianus II.
Rudolphus.
Imperatrices : vid. *Eleonora Magdalena Thereſia.*
VVilbelmina Amalia.
Imperat. Turcici vid. *Achmed III.*
Mahomed IV.
Innocentii Pontificis XI, literæ ad Aloyſium, Patriarcham Alexandrinum II. 844
ad Anſelmum Franciſcum, Electorem Moguntinum III. 3
ad Capitulum Colonienſe III. 192
ad Franciſcum Cardinalem a Furſtenberg III 190
ad Johannem III. Poloniæ Regem III. 89
ad Joſephum Clementem, Electorem Colonienſem III. 185. 200
ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem III. 1. 126. 215
ad Ordinem equeſtrem Regni Poloniæ III. 91
ad Ordinem Senatorium regni Poloniæ III. 90
ad Rudigerum Erneſtum, Comitem a Stahrenberg III. 27
ad Stephanum, Cardinalem le Camum III. 190
Innocentii PP. XII. Literæ ad Auguſtum II. Poloniæ Regem III. 577. 580. 591
ad Chriſtianum Auguſtum, Epiſcopum Jaurinenſem III. 590
ad Epiſcopum Cujavienſem III. 589
ad Epiſcopum Vilnenſem III. 421. 427
ad Johannem III. Poloniæ Regem III. 426. 466. 483 488
ad Leopoldum Rom. Imperatorem III. 352
ad Mariam Caſimiram, Poloniæ Reginam III. 473
ad Michaelem Radziejovium, regni Poloniæ Primatem III. 383. 426. 467. 485 586
ad Sapieham, ſupremum magni Ducatus Lithuaniæ Theſaurarium III. 428.

Joachimi Ernesti, Principis Anhaltini, literæ ad Henricum Navarræ Regem I. 40
Johannis Caſimiri, Regis Poloniæ, literæ ad Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas II. 498
ad Alexandrum PP. VII. II. 1019. 1031
ad Cardinalem Sancta-Crucium II. 1023
ad Cardinalem Urſinum II. 478
ad Carolum XI, Sveciæ Regem II. 222
ad Carolum Ferdinandum, fratrem ſuum I. 1012
ad Civitatem Gedanenſem I. 657
ad Civitatem Thorunienſem I. 609
ad Civitatem Regiomontum II. 1017
ad Clementem PP. IX. II. 454. 507
ad Dominicum Contarenum, Ducem Venetiarum II. 1029
ad Epiſcopum Cracovienſem II. 488
ad Fridericum Wilhelmum Electorem Brandenburgicum I. 650. II. 232. 234. 240. 249. 465. 478. 494. 495. 1027.
ad Georgium Lubomirium, ſupremum exercitus Polonici præfectum I. 1055 1058
ad Joh. Georgium III. Saxoniæ Electorem II. 1025
ad Leopoldum Rom. Imperatorem II. 257. 447
ad Ludovicum XIV. Galliæ regem II. 493
ad Metropolitanum Gazenſem II. 496
ad Michaelem Abaffi I. Tranſylvaniæ Principem II. 1040
ad Ordines generales fœderati Belgii I. 577
ad Svecicos Conſiliarios, ad Pacis tractatus in Boruſſia inchoandos deputatos II. 113
Johannis III. regis Poloniæ, literæ ad Antonium Guntherum, Principem Anhaltinum III. 23
ad Cardinalem Altierum II. 749. 806. III. 92
ad Cardinalem Barbarinum III. 111
ad Cardinalem Urſini II. 804
ad Carolum II. magnæ Britanniæ regem II. 822
ad Carolum XI, Svecorum regem II. 744
ad Clementem Papam X. II. 741. 813
ad Eleonoram Magdalenam, Rom. Imperatricem III. 327

ad Eli-

ad Eliſabetham Amaliam, Electricem Palatinam III. 331
ad Fridericum Wilhelmum, Electorem Brandenburgicum II. 747. 752. 860
ad Fridericum III. Electorem Brandenburgicum III. 435
ad Georgium Wilhelmum, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem II. 839. III. 34. 64
ad Guilielmum III. magnæ Britanniæ regem III. 367
ad Innocentium P.P. XI. III. 80. 147
ad Innocentium P.P. XII. III. 369
ad Joh. Georgium II. Electorem Saxoniæ II 798. 884
ad Johannem Georgium III. Electorem Saxoniæ III. III. 25. 107. 117. 130. 155. 332
ad Johannem Georgium II. Principem Anhaltinum III. 33. 63. 153. 224. 975
ad Johannem Wilhelmum, Electorem Palatinum III. 330
ad Leopoldum Rom. Imperat. II. 742. III. 43. 210. 326
ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem II. 745. III. 10. 32
ad Mahumetum IV. Turcarum Imperatorem II. 745
ad Senatorem quendam Regni Poloniæ II 975
ad Srach Soliman Perſarum Regem III. 16
Johannis Georgii I. Electoris Saxoniæ, literæ ad Carolum III. Mantuæ Ducem I. 428
ad Chriſtinam Sueciæ Reginam I. 228. 234
ad Philippum IV. Hiſpaniarum Regem I. 253
ad Uladislaum IV. Poloniarum Regem I. 194
Johannis Georgii II. Elect. Saxoniæ, literæ ad Carolum II. Hiſpaniarum Regem II. 823. 891
ad Carolum II. magnæ Britanniæ Regem II. 504. 535. 537. 611. 614. 696. 697. 828. 833. 854. 873. 874. 878. 881. 890
ad Carolum IV. Lotharingiæ Ducem II. 872
ad Carolum Emanuelem II. Sabaudiæ Ducem II. 396. 428. 431. 432
ad Carolum Gonzagam, Principem Caſtilloneum II. 871
ad Carolum Guſtavum, Sveciæ Regem II. 131
ad M. de Caſtel-Rodrigo, Hiſpaniarum in Belgio Præſidem II. 503. 539

ad Colbertum, primarium aulæ Gallicanæ Miniſtrum II. 480
ad Coſmum III. magnum Hetruriæ Ducem II. 524. 567. 570. 627. 635. 688. 736. 740. 763. 877. 882. 886.
ad Ferdinandum II. magnum Hetruriæ Ducem II. 243. 254. 278. 288. 300. 505. 526. 536. 562
ad Franciſcum II. Mutinæ Ducem II. 840
ad M. de la Fuente, Legatum Hiſpanicum II. 282. 285. 287
ad Johannem III. Poloniarum Regem 827. 843. 855. 885
ad Joh. Caſimirum Regem Poloniæ II. 350. 452
ad Johannem de Grenville, Comitem Bathoniæ II. 539. 540
ad Joh. Dominicum de Luniga & Fonſeca, Provinciarum in Belgico Hiſpanico præſidem II. 686
ad Iſabellam Claram, Caroli III. Mantuæ Ducis viduam II. 406
ad Ludovicum II. Principem Condeum II. 77
ad Ludovicum XIV. Galliarum Regem II. 392. 422. 472. 491. 655
ad Olympiam Sfortiam, Caſtilionæi Ducis viduam II. 806
ad Mariam Annam, Philippi IV. Hiſpaniarum Regis viduam II. 412
ad Mariam Johannam Baptiſtam, Caroli Emanuelis II. Sabaudiæ Ducis viduam II. 859
ad Michaelem, Poloniæ Regem II. 565
ad Philippum IV. Hiſpan. Regem I. 728. II. 296
ad Robertum de Gravel Legatum Gallicum II. 369. 414
Johannis Georgii III, Electoris Saxoniæ, literæ ad Carolum II. Hiſpaniæ Regem III. 318. 338
ad Carolum II. magnæ Britanniæ Regem II. 915. III. 7
ad Carolum IV. Mantuæ Ducem III. 123
ad Carolum XI. Sveciæ Regem III. 158
ad Coſmum III. Magnæ Hetruriæ Ducem III. 13. 118. 157. 243

ad Gui-

ad Guilielmum III. magnæ Britanniæ Regem III. 237. 339
ad Maroch. de Gaſtanaga, Hiſpaniarum Regis in Belgio Vicarium III. 177. 178. 179
ad Hieronymum Molinum, Venetiarum Ducem III. 103
ad Jacobum II. Angliæ Regem III. 99. 171. 195
ad Johannem & Petrum, Czaros Moſcoviæ III. 55
ad Johannem III. Poloniæ Regem III. 29. 56. 87. 108. 122. 124. 136. 154 211. 333
ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem II. 914. III. 47. 142
ad Mariam Annam, Philippi IV. Hiſpaniarum Regis viduam III. 246
ad Ottonem Henricum, Marchionem de Savonna Gubernatorem Belgii Hiſpanici III. 8
ad Proceres nonnullos Europæ III. 213
ad Rainuntium Farneſium, Parmæ Ducem III 317
ad Victorem Amedum, Ducem Sabaudiæ III. 132. 320
Johannis Georgii IV. Electoris Saxoniæ literæ ad Carolum II. Hiſpaniarum Regem III. 344. 361. 365. 372. 409
ad Coſmum III. magnum Etruriæ Ducem III. 395. 396. 411
ad Guilielmum III. magnæ Britanniæ Regem III. 347. 350. 356. 370. 373. 391. 394. 397. 398. 405 412
ad Johannem III. Poloniæ Regem III. 362. 371. 377.
ad Ducem de Villa Hermoſa, Belgici Hiſpanici Gubernatorem II. 799
Johannis Georgii I. Pr. Anhaltini literæ ad Eliſabetham Angliæ Reginam I. 86
ad Henricum, Navarræ Regem I. 60
ad Henricum IV. Galliæ Regem I. 102
ad Segurium Pardelianum, Regis Navarræ legatum I. 53
Johannis Hugonis, Electoris Trevirenſis, literæ ad Innocentium PP. XII. III. 662
Johannis Matthiæ, Epiſcopi Strengnenſis, literæ ad Carolum Guſtavum Suecorum Regem I. 614
Johannis Philippi, Electoris Moguntini literæ ad Carolum XI. Svecorum Regem II. 378

ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem II.136
Joſephi Imperatoris literæ ad Carolum XII. Sveciæ Regem III. 1052
ad Marlboroughium S.R.I. Principem III.932
ad Ordines generales fœderati Belgii III. 943
ad Ordines Regni Hungariæ III. 967
ad Wilhelmum III. Magnæ Britanniæ Regem III. 236
Joſephi Clementis, Electoris Colonienſis, literæ ad Carolum XII. Suecorum Regem III. 788
Juliacenſium Conſiliariorum & Statuum literæ ad Ducem Nivernenſem I. 108

K.

KInski (Ulrici Comitis'a) literæ ad Guilielmum Paget, Anglicum in aula Turcica internuncium III. 601
Kolonitſch, Regni Hungariæ Primatis, literæ ad Ordinum ſacrorum per Hungariam generalem Provincialem III. 919
Koniecpolskii, Vexilliferi Regni Poloniæ, literæ ad Carolum Guſtavum, Svecorum Regem I. 1070
Kunicki, Ducis Coſaccorum, literæ ad Dom. Potocki, Caſtellanum Cracovienſem III. 42

L.

LEodienſis judicii aſſeſſorum literæ ad Proceres S. R. I. Ratisbonæ congregatos III. 1033
Leopoldi Rom. Imperatoris literæ ad Auguſtum II. Regem Poloniæ III. 563.597.626
ad Capitulum Leodienſe III. 760.761
ad Cardinalem de Medices III. 310.316
ad Cardinalem Pio II. 945.965
ad Carolum, Archiducem, filium ſuum III. 685
ad Carolum II. Hiſpaniarum Regem II. 972
ad Carolum II. Angliæ Regem II. 802.818
ad Carolum XI. Svecorum Regem II. 279.724.764. III. 77.202.343
ad Carolum XII. Suecorum Regem III. 643.696
ad Clementem PP. XI. III. 710
ad Confœderatos ſuos III. 343
ad Coſmum III. magnum Etruriæ Ducem III. 730
ad Franciſcum de Liſola, Legatum ſuum II. 273

ad Franciſcum Ludovicum, ſupremum Ordinis Teutonici per Germaniam Magiſtrum III.704
ad Guilielmum III. Magnæ Britanniæ Regem III. 235
ad Helenam Georgii Ragoczii II. viduam II.420
ad Jacobum II. Angliæ Regem III. 230
ad Innocentium PP. XI. III.163. 164
ad Innocentium PP. XII. III.354
ad Johannem III. Regem Poloniæ III. 208. 239. 336. 364
ad Johannem Caſimirum, Regem Poloniæ II. 1035
ad Marlboroughium, ſupremum copiarum Anglicarum Ducem III 905
ad Michaelem Radziejovium, Pol. Primatem III.556.644
ad Olzovium regni Pol. Primatem II. 842
ad Petrum Czaarum & magnum Ducem Moſcoviæ III. 599
ad Philippum IV. Hiſpaniarum Regem I.765
ad Tranſylvaniæ Ordines II.421. III. 183
Leopoldi Matthiæ, Landgravii Leuchtenbergici, literæ ad exteros Principes III 1057
Lesczinii, Archipræſulis Gneſnenſis, literæ ad Fridericum Wilhelmum, Electorem Brandenburgicum II. 277
ad Georgium Lubomirskium, magnum regni Poloniæ Mareſchallum I. 1056. II. 295. 297. 299
Lionne, Legati Gallici, literæ ad Joh. Philippum, Moguntinum & Maximilianum Henricum Colonienſem, Electores II. 179
Lipſienſis Senatus ad judicium mercatorium delegati literæ ad Præſidem & Aſſeſſores judicii mercatorii Lugdunenſis III. 137
ad Franciſcum Moroſini, Venetiarum Ducem III.402
Lotharii Franciſci, Electoris Moguntini, literæ ad Innocentium PP. XII. III. 664
ad Ludovicum XIV. Galliarum Regem III. 583
Lotharingiæ Dux vid. *Carolus Leopoldus.*
Lubienskii, Epiſcopi Plocenſis, literæ ad Annibalem Bentivolum, utriusque ſignaturæ in curia Romana Referendarium I.978. 980. 986

ad Cardinalem Barbarinum I. 976
ad Cardinalem Bentivolum I. 984. 996. 1001. 1005
ad Cardinalem de Torres I. 957
ad Carolum a Dohna Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarium I. 964
ad Georgium Wilhelmum, Electorem Brandenburgicum I. 960. 966. 969
ad Honoratum Vicecomitem, Archiepiſcopum Lariſſenum I. 991
ad Johannem Gembicium, Secretarium Regium I. 989
Lubomierskii, magni regni Poloniæ Mareſchalli, literæ ad Ductores exercitus Polonici II. 289. 292
ad Epiſcopum Cracovienſem II. 366. 411
ad Johannem Caſimirum, Regem Poloniæ II. 314. 426
ad Ordinem Senatorium regni Poloniæ II. 423
ad Georgium Ragoczium II. Principem Tranſylvaniæ I. 708
Ludovicæ Mariæ, Reginæ Poloniæ, literæ ad exercitum Polonicum II. 1015
Ludovici XIV. Galliæ Regis, literæ ad archiepiſcopum Pariſienſem III. 401
ad Ordines fœderati Belgii I. 400. II. 633
ad Status S. R. Imp. II. 192. 283. 468. 633
Lumbrani, Plenipotentiarii Gallici, literæ ad Andream Gyldenklavium II. 117
ad Plenipotentiarios Sveticos ad pacem cum Polonis redintegrandam deputatos II. 148
de Luniga & Fonſeca, Provinciarum Hiſpano-Belgicarum Præſidis, literæ ad Senatum Coloniæ Agrippinæ II. 628

M.

Mahomedis IV. Turcarum Imperatoris, literæ ad Joh. Caſimirum, Poloniæ Regem II. 1037
Malachovii, Polonici ad Tractatus Carolovicenſes Plenipotentiarii, literæ ad Plenipotentiarios Cæſareos III. 618
ad Procopium Begdanoviz Voſnizin, Plenipotentiarium Ruſſicum III. 673

Mariæ Annæ, Reginæ Hiſpaniarum, literæ ad Guidobaldum, Archiepiſcopum Salisburgenſem III. 1111
ad Ludovcum XIV. Galliæ Regem II.470
ad Maximilianum Gandolphum, Archiep. Salisburgenſem III. 1113
Mariæ Caſimiræ, Reginæ Poloniæ, literæ ad Charlottam Amaliam, Daniæ Reginam III. 506
ad Hedwigam Eleonoram III. 507
ad Eleonoram Magdalenam Rom. Imperatricem III. 328. 504
ad Innocentium Papam XI. III. 138. 143
ad Innocentium PP. XII. III. 468
ad Mariam Annam, Hiſpaniarum Reginam III. 505
ad Mariam Annam Ludovicam, Electricem Palatinam III. 508
ad Michaelem Zadziejovium, Poloniæ Primatem III. 537
ad Ordines Regni Poloniæ III. 635
Mariæ Suſannæ, Baroniſſæ a Degenfeld literæ ad Carolum Ludovicum Electorem Palatinum I. 703
Marpurgenſium Profeſſorum literæ ad Wilhelmum IV. Haſſiæ Landgravium I. 45
Matueof, Legati Moſcovitici, literæ ad generales fœderati Belgii Ordines III. 1015
Mauritii, Electoris Saxoniæ, literæ ad Emanuelem Philibertum, Sabaudiæ Ducem I. 1
Maurocordati, Plenipotentiarii Turcici, literæ ad Palatinum Mariæburgenſem III. 641
Maximiliani, Ducis Bavariæ, literæ ad Johannem Digbium, magnæ Britanniæ Regis Oratorem I. 148. 157
Maximiliani, Archiducis Auſtriæ, literæ ad Ordines regni Poloniæ I. 887. 892
Maximiliani II. Rom. Imperatoris, literæ ad Carolum IX. Galliæ Regem I. 12
ad Johannem Electorem Trevirenſem I. 802
ad Pium PP. IV. I. 804
ad Lazarum lib. Bar. a Schwendi I. 808
Maximiliani Emanuelis, Electoris Bavariæ, literæ ad Oſmannum, Baſſam Aleppinum III. 199

Maxi-

Maximiliani Henrici, Electoris Colonienſis, literæ ad Innocentium PP. XI. III. 173
Mazarini literæ ad Johannem Philippum, Moguntinum & Maximilianum Henricum Colonienſem Electores II. 200
Meadovii, Legati Anglicani, literæ ad Carolum Guſtavum, Sveciæ Regem II. 3
ad Mareſchallum Danicum II. 132
Mechmet Gerey, Chami Tartariæ, literæ ad Georgium Lubomirskium, magnum Regni Poloniæ Mareſchallum II. 313
Megapolitanus Dux vid. *Guſtavus Adolphus.*
Mendoza, Admiralii Arragonum, literæ ad Theodorum, Epiſcopum Paderbornenſem I. 918
ad Senatum Weſalienſem I. 90
Menegati, S. Cæſ. Majeſt. Confeſſionarii, literæ ad Carolum Haſſiæ Landgravium III. 744
de *Meſmes*, Legati Gallici, literæ ad Chriſtianum IV. Daniæ Regem I. 335. 344. 359. 369
Michaelis, Regis Poloniæ, literæ ad Carolum II. Magnæ Britanniæ Regem II. 560
ad Clementem PP. IX. II. 546
ad Clementem PP. X. II. 566. 604. 609. 638. 678. 629
ad Dominum de Boy, Miniſtrum Gallicum II. 640
ad Fridericum Wilhelmum, Electorem Brandenburgicum II. 552. 557. 571. 603. 607. 608 616. 621. 624
ad Innocentium PP. X. II. 566. 604. 609. 629. 638. 678
ad Leopoldum, Rom. Imperatorem II. 550
ad Ludovicum XIV, Galliæ Regem II. 642
ad Mahomethum IV. Turcarum Imperatorem II. 645
ad Michaelem Abaffi I. Principem Tranſylvaniæ II. 708
ad Nuntium Apoſtolicum, Viennæ degentem II. 637
ad Regentes Ducalis Pruſſiæ II. 575
ad ſupremum Purpuratorum in aula Turcica Principem II. 644

Michae-

Michaelis Abaffi I. Tranſylvaniæ Principis, literæ ad ſupremum regni Poloniæ Cancellarium II. 709
Moguntini Electores vid. *Anſelmus Franciſcus. Johannes Philippus.*
Molini, Venetiarum Ducis, literæ ad Joh. Georgium III. Electorem Saxoniæ III. 105
Monaſterienſis Civitatis Senatus literæ ad plenipotentiarium ſuum Hagæ Comitum degentem II. 253
Montagu, claſſis Anglicanæ præfecti primarii, literæ ad Fridericum III. Daniæ Regem II. 155
Mulleri, Exercitus Suecici Generalis, literæ ad Priorem & Præſidem monaſterii clari montis Czenſtochovienſis I. 1060

N.

Nadasd, (Franciſci Comitis de) literæ ad Filium ſuum natu majorem II. 595
ad Leopoldum Rom. Imperatorem II. 601
Noriſii Cardinalis, literæ ad Abbatem Nicaſium III. 558
Novogardiæ magnæ Ordinum literæ ad Carolum IX. Sueciæ Regem I. 941
Nuncii Apoſtolici literæ ad Capitulum Colonienſe III. 196

O.

Olszovii, Regni Poloniæ Primatis, literæ ad Cardinalem, Protectorem Poloniæ II. 501
ad Cardinalem Urſinum II. 553. 743
ad Carolum Hyacinthum, Lotharingiæ Ducem II. 550
ad Clementem Papam X. II. 832
ad Fridericum Wilhelmum, Electorem Brandenburgicum II. 554
ad Leopoldum Rom. Imperatorem II. 807
ad ſupremum aulæ Ottomannicæ miniſtrum II. 647
Ordinum fœderati Belgii generalium literæ ad Carolum XII. Suecorum Regem III. 953
ad Chriſtophorum Bernhardum, Præſulem Monaſterienſem I. 1031. II. 397

ad

ad Cromwellium, Reipubl Angliæ Protectorem I. 672
ad Joſephum Rom. Imperatorem III. 937. 946. 995
ad Leopoldum Rom. Imperatorem II. 316. III. 595
ad Marchionem de Caſtel-Rodrigo I. 388
ad Parlamentum Reipublicæ Angliæ I. 486. 492
Ordines Hungariæ vid. *Hungariæ*
Ordinum Regni Poloniæ literæ ad Carolum, Sudermaniæ Ducem & Senatores regni Sueciæ I. 907
ad Joachimum Fridericum, Electorem Brandenburgicum I. 880
ad Johannem Caſimirum, Regem Poloniæ II. 410
ad Leopoldum Rom. Imperatorem III. 909
ad Maximilianum, Auſtriæ Archiducem I. 885. 890
ad Sixtum PP. V. I. 882
vid. *Proceres*
Oxenſtiernii, Axelii, literæ ad Ludovicum XIII, Galliæ Regem I. 212
Oxenſtiernii, Benedicti, literæ ad Nicolaum Prazmovium II. 1010

P.

Pagiet, Plenipotentiarii Anglici ad Carolovicenſes tractatus miſſi, literæ ad Stanislaum Malachovium III. 648
Palavicini, Legati Anglicani, literæ ad Chriſtianum I. Saxoniæ Electorem I. 67
Palatini Electores vid. *Carolus Ludovicus*
Fridericus V.
Parlamenti Reip. Anglicanæ literæ ad Carolum Guſtavum, Suecorum Regem II. 158
ad Chriſtinam, Suecorum Reginam I. 442
ad Ferdinandum II. magnum Hetruriæ Ducem I. 438. 471. 475
ad Fridericum III. Daniæ Regem I. 473. 447. II. 168
ad Gedanenſem Senatum I. 429
ad Hamburgenſem Senatum I. 422. 432. 435. 440. 450
ad Hanſeaticarum Civitatum Proconſules ac Senatores I. 449
ad Johannem IV. Luſitaniæ Regem I. 421. 434

ad

ad Leopoldum, Ducem Auſtriæ, Provinciarum Hiſpano-Belgicarum Præſidem I. 430
ad Ordines Cantonum Helvetiæ Reformatos I. 509
ad Ordines generales fœderati Belgii I. 488. 491. 505
ad Philippum IV, Hiſpaniarum Regem I. 418. 436 443
ad Venetiarum Ducem I. 474
Petri, Czari Moſcoviæ, literæ ad Achmedem III. Turcarum Imperatorem III. 1057. 1047. 1054
ad Annam Magnæ Britanniæ Reginam III. 983
ad Auguſtum II. Poloniæ Regem III. 698. 858
ad Carolum XII. Sueciæ Regem III. 638. 692
ad Eleonoram Magdalenam Thereſiam, Rom. Imperatorem III. 1074
ad Generales fœderati Belgii Ordines III. 737. 741
ad Rempublicam Poloniæ III. 875
Petri, Portugalliæ Regis, literæ ad Fridericum I, Boruſſiæ Regem III. 904
Philippi III. Hiſpaniarum Regis, literæ ad Marium Sitticum, Archiepiſcopum Salisburgenſem III. 1094
ad Paridem, Archiepiſcopum Salisburgenſem III. 1095
Philippi IV. Hiſpaniarum Regis, literæ ad Auguſtum, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem II. 286
ad Ferdinandum II. Rom. Imperatorem I. 127
ad Guidobaldum, Archiepiſcopum Salisburgenſem III. 1100. 1101
ad Paridem Archiepiſcopum Salisburgenſem III. 1096. 1097. 1098
Philippi Ludovici, Hannoviæ Comitis, literæ ad Carolum I. magnæ Britanniæ Regem I. 974
Plenipotentiariorum Cæſareorum literæ ad Legatos Gallicos I. 384
ad Leopoldum Rom. Imperatorem II. 992
Plenipotentiariorum Svecicorum, literæ ad Dn. Akakiam, Gallicæ Legationis Secretarium II. 162
ad Antonium Lumbranum, Legatum Gallicum, II. 151. 164. 170. 174. 175. 203. 213
ad Brandenburgicos Plenipotentiarios L. B. a Schwerin & D. Weimannum II. 991
ad Belgicos Plenipotentiarios II. 735
ad Carolum II. magnæ Britanniæ Regem II. 461. 698

ad

ad Gallicos Plenipotentiarios I. 384. 389
ad Hugonem Terlonum II. 144. 151. 156. 159. 161
ad Status S. R. Imperii I. 377
vid. *Legati*
de Polignac, Abbatis, literæ ad Magiſtratum civitatis Gedanenſis III. 550
Poloniæ Reges: vid *Auguſtus II.*
Joh. Caſimirus
Johannes III.
Michael.
Sigismundus Auguſtus
Sigismundus III.
Stephanus Bathori
Vladislaus IV.
Reginæ, vid. *Eleonora*
Ludovica Maria
Maria Caſimira
Pontifices Rom. vid. *Alexander VII.*
Clemens X.
Clemens XI.
Gregorius XIII.
Innocentius XI.
Innocentius XII.
Urbanus IIX.
Portugalliæ Rex: vid. *Petrus.*
Poſonienſis Civitatis Evangelicorum literæ ad Chriſtophorum Epiſcopum Neoſtadienſem III. 341
Potockii, Palatini Cracoviæ, literæ ad Georgium Lubomirskium, magnum Poloniæ Mareſcallum II. 301
Prazmowskii, Regni Poloniæ Primatis, literæ ad Bulovium, ſupremum præſidii Thorunienſis Præfectum II. 1105
ad Cardinalem, Regni Poloniæ protectorem II. 520
ad Cardinalem anonymum II. 521
ad Cardinalium congregationem II. 523
ad Carolum XI. Sueciæ Regem II. 516
ad Clementem Papam IX. II. 517
ad Fridericum III. Daniæ Regem II. 515
ad Fridericum Wilhelmum, Electorem Brandenburgicum II. 519

ad

ad Leopoldum Rom. Imperatorem II. 513
ad Oxenſtiernam, Regni Sueciæ Senatorem & Cancellariæ Conſiliarium II. 1009
ad Proceres regni Poloniæ, in Comitiis Mariæburgenſibus congregatos II. 682
ad Senatores regni Poloniæ II. 666
Procerum quorundam Poloniæ literæ ad Carolum Guſtavum, Suecorum Regem I. 588
ad Comitem de Piniaranda II. 739
ad Innocentium Papam XII. III. 432
vid. *Ordines.*

R.

R*adziejovii* (Hieronymi) Procancellarii regni Poloniæ, literæ ad Ordines Regni I. 1021
ad Dominum Smielniskium, ſummum exercitus Zaporoviani Præfectum I. 1026
Radziejovii, Regni Poloniæ Primatis, literæ ad Alexandrum & Conſtantinum, Principes regios III. 519
ad Auguſtum II. Regem Pol. III. 585. 872
ad Epiſcopum Vilnenſem III. 414
ad Fridericum III. Elect. Brandenburgicum III. 574. 690. 707
ad Jacobum Ludovicum, Principem Regium III. 517
ad Innocentium Papam XII. III. 479. 493
ad Leopoldum Rom. Imper. III. 553
ad Mariam Caſimiram Poloniæ Reginam III. 535
ad Nuncium in Polonia Apoſtolicum III. 479
ad Palatinum Vilnenſem III. 417
ad Senatum Civitatis Gedanenſis III. 903
Radzivilii Principis literæ ad Senatum Rigenſem I. 141
Ragoczii II. Principis Tranſylvaniæ, literæ ad Carolum Guſtavum, Suecorum Regem I. 711. 713
ad Fridericum Wilhelmum, Electorem Brandenburgicum I. 712
Reformatorum Theologorum per Helvetiam literæ ad D. Guilielmum, Magnæ Britanniæ Primatem I. 258
Rigenſis Senatus literæ ad Chriſtophorum Principem Radzivilium I. 134

ad Sigismundum III. Regem Poloniæ I. 118
Rocheſter, (Comitis de) Legati Anglici, literæ ad Ferdinandum III. Rom. Imperatorem I. 503
Roſtochienſis Senatus literæ ad Generales Fœderati Belgii Ordines II. 245
Rudolphi II. Roman. Imperatoris, literæ ad Clementem PP. IIX. I. 915
ad Eliſabetham, Angliæ Reginam III. 1091
ad Senatores Regni Poloniæ I. 899
ad Sigiſmundum III. Poloniæ Regem III. 1092
ad Sigismundum Tranſylvaniæ Principem I. 905
ad Status & Ordines Regni Hungariæ I. 901
ad Theodorum Ivanowitz, Czarum & magnum Ducem Moſcoviæ I. 896

S.

Sabaudiæ Duces: vid. *Carolus Emanuel I.*
Carolus Emanuel II.
Emanuel Philibertus.
Victor Amadeus.
Salvii, Plenipotentiarii Suecici, literæ ad Chriſtianum IV, Daniæ Regem I. 364. 372
ad Dn. Luzovium, Plenipotentiarium Cæſareum I. 375
Saxoniæ Electores: vid. *Auguſtus.*
Fridericus Auguſtus.
Chriſtianus I.
Joh. Georgius I.
Joh. Georgius II.
Joh. Georgius III.
Joh. Georgius IV.
Mauritius.
Electrix vid. *Anna.*
a *Schlippenbach*, Chriſtophori Caroli, Senatoris regni Sueciæ, literæ ad Nicolaum in Praſmou Praſmowski, ſupremum regni Poloniæ Cancellarium II. 230
Scotiæ Rex vid. *Jacobus VI.*
Scoticorum Theologorum literæ ad reformatos per Helvetiam Theologos I. 266

Szembeck, regni Poloniæ Primatis, literæ ad Clementem Papam XI. III. 986
Seccavienſis Epiſcopi literæ ad Comitem quendam S. R. Imp. I. 92
Segurii Pardeliani, Henrici Regis Navarræ Legati, literæ ad Chriſtianum I. Principem Anhaltinum I. 51
ad Joachimum Erneſtum, Principem Anhaltinum I. 43
Senatoris cujusdam Polonici literæ ad Cardinalem Urſinum II. 1023
Senatorum regni Poloniæ magnique Ducatus Lithuaniæ literæ ad Senatores regni Sueciæ I. 542
Senatorum regni Sueciæ literæ ad Senatores regni Daniæ I. 661
ad Senatores regni Poloniæ magnique Ducatus Lithuaniæ I. 534. II. 216
Sigismundi III. Poloniæ Regis, literæ ad Gregorium Papam XV. I. 952
ad Ordines Bohemiæ I. 114
Sigismundi Auguſti, Poloniarum Regis, literæ ad Auguſtum, Electorem Saxoniæ I. 780
ad Ericum Juniorem Ducem Brunſuico-Luneburgenſem I. 793. 794
ad Ferdinandum I. Rom. Imperatorem I. 5
ad Fridericum II. Daniæ Regem I. 9
ad Henricum Seniorem, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem I. 790. 791
ad Maximilianum II. Romanorum & Bohemiæ Regem I. 6. 8
a *Somniz*, Conſiliarii Electoris Brandenburgici, literæ ad Rectorem & Profeſſores Academiæ Argentoratenſis II. 797
Spanhemii, Legati Generalium Fœderati Belgii Ordinum, literæ ad Status S. R. I. III. 888
Statuum S. R. I. literæ ad Annam magnæ Britanniæ Reginam III. 826. 1001. 1009. 1018
ad Cardinalem Paoluzzi III. 819
ad Carolum I. Angliæ Regem I. 196
ad Carolum II. Angliæ Regem II. 907. 960
ad Carolum Guſtavum, Svecorum Regem I. 719. II. 177

ad Carolum XII. Sveciæ R. III. 652
ad Chriſtinam Reginam Sveciæ I. 283.319.1019
ad Guilielmum III. magnæ Britanniæ Regem III. 679
ad Clementem PP. XI. III. 805
ad Innocentium PP. XI. III. 174
ad Innocentium PP. XII. III. 379. 436.449.500.687
ad Johannem Caſimirum regem Poloniæ I.721
ad Johannem III. Poloniæ Regem III. 246
ad Leopoldum, Rom. Imperatorem III. 831.867
ad Ludovicum XIII. Galliæ Regem I. 199.314
ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem I. 413. II. 206. 255. 311. 342.389. 484. 937. III. 660
ad Nuncium Apoſtolicum, in Aula Cæſarea commorantem III. 375
ad Mariam Annam, Hiſpaniarum Reginam II. 481
ad Ordines generales fœderati Belgii I. 1046. III. 676
ad Ordines Regni Hungariæ II. 332
ad Philippum IV. Hiſpaniæ Regem I. 313. 1015
ad Plenipotentiarios Hiſpanicos I. 383
ad Status regni Sveciæ I. 288. 290. 323
Stephani Bathorii, Poloniæ Regis, literæ ad Stanislaum Carncovium, Epiſcopum Vladiſlavienſem I. 20. 21. 22
Svecia Reges, vid. *Carolus IX.*
Carolus Guſtavus.
Carolus XI.
Carolus XII.
Ericus XIV.
Guſtavus Adolphus.
Reginæ vid. *Chriſtina.*
Hedwig Eleonora.
Suecici regiminis literæ ad Joſephum Rom. Imp. III. 1045

T.

a *Ettenbach*, Comitis literæ ad Leopoldum, Rom. Imperatorem II. 684
Theologi Scotici, vid. *Scotici*
Helvetici, vid. *Reformat.*

Tæckely, Comitis, literæ ad Innocentium Papam XI. III. 58
ad Joh. Georgium III. Saxoniæ Electorem III. 52. 58
a Karam Muſtapham ſupremum Turcarum Vicarium III. 21.
Towianskii, Palatini Lancicienſis, literæ ad Fridericum I. Boruſſiæ regem III. 719
Tranſylvaniæ Principes vid. *Bethlem.*
Georgius Ragoczy.
Michael Abaffi.
Trautmansdorff, Legati in Helvetia Cæſarei, literæ ad Nuncium Apoſtolicum III. 856
de Tremollia, Ducis, literæ ad Aloyſium de Bevilaqua, Nuncium Apoſtolicum II. 879
Trevirenſis Elector vid *Joh. Hugo.*
Trompii, Architalaſſi, literæ ad generales fœderati Belgii Ordines I. 452
Tychopolenſis Conſilii Status literæ ad Fridericum III. Daniæ Regem II. 980

U.

Victoris Amadei II. Sabaudiæ Ducis literæ ad Joh. Georgium III. Saxoniæ Electorem III. 135
Vilnenſis Palatini literæ ad Henricum Hornium, ſummum copiarum Svecicarum per Livoniam Præfectum I. 1051
Vladislai IV. Regis Poloniæ, literæ ad Amurathum IV. Imperatorem Turcarum I. 217
Voſnizin, Plenipotentiarii Ruſſici, literæ ad Stanislaum Malachovium III. 670
Vrbani PP. IIX. literæ ad Johannem Archiepiſcopum Gneſnenſem I. 1000
ad Status XIII. Pagorum Helvetiæ I. 250

W.

WEſalienſis Civitatis Senatus literæ ad Franciſcum Principem de Mendoza I. 89
VVilhelmina Amaliæ, Imperatricis, literæ ad Carolum XII. Sveciæ Regem III. 1070

VVittembergii ſupremi Copiarum Svecicarum Ductoris, ad Johannem Zamoiſcium, Regni Poloniæ Senatorem I. 1065
ad Stephanum Czarnecium, ſummum præſidii Cracovienſis præfectum I. 1053
VVood, Eduardi, Plenipotentiarii Anglici, literæ ad Plenipotentiarios Danicos II. 888
VVydzge (Stephani) regni Poloniæ Primatis literæ ad Malachowskium, Epiſcopum Cracovienſem III. 46

Z.

Z*Aluskii*, Epiſcopi Plocenſis, literæ ad Carolum Barbarinum, S. R. E. Cardinalem III. 509
ad Clementem PP. XI. III. 735
ad Georgium Wilhelmum, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem III. 446
Zamoiſcii, ſupremi R. Poloniæ Cancellarii literæ ad Carolum IX. Svecorum regem I. 926. 931. 936. 940
ad Wittenbergium, ſupremum Copiarum Svecicarum Ductorem I. 1066
Zrin, Comitis (Nicolai) literæ ad Conſiliarios Cæſareos II. 336
Zrin, Comitis, (Petri) literæ ad Joh. Georgium II. Saxoniæ Electorem II. 348
ad Leopoldum, Romanorum Imperatorem II. 577

FINIS.

C05656618

Digitized by Google